J. M. J.

EX LIBRIS

A. POUGET DE S^T^- ANDRÉ

PRESBYTERI


FATHERS LIBRARY,
ALMA COLLEGE
ST. JOSEPH'S CHURCH
LIBRARY
SAN JOSE, CALIFORNIA

FATHERS LIBRARY
ALMA COLLEGE
St. Joseph's Church.
LIBRARY
SAN JOSE, CAL.

THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICE CONFLATUS,

PLURIMIS ANNOTANTIBUS PRESBYTERIS AD DOCENDOS LEVITAS PASCENDOSVE POPULOS ALTE POSITIS.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS DECIMUS-QUARTUS.

DE DECALOGO. — VARIÆ APPENDICES.

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California
FATHERS LIBRARY ALMA COLLEGE ST. JOSEPH CHURCH, LIBRARY SAN JOSE, California

28 VOLUMINA : 138 FRANCIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1841

ALMA COLLEGE 230.8 LIBRARY M588 Alma, California

1840

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

MAYOL.

Summa moralis doctrinæ Thomisticæ circa decem Decalogi præcepta.

HABERT.

Quæstiones selectæ de Oratione.

EDITORES.

De possibilitate et existentiâ magiæ.

EDITORES.

De Sacrilegio.

PATUZZI — BILLUART.

Appendix prima : De sanctificatione diei dominicæ et festorum.

NATALIS ALEXANDER

Appendix secunda : De cultu Sanctorum et de sacrarum Reliquiarum veneratione.

BILLUART.—EDITORES.

Appendix tertia : De revelatione secreti.

BILLUART.

Appendix quarta : De abstinentiâ et jejunio.

INDEX RERUM.

Excudebat Migne,

in viâ dictâ d'Amboise, hors la barrière d'Enfer.

SUMMA MORALIS

DOCTRINÆ THOMISTICÆ

CIRCA DECALOGUM.

Decem esse præcepta Moysi à Deo tradita, constat ex ipso decalogi nomine, et ex cap. 20 Exodi, ubi recensentur in duabus tabulis digito Dei scripta : quorum tria prima virtutem religionis concernunt, cultumque Dei respiciunt, et mandata primæ tabulæ communiter appellantur ; reliqua verò septem, ad pietatem et justitiam commutativam spectant, et versantur circa proximum, secundæque tabulæ præcepta appellantur. Ad juvandam memoriam, auctores sub his versibus hæc decem præcepta comprehendunt :

1. *Unum cole Deum.* 2. *Nec jures vana per ipsum.*
3. *Sabbata sanctifices.* 4. *Habeas in honore parentes.*
5. *Non sis occisor.* 6. *Fur.* 7. *Mœchus.* 8. *Testis iniquus.*
9. *Alterius nuptam,* 10. *Nec rem cupias alienam.*

Hanc enumerationem D. Thomas, 1-2, p. 100, art. 5, rectam et convenientem esse docet, quia, sicut legis humanæ præcepta homines ad quamdam communitatem humanam ordinant, ita legis divinæ præcepta hominem ordinant ad quamdam communitatem, seu rempublicam hominum sub Deo. Ad hoc autem ut aliquis in aliquâ communitate benè commoretur, duo requiruntur ; quorum primum est, ut benè se habeat ad eum qui præest communitati : aliud ut benè se habeat ad alios communitatis consocios et compartícipes. Oportet igitur quòd in lege divinâ, primò ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum ; et alia benè ordinantia homines ad alios proximos, simul convenientes sub Deo.

Principi autem communitatis tria debet homo, primò fidelitatem, secundò reverentiam, tertiò famulatum. Fidelitas quidem ad Dominum in hoc consistit, ut honorem principatûs ad alium non deferat : et quantùm ad hoc accipitur primum præceptum : *Non habebis deos alienos,* etc. Reverentia autem ad Dominum requiritur ut nihil injuriosum in eum committatur : et quantùm ad hoc assumitur secundum præceptum : *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Famulatus autem debetur Domino in recompensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi. Et ad hoc pertinet tertium præceptum : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Vel, juxta D. Augustinum, à D. Thomâ relatum, per primum præceptum, jubemur revereri primi principii unitatem, quæ Patri appropriatur. Per secundum, divinam veritatem, quæ Filio attribuitur. Per tertium, divinam bonitatem, quæ Spiritui sancto tribuitur ; nam per illius gratiam sanctificamur, et in eâ bonitate quiescimus sicut in fine. Vel ex hoc quòd hominis conversio ad Deum potest fieri tripliciter : primò corde, et sic primo præcepto inducitur reverentia et cultus unius veri Dei in corde. Secundò in ore, et sic secundo præcepto jubetur non assumere Dei nomen in vanum, dùm profertur juramentum. Tertiò in opere exteriori, sic tertio præcepto prohibentur opera servilia et determinatur quies in sabbato ad exteriùs etiam vacandum Deo.

Ad proximos autem aliquis se habet specialiter et generaliter. Specialiter quidem quantùm ad illos, quorum est debitor, ut scilicet eis debitum reddat. Et quantùm ad hoc accipitur quartum præceptum : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram,* etc. Generaliter autem quantùm ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo, quandòque quidem in propriam personam, quantùm ad consistentiam personæ, et hoc prohibetur per quintum præceptum : *Non occides* Quandòque autem in personam conjunctam quantùm ad propagationem prolis, et hoc prohibetur sexto mandato : *Non mœchaberis.* Quandòque autem in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque. Et quantùm ad hoc ponitur septimum præceptum : *Non furtum facies.* Nocumentum autem oris prohibetur octavo præcepto : *Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum.* Tandem nocumentum cordis prohibetur nono et decimo præcepto : *Non concupisces uxorem, neque rem proximi tui.* Hactenùs S. doctor loco citato, et 2-2, q. 122, ubi hæc decem præcepta egregiè suo more explicat tum in communi, tum in particulari, cujus vestigiis fideliter inhærebimus.

In hâc igitur primâ parte, veluti in primâ tabulâ, reponimus tria priora decalogi præcepta : etenim cùm rationis ordo à fine incipiat, finis verò humanæ vitæ et societatis sit ipse Deus, priori loco collocanda erant ea quibus homo ad eum ordinatur per virtutem religionis ; quorum primum est, ut ei fideliter subdatur, nullam participationem et communicationem cum illius hostibus habens. Secundum, ut reverentiam exhibeat. Tertium, ut ipsi famulatum impendat ; quæ aria præcipiuntur in primæ tabulæ præceptis ; cum quibus reponemus et quartum, ordinans hominem specialiter ad speciales proximos repræsentantes Deum, veluti secundaria principia nostri esse sub isto primo et supremo omnium rerum principio ; et est

affirmativum, de honoratione parentum, ac differt ab aliis sex ordinantibus ad proximum, quæ sunt negativa; ac versatur non circa justitiam propriè dictam sicut ista, sed circa virtutem pietatis, quæ valdè religioni approximat, unde quidam auctores docuerunt hæc quatuor præcepta in primâ tabulâ fuisse exarata. Quidquid sit de hoc, in istâ primâ parte decalogi, istud quartum præceptum cum aliis tribus etiam exposituri sumus.

PRÆLOQUIUM DE RELIGIONE,

MAXIMEQUE DE ORATIONE.

D. Thomas, 1-2, q. 100, art. 3, ad 3, et art. 6, docet quòd præcepta decalogi dantur de his quæ statim in promptu mens suscipit: ideòque sunt immediatè de actibus justitiæ, cùm in eâ ratio debiti, quæ requiritur ad præceptum, manifestatione appareat, eò quòd sit ad alterum, et per hoc ostendatur quòd homo sit alteri obligatus ad reddendum ei quod debet. Unde tria prima præcepta sunt de actibus religionis, quæ est potissima pars justitiæ. Quartum autem præceptum est de actibus pietatis, quæ est pars justitiæ secunda. Alia verò sex, dantur de actibus justitiæ, communiter dictæ, quæ est inter æquales.

Tantò autem aliquid magis à ratione suscipitur quantò contrarium est gravius, et magis repugnans rationi: manifestum verò est, quòd cùm rationis ordo à fine incipiat, maximè est contra rationem, ut homo inordinatè se habeat circa finem. Finis autem humanæ vitæ et societatis est Deus: et ideò primò oportuit per præcepta decalogi hominem ordinare ad Deum; cùm ejus contrarium sit gravissimum. Sicut etiam in exercitu, qui ordinatur ad ducem sicut ad finem, primum est quòd miles subdatur duci; et hujus contrarium est gravissimum: secundum verò ut aliis coordinetur. Inter ipsa autem per quæ ordinantur in Deum, primum occurrit quòd homo fideliter ei subdatur, nullam participationem cum inimicis habens. Secundum quòd ei reverentiam exhibeat. Tertium quòd etiam famulatum impendat: majusque peccatum in exercitu est, si miles, infideliter agens, cum hoste pactum habeat, quàm si aliquam irreverentiam faciat duci: et hoc est gravius quàm si in aliquo obsequio ducis deficiens inveniatur. Inde habes ordinem inter præcepta primæ tabulæ.

Hæc itaque tria præcepta ordinant hominem ad Deum per actus religionis, quæ est pars potentialis justitiæ, cùm sit ad alterum; quia tamen per eam homo nequit reddere Deo æquale debito, ideò Religio deficit à perfectâ ratione justitiæ, solùmque ei annectitur, ut ostendit D. Thomas, 2-2, q. 80, art. unico. Et q. 81, de illâ agit per octo articulos.

Religio propriè sumpta juxta D. Augustinum, lib. 10 de Civit., cap. 1, est habitus quo inclinamur ad cultum et honorem Deo exhibendum: non enim quemlibet, sed Dei cultum propriè respicit. Unde definiri potest virtus moralis, per quam homines exhibent cultum et honorem Deo tanquàm omnium creatori et supremo Domino debitum.

Quod ut clariùs percipiatur, notandum est, virtutes posse tripliciter ad Deum ordinari. Quædam enim immediatè illum respiciunt, tanquàm proximum objectum formale *quod*, et *cui*, per actus à se elicitos directè ipsum attingentes sub aliquâ ratione deitatis et ultimi finis; et hæ sunt virtutes theologicæ. Sic fides per se directè immediatè respicit Deum, ut est in se summè verax, et dùm credimus Deo, ipsum proximè attingimus. Et sic de spe et de charitate dicendum. Aliæ verò sunt virtutes quæ versantur in alio extremo, nempe quæ non habent Deum pro objecto, neque pro fine proximo et intrinseco, seu Deum nec tanquàm objectum *quod*, nec tanquàm finem *cui* de se respiciunt. V. g., temperantia versatur circa cibum et potum moderatè sumptum, et circa passiones tanquàm circa subjectum et materiam proximam, habetque pro fine proximo et intrinseco subjectionem corporis, et animi quietem ac elevationem. Quòd verò ejus actus deinde referatur in Deum, ei præfigitur ab ordinatione charitatis, et ab ejus imperio provenit. Idemque dicendum de aliis virtutibus moralibus. Virtus verò religionis directè et immediatè respicit aliquid creatum tanquàm objectum formale *quod*, nempe cultum quem offert Deo; illius enim actus, nos nostraque directè attingunt tanquàm materiam proximam, quam in cultum offerimus Deo, sicque Deus est ad summum objectum *cui* remotum, et materiale illius. Unde non est virtus theologica, sed moralis; inter morales tamen est præstantissima; quia ea quæ sunt ad finem, ex ordine ad illum suam sortiuntur bonitatem, et quò sunt fini propinquiora, eò sunt meliora: virtutes autem morales sunt circa ea quæ ordinantur in Deum tanquàm in finem. Ergo cùm religio magis de propinquo accedat ad Deum quàm aliæ virtutes morales, utpote quia illum respicit tanquàm finem intrinsecum ad quem ordinat hominem, eò quòd cultus divinus suâpte naturâ immediatè et directè in Deum referatur; ideò inter virtutes morales præeminet, magnamque cum theologicis affinitatem habet. Ita D. Thomas loco citato, art. 5 et 6.

Et art. 7 ostendit religionem habere actus interiores et exteriores, eò quòd illis Deus sit à nobis colendus, juxta illud psalm. 83: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Per eam enim nos et nostra, nempe mentem seu animam cum suis potentiis et viribus, corpus et usum membrorum aliaque exteriora Deo offerimus in cultum. Actus interiores sunt principales et per se ad religionem pertinentes quia, ut dicitur Joan.: *Spiritus est Deus, et eos qu*

adorant eum, in Spiritu et veritate adorare oportet. Exteriores verò actus sunt quasi secundarii, et ad interiores ordinati, tanquàm signa illorum quos per se Deus acceptat, et quibus illi conjungimur : item se habent ut incitamenta ad eliciendos actus interiores : mens enim humana ad hoc ut Deo conjungatur, indiget sensibilium manuductione, quia, ut dicitur ad Rom. 1 : *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Et ideò in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti.

D. Thomas, 2-2, q. 82, assignat duos actus *interiores* religionis. Primus se tenet ex parte voluntatis, et vocatur *Devotio*, seu voluntas quædam promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Et de illâ agit S. doctor, quæst. citatâ, per quatuor articulos; verùm quia non occurrunt dubia casuum conscientiæ circa istam materiam, remittimus lectorem ad textum D. Thomæ, et commentaria egregia piaque Cajetani. Secundus se tenet ex parte intellectûs, et est *Oratio*, quasi *oris ratio*. Unde pertinet ad rationem practicam, cujus est ordinare; imperare enim, petere, et deprecari, ordinationem quamdam important, prout scilicet homo disponit aliquid per aliud esse faciendum. De oratione autem agit S. doctor, q. 83, per septemdecim articulos, ex quibus aliqua ad theologiam moralem et Dei cultum spectantia, attingemus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ORATIONE IN GENERE CONSIDERATA.

§ 1. *De naturâ et necessitate orationis.*

Quæres primò, quid sit oratio, et an sit actus religionis?

Resp. esse actum religionis. Dicitur enim, Psalm. 140: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Incensum autem in hujus figuram in lege veteri dicebatur offerri Domino in suavem odorem et cultum. Et ratio est quia per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando, se eo indigere sicut auctore suorum bonorum, eique tradit mentem suam. Igitur per orationem, religio intellectum hominis movet in Deum. Ita D. Thomas, art. 3, et art. 1, ad 2, ait, *quòd voluntas movet rationem in suum finem, unde nihil prohibet movente voluntate, actum rationis tendere in finem charitatis, qui est Deo uniri. Tendit autem oratio in Deum, quasi à voluntate charitatis mota dupliciter. Uno quidem modo ex parte ejus quod petitur; quia hoc est præcipuè in oratione petendum, ut unianur Deo, juxta illud Psalm. 26 : « Unam petii à Domino, hanc requiram, ut « inhabitem in domo Domini. »* Et Damascenus definit orationem, quatenùs est quædam deprecatio, dicens, quòd *est petitio decentium à Deo.* Alio modo ex parte ipsius petentis; quem oportet accedere ad eum, à quo petit, vel loco, sicut ad hominem; vel mente, sicut ad Deum; et secundùm hoc idem Damascenus dicit quòd oratio *est ascensus mentis in Deum.*

Quæres secundò an sit conveniens Deum orare, et ad id ex præcepto teneamur, et an debeat esse vocalis oratio?

Resp. 1° affirmativè cum D. Thomâ, art 2, quia ex divinâ providentiâ non solùm disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis et quòd ordine proveniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorumdam causæ actus humani : unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, quæ est immutabilis, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundùm ordinem à Deo dispositum. Sic non propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus, quod Deus disposuit per orationes sanctorum esse implendum; ut scilicet homines mereantur accipere, quod ei Deus omnipotens ante secula disposuit donare, ut Gregorius dicit in 1 lib. Dialog., cap. 8. Item, licet Deus nobis præstet ex suâ liberalitate etiam non petita, aliqua tamen vult præstare nobis petentibus; et hoc propter nostram utilitatem, ut scilicet fiduciam quamdam concipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem. Unde Chrysostomus dicit : *Considera quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare*, etc. Nec est necessarium nos Deo nostras preces porrigere, ut e nostras indigentias et desideria manifestemus : *Scit enim pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis*, ut Matth. 6 dicitur : sed ut nos ipsi consideremus in his ad divinum auxilium esse recurrendum. Hactenùs D. Thomas. Vide D. Gregorium loco citato : D. Augustinum, lib. de Dono perseverantiæ, cap. 16, et Epist. 121.

Resp. 2°, quòd tenemur præcepto naturali et divino Deum orare. Prob. ex illo Lucæ 16 : *Oportet semper orare*, etc. Ex quo verbo, *oportet*, Chrysostomus necessitatem et præceptum orandi colligit; τὸ autem *semper*, multipliciter exponit D. Thomas hìc, art. 14, ad 4, dicens quòd aliquis continuè orat vel propter continuitatem desiderii charitatis, quod in nobis debet esse continuum actu aut virtute; manet enim virtus hujus desiderii in omnibus quæ ex charitate facimus : omnia autem ex charitate, seu in gloriam Dei facere debemus, ut dicitur, 1 ad Corint. 10, et glossâ super hæc verba Apostoli 1 ad Thessalon. 5 : *Sine intermissione orate*, subdit : *Continuè vitam beatam desiderate; ipsum enim continuum desiderium boni, continua est oratio.* Vel secundò ratione bonæ operationis. Unde glossa iam allata subdit : *Semper justè vivite; semper enim orat, qui benè semper agit.* Vel tertiò, quia non est intermittendum quin temporibus statutis oretur. Unde glossa allata ait : *Sine intermissione certarum horarum orate*, seu quòd non interrumpatur actus orandi, quasi nunquàm resumendus. Quartò tandem vel propter effectum, sive in ipso operante, qui etiam post orationem remanet magis devotus; sive etiam in alio; puta cùm quis suis beneficiis alium provocat, ut per se oret, etiam quando ipse ab oratione cessat et quiescit, prout fit in associatione Rosarii perpetui, et nos ostendimus, in opusculo Rosarii, cap. 2. Unde verba ista : *Oportet semper orare, et non deficere*, non sunt intelli-

genda de ipsâ oratione secundùm se consideratâ, quæ non potest esse continua; quia oportet aliis operibus occupari, et est præceptum affirmativum, quod non obligat semper et pro semper.

Probatur autem ratione, quòd obliget aliquando. Nam omnis actus ad salutem necessarius, si sit liber et in nostrâ potestate, aliquando obligat sub præcepto, ut supra ostensum est. Atqui oratio est actus liber et necessarius ad salutem, ut docent D. Thomas in 4 sent., dist. 15, q. 4, art. 1, q. 3; D. Augustinus, lib. de Bono persev., cap. 15, et lib. de Eccl. Dogm., cap. 56, et lib. de Naturâ et Gratiâ, cap. 43. Item Tridentinum, sess. 6, cap. 11; bona enim spiritualia, maximè perseverantiam finalem, tanquàm media ad finem beatitudinis tenetur unusquisque desiderare, à Deo petere, sibique per orationem procurare, juxta illud Matth. 7 : *Petite, et accipietis.* Ergo, etc.

Confirmatur, quia ratio naturalis dictat et præcipit Deum esse colendum, nos ei nostra ei subjiciendo tanquàm supremo Domino et omnium bonorum auctori, ex cujus largitate nos accepturos speramus; sed hoc fit per orationem; orando enim tradit homo mentem suam Deo, quam ei per reverentiam subjicit, et repræsentat, ut ait Dionysius, idcòque, sicut mens humana præeminet exterioribus vel corporalibus membris, aut exterioribus rebus, quæ ad Dei servitium applicantur, ita etiam oratio præeminet aliis actibus religionis, ut ait D. Thomas hic art. 3, ad 3. Unde Ecclesia ad colendum Deum maximè orationibus utitur. Ergo, etc. Confirmatur insuper ex D. Thomâ hîc, art. 2, ubi ait, quòd *non solùm petere quæ desideramus, sed etiam rectè aliquid desiderare, sub præcepto cadit. Sed desiderare quidem cadit sub præcepto charitatis; petere autem sub præcepto religionis, quod quidem præceptum ponitur Matth. 7, ubi dicitur : Petite, et accipietis.* Item 1 ad Thessalon. 5 : *Sine intermissione orate.* Ad Rom. 12 : *Orationi instantes;* Jacobi 5 : *Orate pro invicem, ut salvemini.* Et colligitur ex D. Cypriano in expositione orationis Dominicæ. Ex Chrysost., lib. 7 de orando Deum, et passim ab aliis SS. Patribus.

Quando autem nos obliget istud orationis præceptum, dicendum est quòd in primo instanti morali usûs rationis, in mortis articulo, in gravi corporis et animæ periculo, et pluries in vitæ decursu, homo tenetur ad orationem recurrere; sicut enim infirmus probè sciens, omnes in simili infirmitate constitutos, utentes aliquo facili medicamento, aut ferè omnes, incolumes evadere, ad illum adhibendum obligaretur ex tuendæ vitæ et procurandæ sanitatis præcepto; ita naturæ dictamine tenetur homo, in suis indigentiis ad Deum per orationem recurrere, maximè quia Deus ferè semper præordinavit, nobis sua auxilia, præsertim ad salutem æternam post primam gratiam necessaria, mediante oratione concedere. Item quoties prudenter homo judicat, orationem esse medium hîc et nunc necessarium ad vincendam aliquam gravem tentationem, vitandum peccatum, et custodiendam aliquam virtutem; tunc ratione illius, oratio cadit sub præcepto. Item pro Ecclesiâ et regno in gravioribus necessitatibus publicis, fideles aliquando orare tenentur, maximè prælati, parochi, sacerdotes, et personæ religiosæ. Item quando prudenter judicamus orationem esse medium necessarium ad subveniendum proximo in gravi necessitate, præsertim spirituali constituto, qui ex charitate tenemur succurrere, nec possumus aliter quàm per orationem commodè succurrere; tunc ratione hujus, ad orationem obligamur : ejus tamen omissio tunc fortè, regulariter saltem loquendo, non est peccatum mortale, tum quia ordinariè aliâ viâ proximo subveniri potest; tum quia non est omninò certum orationem illam fructum ac felicem successum habituram, et quòd indigens nullum impetrationi opponat obicem.

Resp. 3°, quòd oratio singularis, quæ scilicet offertur à singulari personâ, sive pro se, sive pro aliis oret, non importat de necessitate quòd debeat esse vocalis, per se absolutè loquendo. Convenienter tamen vox huic orationi adjungitur triplici ratione, primò ad excitandam interiorem devotionem, quâ mens orantis elevetur in Deum; quia per exteriora signa sive vocem, sive etiam aliquorum factorum, movetur mens hominis, et secundùm apprehensionem, et per consequens secundùm affectionem, ut dicit D. August., Epist. 121 ad Probam; et ideò in singulari oratione, tantùm est vocibus, et hujusmodi signis utendum, quantùm proficit ad excitandum interiùs mentem : si verò mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est à talibus cessandum. Secundò ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo serviat secundùm illud totum quod ex Deo habet, id est, non solùm mente, sed etiam corpore : quod præcipuè competit orationi ut est satisfactoria. Unde dicitur Oseæ ultimo : *Reddemus vitulum labiorum nostrorum.* Tertiò ex quâdam redundantiâ ab animâ ad corpus ex vehementi affectione, juxta illud Psalm. 15 : *Lætatum est cor meum, exultavit lingua mea.*

Quæres tertiò an oratio purè mentalis seu meditatio sit omnibus fidelibus ad salutem necessaria (1)?

Resp. Duobus modis spectari potest meditatio, nempe, vel secundùm se precisè, et quatenùs est studiosa occultæ veritatis investigatio : vel secundùm circumstantias, puta methodum, temporis diuturnitatem, etc. Certum est meditationem posteriori modo esse duntaxat medium ad salutem utile. Quæstio solùm est de meditatione secundùm se spectatâ.— Resp. Aliqua meditatio est omnibus fidelibus ad salutem necessaria.

Probatur 1° ex Scrip., Jer., 12 : *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Eccli. 3 : *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Matth. 13, et Luc. 8, verbum Dei auditum et non recogitatum, est semen cadens vel secùs viam et conculcatum, vel in spinas et suffocatum. Spinæ, Domino interprete, sunt sollicitudo seculi, et fallatia divitiarum ac voluptatum, à quibus retrahendam mentem monet Pro-

(1) Hæc quæstio et sequentes usque ad articulum de *oratione publicâ*, adduntur tractatui Mayolis, desumptæ ex Th. L. Habert.

pheta, his verbis : *Redite, prævaricatores, ad cor*, Isa. 46. Hoc est, in vobis ipsis expendite, ponderate, et in corde vestro conferte quæ didicistis sive lectione, sive auditu, ut resipiscatis, et acceptum verbum fructificet. Sic David, licet negotiorum multitudine pressus, meditationibus mundabat cor suum : *Meditatus sum nocte cum corde meo*, inquit Psalm. 76, *et exercitabar et scopebam spiritum meum*, adeò meditatio videbatur illi necessaria.

Probatur 2° ex Patribus : S. Gregorius, hom. 15 in Evangelium, sic habet : *Curate, ne semen juxta viam cadat; ne malignus spiritus veniat, et à memoriâ verbum tollat. Cibus mentis est sermo Dei, et quasi acceptus cibus stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur; sed quisquis alimenta non retinet, hujus profectò vita desperatur.* S. Augustinus, vel quivis auctor hom. 35, l. 50 Hom. : *In lege*, inquit, *immunda sunt animalia quæ non ruminant.... Ruminatio pertinet ad eos, qui cogitant postea quod audierint et tenuerint* (memoriâ) ; *nam modò manducamus, et in memoriam tanquàm in ventrem mittitur. Sed quid facit pecus quando ruminat? quod in ventre fuerat repositum, revocat ad os, et in ipsâ dulcedine conquiescit. Hoc dixi, ne sitis immundi tanquàm pecora.* S. Bernardus totus est in opere de Consideratione ad commendandam summo pontifici meditationis necessitatem, scribitque c. 1 et 2, lib. 1, actum esse de ejus salute, si se totum tradat negotiis, quæ illum circumstant. S. Thomas 1-2, quæst. 100, art. 3, ad 3, expendens tertium Decalogi præceptum, quod est de sanctificatione sabbati, docet præceptum illud esse cæremoniale et juris positivi, quantùm *ad taxationem temporis*, ac proinde quantùm ad hanc circumstantiam potuisse abrogari; sed quoad substantiam spectatum esse juris naturalis et indispensabilis, quia homo aliquando vacare debet rebus divinis, juxta illud Psal. 45 : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus.* Quocirca qui die Dominicâ, quod est Christianorum sabbatum, non potest vacare propter necessaria charitatis officia, aliud tempus sibi præstituat necesse est.

Dices : Huic debito satisfit per lectionem, vel auditionem verbi Dei : ergo.

Dist. ant. Si ita fiant cum devotione, meditando et orando, concedo : secùs, nego ant. *Quid enim prodest lectione continuâ tempus occupare*, ait auctor de Modo orandi, *Sanctorum gesta et scripta legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando et ruminando succum [illegible]eliciamus, et transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus? Item quid prodest homini, si per meditationem, quæ agenda sunt, videat, nisi orationis auxilio et Dei gratiâ, ad ea obtinenda convalescat?..... Oratio sine meditatione tepida est : meditatio sine oratione infructuosa.*

Probatur 3° ratione theologicâ. Qui vult salutem consequi *declinet à malo, et faciat bonum*, Psalm. 33; atqui neutrum præstiterit sine aliquâ meditatione. Ergo aliqua meditatio est ad salutem necessaria. Minor probatur. Ut voluntas duo illa præstet, oportet ut velit, et quidem efficaciter : atqui sine aliquâ meditatione non sic volet, saltem perseveranter; quia voluntas non fertur in incognitum, neque in id quod ex memoriâ excidit, et ad quod ratio satis non advertit. Hinc nascuntur peccata ignorantiæ vincibilis, inadvertentiæ, et infirmitatis, contra quæ nullum suppetit remedium, nisi consideratio et oratio. Atque ut magis perspicuum fiat, advertes, duplicem distingui cognitionem : alia est speculativa, quâ generatim dicernitur inter bonum et malum : alia practica, quâ in particulari spectatis circumstantiis judicatur hîc et nunc illud esse fugiendum, alterum prosequendum. Prior cognitio lectione et studio acquiritur, posterior meditatione et oratione : illa communis est bonis et malis, hæc bonis propria : illa est infœcunda et sterilis, hæc virtutem pariens. De priori locutus est Poeta :

Video meliora proboque,
Deteriora sequor.

Et Christus Dominus ad Pharisæos et Legislatores, Joan. 9, v. 41 : *Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis, quia videmus. Peccatum vestrum manet.* Quid ita? nimirùm *fascinatio nugacitatis*, ut dicitur Sap. 4, *obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum.* Hoc est, mundi illecebræ et terrores, passiones inordinatæ veritatem tenebris obnubilant, quibus mens præoccupata malum veluti delectabile, utile et honorificum; bonum verò tanquàm molestum, rei familiari contrarium et hominum suggillationibus obnoxium sic proponit voluntati, ut illam afficiat et determinet. Hæc est cæcitas mentis et ignorantia practica, quâ laborant omnes peccatores licet legis periti. Hi lucent aliis, non sibi, vident quò tendendum sit, et errant in viâ, semper dicentes et nunquàm ad scientiam veritatis pervenientes, 2 Timoth. 3, legis litteram percipiunt, sed spiritum non assequuntur, favum tenent, et melle carent, juxta sanctum Bonavent., lib. 7 de processu Religionis, cap. 11. Porrò nemo non videt hujusmodi tenebras ignorantiæ practicæ per animam diffundi defectu considerationis, nec posse expelli, nisi oratione et seriâ legis meditatione : *Adhortamini vosmetipsos per singulos dies*, inquit Apostolus, Hebr. 3, *ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.*

Confirmatur 1° : Ideò beati in cœlo non peccant, nec peccare possunt, quia veritas in mentibus eorum continuò lucet, sicut sol in meridie, omnem fugat umbram, prorsùsque excludit falsam illam boni imaginem, quâ malum expeti possit. Ergo ad felicem illam impeccantiam eò propriùs accedimus, quò diligentiùs veritati attendimus, quæ hîc lucet tanquàm lucerna in caliginoso loco, ut dicitur 2 Petri, cap. 1.

Confirmatur 2° experientiâ, quâ constat multos graviorum peccatorum conscios resipiscere mediationis ope, atque eo gressu in viâ virtutis proficere, quo ad piam illam exercitationem confugiunt, adeò ut si quid de illâ remittant, tepescat eorum ardor, et ubi illam prorsùs neglexerint, in pristina crimina relabantur. Dices : Singuli capaces non sunt meditationis, ut idiotæ, peccatores, et quicumque ita dediti sunt operibus exterioribus, ut spatium quiescendi non habeant. Ergo

meditatio non est omnibus ad salutem necessaria.

Disting. anteced. Singuli capaces non sunt meditationis cujusdam, puta diuturnioris et sublimioris, concedo : cujuscumque, nego anteced. Namque 1° sicut fides, amor Dei, oratio, et quodcumque bonum opus supernaturale ad salutem necessarium, communia sunt omnibus, sic et consideratio mysteriorum fidei, sine quâ nullum bonum opus exsurgere potest. Imò ex Gersone, tract. de mysticâ theologiâ, consider. 3, idiotæ nonnunquàm perfectiùs divina perficiunt quam litterati. 2° Omnibus peccatoribus dicitur : *Redite, prævaricatores, ad cor*, ut ubi conscientiæ suæ fœditatem intuentes exhorrescant, contritionemque concipiant. 3° Si animus sit ad spiritualia affectus, ut debet, et illa magis curet quàm temporalia, occupatio tanta esse non potest, tanquàm continua, ut spatium orandi saltem vocaliter non relinquat. Oratio autem vocalis non potest esse sine aliquâ mentali, ut docet Navarr. in Manuali cap. 18 : et sicut in oratione vocali, si diuturnior sit, mentalis identidem repetenda est ex eodem auctore ; sic et in aliis actionibus mens ad Deum levanda, ut opus quod ab illo incœpit, per illum perficiatur. Et hic operandi modus, qui Christianorum est, laborantes plurimùm solaretur, nedùm oneraret, si pastores ad illum exercendum frequentiùs incitarent.

§ 2. DE OBJECTO ORATIONIS.

Quæres 1° *utrùm in oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere.*

Resp. Catholica doctrina est quædam determinatè à Deo esse petenda.

Probatur tum ex Scripturâ, tum ex traditione Ecclesiæ, ; in utrâque enim habemus exempla Sanctorum, qui in quâcumque tribulatione positi, Deum determinatè rogârunt, ut ab eâ liberarentur. In veteri Testamento Patriarchæ et Prophetæ : in novo primi fideles, Act. 12, v. 5, Apostoli, ut constat ex eorum Epistolis, et catholica deinceps Ecclesia in suis precibus publicis, quibus liceat revincere novos mysticos, sicut olim sanctus Aug. Pelagianos confutavit, lib. de Prædest. Sanctorum., cap. 22, et 23 : *Utinam*, inquit, *intuerentur orationes, quas semper habuit et habebit Ecclesia ab exordiis suis donec finiatur hoc seculum... Sicut ergo in his orationibus, ita et in hâc fide nata est, et crescit, et crevit Ecclesia.*

Nemo sanæ mentis se oculatiorem aut perfectiorem dixerit Ecclesiâ Christi sponsâ et matre suâ, maximè ubi sponsi et exemplum sequitur, et regulam ab ipso præscriptam. Christus enim speciatim oravit pro transgressoribus in cruce, et pro Apostolis et in eum credituris, Joan. 17, et precandi formam dedit septem petitionibus distinctam : *Si vos orabitis*, inquit Matth. 6 : *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum*, etc., in quem locum sic scribit sanctus August., epist. 157, aliàs 99, ut novos mysticos refellendos suscepisse videatur : *Omnibus*, inquit, *necessaria est Oratio Dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis, id est, Apostolis suis Dominus dedit... Si aliquos futuros Dominus prævideret meliores utique, quàm extiterunt ejus Apostoli, aliam orationem illos doceret.* Addit sanctus Cyprianus, serm. de Oratione Dominicâ, eam ita necessariam, *ut aliter orare quàm docuit, non ignorantia sola sit, sed et culpa.* Dices : Fides tria docet. Primum, neminem salvandum nisi sit prædestinatus. Secundum, non omnes esse prædestinatos. Tertium, neminem posse esse certum de suâ prædestinatione absque speciali revelatione : ergo ut in hoc dubio voluntas humana conformis sit divinæ, non debet absolutè petere suam salutem, sed conditionatè duntaxat, parata eâ privari, si ita Deus decreverit. Confirmatur : sicut aurum in fornace, sic Deus electos suos aliquando probat, an diligant illum absque privati amoris nævo, quasi iratum eis se præbens, et ita aversum, ut nulla spes salutis affulgere videatur. Quid autem consilii anima in his angustiis capiat, nisi ut æternam salutem in sacrificium offerat? Nego conseq. namque Deus quantùm est ex se vult omnium salutem ; et si quæras, cur ergo non omnes illam consequentur? respondet sanctus Augustinus, quia ipsi nolunt, nec pro viribus, et eo fervore quo decet, ad eam contendunt. *Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Nedùm ergo incertus numerus prædestinatorum desiderium salutis nostræ refringere aut suspendere debet ; cùm è contra illud excitet et acuat, juxta illud 2 Petri 1 : *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Et Hebr. 12 : *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.*

Ad confirmationem, nego hominem in has desperationes et tentationes aliquando incidere, quas superare non possit nec debeat ; *Fidelis Deus*, inquit Apostolus Cor. 10, *non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Qui ergo in desperationem violenter pulsatur, si filius sit Abrahæ, in spem contra spem credat, hoc est, spe desperationem depellat, sicut virtutibus oppositis alia vitia vincere necesse est, v. g., fide infidelitatem, charitate cupiditatem. Alioquin desperans non à spe solùm, sed et à charitate caderet ; quia charitas sicut sine fide et præviis non gignitur, sic nec sine iis comitibus conservatur. Namque anima, ex sancto Aug. quamdiù hoc corruptibili corpore aggravatur, spe et timore indiget veluti ventis, qui illam ad salutis portum propellant. Nunc manent fides, spes, et charitas, 1 Cor. 13, tria hæc sic connexa, ut sine animæ interitu separari nequeant, hæc est unica salutis via, quam Christus nobis aperuit. *Nemo sit superbus extra viam*, aliam sibi breviorem et perfectiorem fingens, *nemo piger in viâ. Si quis se deviâsse invenerit, redeat, ut in viâ ambulet : si se in viâ invenerit, in eâ ambulet, ut perveniat.* S. Aug., præf. in Psal. 31. Instas : Sanctus Bern., serm. 83 in Cant., de filiis, qui quidem amant, sed de hæreditate cogitant, sic habet : *Suspectus est mihi amor, qui aliud quid adipisci spes suffragari videtur. Purus amor mercenarius non est.* Similiter sanctus Chysost., hom. 5 in Epist. ad Rom., asserit debere nos non æterni supplicii metu, aut desiderio summæ felicitatis, sed uno amore Christi deterreri à peccato, et ad virtutem excitari. Idipsum docuerunt suo exemplo Moyses in veteri Testamento, Exodi 32 : *Dele me*, in-

quit, *de libro tuo*. Apostolus in novo, Rom. 9 : *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis*. Quæ exempla secutus est cum multâ omnium laude sanctus Martinus. Ergo.

Nego consequentiam, et explico singula antecedentis momenta. Sanctus Bernardus loquitur de hæreditate distinctâ ab ipsâ patris personâ. Verè autem suspectus esse debet ille amor, quo pater amatur propter aliud. et non propter se. Nam ex sancto Augustino, lib. 1 Soliloq. : *Quod non propter se amatur, non amatur. Ego autem solam propter se amo sapientiam ; cætera verò vel adesse mihi volo, vel deesse timeo propter ipsam.* Jam verò si quæratur à sancto doctore, an quia sic amat, vellet à sapientiâ separari ; exhorresceret, cùm hæc affectio excludet amorem, qui essentialiter est unitivus. Talis est sponsæ amor sponso sic addictæ, ut in perpetuum ab illo avelli non acquiescat; mercenarius tamen non est, sed castus ; quia in sponsum fertur, non in dona ipsius, nisi propter ipsum. Sanctus Chrysostomus seipsum explicat citatâ homiliâ, ubi postquàm dixisset : *Amore Christi omnia facite, et non spe mercedis ;* subdit : *Hæc est vera merces, hæc vera gloria, ut Christum possideamus. Hoc nostrum regnum est, nostræ deliciæ.*

Quæres secundò quænam determinatè et absolutè peti debent ?

Respondeo : Vita æterna inprimis petenda est tanquàm finis desideriorum nostrorum ; deinde media ad illam promerendam necessaria, juxta illud Matth. 6 : *Quærite primùm regnum Dei, et justitiam ejus.* Nec aliud præter illa duo spectant septem petitiones Orationis Dominicæ, ut docet sanctus Thomas hîc, art. 9. *In Oratione Dominicâ,* inquit, *non solùm petuntur omnia quæ rectè desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt, ut sic hæc oratio non solùm instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectûs. Manifestum est autem quod primò cadit in desiderio nostro finis : deinde ea quæ sunt ad finem.* Finis autem noster Deus est, in quem tendit noster affectus dupliciter, uno quidem modo prout volumus gloriam Dei, alio modo prout volumus frui glorià ejus : quorum primum pertinet ad dilectionem, quâ Deum in se ipso diligimus ; secundum verò pertinet ad dilectionem, quâ diligimus nos in Deo. Et idcircò primo loco petimus ut sanctificetur nomen Dei, id est, sanctum ab omnibus habeatur, quod pertinet ad ejus gloriam propagandam ; secundò ut adveniat nobis regnum ejus, et in illo regnemus. Ad finem autem assequendum duplicis generis est medium : aliud per se, aliud per accidens, quatenùs removet prohibens. Per se quidem et principaliter nos ad Deum promovet mandatorum ejus observatio ; unde tertio loco dicimus : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terrâ :* id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus, nempe modo perfectissimo. Instrumentaliter verò juvant ad Deum promerendum præsentis vitæ subsidia, propter quæ dicimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè,* sive intelligatur de pane sacramentali, cujus quotidianus usus proficit ad salutem, sensusque hujus orationis sit juxta sanctum Cyprianum, ut in nullum labamur peccatum, quod nos aliquo die separet à corpore Christi ; sive per panem intelligatur omnis sufficientia victûs. Tria autem à beatitudine nos prohibent, quæ tribus sequentibus petitionibus removeri postulamus. Primè quidem peccatum quod directè excludit à regno Dei ; secundò tentatio, quæ à voluntate Dei nos retrahit ; tertiò pœnalitates præsentis vitæ, quæ sufficientiam tollunt. Sanctus autem Lucas hanc postremam petitionem prætermisit sicut et tertiam, ut sciat unusquisque, primò in eo se liberari à malo, quo à tentatione non vincitur ; secundò voluntatem Dei ad hoc præsertim tendere, ut sanctitatem ejus cognoscamus, et cum ipso regnemus ; ac proinde tertiam petitionem in duabus prioribus contineri. Ex his liquet : Primò, tres primas petitiones perfectè non complendas, nisi in futurâ vitâ ; quatuor verò posteriores ad necessitatem vitæ præsentis pertinere, ut notat S. August., Enchir., cap. 115. Secundò, orationem Dominicam verè dictam à Tert., lib. de Oratione, cap. 1, *Breviarium totius Evangelii,* utpotè quæ omnem christianæ vitæ disciplinam comprehendat. Tertiò, eamdem orationem efficacem ad remittenda peccata venialia, ut sanctus Augustinus docet passim, si eo, quo par est, affectu recitetur ; est enim signum et affectus sinceræ charitatis, tum in Deum, tum in proximum : *Charitas autem operit multitudinem peccatorum,* Proverb. 10. Quartò, omnem fidelium orationem ad Dominicam tanquàm ad certam regulam et lapidem lydium probandam ; nam ex S. Aug., ep. 130, aliàs 121, c. 12, *quælibet alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quàm quod in istâ Dominicâ Oratione positum est, si rectè et congruenter oramus. Quisquis autem id dicit, quod ad istam evangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non illicitè orat, carnaliter orat ; quod nescio quemadmodùm non dicatur illicitè, quandoquidem spiritu renatos nonnis spiritaliter decet orare.* Tum exponit sanctus doctor quæ indecenter petantur : « Qui dicit in Oratione : Domine, multiplica divitias meas, aut fac me in hoc seculo præpotentem, vel si quid hujusmodi est, et hæc dicit eorum habens concupiscentiam, non id attendens ut ex his secundùm Deum prosit hominibus, puto eum non invenire in Oratione Dominicâ, quo possit hæc vota coaptare. Quamobrem pudeat saltem petere quæ non pudet cupere ; aut si et hoc pudet, sed cupiditate vincitur, quantò meliùs hoc petitur, ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus, *libera nos à malo.* » Quintò, eos duntaxat idoneos esse ad Orationem Dominicam fundendam, qui mores vitæque rationem ad Evangelii normam dirigere exoptant. Qui enim peccata levia spernit, cupiditates refrænare negligit, nec ad eum pertinet si alii Deum sive timeant, sive contemnant, sincerè et ex animo dicere non potest : *Sanctificetur nomen tuum ; fiat voluntas tua sicut in cœlo ; ne nos inducas in tentationem.* Similiter injuriam memor, et defectus proximi impatienter ferens, mala sibi imprecari videtur dùm ait : *Dimitte nobis, sicut dimittimus.* Sextò : Orandum pro omnibus, nequidem inimicis exceptis : « Ante omnia, inquit sanctus Cypr.,

serm. de Oratione Dominicâ, pacis doctor, atque unitatis magister singulatim noluit, et privatim precem fieri, ut quis cùm precatur, pro se tantùm precetur. Non dicimus : *Pater meus*, nec *panem meum da mihi hodiè*. Publica est nobis et communis oratio... Sic orare unum pro omnibus voluit Christus, quo modo in uno omnes ipse portavit. Hoc Domini præceptum commendans ejus Apostolus, scribit 1 ad Tim. 2 : *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes... orationum actiones pro omnibus hominibus.* Unde sanctus Thomas, art. 8, sic concludit : *Necessitas est ut in omnibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quòd autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.* Puta si vel ipsi ope nostrâ indigerent, nec aliter opitulari possemus quàm nostris orationibus, vel specialis oratio nobis esset necessaria ad vincendum vindictæ appetitum, et conservandam in nobis charitatem, quâ inimicos diligere tenemur ; in hujusmodi enim circumstantiis obligat illud Domini præceptum : *Orate pro persequentibus vos*, Matth. 5. Neque verò timendum est ne aliquis orationis nostræ fructus nobis excidat, dùm illam ad alios extendimus ; quia orationis nostræ efficacia ex charitate repetitur, quæ sanè excellit, ubi ad alios etiam inimicos extenditur : *Pro se orare necessitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur*, ait auctor operis imperfecti hom. 14, apud S. Chrysostom. *Dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.* Nec dicas sanctum Joannem, Epistolâ 1, cap. 5, inimicos, si sint pessimi, ab oratione nostrâ excludere ; non enim eos excludit, sed eam profuturam ipsis sicut aliis peccatoribus non promittit : *Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem*, inquit, *petat, et dabitur ei vita peccanti peccatum non ad mortem.* Quamvis autem incerti simus, num oratio nostra peccantibus ad mortem prosit, nihilominùs ipsis deneganda non est, sicut nec alia charitatis officia, v. g., correctionis. Si enim salutem illorum optare debemus, procul dubio et petere, maximè cùm nesciamus, num ad prædestinatorum numerum pertineant. Denique etiamsi oratio nostra illa tutura sit inutilis, nobis erit meritoria, juxta illud Psalm. 34 : *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Septimò : Ex quartâ et septimâ petitione Orationis Dominicæ colligitur decenter à Deo peti, ut bona temporalia concedat quantùm ad sufficientiam, et mala avertat. Enimverò si pro illis declinandis laborare liceat, à fortiori et Deum rogare. Scriptum est enim : « Neque « qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, » 1 Cor. 3. Et rursùs : « Nisi Do- « minus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custo- « dit eam, » Ps. 126.

Dices : Tertull., lib. de Oratione, cap. 6, et S. Cyprian., de Oratione Dominicâ, intelligunt hæc verba : *Panem nostrum quotidianum*, etc. de Sacramento Corporis Christi ; et S. Augustinus, lib. 2 de Serm. Domini in monte, expressè negat accipienda de pane materiali, sed de spirituali, nempè vel de Sacramento altaris, vel de verbo Dei et bonis operibus, sic enim scribit : *Fortè quisquam moveatur, cur oremus pro iis adipiscendis, quæ huic vitæ sunt necessaria, velut est victus et tegumentum, cùm ipse Dominus dicat : « No- « lite solliciti esse quid edatis, nec quid induamini. » An potest quisquam de eâ re, pro quâ adipiscendâ orat, non esse sollicitus ? Et illud : « Quærite primùm regnum « Dei, » etc. Non ait utique : Quærite primùm regnum Dei, et deinde ista quærite ; sed : « Hæc omnia, inquit, « apponentur vobis, » scilicet etiam non quærentibus. Quomodò autem rectè dicatur non quærere aliquis, quod ut accipiat, intentissimè Deum precatur, nescio utrùm inveniri queat.* Septimam quoque petitionem, *libera nos à malo*, iidem patres interpretantur de malo culpæ : *Eò respondet clausula*, inquit Tertull., citato lib., cap. 8, *interpretans quid sit :* Ne nos inducas in tentationem, *hoc est enim, sed evehe nos à malo.* Et sanctus Augustinus, epist. 130, aliàs 121 : *Quantò meliùs hoc petitur, ut etiam ab illo cupiditatis malo liberet, cui dicimus : Libera nos à malo?* Ergo ex Oratione Dominicâ concludi non potest temporalia à Deo petenda. — Respondeo, laudatos Patres nostram quoque interpretationem admittere : *Sed et quia carnaliter admittitur ista vox*, inquit Tertullianus, *non sine religione potest fieri et spiritalis disciplinæ ; panem enim peti mandat, quòd solùm fidelibus necessarium est.* Similiter sanctus Cyprianus : *Meritò*, inquit, *Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur ; quia et contrarium sibi fit et repugnans, ut quæramus in seculo diù vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire.* Tum subjungit de malo, à quo liberari cupimus : *Oramus et contra malum mulctans, ut sunt omnes pœnalitates, horrenda mors, et contra quæ oramus, non ut nullo modo eveniant, sed ut tam crudeliter non sæviant, et ne animus inde frangatur.* Sanctus verò Augustinus citato sermone, difficultatem movet, et insolutam relinquit, atque in hæc verba concludit : *Si quis etiam illa quæ de victu corporis necessariò istam sententiam vult accipere, oportet ut conjunctè accipiantur omnia tria, ut scilicet quotidianum panem simul petamus ; et necessarium corpori, et Sacramentum visibile et invisibile verbi Dei.* Sed disertè in epistolâ 130, per panem quotidianum intelligit sufficientiam vitæ præsentis ; et c. 17, lib. 2, de serm. Domini in monte sub finem, malum à quo liberari optamus, refert ad præsentem mortalitatem in quâ includuntur omnes pœnalitates hujus vitæ. Dices secundò : Oratio ex dictis est mentis ascensus in Deum, appetitus verò temporalium est descensus ad inferiora. Ergo temporalia non possunt esse orationis materia, *non contemplantibus nobis quæ videntur*, ait Apostolus, 2 Corinth. 4. Distinguo anteced. appetitus temporalium est mentis descensus, si temporalia propter se appetantur, concedo ; si propter vitam æternam nego anteced. Temporalia itaque duobus modis spectari possunt, primò ut finis et bonum delectabile, ac per se appetibile, secundò ut medium ad vitam æternam promerendam utcumque necessarium. Priori modo mentem quidem deprimunt ; verùm ut sic non sunt orationis materia,

sed cupiditatis, à quâ liberari petimus, juxta sancti Augustini explicationem, cùm dicimus : *Libera nos à malo.* Posteriori autem modo cadunt sub orationem, sed mentem sub illâ considerationè deorsùm non trahunt ; quia qui media quærit ad vitam æternam consequendam, aliud non intendit quàm vitam æternam, verèque cum Prophetâ canit : *Unam petii à Domino, hanc requiram*, Ps. 26 ; ubi enim multa ordinantur ad unum, non censentur multa, sed unum ; et ut supra dicebat sanctus Augustinus, quod propter aliud amatur, non ipsum amatur, sed illud propter quod amatur. Æger, verbi gratiâ, non amat remedia quæ à medico quærit, quia illa non quærit nisi propter sanitatem de quâ solâ intelligitur sollicitus ; secùs si apud medicum qui à vino prorsùs abstinendum præscripserat, instet ut modico uti liceat ; quia convincitur duo concupiscere, scilicet sanitatem et vinum, quamvis inæqualiter, satisque sibi esse, si vini modicus usus parùm obsit sanitati.

Atque ex hâc nostrâ conclusione et explicatione facilè solvitur difficultas à S. August. in objectione præcedenti his verbis proposita : *Non ait utique* (Christus) : *Quærite primùm regnum Dei, deinde ista quærite ; sed hæc omnia, inquit, apponentur vobis etiam non quærentibus.* Nimirùm temporalia quærenda non sunt propter se, et ut bona per se delectabilia, quemadmodùm æger in exemplum adductus petit usum vini, sed duntaxat ut media utcumque necessaria, et propter vitam æternam appetibilia. *Quid intersit*, inquit sanctus doctor, lib. 2, de Serm. Domini in monte, cap. 24, *inter bonum, quod appetendum est, et necessarium quod sumendum est, hâc sententiâ suâ declaravit : « Quærite « primùm regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia « apponentur vobis. » Regnum ergo Dei et justitia Dei bonum necessarium est : et hoc appetendum, et ibi finis constituendus.* Et cap. 25 : *Non dicit : Deinde ista quærite, quamvis necessaria... ne, cùm ista quæratis, illinc avertamini, aut ne duos fines constituatis, ut et regnum Dei propter se appetatis, et ista necessaria, sed hæc potiùs propter illud... Ergo simplici corde tantummodò propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes : non autem in hâc operatione, vel solam, vel cum regno Dei mercedem temporalem cogitare.*

Dixi, *temporalia esse utcumque necessaria ;* nam absolutè necessaria non sunt : imò Deus ea nonnunquàm quibusdam denegat proprius, et aliis concedit iratus. Numquid enim Machabæi et alii martyres igne consumpti feliciùs exauditi sunt, quàm tres juvenes in fornace Babylonicâ illæsi? *Ipse salvator est*, inquit S. Augustinus, tract. 73, in Joan., *non solùm quando facit quod petimus, verùm etiam quando non facit ; quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potiùs se exhibet Salvatorem. Novit enim medicus quid pro suâ, quid contra suam salutem poscat ægrotus ; et ideò contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem ; quod si fecerit, non ut Salvator facit, quod est nomen ejus fidelibus ejus. Est quippe et impiis damnator.* Aliter ergo dicimus in oratione Dominicâ : *Adveniat regnum tuum ; fiat voluntas tua ;* aliter, *panem nostrum quotidianum da nobis ; libera nos à malo.* Priora quippè absolutè petimus, securi, quòd non obsint accepta ; et certi, quòd Deus paratus sit ea dare, cùm toto corde quæsierimus. Posteriora verò conditionatè tantùm postulamus ; quia in his, quæ possunt et prodesse et nocere, quid oremus, sicut oportet, nescimus. Quamvis enim superflua non appetantur, timendum tamen est, ne ipsa necessaria ardentiùs desiderentur, et propter ea cor duplicetur. In hujusmodi autem dubiis spiritus, qui secundum Deum postulat pro sanctis, adjuvat infirmitatem nostram, ut licet molesta sit ægritudo, dura pauperies et calumnia, omnes dicant, perfecti quidem lætanter, imperfecti verò patienter, *non mea, sed tua voluntas fiat.*

§ 3. DE EFFICACIA ORATIONIS.

Utrùm oratio habeat infallibilem effectum.

Tripliciter spectari potest oratio. 1° Ut actus supernaturaliter bonus. 2° Ut actus non solùm supernaturaliter bonus, sed etiam laboriosus et pœnalis ; est enim elevatio mentis in Deum, quæ non sit sine luctâ cum sensibus et sine corporis defatigatione. 3° Ut præcisè petitio est, quo modo spectatur deprecatio pauperis, quæ non tendit ad exhibendum diviti honorem, aut satisfactionem, sed solùm ad impetrandam ab eo eleemosynam. His præmissis, ad propositam quæstionem : — Resp. 1° : Oratio quatenùs est actus supernaturaliter bonus in viatore, infallibiliter est meritoria, et quidem de condigno, si orans sit justus ; de congruo verò, si sit peccator ; quia habet omnes conditiones meriti à nobis recensitas, ubi de merito. Secundò : Oratio quatenùs est actus supernaturalis et laboriosus in viatoribus justis, certò est satisfactoria. Ita enim definiit concilium Tridentinum, sess. 14, can. 13, his verbis. *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri... jejuniis, orationibus*, etc., *anathema sit.* Et ratio est, quia satisfactio ex alibi dictis, est dejectio rei coram personâ læsâ : atqui talis est oratio hominis veniam à Deo per merita Christi deprecantis : ergo talis oratio est vera satisfactio. Dixi, *in viatoribus ;* quia beati orando pro nobis, nec merentur nec satisfaciunt, utpote qui sint in termino. Tertiò : Quatenùs præcisè est petitio infallibiliter impetrat, si fiat ut decet, et cum conditionibus requisitis.

Probatur, quia fidelis est Deus seipsum negare, non potest, 2 Timoth. 2 : atqui Deus non semel expressè promisit se preces exauditurum. Psalm. 49 : *Invoca me in die tribulationis, et eruam te.* Luc. 11 : *Omnis qui petit, accipit.* Joan. 16 : *Si quid Patrem petieritis in nomine meo, dabit vobis.* Clariora sunt illa verba, quàm de promissione Dei orantibus factâ dubitare possimus. De fide est ergo orationem habere infallibilem effectum. S. Augustinus in Psalm. 65, expendens illa verba : *Benedictus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam à me*, sic scribit : *Securi de pollicitatione ipsius, non deficiamus orando. Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus.* Dixi :

Si oratio fiat cum conditionibus requisitis; quia sicut sacramenta novæ legis, quantumcumque per se efficacia, non habent effectum in iis, qui ponunt obicem, sic nec oratio ubi desunt conditiones requisitæ : *Petitis et non accipitis, propter quòd malè petatis.* Jac. 4.

Quæres : *Quænam requiruntur conditiones, ut oratio infallibilem habeat effectum?* — Resp.: Quatuor. Debet fieri 1° piè ; 2° cum fiduciâ ; 3° pro seipso orante ; 4° perseverantur. Ita ferè sanctus Thomas, a. 15, ad 2 : *Ponuntur,* inquit, *quatuor conditiones, quibus concurrentibus, semper aliquis impetrat quod petit ; scilicet, ut pro se petat, necessaria, piè, et perseveranter.* Et ad tertium addit : *Oratio principaliter innititur fidei quantùm ad efficaciam impetrandi.* Sed hæc fides vel ad pietatem reducitur, sicut et tertia conditio, ut oratio sit de necessariis ad salutem, vel ad fiduciam, ut mox patebit.

Quæres 1° : *Quot requiruntur, ut oratio piè fiat?*

Resp.: Tria. Primò ex fide procedat necesse est, juxta illud Rom. 10 : *Quomodò invocabunt,* nempe ut omnipotentem et misericordem, *in quem non crediderunt?* Et Matth. 21 : *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et ratio est, quia orationis efficacia nititur promissione divinâ per Christi merita : atqui promissio divina non movet, nisi credentes, ut per se patet, et docet Apostolus Rom. 4, ubi de Abrahamo sic loquitur : *In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo.* Ergo. Porrò non exigitur ea fides, quâ orans certò credat se consecuturum orationis effectum ; quia, cùm promissio sit conditionata, nempe si ponantur necessariæ conditiones, nec Deus revelaverit illas revera adesse; fidelis non potest esse certus fide theologicâ se impetraturum ; hæc enim omnimoda certitudo pertinet ad fidem miraculorum, quâ Deus aliquando sic movet animum, ut dubitare non possit de effectu. Hâc fide Apostolus Petrus claudo dixit : *Surge et ambula,* Act. 3. Fides ergo ad orationem requisita in eo consistit, ut orans securus sit de Deo, timidus de seipso, ne scilicet aliquam è conditionibus ad orationem requisitis prætermittat. Sed ille timor nedùm precantis ardorem retundat, quin potiùs ejus sollicitudinem existet, ne desit gratiæ, quæ orantibus offertur.

Secundò : Ut honesta et pia sit oratio, oportet ut fiat attentè et devotè; peccatum quippe est orare negligenter, et cum voluntariâ mentis evagatione.

Tertiò : Ad pietatem requiritur, ut oratio fiat de utilibus ad salutem : impium enim est petere quæ per se mala sunt ; quia gravis injuria Deo irrogatur, quasi ipse fons omnium bonorum, sit etiam auctor peccati. Et ideò hujusmodi oratio semper est mortifera, et peccatum mortale, sicut et omne perjurium etiam in materiâ levi ; quia par est injuria, aut etiam fortè gravior, sive quis credat Deum posse esse auctorem peccati vel levissimi ; sive testem adducat cujuscumque falsi.

Sed quid si petatur à Deo res indifferens?

Resp.: Vel petitur ex merâ cupiditate propter terrenam felicitatem ; vel ex charitate, tanquàm medium à Deo electum, quo faciliùs vita æterna apprehendatur. Si primum, res indifferens sicut indecenter appetitur, sic sine pietate à Deo postulatur : *Nam si à secularibus abstinere jubemur,* inquit sanctus Chrysost., hom. 42 in Joan., *quæ miseria, quæ amentia est ea à Domino postulare!* Et sanctus August. in Psal. 85 : *Si invocas, ut veniat ad te pecunia,* puta ex ludo, *Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum.* Utrùm autem talis oratio sit mortifera et peccatum mortale, quæstio est. Negat Suarez, lib. 1 de Orat., cap. 17 ; sed quidquid sit, certum est non esse piam nec veram orationem, nec proinde impetratoriam, tum quia oratio ex dictis est decentium petitio ; tum quia Spiritus sanctus, in quo clamamus : Abba (pater) non ista postulat pro nobis ; tum denique quia nec petimus nisi in nomine Salvatoris, nec quidquam à Deo obtinemus, nisi per ejus merita : atqui *non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis,* ex sancto Augustino, tract. 102, in Joan., nec Christus nobis meruit, ut cupiditates implere possimus, sed ut ab iis liberemur. *Ipse salvator est,* inquit idem sanctus Augustinus, tract. 73 in Joan., *non solùm quando facit quod petimus, verùm etiam quando non facit ; quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potiùs se exhibet salvatorem ; novit enim medicus quid pro suâ, quid contra suam salutem poscat ægrotus. Et ideò contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. Quod si fecerit, non ut salvator facit, quod est nomen ejus fidelibus ejus. Est quippe impiis et damnator. Non solùm salvator, sed etiam magister bonus docuit quid petamus,* scilicet ne sinat Deus nos ire post concupiscentias nostras. *Ad hoc pertinet,* pergit sanctus doctor, NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM ; *neque enim parva est tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio.* — Si secundum, nempe si appetatur res indifferens ut medium, quo Deus nos perducere decrevit ad vitam æternam, piè, et in nomine Salvatoris peti potest; quia talis oratio fit et secundùm Dei voluntatem, ut patet, et per merita Christi ; cùm Christi nobis meruerit et salutem, et quidquid ad eam conducit.

At duo hic diligenter sunt observanda : primum, ad temporalia infallibiliter impetranda satis non est, quòd deprecans ea petat in ordine ad ultimum finem ; sed requiritur insuper, ut Deus iis mediis velit illum acquiri. Cùm autem nobis non constet de divinâ voluntate, num per prospera, an per adversa ad felicitatem æternam nos perducere decreverit ; sequitur temporalia, si piè petantur, conditionatè semper esse petenda, ut diximus paragrapho primo. Et ex tali oratione hic saltem fructus infallibiliter percipitur, cæteris conditionibus concurrentibus, scilicet paratum fore cor deprecantis, ut cum Apostolo dicat, 2 Cor. 12 : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus,* etc. Secundum, in hypothesi etiam, quòd Deus rerum prosperitate nos regnum cœleste consequi velit, nihilominùs oratio nostra plerumque caret effectu ; quia sub obtentu sa-

lutis æternæ obumbratur negotium cupiditatis, nobisque orantibus sæpè idem contingit, quod alimenta sumentibus, nimirùm sicut edentibus et bibentibus causâ sanitatis, adjungit se voluptas, ut ejus causâ fiat, quod sanitatis causâ nos facere dicimus et volumus; sic deprecantium intentionem prævertit vitæ præsentis amor. Quia pudet temporalia propter seipsa quærere, una omnium vox est, ea se postulare propter regnum Dei, et justitiam ejus. Sed fallax illa pietatis larva vel ex eo facilè deprehenditur, quòd iidem ipsi, qui orationis dono se carere causantur, ac propterea vel non petunt, vel frigidè et perfunctoriè petunt virtutes, puta charitatem, humilitatem, quibus maximè indigent, et sine quibus regnum Dei non acquiritur; ii, inquam, ipsi, ubi mala temporaliter premunt, aut impendent, intensissimè et prolixè Deum orant, votis et sacrificiis misericordiam Dei incessanter pulsant. Atqui, si ad hujusmodi preces fundendas incitaret eos regnum Dei et justitia ejus tanquàm finis unicè intentus, multò magis ab illis expeteretur, juxta vulgare philosophorum effatum: propter quod unumquodque tale est, et illud magis per se, hoc est, finem, propter quem media appetuntur, ampliùs appeti necesse est. Quod enim propter aliud diligitur, non tam ipsum diligitur, quàm aliud, propter quod diligitur. Ergo cùm in plerisque nulla aut penè nulla sit orationis instantia pro obtinendis à Deo bonis spiritualibus, maxima verò pro consequendis temporalibus; necessariò sequitur temporalia ab iis plerumque non expeti propter spiritualia, sed propter seipsa, ac proinde orationes eorum non esse apud Deum impetratorias, ut supra monuit sanctus Jacobus his gravissimis verbis: *Petitis, et non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis*, c. 4. Temporalia autem in concupiscentiis insumere solent, qui ea petunt magis ex cupiditate, quàm ex cœlestium bonorum desiderio; et malè sic petentibus *metuendum est, ne quod* (Deus) *possit non dare propitius, det iratus*, inquit sanctus Aug., tract. 75 in Joan.

Aliter itaque petimus panem nostrum quotidianum, quo nomine intelliguntur necessaria vitæ præsentis subsidia, aliter regnum Dei, et justitiam ejus. Istud posterius postulamus, ut nos ipsos ad illud desiderandum acriùs incitemus: valdè enim magnum est, et nos ad accipiendum parvi et angusti sumus. Ideò dicitur nobis, *dilatamini*. Nec tam citò datur, ut dilata desideria crescant; tantò quippe sumemus capaciùs, quantò desideravimus ardentiùs, ex sancto Augustino, epist. 130, aliàs 121. Priora verò Dominus et Magister noster à Deo quærere docuit, non ut vehementiùs illa concupiscamus, absit, cùm illâ sæpè electis vel neget, vel etiam subtrahat, si nimis ad eamdem efficiantur; sed ut inde non commoneſaciamus Deum esse etiam talium bonorum auctorem, et ubi obvenerint, in ipsum per gratiarum actionem esse refundenda, non in propriam industriam, aut amicorum patrocinium. Enimverò idem Dominus noster et Magister, qui panem quotidianum petere, et à malo liberari præcepit, simul prohibuit, ne solliciti simus quid manducemus, aut quid induamur: *Scit enim*, inquit, *Pater vester cœlestis quia his indigetis.* Tanquàm si quis ægrotanti diceret: Quære duntaxat sanitatem à medico peritissimo, nec sollicitus sis de remediis; quia si primùm efficaciter voluerit, remedia apponet prout judicaverit expedire. Sic Christus: *Quærite primùm*, ait, *regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Non dicit, *deinde ista quærite*, ne illinc avertamini, et duos fines vobis constituatis: sed ait, *hæc omnia adjicientur vobis*, id est, consequentur.

Quæres 2°: *Qualis debeat esse orantis fiducia, ad infallibiliter impetrandum.*

Resp.: Duo extrema inprimis vitanda sunt, nempe diffidentia, et præsumptio. Diffidentia quidem: *Qui enim hæsitat*, Jac. 5, *similis est fluctui maris, qui à vento movetur, et circumfertur;* quia non habet firmitatem et constantiam in petendo. *Non ergo æstimet homo ille, quòd aliquid accipiat à Domino.* Hanc fiduciam exigit Christus ab invocantibus se: *Confide, fili*, ait paralytico, Matth. 9, *remittuntur tibi peccata tua.* Et duobus cæcis ibidem: *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Unde concludit Apostolus in hæc verba Heb. 4: *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur: quia non est confusio confidentibus in te*, Dan. 3. Propterea in collationibus Patrum, coll. 9, c. 32, legimus signum futuræ impetrationis tum haberi, cùm Spiritus sanctus movet ad petendum cum magnâ fiduciâ, et cum quâdam impetrandi securitate. *Magna siquidem fides*, inquit sanctus Bern., serm. 32 in Cant., *magna meretur, et quatenùs in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenùs possidebis.*

Præsumptio non minùs cavenda est in oratione, quàm diffidentia. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Jac. 4. *Oratio humiliantis se penetrat cœlos*, Eccli. 35. *Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum*, Psal. 101. *Non derelinquis præsumentes de te: et præsumentes de se humilias*, Judith. 6. *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam; sed in miserationibus multis*, Dan. 9. Tota ergo fiducia orantis nititur Dei misericordiâ. Oratio Pharisæi, Luc. 18, rejecta est, quia in suis virtutibus et meritis confidebat.

Dices: Gratia sanctificans est fundamentum justi sperandi auxilia ad salutem necessaria: Deus enim neminem deserit, nisi priùs deseratur ab eo. Ergo impetrandi fiducia repeti potest ex justitiâ deprecantis. Sic Ezechias 4, Reg., cap. 20, *precatus est: Obsecro, Domine, memento quomodò ambulaverim coram te, in corde perfecto.* Confirmatur primò: S. Joannes, primæ Epist., cap. 3, docet nasci ex bonæ conscientiæ testimonio fiduciam orandi et impetrandi: *Charissimi*, inquit, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Confirmatur secundò: Peccator ex nullo capite, spem impetrandi concipere potest. Namque 1° conscientia indignum illum pronuntiat, qui à Deo exaudiatur: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*, Psalm. 65. *Cùm sit enim timida nequitia, dat*

testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæva perturbata conscientia, Sapient. 17. Nec Deum apprehendit nisi ut iratum et extrema minitantem. 2° Deus nedùm promisit se exauditurum peccatores deprecantes, quin potiùs illos præmonuit rejiciendos : *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, Isai. 1. *Tunc invocabunt me et non exaudiam*, Proverb. 1. *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum*, Psalm. 33. Antiochus intentissimè oravit Dominum, à quo misericordiam non erat consecuturus, 2 Machab. 9.

Nego conseq. 1° quia nullus absque speciali Dei revelatione potest esse certus de suâ justitiâ, ut definit Concil. Trident., sessione 6, can. 13. 2° Quamvis gratiæ sanctificanti respondeant gratiæ sufficientes, attamen non debetur illi donum perseverantiæ nec auxilia efficacia et commodiora, quæ petunt justi et quibus indignos se meritò pronuntiant ob innumeras negligentias et offensiones.

Ad primam confirmationem, respondeo, velle duntaxat Apostolum 1° bona opera et cordis munditiem disponere ad spem concipiendam de Dei bonitate et misericordiâ, et pusillanimitatem repellendam; quo sensu Ezechias ad sperandum seipsum incitabat. Si enim Deus peccatores et inimicos prævenit in benedictionibus; quantò magis jam sibi reconciliatos et auxilium ejus implorantes fulciet, sublevabitque? 2° Bona opera mereri, saltem de congruo, illam orationis fiduciam, quæ sanè eximium Dei donum est. Hinc sancti Patres communiter docent jejunium et eleemosynam esse alas orationis. *Bona est oratio cum jejunio*, ait Angelus Tob. 12, et Is. 58 : *Tunc*, cùm misericordiam feceris, *invocabis me, et Dominus exaudiet.*

Ad secundam confirmationem respondeo : Quamvis peccator reverà, et propriæ conscientiæ testimonio indignus sit qui exaudiatur, nihilominùs fiduciam impetrandi sumere potest ex triplici capite. 1° Ex precandi voluntate, quam Deus ipsi inspiravit. *Cùm videris*, inquit sanctus Augustinus suprà laudatus, in Psal. 65, *non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus.* 2° Ex infinitâ Dei bonitate. *Si de vobis in humilitate sentitis*, ait sanctus Bernardus, serm. 11 in Cant., *sentite et de Domino in bonitate.* Et auctor de verâ et falsâ pœnitentiâ, cap. 5, inter opera sancti Augustini : *Ille solus diffidat, qui tantùm peccare potest, quantùm Deus bonus est. Cùm autem sit nullus, qui hoc possit, qui timet de se malo, præsumat de meliore : diabolus enim, et omnis nequitia minor est, quàm Dei misericordia.* 3° Ex divinâ promissione, quæ se extendit ad omnes etiam peccatores, Matth. 7 : *Omnis, qui petit, accipit.* In quem locum sic scribit auctor operis imperfecti, hom. 18, inter opera sancti Chrysostomi : *Omnis, sive justus, sive peccator, tantùm petere non dubitet, quærere non negligat. Dicamus enim de Deo sicut dixit de nobis : Si tantùm amicos vestros diligitis, quam mercedem habebitis? Si Deus tantùm amicos suos exaudit, quam laudem bonitatis meretur?* Et Luc. 11, de peccatoribus speciatim dicitur : *Amen dico vobis, etsi non dabit ei, eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem*, id est, instantiam et perseverantiam, *dabit.* Sic Publicanus exauditus est, Luc. 18. Ex quo loco sanctus Augustinus, tract. 44 in Joannem, refellit cæcum, qui dixerat Deum non exaudire peccatores : *Adhuc*, inquit, *inunctus loquitur; nam et peccatores exaudit Deus. Si enim Deus peccatores non exaudiret, frustrà ille Publicanus oculos in terram demittens, et pectus suum percutiens, diceret : « Deus, « propitius esto mihi peccatori. » Et ista confessio meruit justificationem, quo modo ille cæcus illuminationem.* Vera tamen est cæci propositio in sensu ab ipso intento; nempe Pharisæi calumniabantur Christum, quasi seduceret turbas : cæcus, qui ab illo visum receperat, ipsis reponit, Deum non exaudire peccatores ad patranda miracula : v. g., ad illuminandum cæcum, quibus homines in errorem inducantur, quod verissimum est. Textus oppositi in objectione intelliguntur de peccatoribus impœnitentibus, qui cùm nolint à peccato recedere, obnixè petunt liberari à malis ingruentibus, quibus Deus eos justissimè punit.

Instas : Actor. 8, ait S. Petrus ad Simonem Magum : *Pœnitentiam age, et roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Daniel ad Nabuchodonosorem cap 3 : *Forsitan ignoscet delictis tuis.* Ergo peccatores certam spem impetrandi habere non possunt. Distinguo conseq. Non possunt absolutâ certitudine, concedo : non possunt hypotheticâ, nempe si orent ut oportet, adhibitis conditionibus ad infallibiliter impetrandum requisitis, nego conseq. *Nemo*, inquit Chrysostomus, hom. de Mose, *aliquando ad eum flens accessit, qui non quod postulavit accepit : nullus ab eo beneficia dolenter postulavit, qui non impetravit, quod voluit.* Itaque nec Apostolus, nec Propheta dubitabant de Dei promissis in gratiam peccatorum veniam deprecantium, sed de ipsâ eorum oratione; namque peccatores plerumque non orant sicut oportet, aut peccandi affectum retinent : *Non vult autem suam orationem audiri, qui putaverit præcepta Dei posse contemni*, ait sanctus Chrysostomus : aut criminum suorum immanitate territi, de Dei misericordiâ diffidunt, ideòque remissè petunt, et in petendo non perseverant.

Quæres 3° : Utrùm ad infallibiliter impetrandum necesse sit ut quis pro se ipso petat.

Resp.: Affirmat sanctus Augustinus, tract. 102 in Joann. *Exaudiuntur*, inquit, *omnes Sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis, quia non utcumque dictum est, dabit, sed dabit vobis.* Idem docet S. Thomas art. 7, ad secundum, his verbis : *Pro se orare ponitur conditio orationis : non quidem necessaria ad effectum merendi, sed sicut necessaria ad indeficientiam impetrandi. Contingit enim quandoque quòd oratio pro alio facta non impetrat, etiam si fiat piè et perseveranter, et de pertinentibus ad salutem..... secundùm illud Jerem.* 15 : « *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est*

« *anima mea ad populum istum;* » *nihilominùs tamen oratio meritoria erit oranti, qui ex charitate orat, secundùm illud Psalm.* 34 : « *Oratio mea in sinu meo con-* « *vertetur;* » Glos. *id est, etsi non eis prosit, ego tamen non sum frustratus meâ mercede.* Et ratio est quia qui pro se orat ut oportet, donum Dei pluris facit, ardenter desiderat, de se ipso non præsumit, et sic disponitur ad accipiendum : è contra alii pro quibus oramus, sæpiùs vel in virtute suâ confidunt, vel justitiam non sitiunt; vel quod pejus est, in peccatis sordescunt, et terrenis inhiant, et gratiâ Dei indignos se reddunt. Quamobrem sanctus Chrysostom. hom. de progressu Evang. carpit divites, qui eleemosynis pauperum preces sibi conciliabant, cùm interim ipsi orare negligerent; docetque Sanctorum orationes nobis non prodesse sicut nostras. Et homil. 5 in Matth.: *Habent vim pro nobis, et quidem maximam orationes supplicationesque Sanctorum; sed tunc profectò, cùm nos quoque idipsum per pœnitentiam postulamus.*

Negari tamen non potest quin utiliter oremus pro conversione peccatorum etiam impœnitentium; Deus siquidem Ecclesiæ donavit et Saulum precibus sancti Stephani, et Augustinum lacrymis sanctæ Monicæ; sed ipse discipulus quem amabat Jesus. 1 Epist. non audet asserere hujusmodi orationes esse exaudiendas: *Est peccatum ad mortem,* inquit, *non pro illo dico ut roget quis.* In quem locum sic scribit S. Bernardus, cap. ultimo de gradibus humilitatis : *Sed numquid dicis, Apostole, ut quis desperet? Imò gemat, qui illum amat, non præsumat orare, nec desistat plorare..... Sic meliùs tanquàm non orantes oramus, sic efficaciùs tanquàm diffidentes confidimus.* Tum de excommunicatis, qui à publicis Ecclesiæ suffragiis excluduntur, subdit: *Absit autem à nobis ut etiam pro talibus, etsi palàm non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus; etsi enim à communibus orationibus ipsi se excludunt, sed ab effectibus omninò non possunt.* Sicut de nemine desperandum quamdiù vivit, sic nemini negandum orationis suffragium, ex S. Thomâ, art. 7, ad tertium : vult enim Apostolus, 1 Timoth. 2, fieri orationes pro omnibus hominibus etiam regibus ethnicis, quorum multi Ecclesiam persequebantur : et quidem juxta præceptum Domini : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos,* Matth. 5.

Quæri potest num oratio pro aliis, qui non ponunt obicem, habeat infallibilem effectum.— Resp. Habet : nititur enim promissione divinâ : Matth. 10, Christus monet Apostolos, ut intrantes domum dicant : *Pax huic domui; et siquidem,* inquit, *fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam.* Jac. 5 : *Orate pro invicem, ut salvemini; multùm enim valet deprecatio justi assidua.* 1 Joan. 5 : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Porrò Deus est verax in promissis, et neminem fallit.

Quæres 4° : Utrùm oratio sine perseverantiâ semper sit inefficax.

Resp. primò, si oratio piè fiat, etiamsi non perseveranter, semper habet aliquem spiritualem effectum. Ita sanctus Chrysostomus in Psalm. 129, ubi docet duplicem esse orationis effectum. Primus, inquit, semper obtinetur, etiam cùm adhuc oramus, scilicet animæ virtus : nam oratio animam elevat, emollit, etc. De hoc effectu scribit hom. 52 in Matth. intelligendum illud : *Adhuc te loquente dicam : Adsum; non expecto donec orationem finias; sed confestim cùm incipias, exaudio : quis enim adeò fuit paratus, et erectis continuè auribus astans, nequando à filiis suis vocaretur? Nemo profectò. Deus autem paratus continuè ad vocem servorum suorum est, nec unquàm ut oportet vocatus non obaudivit.* Secundus orationis effectus est consecutio ejus rei, quam postulamus. Et de hoc posteriori effectu hîc duntaxat quæritur, an sine perseverantiâ obtineatur. Quare, respondeo secundò, si Deus nos etiam non petentes prævenit in benedictionibus suis, à fortiori jam petentibus aliquando postulata concedere non differt. Sic Daniel, ubi se dedit orationi, statim exauditus est. Dan., cap. 5. Dixi *aliquando;* nam sæpiùs perseverantiæ datur, quod primæ petitioni negatum fuit; ut patet in Chananæâ, Matth., cap. 15, ac proinde certum non est omnem orationem statim exaudiri. Itaque, respondeo tertiò : Oratio infallibiliter non impetrat, nisi sit perseverans. Probatur 1° ex Scripturâ, Luc. 18 : *Oportet semper orare, et nunquàm deficere.* Quod confirmat exemplo viduæ, quæ per importunas preces tandem fregit duritiam iniqui judicis. Et cap. 11, docet non solùm petendum, sed et quærendum et pulsandum donec aperiatur, quemadmodùm ille, qui ab amico rejectus, nihilominùs perseveravit pulsans, propter improbitatem suam obtinuit panes quotquot habebat necessarios. Probatur 2° ex SS. Patribus. S. Chrysost. hom. 30 in Gen. aît : *Nostrum ergo sit opus continuis insistere precibus, et non ægrè ferre, si differatur quod petimus; sed longanimes esse. Neque enim renuens nostras preces differt, sed hâc arte sedulos nos efficiens ad semetipsum attrahere vult.* Sanctus Nilus, lib. de Orat., cap. 32 : *Ne petas à Deo imperiosè, quod statim velis impetrare; vult enim te beneficio afficere in oratione perseverantem. Quid enim excellentius, quàm cum Deo colloqui, et usu ejus detineri?* Sanctus Augustinus, tract. 73 in Joan. : *Quomodò intelligendum est, quodcumque petieritis, hoc faciam? An fortè solis Apostolis hoc dictum debemus accipere? Absit.* Et multis interjectis subdit : *Sanè quædam quamvis in nomine ejus petamus, non tunc quando petimus facit, sed tamen facit : differtur enim quando petimus, non negatur. Verùmtamen orantes tanquàm seminantes non deficiamus; tempore enim suo metemus.*

Quæres : Quare Deus differt precantium vota, adeò ut soli perseverantes infallibiliter impetrent? — Resp. Multiplici de causâ.

Prima : Quia oratio imperfecta incipere solet, et perseverantiâ perficitur. Sicut enim vestis, quæ frigida induitur, primò calefit per nativum corporis calorem, sed jam calefacta ipsum corporis calorem non solùm conservat, sed auget, intenditque; sic oratio, quæ ex fide per dilectionem operante nascitur, ipsam

fidem roborat, charitatis desiderium exacuit : *Fides*, inquit S. Augustinus, serm. 115, aliàs 36, de verbis Domini, *fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem*. Ubi autem fons exuberat aquis, rivum rapidiùs fluere necesse est, sic et orationem ex pleniori fide manantem. Verùm rarissimam esse illam fidem, quæ ab orantibus exigitur, ut infallibiliter impetrent, docet Christus ita concludens parabolam de viduâ apud iniquum judicem molestâ : *Verùmtamen*, inquit, *putas veniens filius hominis inveniet fidem in terrâ?* Fidem, inquam ego, cum fiduciâ et charitate conjunctam, quæ exemplo viduæ ad orationis perseverantiam determinet. Multi quippe orationem, quam initio aridam, et sine devotionis succo experiuntur, citò impatientes deserunt, cùm assiduitate et perseverantiâ pinguescere soleat, et jam perfecta infallibiliter obtineat. Secunda : Ut doni, quod postulamus, capaces simus, et ad illud capiendum dispositi. Magnum enim est quod petimus, et nos angusti sumus; quare dicitur nobis, dilatamini : *Petendo autem et quærendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult citò dare, ut et tu discas magna magnè desiderare.* August. serm. 61, aliàs 5, de verbis Domini. Tertia : Ideò differt Deus, ut nos in humilitate contineat per experientiam propriæ indigentiæ et infirmitatis. *Quid est*, inquit sanctus Bernardus, serm. 4 in Psalm. 90, *quòd incessanter orantes et supplicantes non possumus ad eam, quam desideramus gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc, prorsùs absit : sed ipse cognovit figmentum nostrum*, in quo scilicet facilè vermis superbiæ gigni solet, tùm maximè cùm optatis potimur. Hinc est quòd ipsa nostra oratio interdùm tepida est et penè nulla, ut non solùm fide, sed et experientiâ discamus insufficientes nos esse aliquid piè cogitare aut desiderare ex nobis tanquàm ex nobis. Sed in his omnibus Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, postulatque pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nam oratio ex sancto Augustino gemitum habet : qui autem gemunt, miseros se sentiunt, nec elationis vitium incurrunt. Quarta : Deus postulata statim non concedit, ut in majori habeantur æstimatione, et sollicitiùs conserventur : *Cùm aliquando tardiùs dat*, inquit sanctus Augustinus, cit. serm. 61, *commendat dona, non negat. Diù desiderata dulciùs obtinentur, citò autem data vilescunt.* Veniæ facilitas peccandi occasionem præbet, difficultas verò cautiores reddit. Quintam profert S. Chrysostomus expositione in Psalm. 4, nimirùm quia Deus in differendo dono nos sibi devincit, et veluti agglutinat. *Oratio*, inquit, *non parvum vinculum est dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui assuefacit, et ad sapientiæ studium nos deducit. Si enim qui cum magno aliquo viro multùm versatur, ex ejus consuetudine maximum fructum percipit, quantò magis qui cum Deo perpetuam habet consuetudinem?*

Quæres : Quamdiù perseverare debet oratio, ut infallibiliter impetret? —Resp. : Nec Scriptura nec Traditio istud definiunt, sed indefinitè duntaxat hortantur ad perseverandum in orationibus. Undè in praxi hæc observanda sunt : 1° Si oratio sit de necessariis ad salutem, puta de præceptis adimplendis, tentationibus superandis, sine hæsitatione orationi instandum, quoadusque postulata simus consecuti; de his enim præsertim intelligenda est Christi promissio : *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.* Marc. 11. 2° Cùm ex prædictis donis nonnulla usque ad mortem differantur, ut donum perseverantiæ, omnimoda libertas à peccato, et perfecta primi mandati observatio, pro his orationi instandum usque ad mortem. 3° Si quando advertimus nos orationis ope vitium aliquod profligâsse, aut tentationem superâsse, non est propterea remittendum orandi studium; quia Amalech adversarius noster adhuc stat in acie, vincitque si manus extendere cessemus. 4° Si petatur aliquid temporale, ubi Deus postulatis annuit, jam petitio non est protendenda, sed in gratiarum actionem convertenda, ut patet. Ubi verò contrarium evenit, v. g., moritur propinquus, ejus sanitatem obnixè precabamur, imitandus est David, qui auditâ filii morte, surrexit de terrâ, in quâ diù jejunus jacuerat deprecans cum lacrymis pro ejus salute, mutatâque veste lugubri, et lotâ facie ingressus templum Domini adoravit; tùm domum reversus placido vultu discubuit, 2 Reg. 12. Sed si Deus exaudire differat, perseverandum in oratione : fortè enim differt ad fidei, spei et patientiæ exercitium : fortè etiam, quia nondùm idonei sumus accipere. Pater non negat hæreditatem filio adhuc parvulo, sed servat donec crescat et administrare valeat. Parvuli sumus in Christo, quamdiù terrenorum cupiditate detinemur : perseveremus ergo orantes ut liberemur ab hoc malo; crescat cœlestium amor, quo grandiores jam effecti, haud dubiè accipiemus ab optimo patre temporalia, quatenùs ad salutem æternam expediunt : ait enim Christus, Marc. 10 : *Nemo est qui reliquerit domum... propter me et Evangelium, qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore hoc.* Quia nempe qui terrenorum affectu non detinentur, ea soli utiliter dispensant ad Dei gloriam et propriam suam salutem.

ARTICULUS II.

DE ORATIONE PUBLICA.

Oratio communis ea est quæ per ministros Ecclesiæ in personâ totius fidelis populi Deo offertur, ut innotescat toti populo pro quo profertur; necessariò debet esse vocalis; rationabiliter institutum est, ut ministri Ecclesiæ hujusmodi orationes, etiam altâ voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire. Item quicumque ad officium divinum obligantur, etiamsi privatim dicant, debent non solùm mentaliter, sed et vocaliter proferre verba, ita ut possint se audire et intelligere, nisi sint surdi, prout mox explicabimus.

Quæres quinam teneantur ad recitandas horas canonicas singulis diebus? —Resp. 1°, per se loquendo, clericos in sacris ordinibus constitutos, sacerdotes, personas religiosas professas, et beneficiarios simplices, teneri jure ecclesiastico ad totum officium quoli-

bet die recitandum; seu omnes habentes aliquem ex his tribus titulis, nempe aut sacrum ordinem, aut beneficium ecclesiasticum etiam simplex sine ordine sacro et sine curâ animarum, aut tandem professionem religiosam.

Primus titulus deducitur ex cap. *Dolentes*, de Celebrat. Missarum et ex cap. *Presbyter*, dist. 91, et ex communi consuetudine immemorabili ubique receptâ et sub mortali obligante.

Secundus colligitur ex hoc vulgari effato : *Beneficium propter officium*. Et ita præcipiunt Leo X in concilio Lateran., et B. Pius V, in suâ constitutione. Et habetur ex continuo Ecclesiæ usu ac consuetudine ubique receptâ. Porrò sub titulo beneficii comprehenduntur episcopatus, rectoriatus, canonicatus, dignitates, præposituræ, præstimoniæ, capellaniæ collativæ, commendæ, et aliæ præbendæ tituli clericalis. Imò B. Pius V obligavit pensionarios habentes pensionem clericalem, ad recitandum parvum B. Virginis Mariæ officium, quamvis non sit verè beneficium. Vide circa hæc quæ dicta sunt à nobis, tom. 2 de Just., q. 4, art. ultimo. Et § 1, ubi probavimus, beneficiarios ex suâ culpâ omittentes recitationem horarum quâlibet die, teneri ante sententiam judicis ad restitutionem fructuum pro ratâ omissionis.

Beneficiarius tamen sacro ordine non initiatus, qui nihil de fructibus beneficii percipit, rationabiliter videtur immunis ab onere recitandi officium divinum, dummodò ex parte et culpâ suâ non proveniat hujusmodi carentia; puta si ideò privetur, quia est excommunicatus, aut quia residere non vult. Tunc enim Ecclesia ob negligentiam, vel malam intentionem ministri, debito obsequio privari non debet. Tenetur similiter officium recitare, qui de præsenti quidem nihil de beneficio percipit, in futurum tamen est percepturus; quia illa certa spes fructuum orta ex titulo et possessione, moraliter æquivalet actuali perceptioni: secùs dicendum quando absque suâ culpâ injustè omnibus beneficii fructibus, et spe in futurum eos recuperandi privatur: siquidem obligatio recitandi officium, dicet necessariò ordinem ad stipendium saltem recipiendum; et qui nullum percipit fructum, à parte rei, non censetur habere beneficium, sed titulum duntaxat; nisi igitur aliunde stipendium suppleatur, ad officium recitandum non tenetur.

An autem beneficiarius, qui recipit quidem aliquos fructus ex beneficio, sed tenues et insufficientes, officium recitare teneatur, quidam negant ex hoc quòd parùm pro nihilo reputetur, et qui de altari non vivit, altari servire non teneatur. Alii affirmant, quia iste censetur possidere verum beneficium et titulum; obligatio autem recitandi officium est annexa vero beneficio proferenti fructus, sive paucos sive abundantes. Nec hoc durum reputant, quia est in potestate beneficiarii istud onus à se excutere dimittendo beneficium, tùm quia ista obligatio aliunde compensatur per varias prærogativas beneficiariis concessas, tum quia ille qui ob grandinem, vel aeris inclementiam, vel ob alium casum paucos fructus percipit, adhuc tenetur officium recitare; ergo et iste beneficiarius, de quo est sermo. Alii tandem ipsum solummodò obligant ad officium aliquoties per annum recitandum pro rectâ fructuum, prout recta ratio dictaverit. Quid autem de isto casu et de superiore sentiendum sit, vide tom. 2 de Just., q. 4, art. ultimo, § 4. Item ad officium recitandum obligatur ille qui cùm sit ineptus ad susceptum beneficium exercendum, compellitur ad adhibendum coadjutorem, cui omnes beneficii fructus pro stipendio concedere debet. Nam per se loquendo habet jus ad fructus, et per se stat quominùs illos percipiat. Idemque dicendum de eo qui pro pensione impendit omnes fructus, illi qui beneficium resignavit; cùm sponte se illis spoliaverit; volenti autem et consentienti, non fit injuria. Beneficiarius autem solummodò obligatur ad officii recitationem, post captam et pacificam beneficii possessionem; nisi per eum stet ipsum non capere; Ecclesia enim hujusmodi obsequio per ejus fraudem et malitiam non est tunc privanda: secùs si solùm ab extrinseco et sine suâ culpâ, impediatur possessio. Quòd si possideat et administret beneficio litigiosum, tunc, si moraliter certum sit, quòd etiamsi ab eo auferatur, adhuc tamen adjudicabuntur fructus pro ratâ administrationis, tenetur ad officium, quia moralis illa certitudo quodammodò actuali perceptioni æquiparatur. Vide loco citato § 1.

Tertius titulus obligationis recitandi officium divinum est professio religiosa emissa ab iis qui choro sunt destinati. Hinc religiosi professi clerici etiam nondùm sacros ordines habentes tenentur sub mortali horas canonicas recitare, tum ex decretis particularibus religionum, tum ex consuetudine communiter et ubique receptâ. Novitii verò nondùm professi videntur ad hoc non obligati, sicut nec fratres conversi etiam post professionem, ut docet Cajetanus in summâ v. *Horæ canonicæ*. Novitii enim ante professionem non tenentur ad onera religionis, et victus debetur religiosis ex eo quòd totaliter Deo indicati in illâ religionis observantiâ sunt, non minùs quàm debeatur à temporalibus dominis et hospitalibus, victus illis qui eis in ministerium sunt adscripti: ex hoc autem quòd conversis ex regulâ decernantur quædam preces pro horis canonicis, fit quidem ut teneantur ad illas orationes, sicut ad alia regulæ mandata, non verò ut teneantur ex Ecclesiæ præcepto. Moniales verò professæ choro deputatæ, tenentur ad horas canonicas, juxta usum et regulas ipsarum; quare standum est consuetudini, et ex ipsâ judicandum de hujusmodi obligatione.

Cabassutius, l. 1, cap. 21, in fine, docet quod ab obligatione officii recitandi, clerici in sacris aut simplices beneficiarii, sive in exilium sive ad triremes, aut perpetuos carceres fuerint compulsi aut degradati, non eximuntur; non tamen eis licet dicere: *Dominus vobiscum*. Rationem affert, quia alligantur vinculo indelebilis characteris. Verùm nullos aut paucos ex his qui sunt in trirembus puto officium persolvere, nec circa hanc omissionem confessarios ipsis scrupulum movere. Ab hoc onere excludit tamen Cabassut. religiosos professos ordine sacro carentes ad triremes amandatos, aut ex monasterio ejectos; quia cùm ista

obligatio ex solâ religionum consuetudine aut regulæ monasticæ præscripto ortum ducat; quoties religiosi sic ejiciuntur, tametsi voto castitatis adstringantur, non tamen tenentur regularibus observantiis et consuetudinibus, citatque Sotum et Bonacinam. Eâdem pariter ratione ab isto onere eximit moniales, quæ dissipatis cœnobiis, sive ob extremam indigentiam, sive ob belli calamitates exire et ad suos redire coguntur extra communitatem constitutæ, quatenùs scilicet removentur ab eo statu, in quo vigebat talis obligatio. Verùm ego non video, quòd si apud parentes tunc commorantes, æquè commodè officium persolvere valeant, ac si essent in cœnobio, ab hoc onere eximantur si antea ad illud tenebantur ratione professionis in eâ religione, in quâ ex consuetudine vigebat hæc obligatio; cùm remaneat ipsarum professio, nihilque obstet quin officio satisfacere valeant privatim.

Respondeo 2°, varias esse causas omnes supradictos à recitatione divini officii excusantes. Quæ tamen ad tria capita reducuntur. Primum caput est vera impotentia; nam ad impossibile nemo tenetur. Hinc cæcus excusatur cùm legere nequeat; eidem tamen consulendum est ut, si commodè possit, choro assistat, aut socium assumat, paulatimque Psalmos memoriæ mandet, si ejus defectum non patiatur; sicque postea versus ex parte suâ recitare valeat. Hinc quoque excusatur, qui nec habet, nec habere potest breviarium, sine quo tamen officium persolvere nequit: quæ tamen carentia provenit absque ejus culpâ, ex levi inadvertentiâ, vel bonâ fide, dùm rationabiliter putans, se quò pergit habiturum breviarium, suum non detulit. Hinc etiam excusatur ægrotus, dùm absque gravi nocumento, officium dicere nequit.

Circa hanc impotentiam advertendum est, eum qui non potest quidem recitare totum officium, benè tamen majorem partem, teneri ad illam. Quòd si minorem duntaxat recitare valeat, tunc quidam volunt ad nihil teneri; quia major pars videtur ad se trahere minorem; tùm quia aliàs pateret locus scrupulis; ægrotus enim semper dubitare posset an sine gravi incommodo, unam aut alteram ex horis canonicis recitare possit et teneatur. Alii verò docent eum qui habent impotentiam totum officium recitandi, teneri ad illam partem recitandam, quam commodè potest, dummodò illa pars sit notabilis, et præsumatur à legislatore intenta: eò quòd impotentia solùm excuset ab eo ad quod tollit potentiam, nisi constet de voluntate superioris aliter disponentis. Hinc meritò Innocentius papa XI hanc proposit. damnavit: *Qui non potest recitare matutinum, et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Tenetur enim recitare id quod potest, sicut qui debet centum nummos, et non habet nisi viginti, illos restituere tenetur, eò quòd materia præcepti religionis sit æquè divisibilis ac materia præcepti justitiæ. Officium enim habet suas partes, quæ non sunt ita connexæ, ut una non possit ab aliâ separari; et aliunde cùm careat impotentiâ recitandi minorem, ad id obligatur, nec est eadem ratio de Missâ respectu celebrantis, quæ consistit in indivisibili morali, ideòque aut tota aut nihil poni debeat. Licet respectu audientis sit divisibilis, qui proinde si in die festo non habeat nisi unam Missam, quam invenit in præfatione, antea legitimè impeditus, tenetur illam audire.

In dubio an ægrotus partem officii notabilem absque gravi incommodo recitare valeat, standum erit judicio periti et probi medici. Quòd si medicus circa id anceps remaneat, quidam volunt ægrotum ad id obligari, eò quòd obligatio præcepti sit certa: causa verò excusans tunc sit dubia. Alii verò probabiliùs docent oppositum; eò quòd non solùm grave damnum certò eventurum, sed etiam probabile periculum illius, sit causa certa excusans à recitatione officii, perinde ac ab observatione jejunii. In defectum verò medici, ægrotus stare potest judicio sui superioris. Quòd si neuter adsit, stare, poterit arbitrio alicujus prudentis et docti viri; eoque etiam deficiente, sequi poterit rectum suæ conscientiæ dictamen, præsertim si fuerit vir pius et doctus. Caveat tamen ne sui amore captus seipsum decipiat, et ne sit periculum levis duntaxat incommodi: possessio enim stat pro præcepto, saltem dùm timetur tantùm leve nocumentum, sicut etiam levis infirmitas non excusat ab eo adimplendo, qualis esse potest dolor capitis, etc.

Observandum præterea, eum qui solus officium persolvere nequit, teneri illud recitare cum socio cujus habet copiam, si eo modo sufficienter juvari potest ad implendum præceptum; quia quos per amicos possumus, illud per nos ipsos posse censemur, nullusque præsumitur simpliciter impotens ad implendum præceptum, quando ipsi suppetunt media facilia ad ejus impletionem. Unde, si gratis et commodè possit habere socium, tenetur illum adhibere; imò cùm beneficiarii ex justitiâ obligentur ad officii recitationem, tenentur etiam aliquam partem fructuum, si opus sit, impendere ad habendum socium, et exequendum istud præceptum. Si tamen aliquis sit ita surdus, ut sine gravi difficultate, aut magnâ vociferatione socium audire nequeat, quidam volunt, non teneri ad ipsum adhibendum; eò quòd Ecclesia non obliget ad extraordinariam operam, neque tamen gravamen velit imponere. Si tamen non sit mutus, officium adhuc recitare tenetur meliori modo quo poterit; non enim absolutè necesse est ut seipsum recitandum audiat, sicque non censetur omninò impotens. Qui verò est omninò impotens, non tenetur officium supplere et recitare per alium, cùm istud onus sit personale; nec etiam loco officii, alias orationes persolvere, aut alium recitantem audire, quia id ab Ecclesiâ minimè præcipitur. Eidem tamen consulendum est, ut eâ quæ potest faciat, adhibeatque diligentiam ad aliqualiter muneri suo satisfaciendum.

Secundum caput est honesta, gravis et repentina occupatio occurrens, quæ sine gravi damno et scandalo nequit prætermitti aut differri, ac cum recitatione officii cohærere. Ratio est quia præceptum humanum, quale est onus recitandi officium, non videtur cum tanto rigore obligare. Unde interdùm excusari pos-

sunt concionatores egregii, missionarii, confessarii, doctores publici, quando non possunt officium recitare, nisi hæc opera intermittant, cum magnâ populi offensione, vel cum religionis, aut propriæ personæ notâ; indeque tunc ex benignâ Ecclesiæ intentione videntur excusandi. Loquimur autem solùm de occupatione repentinâ, et non prævisâ : qui enim manè prævidet, se reliquo die habiturum occupationes impedientes ab officii recitatione, eam anticipare tenetur, si ad hoc habeat tempus sufficiens, et occupationes anticipatam recitationem permittant. Ratio est, quia præceptum istud obligat pro totâ die, et quâlibet diei horâ impleri potest; unde nulla est ratio, cur iste non teneatur manè officium anticipare. Non potest quis sponte suâ, absque necessitate, aliquod munus suscipere, cujus executio est omninò incompossibilis, aut quam novit sibi incompossibilem cum recitatione officii divini (1).

Tertium caput est dispensatio superioris, puta summi pontificis qui est supra jus ecclesiasticum. Unde episcopus propriè nequit à recitatione officii dispensare, cùm ad inferiorem non spectet in leges superioris dispensare : potest tamen in dubio declarare clericum non teneri, si verè existimet causam sufficientem excusationis subesse, sicque legem ecclesiasticam interpretari. Idque proportione servatâ convenit etiam prælatis regularibus in ordine ad suos religiosos.

Quæres secundò, an sit peccatum mortale omittere aliquam partem officii, aut non distinctè illud recitare, aut horas debito ordine, non persolvere. — Resp. primò, totum divinum officium per se loquendo, singulis diebus integrè recitandum esse à singulis personis supradictis. Hinc ex communi sententiâ, peccant mortaliter vel unam ex septem horis canonicis advertenter, et sine rationabili causâ omittentes; quia præceptum recitandi divinum officium ex genere suo est de re gravi, ideòque per se obligat sub mortali; perinde ac præceptum jejunandi et audiendi sacrum diebus statutis; quemadmodùm igitur ille peccat mortaliter, qui in die festo notabilem partem Miseæ audire omittit : ita et ille qui notabilem officii partem recitare prætermittit. Talis autem censetur una hora integra, imò, juxta piorum et prudentum judicium, media pars unius horæ canonicæ, completorium, etc.

Qui habet voluntatem non recitandi officium aliquâ die, non committit, nisi unum peccatum mortale per se loquendo; quia recitatio omnium horarum unico præcepto jubetur, omnesque horæ sunt inter se ita subordinatæ, ut constituant unum tantùm objectum illius peccati. Quod tamen cæteris paribus eò est gravius quò plures horæ intermittuntur, quæ proinde sunt in confessione explicandæ, sicut et oppositiones quas talis omissio peccaminosa dicit ad diversas virtutes, ob varios titulos hujus obligationis : puta si omittens sit in sacris et beneficiarius; tunc enim juxta multos auctores, sunt peccata distincta; unum quippe est contra religionem, aliud verò contra justitiam. Quòd si iste pluries in die repetat istud propositum quoties adest tempus et opportunitas recitandi horas, toties lethaliter peccat volendo transgredi præceptum in re gravi, et tenetur in confessione declarare numerum istorum actuum voluntatis moraliter interruptorum.

Ille censetur integrè recitare, qui sivè in choro, sive extra chorum, alternatim recitat cum alio, vel aliis, dicendo unam partem, et audiendo aliam. Si verò voluntariè hinc inde versiculos ex suâ parte omittat, qui collecti efficiant notabilem partem officii omissi, non videtur à gravi peccato excusandus, nisi tunc dùm alii officium recitant in choro, detineatur aliquâ occupatione ad illud necessariâ, puta libros evolvendo, parando, prævidendo lectionem, thurificando, etc. Quia cùm omnes unum chorum constituant, quod ab aliis cantatur, ab istis quoque recitari censetur.

Respond. 2°, peccatum esse verba officii truncare, et syncopare, etc. Eò quòd tunc officium non sit integrum et quidem si defectus ille sit gravis, ita ut sensus notabilis partis officii corrumpatur, est peccatum mortale. Quare, ut aliquis præcepto satisfaciat, debet verba clarè distinctèque proferre, et per se loquendo ea audire, nisi esset surdus, aut fieret ingens strepitus, aut aliquod impedimentum externum superveniat. Hinc qui cum sociis ita festinanter recitat, ut nondùm expleto versiculo ab his recitato, ipse suum incipiat, non satisfacit, quia pars quæ sic anticipatur, cum sociis nullatenùs communicatur, utpote cùm eam nec dicant, neque audire possint; et sicut iste, si solus recitaret, non poterat duos simul versus proferre, sed unum post alium, ita et cum socio. Igitur, ut iste satisfaciat, debet distinctè audire versus qui à socio proferuntur, et tacere dùm loquitur; postea, explente alio versiculum suum, incipere et distinctè proferre ut ab alio audiri valeat; aliàs per se loquendo non videtur

(1) Quòd si impedimentum prævisum non sit voluntarium, puta febris imminens, adhuc tenetur illud prævenire, quia qui aliquo urgetur præcepto, et aliquo munere astringitur, illud tenetur implere meliori quo potest modo; alioquin censetur nolle implere; porrò qui prævidet impedimentum, illudque non prævenit, non implet præceptum meliori quo potest modo, et sic nolle implere convincitur. Hinc qui prævidet à matutinarum precum recitatione in die sequenti se impediendum fore morbo, vel alio impedimento, tenetur vespere præcedentis diei præveniendo recitare. At, inquiunt benigniores theologi, officium in sero prævenire gratia est et privilegium, quod in favorem conceditur, non in gravamen, et quo proinde nemo uti tenetur. Verùm quis non videt istis cavillationibus Ecclesiæ præcepta illudi, et in irritum reddi? Est itaque privilegium et gratia (si tamen hoc nomen meretur statutum universale Ecclesiæ, designantis tempus recitandi matutinum, et quidem pro omnibus) eo solùm in sensu, quòd possit quilibet aliter facere, nec teneatur in sero matutinum recitare, si alio tempore velit et possit, non verò eo, quòd nisi præveniat recitare, non possit ab anticipatione abstinere, tunc enim quod liberum erat, necessarium evadit ad impletionem præcepti. Ita Patuzzi, de Oratione, cap. 8, n. 12, et communiter theologi. (Edit.)

hic adesse communicatio officii, nec adimpletio præcepti.

Respond. 3° quòd, ut officium studiosè et debitè recitetur, non solùm sine diminutione verborum, et concisione syllabarum est persolvendum, sed etiam absque notabili interruptione partium unius et ejusdem horæ, tum quia unitas horæ ut orationis, quam Ecclesia præscripsit, non est sine causâ dividenda, tum quia indecens videtur, inchoatum cum Deo colloquium temerè intermittere : imò aliqui volunt interruptionem longam et notabilem esse peccatum mortale, nec tunc impleri præceptum, etiam quoad substantiam, nisi tota simul hora dicatur et repetatur, sicut contingit in formis sacramentorum; quia pars jam terminata nequit continuari cum aliâ et complere sensum. Alii communiter hoc negant, dummodò postea qui sic interrumpit, reliquum prosequatur aliamque partem absolvat. Ratio est, tum quia iste totum officium intra diem verè persolvit, tum quia de substantiâ singularum partium non est continuatio, et preces interruptæ faciunt unum officium, sicut ex pluribus confessionibus divisis diversoque tempore factis, integratur una confessio, obtentâ absolutione in fine illarum. Neque in divino officio est practica significatio verborum, cùm non sit institutum ad aliquid producendum ex vi verborum, prout contingit in formis sacramentorum; unde ex duabus partibus horæ interruptis constituitur moraliter una hora, ob scilicet intentionem præcedentem; inest tamen in longâ interruptione sine causâ grave peccatum veniale ob irreverentiam. Quandoque verò potest esse absque peccato veniali, ut si ex necessitate aut justâ causâ fiat, ut si quis à superiore vocetur ad aliud opus pium tunc urgens peragendum; non enim censetur tunc moralis interruptio, cùm hæc omnia ad Dei cultum et honorem ordinentur. Idem dicendum, quando uno vel altero verbo necessariò interrumpitur, eò quòd parùm pro nihil reputetur. Aliquando nihilominùs ex circumstantiis potest interruptio esse mortalis, puta si fiat cum gravi scandalo, si verba vana, obscœna, turpia, immisceantur, etc. Vide D. Augustinum enarratione in Psalm. 85, et Clementinam *Gravi*, tit. *de Celebratione Missarum*.

Quæres 3° quo tempore et ordine divinum officium sit recitandum? — Resp. 1° officium divinum singulis diebus, horis statutis esse recitandum. Et quidem pro iis qui privatim illud recitant, tempus est totus dies usque ad mediam noctem, et incipit à vespere diei præcedentis : expleto siquidem completorio, usu receptum est ut preces nocturnæ, seu matutinum cum laudibus subsequentis officii et diei, tunc recitari possint; quandoque horâ quartâ post meridiem, quandoque quintâ, pro ratione temporum et brevitatis dierum. Juris dispositioni conforme est, ut circa solis occasum inchoentur. Prima verò, mane sequenti, paulò post solis ortum. Tertia, aliquantulùm postea. Sexta, paulò post. Nona, propè prandium, ante vel post. Vesperæ et completorium, duabus aut tribus horis post meridiem. Nihilominùs circa hoc observari potest consuetudo legitimè introducta, utpote quæ juri derogat, et occurrente gravi necessitate possunt horæ anticipari aut retardari : semper enim, hoc non obstante, verba significant id quod Ecclesia intendit.

Privatim officium recitans, sine rationabili causâ non observans tempus à sacris canonibus præscriptum advertenter, peccat solùm venialiter, ut si dicat matutinum post prandium; primam, horâ completorii, etc., majusque peccatum veniale committit, multùm horas retardando, quàm anticipando : imò in jure, cap. *Presbyter*, consulitur, ut præveniatur tempus, quando prævidetur superventura occupatio, aut ad devotiùs et quietiùs orandum, v. g., quòd manè dicantur omnes horæ, usque ad vesperas, si futura occupatio id exigat. Vide D. Thomam quodlib. 5, q. 14, art. 1.

Tempus verò publicæ recitationis horarum in choro, juxta Cajetanum, determinatur secundùm laudabilem cujuslibet Ecclesiæ et patriæ consuetudinem. Si autem horis debitis ac consuetis, ex quâdam magnâ negligentiâ non recitetur officium, quidam hoc excusant à lethali, præciso scandalo, contemptu, aliâve circumstantiâ, eò quòd etiam tunc impleatur præceptum quoad substantiam; alii verò docent esse mortale quando fit sine causâ legitimâ, et ex purâ desidiâ; eò quòd in jure sancitum sit, ut horæ in cathedralibus et collegialibus recitentur tempore debito et consueto; quod præceptum est de re gravi, sicque à mortali non videntur excusari superiores et alii, quorum interest curare, ut officium tempore debito celebretur, et inferiores cogere ad illud absque justâ et rationabili causâ non immutandum.

Resp. 2° ordinem horarum non observantes, recitando, v. g., primam ante matutinum, aut vesperas ante tertiam, peccare venialiter, si advertenter et absque rationabili causâ id faciant, dummodò absit contemptus, aut scandalum, neque hæc inversio habeatur in consuetudine : si tamen aliquoties tantùm ex justâ causâ fiat, caret etiam veniali peccato : sub hâc enim conditione videtur præscriptus ordo divini officii, nempe si aliter justa causa et necessitas non postulet. Sic, qui oblivione naturali manè omisit dicere primam, quando serò post completorium in examine conscientiæ de hoc recordatur, satisfacit recitando tunc primam, nec tenetur alias horas repetere, ut prima suo ordine collocetur. Item qui ad chorum accedit cùm cantatur sexta, potest illam cum choro prosequi, etiamsi nondùm dixerit primam et tertiam, et sufficit quòd eas postea recitet. Idque verificatur etiam de parte unius et ejusdem horæ, nempe quòd possit extra chorum et consuetum ordinem postea recitari ac suppleri. Item qui non habet librum in quo sint lectiones, potest recitatis psalmis et nocturnis, in aliud tempus lectiones remittere; et laudes prosequi, impotentiâ aut rationabili causâ excusante. Imò ad recitandum tenetur, quod scit memoriter, si eâ die nequeat invenire breviarium.

An autem sit grave peccatum, sine causâ celebrare Missam ante matutinas horas persolutas, quidam af-

firmant, imò et ante primam recitatam. Negant tamen communiter alii, eò quòd matutinum et laudes nullam de se videantur habere connexionem cum Missâ: ideòque sine fundamento contrarium asseritur; nisi fortè tempore Missæ celebratæ, jam fluxerit tempus recitandi matutinum à jure et consuetudine præscriptum. Id tamen non facit peccatum mortale, cùm adimpleatur præceptum quoad substantiam.

Inversio autem ordinis divini officii in choro et oratione publicâ, est quid grave ex genere suo; quia vix seclusâ urgente et rationabili causâ, fieri potest absque scandalo et populi offensione per se loquendo, gravisque præcepti ecclesiastici contemptus reputatur: nec unquàm cantari aut celebrari debet Missa major et communis, nisi persolutis matutinis, laudibus et primâ, exceptis Christi natalitiis.

Quæres 4° qualiter et sub quâ formâ officium sit recitandum; an uniformiter ab omnibus idem sit persolvendum?

Respondeo cùm Cajetano, quòd ex jure quidem solùm inveniuntur septem horæ canonicæ præceptæ. Ex consuetudine autem, quilibet debet, juxta suæ Ecclesiæ seu religionis usum, id dicere pro officio, quod ibi recitari consuevit. Et idem judicium ferendum de adjunctis; sive suffragiis, sive Psalmis, sive memoriis, sive horis B. Virginis, ubi consuetudo habet vim legis: non debet itaque religiosus proprium breviarium sine causâ de necessitate dimittere, et Romanum aut aliud sequi; cùm sub gravi obligatione teneatur suæ Ecclesiæ aut religioni se conformare; et præsertim si de hâc conformatione in officio etiam privatim dicendo, extet commune præceptum, prout regulariter fit; cùm enim sit in re gravi, graviter etiam obligat, ita ut non censeatur obligationi suæ satisfecisse, quicumque de industriâ et pro libito, utitur alio breviario, quàm proprio suæ Ecclesiæ aut religionis. Qui tamen ex justâ causâ et urgenti necessitate, puta non habens tunc proprium breviarium coactus fuit officium hujus diei quod celebratur in suo ordine, recitare in alio breviario et secundùm aliam formam, excusandus venit, solùmque debet supplere quod omisit de officio proprii breviarii, si illâ die illud habere possit. Vide D. Thomam quodlib. 1, q. 7, art. 1.

An autem peccet et oneri divini officii non satisfaciat, qui de industriâ absque legitimâ causâ aliud officium pro officio persolvit; v. g., faciendo de aliquo sancto, dùm fit de feriâ; Cajetanus, Sylvester et alii censent istum adimplere præceptum quoad substantiam, licet non quoad modum; ideòque non committere peccatum mortale, sed duntaxat veniale grave. Alii verò probabiliùs docent oppositum, eò quòd Ecclesia non solùm præceperit recitationem officii in genere et in confuso, sed etiam in particulari et determinatè ut tali die, dicatur tale officium, cujus obligatio, utpote diei affixa, transit cum ipsâ die, proindeque iste peccaret etiam contra præcepti substantiam.

Verùm, si ista mutatio involuntariè et inadvertenter contingeret, sicque dies elaberetur, tunc iste excusaretur; si verò adverteret, et adhuc superesset tempus et commoditas hunc defectum reparandi sufficiens, tunc licet non teneretur ea repetere, in quibus hæc officia conveniunt, videtur tamen quòd debeat supplere quæ desunt, ne minùs solvat quàm debet, aut obtinere à superiore licentiam faciendi de feriâ alterâ die, ex quo jam inadvertenter fecit de sancto. Vide D. Thom. quodlibet. 3, q. 13, art. 2, et D. Anton., p. 2, tit. 9, cap. 12; unde Alexander papa VII hanc propositionem damnavit: *In die palmarum, recitans officium paschale, satisfacit præcepto.* In constitutionibus Prædicatorum dist. 1, cap. 1, de Officio Eccles. textu 1, litt. E, expressè habetur, quòd prælati ex rationabili causâ dispensare possunt fratres quoad proprietatem officii, ut quando deberet fieri de feriâ, faciant officium de sancto: in quo tamen casu, si non dixerint officium B. Virginis in choro, tenentur illud dicere in privato. Ex quo manifestè constat, quòd quoties tale officium obligat in choro, obligat etiam fratres recitantes magnum officium in privato et extra chorum: ita ut declaret constitutio utrumque pertinere ad substantiam officii in hoc ordine inducti in illis determinatis diebus, ut fusiùs probavimus tom. 1 de Just., tract. de Legibus, et colligi potest ex Sylvestro, v. *Horâ*, § 6, ex Soto, lib. 10 de Just., q. 5, art. 4, ex D. Thomâ quodlib. 5, art. 2, ex Fagnano. lib. 3 Decret., p. 2, pag. 290.

Quæres 5° in quo loco non liceat officium privatim aut publicè recitare?

Resp. 1° nullum esse locum per se loquendo in quo non liceat privatim officium recitare, cùm Deus sit ubique, et in omni loco cum possimus orare. Per accidens tamen in plateâ, in foro, in magno hominum concursu, ob strepitum et clamorem impeditur attentio et devotio, sicque in his locis officium non debet recitari. Nec in loco indecenti, qui, non satis congruit venerationi debitæ rei sacræ, et videtur esse veniale peccatum, seclusis aliis circumstantiis: impletur tamen præceptum, sicut et quando recitatur officium stando, sedendo, deambulando, sive in domo, sive in campo, quia nullum jus extat quo præcipiatur contrarium.

Respond. 2°, quando officium publicè celebratur, tunc in Ecclesiâ recitandum esse, jura præcipiunt à deputatis ad illud; ita quòd deponendi sunt à clerici consortio, qui moniti interesse nolunt, ut habetur dist. 92, cap. ultim., et Clement. 1 de Celeb. Miss., graviterque peccat quicumque sine rationabili causâ se debitis horis subtrahit à choro, quia gravis est ratio divini debiti: præsertim, si ex hoc quòd desit horis canonicis, propter ejus absentiam notabiliter lædatur divini cultus officii; et adhuc graviùs peccat, si adsit contemptus: et inter alios graviùs delinquunt prælati, dissimulantes, parùm quæ Dei sunt curantes, et istos ut choro intersint non compellentes.

Canonici verò aliique choro deputati beneficiarii, etiamsi privatim officium in domo recitent, non satisfaciunt; sed tenentur choro interesse, in Ecclesiâ canendo cum aliis officium dicere, extra tempus absentiæ à concilio Tridentino permissum.

Quæres 6° utrùm canonici aliique beneficiarii etiam absentes possint justè quotidianas distributiones recipere ?

Resp. 1°, quòd nisi legitimis de causis mox referendis, ab isto onere relevetur canonicus, aut alius beneficiarius choro deputatus, si sit absens à choro, distributiones percipere nequit, sed illis privatur ante quamcumque judicis sententiam; eò quòd distributiones ex constitutione Bonifacii papæ VIII, renovatâ et confirmatâ à concilio Tridentino, sess. 24, de Reformat., cap. 12, et ex usu communiter recepto ac approbato; titulo præsentiæ et assistentiæ officii divini in choro præbendariis debeantur et assignentur; ideòque absentes illarum dominium non acquirunt, etiam in illis tribus mensibus, quibus unoquoque anno juxta facultatem à Tridentino concessam à propriâ ecclesiâ abesse possunt. Et tales distributiones quibus privantur, iis duntaxat accrescunt, qui choro verè actu et de facto intersunt eo tempore quo alii absentes existunt, non autem eis etiam qui fictione juris censentur adesse, quatenùs scilicet ex legitimâ causâ absunt: istis siquidem jura tantùm concedunt, distributiones proprias quæ ipsis obventuræ erant, si adfuissent, seu distributiones ordinarias et communes præsentibus applicatas. Absentes igitur à choro sine causâ, concilium ita privat distributionibus, ut annullaverit omnem circa hæc collusionem, remissionem et condonationem illarum ab assistentibus factam, sicque etiam spontè ab illis datas restituere tenentur, non quidem condonantibus, sed propriæ ecclesiæ.

Respond. 2°, varias esse causas sufficientes ad hoc ut beneficiarius absens à choro, solitas distributiones lucretur. Tres assignat Bonifacius papa VIII, cap. unico de Clericis non residentib. in 6, nempè infirmitatem gravem, rationabilem corporis necessitatem, et evidentem Ecclesiæ utilitatem. Infirmitas, etiam propriâ contracta culpâ canonici, eum excusat, non solùm si fuerit in se gravis, sed etiam quæ judicio medici aut prudentis viri ingravesceret ex accessu ad chorum. Porrò infirmitas debet esse causa absentiæ; qui enim etiam sanus non solet interesse, nec choro adesset ex hypothesi, quòd non ægrotaret, distributiones recipere nequit. Idem dicendum de rationabili et justâ corporis necessitate, quamdiù durat, ut si ex assistentiâ immineat grave damnum modò per canonicum non stet quin istud impedimentum tollatur. Vide circa istas causas ea quæ in fine 2 tomi de Justitiâ dicta sunt à nobis.

Resp. 3° : Qui ultra tempus à concilio permissum, notabiliter et frequenter absunt à choro, mortaliter peccant, etiamsi in amissionem distributionum consentiant, nec de illis curent, tùm quia ad munus canonici spectat publica horarum in choro decantatio : sicut ergo clericus in sacris privatim omittens officii recitationem, graviter peccat, ita et canonicus ultra illud tempus choro non assistens, cùm non verè officium persolvat eo modo quo persolvere sub gravi præcepto obligatur; tùm quia residentia in loco beneficii, non præscribitur nisi propter assistentiam in choro, quid enim refert quòd canonicus sit præsens aut absens, si non intersit divinis officiis? Unde cap. *Clericus*, dist. 91, et cap. *Si quis presbyter*, dist. 92, deponi jubetur : hæc autem gravis pœna præsupponit gravem culpam.

Quæres 7°, an oratio debeat necessariò esse attenta? Et quidem sermo est præcipuè de oratione vocali. Nam purè mentalis videtur non posse subsistere absque mentis consideratione et applicatione : secùs autem vocalis; sæpè enim contingit orantem non attendere, et tamen loqui. Differt autem attentio ab intentione, quòd illa est actus intellectûs, seu mentis applicatio et advertentia ad verba aut materiam et finem orationis : hæc verò est actus voluntatis, nempè affectus et propositum Deum orandi, laudandi, aut petendi aliquid ab eo.

Certum est inprimis requiri hanc intentionem ad orationem non solùm quoad modum, seu ad hoc ut legitimè et non vitiosè fiat, sed etiam quoad substantiam, ad hoc scilicet ut verè sit oratio, non enim sufficit verba exteriùs proferre, sed debent assumi animo et proposito Deum deprecandi; sic dormiens aut amens aut infans similia verba dicentes, non orant : item nec qui studii vel recreationis causâ illa legit aut cantat. Tota ergo difficultas procedit de attentione. Certum est insuper quòd requiritur aliqualis attentio ad hoc ut sit vera oratio, ut docet D. Thomas in 4 sent., dist. 15, et hîc art. 13, ubi distinguit duplex necessarium, uno modo per quod meliùs pervenitur ad finem; et sic attentio est absolutè necessaria orationi. Alio modo sine quo res non potest consequi suum effectum. Effectus autem orationis est triplex, nempè *mereri*, *impetrare*, *et spiritualiter reficere animam*. Ut oratio sit meritoria et impetratoria, debet quidem esse attenta, sed attentâ nostrâ fragilitate, non continuè et per totum, sed sufficit prima intentio, quâ quis ad orandum accedit : requiritur tamen illa attentio, ut oratio spiritualiter mentem reficiat et satiet.

Porrò triplex attentio orationi adhiberi potest, nempe ad verba, ne aliquis in eis erret, ne dicat unum verbum pro alio, ne confundat aut colligat verba, sed ut distinctè et reverenter dicat. Secundò ad sensum verborum, ut scilicet mente percipiat et applicet affectum ad id quod verbis significatur. Tertiò tandem ad finem orationis, scilicet vel ad Deum et Jesum Christum crucifixum, vel ad rem petitam, puta castitatem, humilitatem, gratiam, patriam cœlestem aliaque hujusmodi; et hæ attentiones secundâ exceptâ, communes ac perviæ sunt doctis ac indoctis, maribus et mulieribus, nisi quòd in primâ, ignorantes possunt materialiter errare, sed non refert ad propositum : sat enim est, quòd quis attendat ne erret; postrema autem est maximè necessaria, eamque simplices et idiotæ personæ usurpare possunt et debent. Una tamen istarum attentionum sufficit ad orationem.

Tandem observandum est intentionem et attentionem esse duplicem : prima est actualis et formalis; et consistet in actu quo quis proponit expressè ac in-

tendit orare, et actualiter habet mentem attentam applicatamque orationi, vel explicitè sub ratione orationis, vel implicitè, ut si assumat breviarium ad more solito dicendum officium, vel intendat satisfacere suis obligationibus, vel aliquid faciat ad hunc actum moralem cultûs divini hîc et nunc determinatum, ut si horâ et loco solitis induat sacras vestes ad sacrum faciendum determinatas. Secunda intentio et attentio est virtualis, nempè quæ in vi, et virtute præcedentis actûs, seu primæ intentionis et attentionis, relinquitur et remanet. Sicut, v. g., dùm aliquis lapidem projicit, motio projicientis est actu dùm manu lapidem vibrat : manet verò virtualiter in lapide, dùm tendit ad scopum.

Iis suppositis, difficultas non est de intentione et attentione actuali et formali, optandum quidem esset, ut omnes orantes eam haberent. Verùm non est absolutè necessaria; quia, ut ait D. Thomas hic ad 2, mens humana propter infirmitatem naturæ diù in alto stare non potest : pondere enim infirmitatis humanæ deprimitur ad inferiora, et evagatur.

Respondeo igitur, necessariò requiri et sufficere attentionem virtualem. Ita D. Thomas loco citato. Et in 4 sent., dist. 15, q. 4, art. 2, q. 4 et 5, ubi duplici exemplo convincit intentionem virtualem sufficere. Primum est viatoris, quem semper actu cogitare de suæ peregrinationis termino, non oportet. Secundum est illius qui elargitur eleemosynam; non enim necesse est ut semper actu et continuò cogitet de Deo, pro cujus amore dat pauperi; sed sufficit id semel, seu in principio intendisse, cogitâsse, et non retractâsse : eleemosyna quippe est meritoria in virtute primæ intentionis adhuc perseverantis. Sic quamdiù in oratione non retractatur primum propositum vacandi Deo, et ex infirmitate naturæ mens orantis involuntariè vagatur, ac inadvertenter distrahitur; tunc non est peccatum; si ex negligentiâ quâdam advertendi, aut non expellendi evagationes mens distrahatur, dummodò non destruat omninò propositum attendendi, sitque solùm venialis hæc negligentia, tunc erit peccatum veniale. Si tandem mens orantis voluntariè et ex proposito distrahatur, divertendo ad alia, aut se occupando in aliquo opere cum attentione incompatibili, ut pingendo, legendo, etc., tunc mortale esse peccatum ex genere suo etiam in oratione spontaneâ, et non obligatoriâ, sentit Cajetanus in Summâ, v. *Oratio*, idque propter irreverentiam insertam. Quamvis enim quis non teneatur orare, si tamen oret, tenetur attendere. Oportet enim supererogationis bonum benè agere, aut saltem non malè : constat autem, talem irreverenter loqui Deo, et irreverentiam esse peccatum, sicque facit contra præceptum de non irreverenter colendo Deum : sicut qui ex proposito facie distortâ, gestu incomposito, indecenter ad alia aut ad alios occupatus regem deprecaretur, ipsum graviter offenderet, etiamsi locutio non esset necessaria, sed spontanea. Quidam, ex his et ex aliis quæ Cajetanus scripsit in commentario hujus art. 13, colligunt eum talem voluntariam in oratione etiam spontaneâ distractionem de peccato mortali damnâsse. Communiter tamen auctores docent esse grave veniale peccatum.

In oratione tamen præceptâ distractiones voluntarias notabiles, docent esse peccatum mortale; seu ad satisfaciendum præcepto recitandi horas canonicas, intentionem et attentionem saltem virtualem esse omninò necessariam ac obligare sub mortali; et colligitur ex cap. *Dolentes*, de Celeb. Missarum. Ubi concilium Lateran. præcipit modum recitandi officium, nempe *ut studiosè pariter et devotè recitetur*. Studiosè, quantùm ad compositionem et recitationem exteriorem; ac devotè, quantùm ad intentionem et attentionem interiorem; devotio enim est actus internus religionis. Adde quòd præceptum Ecclesiæ de recitando officio, est de actu humano, imò et religioso, Deo honorifico, fidelibus atque ipsi precanti fructuoso, nempe de verâ bonâ et Deo gratâ oratione. Atqui illa officii recitatio cum voluntariâ distractione, et sine attentione saltem virtuali internâ, non est verum cum Deo colloquium, nec ipsi gratum, neque illam audit, neque est vera oratio, ut testatur D. Gregorius hîc à D. Thomâ relatus. Vide S. doctorem in eo loco Sententiarum. Et, 2-2, q. 83, art. 13.

Dices Ecclesiam non posse de interioribus judicare. Ergo, sicut defectum intentionis et attentionis internæ punire nequit, ita neque illam præcipere. — Resp. Ecclesiam non judicare quidem de actibus interioribus secundùm se præcisè et nudè sumptis, seu non ferre sententiam in particulari, propter solum defectum actûs interioris quem præcipit, eò quòd per testes probari nequeat; attamen actus interni ratione exteriorum cum quibus connectuntur, et ad quos dicunt ordinem, non subterfugiunt Ecclesiæ judicium. Potest enim Ecclesiâ ferre sententiam in communi contra illos, qui omiserint actum interiorem relatum ad exteriorem quem præcipit. Sic in Clement. de Hæret., cap. *Multarum*, lata est excomunicatio contra inquisitores, qui vel ex odio inquirunt, vel ex amore omittunt inquirere adversùs hæreticos. Quamvis igitur Ecclesia actus merè internos directè et per se primò non præcipiat, tamen, quando sunt rationes actuum exteriorum, et ad ipsorum complementum ordinantur, indirectè illos præcipit, nempe dùm actum virtutis, qui sine interno subsistere nequit, hoc ipso quòd obligat ad illud opus, obligat etiam indirectè ad actum internum, v. g., præcipiendo annuam confessionem, annuam communionem, auditionem Missæ, etc. Præcipit etiam examen conscientiæ et dolorem internum peccatorum et alios actus interiores ad debitè communicandum, ac sacrum audiendum requisitos.

Alexander papa VII damnavit hanc propositionem : *Restitutio à Pio V imposita beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientiâ, ante sententiam declaratoriam judicis, eò quòd sit pœna.*

EXPOSITIO

PRIMI PRÆCEPTI DECALOGI :

Ego sum Dominus Deus tuus, etc. ; *non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, non adorabis ea, neque coles.* (Exod. 20, Deuteron. 5.)

Deus optimus maximus legem hominibus promulgaturus, exorsus est à manifestatione suî ipsius , tum quoad excellentiam naturæ, dicendo, ego *Jehovah*, quod significat ens à se et in se ab æterno existens, independens, omnibus dans esse, et quæ consequuntur adesse, omnia creando ; tum quoad officium , dicendo, *Elohe.* Est enim nomen judicis gubernantis in judicio et justitiâ ; tum quoad largitatem beneficiorum, dicendo : *Qui eduxi te de terrâ Ægypti.* Et his verbis vult Deus impellere homines ad suî cultum , eamque præcipere. Et ex hoc quòd sit summus, nec parem habere possit, consequens est, ut cultus ipsi debitus nulli aiteri tribuatur, ut nullus ei par, aut quasi par, habeatur, solusque adoretur. Unde D. Thomas opusc. 4, dicit, quòd isto primo præcepto prohibemur colere nisi unum Deum. Et Catechismus concilii Trid., parte 3, dicit in supradictis verbis duplex contineri præceptum, quorum alterum jubendi , alterum prohibendi vim habet. Nam quod dicitur : *Non habebis deos alienos coram me*, eam habet sententiam conjunctam : Me verum Deum coles ; alienis diis cultum non adhibebis, prout Christus Dominus explicuit Matth. 4, dicens : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

Primum igitur præceptum est latriæ, id est, cultûs Dei in se ipso, qui non modò Religionis Christianæ, sed etiam juris naturalis caput est ac fundamentum ; et qui in hoc consistit, ut unus Deus credatur et colatur. Verùm, quia cunctis notum est Deum esse, non opus erat istud præceptum affirmativè ponere, sed negativè, puta non esse plures deos, nec cum eo colendos. Multi siquidem fuerunt qui, licet Deum esse crederent, imò verum Deum colere profiterentur, multitudinem tamen deorum venerabantur, ut 3 Regum 17 dicitur de Samaritanis , et 3 Regum 18 Elias exprobrat Judæis, et constat de Romanis. Et quia quidam creaturas pro diis colebant absque institutione imaginum, et alii sub quibusdam imaginibus ; ideò additum fuit opportunè : *Non facies tibi sculptile*, etc. Iste autem honor et cultus qui redditur Deo ut est in seipso, fit et redundat, ex omni re quam possumus illius infinitæ majestati in reverentiam exhibere , offerre, ac in illius obsequium insumere , nempe mentem, mediantibus actibus fidei orationis , etc. ; voluntatem mediantibus actibus spei , charitatis , devotionis, etc., de quibus jam egimus. Item corpus mediantibus actibus inclinationis, genuflexionis, prostrationis, aliisque exterioribus adorationis signis ; denique bona temporalia et primitias frugum, per oblationes, sacrificia, decimas, etc.

Hoc ipso autem quòd isto primo Decalogi præcepto verus Dei cultus præcipitur pertinetque ad religionem, consequenter prohibentur vitia religioni opposita ; tum ea quæ exhibent cultum divinum creaturæ , aut Deo , modo tamen indebito, et comprehenduntur sub nomine superstitionis ; tum ea quæ habent manifestam contrarietatem ad religionem, per contemptum eorum quæ pertinent ad divinum cultum, et continentur sub irreligiositate.

QUÆSTIO UNICA.

QUID ISTO PRIMO MANDATO PRÆCIPIATUR, ET QUID PROHIBEATUR.

Hanc quæstionem dividimus in tres articulos. In primo agitur de adoratione et cultu latriæ soli Deo conveniente. In secundo de superstitione , et variis illius speciebus. In tertio denique de irreligiositate, quæ reperitur in tentatione Dei.

ARTICULUS PRIMUS.

De adoratione et cultu latriæ soli Deo debito ac proprio.

Adoratio præsupponit cognitionem et existimationem infinitæ et increatæ Dei excellentiæ , ex quâ oritur prudens judicium dictans Deum esse summè colendum ; post quod sequitur voluntas ipsum adorandi, et practica recognitio ac voluntaria submissio et subjectio Deo tanquàm rerum omnium auctori , gubernatori , et supremo Domino, in quâ verè consistit et perficitur adoratio , seu cultus latriæ ; ut enim ait D. Thomas in 3 sent., dist. 9 , q. 1 , art. 3, et lib. 3 cont. gent. cap. 120, latria profitetur servitutem quam debemus Deo quia fecit nos, et in quantum est creator, prima origo, et finis nostri esse, supremus Dominus , summum bonum quo beatificamur : sub majestate enim divinâ intelligitur omnis Dei excellentia. Et quia ex duplici naturâ compositi sumus, intellectuali scilicet et sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quæ consistit in interiori subjectione ac mentis devotione , et corporalem , quæ consistit in exteriori corporis humiliatione et submissione. Et quia in actibus omnibus latriæ , id quod est exterius , refertur ad id quod est interius sicut ad principalius , ideò ipsa exterior adoratio fit propter interiorem , ut videlicet per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus , excitetur noster affectus, ad se Deo subjiciendum ; connaturale enim nobis est, ut per sensibilia, ad intelligibilia procedamus. Ita D. Thomas, 2-2, q. 84 , art. 2.

Plura solent exteriora adorationis seu subjectionis signa frequentari , primò, genuflexio ; per eam enim infirmitatem nostram indicamus in comparatione ad

Deum ; nam apud omnes nationes genuflectere coram aliquo, semper fuit signum submissionis servitutis ac reverentiæ erga illum. Secundò prostratio ; sic enim quasi profitemur nos nihil esse ex nobis. Tertiò elevatio manuum in cœlum, Psalm. 140 : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, et Psalm. 133 : *In noctibus extollite manus vestras*, etc. Ut etiam Genesis 17, legitur de Moyse. Item 1 ad Timoth. 2. Quartò elevatio oculorum ad cœlum. Sic Christus adoravit Joan. 6. Quintò detectio capitis ; signum quippe est submissionis. Sextò osculum sanctum, sic Esther osculata est apicem sceptri regis Assueri in signum reverentiæ et submissionis ; sic etiam D. Magdalena osculabatur pedes Christi. Tandem tunsio pectoris est animi submissi et venerantis non ignobile indicium.

Adoratio dividi potest in absolutam, quâ scilicet quis vult rem adorare, propter intrinsecam excellentiam, quam habet per se ac ratione sui ; et in respectivam, quâ nimirùm quis vult adorare rem propter aliud, seu propter excellentiam quæ est in aliquâ personâ, ad quam tales res habent aliquam habitudinem vel conjunctionem. Priori modo solùm venerabilis est res intellectualis, quia hæc solùm est per se capax excellentiæ ; posteriori modo res ordinis inferioris sunt adorabiles : honor enim illis exhibitus non est propter eas, nec in ipsis sistit, sed in personas propter quas adorantur, redundat. Adoratio propriè sumpta, seu ut est cultus latriæ jam explicatus, soli Deo convenit et debetur, juxta illud Deuteron. 6, et Matth. 4 : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Et probat D. Thomas, 2-2, q. 81, art. 1, ad 3. Ideòque talem cultum alteri exhibere, vocatur *idololatria.* Christus etiam cultu latriæ adorari debet, ita ut eadem adoratio latriæ ad divinitatem et ad humanitatem illius terminetur, quia cùm humanitas sit substantialiter et hypostaticè verbo unita, et subsistat per divinum suppositum, ratione talis unionis fit, ut eadem latriæ adoratio, quæ terminatur ad personam Verbi, terminetur etiam ad humanitatem tanquàm ad naturam ab ipso assumptam et intrinsecè terminatam : cum hoc tamen discrimine, quòd Verbum per se et ratione propriæ excellentiæ adoratur, humanitas verò per unionem ad illud, seu ratione excellentiæ Verbi coadoratur.

Adoratio largo latoque modo sumpta convenit creaturis rationalibus ; ordinatur quippe ad reverentiam quæ alicui debetur propter ejus excellentiam aut superioritatem ; proindeque ibi est alia ratio debiti et excellentiæ ; ubi potest esse distincta reverentia et adoratio : aliâ autem ratione debetur servitus Deo et homini : sicut et aliâ ratione dominium competit Deo et homini : nam Deus plenarium et principale dominium habet respectu totius et cujuslibet creaturæ, quæ totaliter subjicitur ejus potestati : homo autem participat quamdam similitudinem divini dominii secundùm quòd habet particularem potestatem super aliquam creaturam : et ideò dulia, quæ debitam servitutem exhibet homini dominanti, alia virtus est à latriâ quæ exhibet servitutem divino Domino, et est quædam observantiæ species ; quia per observantiam honoramus quascumque personas dignitate præcellentes : per duliam autem propriè sumptam servi dominos suos venerantur ; dulia enim græcè servitus dicitur. Hæc D. Thomas, 2-2, q. 103, art. 3, in corp. Igitur, cùm creaturæ nequeat competere potentia creandi, ratione cujus debetur Deo latria, ideò neque adoratio propriè seu latria eidem convenire potest, sed solùm dulia, secundùm dominium, quod illi communicatur et habet. Hinc sanctis propter excellentiam gloriæ vel sanctitatis creatæ quâ gaudent, debetur cultus duliæ. Quòd si illa excellentia et sanctitas resideat in aliquâ personâ singulari ratione excellentissimâ, ut in beatissimâ Virgine Mariâ Dei Matre, Dominâ et Reginâ nostrâ, tunc honorari debet cultu medio, nempe infra latriam, et supra duliam, et vocatur à theologis, *hyperdulia.*

Hinc habes quòd secundùm reverentiam, quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adoravit David ; secundùm autem reverentiam quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman. Et sic de cæteris. Quando igitur genuflexi, prostrati, pectus tundentes colimus sanctos, non propterea eos propriè adoramus, nec eis cultum latriæ deferimus, cùm tantùm excellentiam creatam in eis agnoscamus et profiteamur ; sed ea signa in duliæ cultum duntaxat ordinamus ; sicut et qui discooperto capite et genuflexi regem salutant, honorant et alloquuntur, non censentur propterea ipsum adorare, eique latriæ cultum exhibere, eò quòd his intendant eum colere, tanquàm creaturam, et non ut Deum.

Hæc itaque aliaque id generis signa, ex naturâ aut conditione suâ, vel ex usu et consuetudine, non sunt divinæ adorationis argumenta, cùm etiam possint et soleant adhiberi ad honorandos homines, ut constat ex D. August., lib. 10, de Civit., cap. 4, et ex D. Thomâ, 2-2, q. 103, art. 3 et 4. Nisi ergo ex animo procedant, quo quis velit ea referre in cultum soli Deo convenientem, eumque alteri tribuere, non reddunt cultum illum idololatricum. Id autem in mentem Catholicorum nusquàm venit. Sicque insipienter omninò heterodoxi eos idololatriæ reos in cultu sanctorum reputant, cùm non tanquàm deos, sed solùm ut Dei servos et amicos ab ipso factos, creatos, et omninò dependentes, ac per ordinem ad eum, colant et venerentur, et ut apud supremum omnium Dominum intercedant, deprecentur, in quo sanè tanquàm creaturas eos agnoscunt, et profitentur.

Hinc etiam sequitur nullam esse idololatriam sacras imagines Dei, Christi, angelorum et sanctorum colere. Catholici enim eas non colunt secundùm se absolutè et præcisè quatenùs sunt quædam res ex picturis, metallo, lapide, aliâve materiâ effictæ, sed tantùm quatenùs repræsentant prototypum, sub quâ solummodò ratione sunt honore dignæ, ut constat de statuâ aut imagine regis. Nam ex vindictâ quam sumpsit Theodosius imperator adversùs Thessalonicæ populum ob statuam imperatricis injuriis affectam, satis liquet, honorem imaginis in prototypum re-

dundare. Imagines igitur uno eodemque reverentiæ actu et genere coli debent, quo res quas repræsentant, seu eodem motu quo exemplar, ut ostendit D. Thomas 3 p., q. 25, art. 3, 4 et 5. Nam sunt prorsùs idem in esse repræsentativo, et cultus terminatur ad rem in ipsâ imagine repræsentatam : non enim est in imagine aliqua ratio ab exemplari distincta, propter quam colatur, sed eadem prototypi excellentia quatenùs intra ipsam imaginem apprehenditur, et quatenùs ab imagine participatur, est actus, forma, et causa, ratione cujus imago sit in esse venerabilium, et venerationi habeatur, ita ut ambo simul specificent actum venerationis, nempe quòd imago ratione prototypi in ipsâ repræsentati cultum terminet (1).

Nec propter pravum et corruptum quorumdam rudium sensum et usum, aut potiùs abusum sacrarum imaginum, veritas catholica deserenda est, nec bonus illarum usus auferendus, nec universa Ecclesia privanda multis egregiis utilitatibus spiritualibus, quas ex cultu imaginum reportat ; sed instruendus est populus de vero cultu, et corrigendus abusus, ostendendo quòd ita debet orare coram sanctorum imaginibus, ut in ipsis exemplaria repræsentata apprehendat, per se et directè veneretur, ac ultimatè ad ipsa terminetur cultus et oratio, etc. Nec sunt propterea reprehendendi fideles, eò quòd anhelent ad imagines propiùs accedere, aut ad aliquas potiùs quàm ad alias currant et confugiant ; quia hæc bono et rationabili motivo quandoque fieri possunt, nempe vel quia inde sentiunt majorem devotionem excitari, vel commodiùs orant et venerantur sanctum ; vel quia interdùm Deo sic disponente, majora beneficia per aliquam imaginem, seu ad ejus præsentiam conferuntur, vel ob alias honestas causas. Nec id prohibetur his verbis : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, etc. Deus enim non prohibuit absolutè imagines et similitudines : id enim fuisset inhibere artes pingendi, dolandi, sculpendi et faciendi imagines ; cùm tamen Deus jusserit fabricari serpentem æneum, quem respicerent ac venerarentur Hebræi, ut dicitur Numerorum 11. Item constat in tabernaculo fuisse statuas Cherubinorum et similitudines malogranatorum, liliorum, itemque statuas boum, leonum, vasorum, etc., Salomonem laudabiliter in templo reposuisse, 3 Reg. 6 et 7. Unde non dicit Deus : Non facies sculptile, sed : *Non facies sculptile*, seu idolum, ut adores illud, quare addit : *Non adorabis, non curvaberis, non servies eis*. Ut expressè notat D. Thomas 3 p., q. 25, art. 3, ad 1, et statim subdit S. doctor : Et quia, sicut dictum est, idem est motus in imaginem et in rem, eo modo prohibetur adoratio imaginis, quo prohibetur adoratio rei cujus est imago. Unde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum quas gentiles faciebant in venerationem deorum suorum, id est, dæmonum, et ideò præmittitur : *Non habebis deos alienos coram me*. Ipsi autem vero Deo, cùm sit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni. Sed quia in novo Testamento Deus factus est homo, potest in sui imagine corporali adorari. Hactenùs D. Thomas. Quamvis igitur non possit depingi formalis imago Dei cum ad vivum exprimens, approbantur tamen ab Ecclesiâ imagines Dei metaphoricæ, seu quæ hominibus rudioribus aliquas Dei proprietates quoquo modo repræsentant. Unde Pater æternus, quia vocatur Antiquus dierum, per modum senis depingi solet ; et Spiritus sanctus sub columbæ figurâ, quia in specie illius supra Christum apparuit. Item angeli tanquàm alati juvenes repræsentantur, quia nunquàm senescunt, et mandata divina celerrimè exequuntur ; in vestibus albis pinguntur, tum ad denotandam eorum puritatem, tum quia ut juvenes sic induti aliquando corporali specie apparuerunt. Item sanctorum imagines exponuntur ad repræsentandam ipsorum sanctitatem, et sunt tanquàm libri quibus idiotæ seipsos de rebus divinis instruere possunt, eorumque memoriam refricare : valent enim plurimùm sacræ imagines ad devotionem, ad venerationem Dei, et amorem excitandum, nec non ad imitationem sanctorum, ad virtutes aliasque utilitates comparandas. Unde sempiterna fuit traditio in Ecclesiâ de colendis sacris imaginibus, ut ostendunt D. Thomas 3 p., q. 25, art. 3, ad 4 ; Tertullianus in lib. de Pudicitiâ ; Eusebius, lib. 1 Hist., cap. ultim., et lib. 8, cap. 14 ; D. August., lib. 1 de Consensu Evangelist. cap. 10, et lib. 2 contra Faustum cap. 73 ; D. Basilius Oratione in S. Barlaam ; D. Hieron. contra Vigilantium ; D. Damascenus, lib. 3 et 4 de Fide orthodoxâ ; Cyrillus, lib. 6 contra Jul. ; Lactantius Carm. de Passione Domini ; Gregorius Nyssenus. Orat. in Theod. ; Baronius ad annum 57, num. 116 ; conc. Trid., sess. 25, cap. 2. Porrò, cùm motus in imaginem quatenùs est imago, sit unus et idem cum illo qui est in rem, sequitur quòd cùm Deus sit adorandus latriæ adoratione, ita et ejus imagines. Idemque dicendum de Christi imaginibus, de sindone, de cruce, lanceâ, clavis, ut probat D. Thomas 3 p., q. 25, art. 4, ubi dicit hanc esse differentiam inter crucem veram in quâ Christus crucifixus est, et alias cruces in similitudinem illius fabricatas, quòd istæ tantùm adorantur tanquàm imagines Jesum Christum crucifixum repræsentantes : hæc verò adoratur non solùm quia repræsentat nobis figuram Christi in eâ extensi, sed etiam quia ex sacro ipsius contactu, et ex hoc quòd ejus pretioso sanguine perfusa est, sanctificata et consecrata fuit. Idemque dicendum de lanceâ, clavis, indumentis, etc., cum hâc tamen differentiâ, quòd crucem Christi veneramur in quâcumque materiâ, non autem imaginem clavorum, vel quorumcumque hujusmodi, eò quòd ista non repræsentent imaginem Christi, sicut crux, quæ dicitur signum Filii hominis quod apparebit in cœlo. Ideòque mulieribus dixit Angelus : *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum*, non dixit, lanceatum, sed, *crucifixum*. D. Thomas ibidem art. 2, ad 1 : Si quis humanitatem Christi præscinderet mente ab unione ad Verbum, et seorsùm ab ejus divinitate coleret, tunc non posset eam adorare cultu latriæ, quia est creatura, et de se inadorabilis, sed tantùm cultu

(1) Vid. Appendicem de cultu sanctorum et de veneratione SS reliquiarum.

hyperduliæ. Hoc etiam cultu venerandæ sunt imagines B Virginis, et cultu duliæ imagines sanctorum. Vide Trident. sess. 25, c. 12.

Idem dicendum de reliquiis sanctorum, ut probat D. Thomas ibidem art. 6, eò quòd viva Christi membra, et Spiritûs sancti in eis inhabitantis templa fuerint eorum corpora. Corpus insensibile non veneramur propter seipsum, sed propter animam, quæ fuit ei unita, quæ nunc fruitur Deo, et propter Deum, cujus sancti fuerunt ministri, et ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat, in earum præsentiâ miracula faciendo, cujus testes locupletes sunt D. Ambrosius et D. Augustinus, qui ea se vidisse litteris prodiderunt, Ambrosius Epist. 85, et serm. 95, August. lib. 22 de Civit. cap. 8, et Epist. 137, et constat de cadavere in sepulcrum Elizæi illato, quod ejus corporis tactu subitò revixit, 4 Regum 13. Vide Tridentinum sess. 25, cap. 2.

Ut autem tibi licita sit reliquiarum veneratio, debes moraliter esse certus de earum veritate, ita scilicet, ut ad cultum privatum ipsis exhibendum, sufficiat, si aliquis vir probus eas ut tales tibi tradiderit. Ut autem publicè honorari valeant, necesse est priùs eas esse à pontifice recognitas, et ab episcopo approbatas, qui circa reliquias debet observare ea quæ tradit concilium Trident. loco citato.

Cereis formis, quas agnus Dei vocamus, sacer cultus debetur, sicut et aliis rebus sacris Deum repræsentantibus. De his omnibus vide Sanchem, cap. 43 in primum decalogi præceptum, et auctores qui de controversiis scripserunt. Nostrum enim officium est casus conscientiæ fidelibus exponere, et non de rebus fidei cum hæreticis disputare.

Unum tantùm est notandum, nempè quòd soli Deo sacrificium est offerendum, ut probat D. Thomas 2-2, q. 85, art. 2, in corp., et art. 3, refert hæc Augustini verba lib. 8 de Civit. cap. ultim : Non constituimus martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Unde sacerdos non dicit : *Offero tibi sacrificium, Petre*, vel, *Paule*, sed Deo de illorum victoriis gratias agimus, et nos ad imitationem eorum exhortamur. Igitur templa et altaria in honorem sanctorum eriguntur, non ut ipsis sanctis in illis sacrificium offeratur, sed ut Deo in eorum memoriam et honorem sacrificetur.

Votum pariter, cùm sit actus religionis, Deo tantùm fieri et promitti potest, et non sanctis, saltem directè. Quare dùm quis, v. g., dicitur peregrinationem Compostellanam vovisse S. Jacobo, sensus est eum vovisse Deo in honorem D. Jacobi, se ejusmodi peregrinationem suscepturum; talisque debet esse intentio voventis, qui proinde hâc de re est instruendus.

Articulus II.

Quid sit superstitio, et quænam illius species?

D. Thomas 2-2, q. 92, art. 1, definit superstitionem : *Vitium religioni oppositum, secundùm excessum.* Quid autem sit ille excessus, statim explicat D. Thomas, dicens : *Non quia plus exhibeat in cultum divinum, quàm vera religio, sed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel è modo quo non debet.* Sicque superstitio est vitium religioni oppositum duobus istis modis. Indeque diversificantur superstitionis species ex parte objecti, inquit D. Thomas ibid. art. 2. Nam potest divinus cultus exhiberi, vel cui exhibendus est, scilicet Deo vero, modo tamen indebito, et hæc est prima superstitionis species; vel ei cui non debet exhiberi, scilicet cuicumque creaturæ; et hoc est aliud superstitionis genus; quod in varias species subdividitur, secundùm diversos fines divini cultûs. Ordinatur enim primò divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam. Et secundùm hoc prima species hujus generis est idololatria, quæ divinam reverentiam indebitè exhibet creaturæ. Secundò ordinatur ad hoc quòd homo instruatur à Deo, quem colit; et ad hoc pertinet superstitio divinativa, quæ dæmones consulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita, vel expressa.

Tertiò ordinatur divinus cultus ad quamdam directionem humanorum actuum, secundùm instituta Dei qui colitur, et ad hoc pertinet superstitio quarumdam observationum. Addunt aliqui magiam et maleficium, de quibus omnibus sigillatim in sequentibus paragraphis agendum est.

§ 1. *De superstitione indebiti cultûs veri Dei.*

Cultus vero Deo duobus modis indebitè offerri potest, ut tradit D. Thomas 2-2, q. 93, primò quia exhibetur ei cultus falsus ac proinde perniciosus, aut secundò quia Deo exhibetur cultus superfluus, etsi fortè alioqui verus. Scriptum est enim Joann. 4 : *Veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate.* Cultus perniciosus, est contra veritatem ; cultus verò superfluus non adhibetur in spiritu, sed ab eo recedit.

Dupliciter autem contingere potest, quòd cultus exterior Deo vero oblatus sit falsus, seu quòd per talem cultum significetur aliquid falsum subindeque perniciosum, juxta D. Thomam q. 93, art. 1. Uno quidem modo ex parte rei significatæ, à quâ discordat significatio cultûs, ut nunc tempore novæ legis, uti cæremoniis antiquæ legis quibus Christi mysteria præfigurabantur futura ; quia id perinde esset ac significare et confiteri Christum nondùm incarnatum nec passum esse, quod est falsum ac perniciosum. Alio modo ex parte colentis ; et hoc *præcipuè* in cultu communi, qui per ministros exhibetur, in personâ totius Ecclesiæ : sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum divinâ auctoritate ab Ecclesiâ constitutum et in Ecclesiâ consuetum. Hæc D. Thomas. Ubi S. doctor per τὸ *præcipuè* hoc etiam posse habere locum in cultu singulari, puta in jejunio vel oratione singulari non impositâ ab Ecclesiâ, satis indicat.

Igitur si quis cultu exteriori, singulari, et adhuc magis communi contra fidei veritatem Deum honoret, lethaliter peccat. Nam, ut ait D. Thomas, *mendacium maximè perniciosum est, quod fit in his quæ ad christianam religionem pertinent.* Est autem mendacium,

cùm aliquis exteriùs significat contrarium veritati. sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto, et in tali significatione facti consistit exterior religionis cultus; ideòque, si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus; quia perniciosa est hujusmodi falsitas, esto quòd non sit perniciosum mendacium ex parte colentis, v. g., Judæi, qui non intendit fallere. Adde quòd potest dici mendacium perniciosum ex parte actûs exterioris, ut mox explicabitur; neque Judæorum ignorantia excusat tale crimen, sicut nec eorumdem infidelitatem. *Hinc cultus falsus et perniciosus esset*, inquit Cajetanus in Summâ, *non solùm si quis judaicis cæremoniis modò coleret Deum, aut mahometano ritu, sed etiam si aliquis falsas sanctorum reliquias colendas proponat. Offerentes quoque votivas statuas, seu imagines miraculorum, seu beneficiorum falsorum, lucri gratiâ, ut scilicet inde provocati alii ad offerendum similia concurrant aut emant, superstitionem falsi cultûs divini incurrunt, quia falsus est hic cultus, utpote significans quod non est, et peccant mortaliter quia irreverentiam notabilem Deo inferunt in actu ipsum colendi, quantùm est ex naturâ actûs : quamvis enim ex intentione offerentium non fiat machinatio contra divinam reverentiam, sed ad lucrum, vel aliquid hujusmodi, ex naturâ tamen operis contra divinam agitur reverentiam. Sicut enim in perjurio inducitur ex naturâ actûs Deus quasi testis falsitatis, quamvis perjurans non creda Deum testificari falsum, nec intendat quòd attestetur, quia attestaretur contra ipsum perjurium, ita hic superstitiosus utitur Deo, tanquàm colendo falsitate seu falso cultu quantùm est ex naturâ cultûs, quamvis sciat, quòd Deo non placet, nec intendat Deum, sed homines fallere, et propterea, sicut ibi in perjurio est peccatum mortale ex genere suo, ita et hìc in nostro casu.* Hucusque Cajetanus.

Et super articulum primum hujus quæst. 93, ait idem Cajetanus, *quòd ad falsitatem communis cultûs ex parte colentis, non solùm spectat, si sacramenta contra Ecclesiæ ritum celebrantur, prout habetur causâ* 26, *q.* 5, *can.* Quicumque, *sed etiam reducitur, si miracula falsa quis prædicet, aut docendo scribat : prædicatores namque et doctores in personâ Ecclesiæ dicere et prædicare constat. Nec excusantur quâcumque piâ intentione à pernicioso cultu, quia quantùm in se est, fidem Christi evacuant veritate.* Hæc Cajetanus. Idem fortassè dici potest de confessariis, qui ad terrorem pœnitentibus incutiendum, fingunt se vidisse infernum apertum et diabolos eorum animam illùc detrudentes, etc. Deus enim non eget nostro mendacio. D. Thomas, q. 93, art. 2, explicans quid sit superfluus cultus ait, quòd *aliquid dicitur superfluum dupliciter, uno modo secundùm absolutam quantitatem : et sic nequit esse aliquid superfluum in divino cultu, quia nihil potest facere, quod non sit minus eo quod debet. Alio modo potest esse aliquid superfluum secundùm quantitatem proportionis, quia scilicet non est fini proportionatum : finis autem divini cultûs est, ut homo Deo det gloriam, et ei se subjiciat mente et corpore; et ideò quidquid homo facit quod pertinet ad Dei gloriam, et ad hoc quòd mens hominis Deo subjiciatur, et etiam corpus per moderatam refrenationem concupiscentiarum, secundùm Dei et Ecclesiæ ordinationem et consuetudinem eorum quibus homo convivit, non est superfluum in divino cultu. Si autem aliquid sit quod tantùm est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quòd mens hominis feratur in Deum, aut quòd carnis concupiscentiæ inordinatæ refrenentur, aut si sit præter Dei aut Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem, quæ secundùm August. pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum et superstitiosum, quia in exterioribus solùm consistens, ad interiorem Dei cultum non pertinet. Unde Augustinus adducit id quod dicitur Lucæ* 17 : Regnum Dei intra vos est, *nempe quod loquitur contra superstitiosos, qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt.* Hactenùs D. Thomas cujus verba pro regulâ sunt habenda, ad dignoscendum quandonam superfluitas in cultu divino reperiatur; nam ex iis Cajetanus rectè colligit cultum superfluum in exterioribus solùm consistere, nec ad interiorem Dei cultum aut spiritum pertinere, nec ordinari. Et quia ad interiorem Dei cultum, qui est cultus spiritûs, non rectè ordinatur quòd præter Ecclesiæ institutionem aut consuetudinem sit, ideò dato quòd aliquis præter Ecclesiæ morem, ad interiorem devotionem intenderet nova ordinare, superstitionis vitio non caret et exteriùs tantùm colit; nam interiùs peccat, ab Ecclesiæ regulâ devians, ut si dicat bis *Alleluia* ubi semel scriptum est, si fiat in Missâ signum crucis, ubi fieri non mandatur, item genuflectere pluries quàm præcipitur, aut recitare *Gloria* vel *Credo*, quando dicenda non sunt, addere alios sanctos, qui non sunt in Canone Missæ, etc.

Quale autem committatur peccatum in his superfluitatibus, D. Thomas non exprimit. Est tamen communiter veniale, dummodò scandalum, vel contemptus ecclesiasticæ disciplinæ aut interioris cultûs absit : tunc enim foret ibi perfecta superstitionis ratio. Quod idem videtur dicendum quoties fit aliquid supra aut extra rubricas animo inducendi novum ritum in cultu divino contra Ecclesiæ receptam consuetudinem aut præceptum graviter obligans, ut si absque aliquâ ex vestibus sacris quis Missam celebrare, aut aliam vestem adhibere vellet. Extra verò hos casus non videtur esse nisi veniale; et quidem non leve reputandum; quia infra superstitionis latitudinem continetur, quæ divino opponitur cultui; omne autem peccatum, in his quæ Dei sunt, magnum esse constat. Quòd autem sit veniale, tantùm inde colligunt auctores, quòd cùm talis cultus ex se sit bonus, tantùmque modo indebito reddatur, deficit à perfectâ ratione superstitionis; ideòque non est inordinatus nisi secundùm quid, præsertim quia plerùmque ex pio affectu proficiscitur, qui deformitatem mortalem auferrè censetur, nisi tanta foret cæremoniarum perturbatio, ut bonorum et sapientum judicio, ad grave peccatum pertingeret.

Ad cultum superstitiosum quidam reducunt morem illorum sacerdotum, qui absque speciali privilegio in Natali Domini statim post mediam noctem celebrant tres Missas privatas, eò quòd faciant contra jus cano

nicum graviter obligans. Verùm, cùm passim ubique contraria consuetudo sit recepta et ab episcopis tolerata, non videtur in hâc re injiciendus scrupulus peccati. Missas tamen solemnes horis tantùm statutis eâ die celebrare decet, quamvis damnare nollem morem assuetum in aliquibus parvis conventibus celebrandi mediâ nocte Missam majorem cum cantu, statimque duas alias Missas submissè, quas audit communitas; eò quòd religiosi illâ die occupati deinde concionibus et confessionibus excipiendis, vix possent interesse choro ad statutis horis illas decantandas cùm non tot suppetant: hæc enim ratio juncta consuetudini receptæ, id excusare potest, non contradicentibus prælatis.

Ritus omnes qui superstitionem redolent et ab Ecclesiâ probati non sunt, quamprimùm innotescunt superioribus et confessariis, reprobari ac tolli debent, si fieri potest, quales sunt non paucæ rudium consuetudines Deo, v. g., tot candelas, talis coloris offerre pro rerum suarum conservatione vel augmento. Vel saltem instruendi sunt, ne ponant suam spem in illo certo numero aut colore, quasi alius numerus aut color Deo vel sancto gratus non sit futurus, et felix eventus omninò ab illis circumstantiis dependeat; tunc enim id foret prorsùs illicitum ac superstitiosum: sed tantùm id faciant ad devotionem excitandam, velintque in honorem alicujus mysterii vel sancti recitare tot orationes, ac offerre tot candelas, v. g., tres in honorem sanctissimæ Trinitatis, aut quindecim ad colendum quindecim Rosarii mysteria. Et sic de cæteris, ita ut iste numerus reputetur tali cultui conveniens, et approbatus, et non aliter.

Quæres primò an in cantu ecclesiastico, tum voce tum organo, possit esse cultus superstitiosus et peccaminosus? — Resp. D. Thomam, 2-2, q. 91, probare Deum ore esse laudandum, et in divinis laudibus utiliter cantum assumi, additque D. Hieronymum ad Ephes. 5, non simpliciter vituperare cantum, sed solùm reprehendere eos qui in Ecclesiâ cantant more theatrico, non propter devotionem excitandam, sed propter ostentationem, vel delectationem provocandam. Unde D. August., lib. 10 Confess., cap. 33, dicit: *Cùm mihi accidit, ut me ampliùs cantus, quàm res quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem.* Ubi Cajetanus ait, à duobus cavendum est, scilicet ne ideò cantetur quasi ipse cantus secundùm se sit gratior Deo, et ne cantetur causâ delectationis nostræ vel alienæ in ecclesiasticis officiis, sed propter finem cantûs, qui consistit in excitatione propriæ vel alienæ devotionis ad Deum. Hinc fit quòd in ecclesiasticis officiis debet tantùm cantari, quantùm expedit excitandæ devotioni cantantium, si alienæ devotionis ratio cessat, et non plus.

Subdit autem Cajetanus tum hîc, tùm in Summâ, v. *Organum*, quòd licet organorum usus jam sit licitus in Ecclesiâ, causâ excitandæ devotionis, illicitus tamen est, causâ delectationis, eâdem ratione, quâ cantus. Nulloque modo licitum est inter divina id eis pulsare profanos et seculares cantus, aut quod pejus est, turpes et amatorias cantilenas, quia sonus organorum appositus est divinis officiis, ut pars ecclesiasticæ solemnitatis. Inserere autem tanquàm partem solemnitatis divinis officiis profana et turpia, nihil aliud est, quàm conjungere Christum cum Belial, lucem cum tenebris. Unde talis admixtio per se loquendo crimen est superstitionis sacrilegæ, et peccatum mortale, contraria tam fini divini cultûs, ut scilicet excitetur devotio, quàm veritati Ecclesiæ, contra cujus ordinationem loco antiphonarum et divinæ laudis offeruntur ex ipsius Ecclesiæ personâ, profana hæc à falsariis ministris.

Nec excusantur ex eo quòd sonus abstrahit ab omni materiâ, et quælibet melodia soni potest ad sacra verba applicari. Tum quia secundùm rei veritatem isti soni fiunt ut accommodati ad delectationem auditorum, qui non noverunt illos nisi ut sonos illorum verborum profanorum aut turpium; in cujus signum audientes ex illo sono excitantur ad illa profana seu turpia, prout experientia testatur: tum quia cantus etiam abstrahit ab omni materiâ; et tamen Ecclesia interdixit profanos cantus in templo, ut cantus theatrales, can. *Cantantes*, dist. 92; illi itaque cantus sunt mortale peccatum, quando inseruntur ut pars cultûs et officii divini, vel ratione scandali, vel si essent turpes, lascivi, provocantes ad malum.

Quæres 2° an die Dominicâ observare jejunium, sit quid superstitiosum et peccaminosum? — Resp. cum D. Thomâ in 4, dist. 15, q. 3, art. 3, q. 2, in corp. et ad 1, item, 2-2, q. 147, art. 5, ad 3, quòd *jejunia, quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur, sunt magis jejunia afflictionis, quæ non conveniunt in diebus lætitiæ. Propter quod non est jejunium ab Ecclesiâ institutum toto tempore paschali, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus si quis jejunaret contra consuetudinem populi christiani, quæ, ut Augustinus ait pro lege habenda est, vel etiam ex aliquo errore, sicut Manichæi jejunant, arbitrantes quasi necessarium tale jejunium, non esset immunis à peccato, quamvis ipsum jejunium secundùm se consideratum, omni tempore sit laudabile, juxta illud Hieronymi ad Lucinium: « Utinam omni tempore jejunare possemus! »* Hæc D. Thomas. Jejunium in die Dominicâ interdicitur can. *Si quis tanquàm*, can. *Si quis presbyter*, dist. 30, et can. *Sacerdos*, 26, q. 6, et can. *Ne quis jejunet*, dist. 3, de Consecrat., idque colligitur ex antiquo et communi Ecclesiæ usu excipientis dies Dominicos à jejunio quadragesimali, et quamcumque vigiliam in diem Dominicam incidentem, transferentis quoad jejunium, in sabbatum præcedens. Jus autem dicitur tale jejunium interdixisse contra hæresim Manichæorum volentium esse necessariò in contemptum resurrectionis Christi assumendum. Unde, si quis nunc jejunare vellet cum aliorum scandalo aut singularitatis studio, quasi oppositam Ecclesiæ consuetudinem improbando, aut Manichæis ex errore se conformando, procul dubio peccaret, et superstitiosus foret. Quia tamen jam error iste Manichæorum cessavit, non videtur prorsùs illicitum jejunare die Dominicâ ob bonum aliquem finem, ut ob corporis sanitatem, ob retundendam carnis petulantiam, ob profe-

ctum spiritualem, etc.; ita Sylvester, v. *Jejunium*, num. 6; Navarr., cap. 21, num. 27; Medina C. de Jejunio; Ledesma 1 p., q. 17, art. 4; Valentia, disp. 9, q. 2, punct. 4, dub. 2, tom. 3; Sanchez in 1 Decalog. præceptum, lib. 2, cap. 37, num. 12, secluso scandalo et singularitatis studio, etc., tale jejunium videtur licitum : nollem tamen frequenter ab aliquo usurpari, quia est contra communem Ecclesiæ usum. Hinc votum jejunandi ordinariè et singulis diebus Dominicis, est irritum, nec debet in alium diem transferri, cùm sit de re illicità : secùs videtur dicendum de voto jejunandi uno aut altero die Dominico, ob specialem devotionem, et bonum aliquem finem.

An autem si quis voverit per totum annum jejunare in die in quâ inciderit aliquod festum, teneatur servare illud jejunium, quando festum illud, v. g., Annuntiationis B. Virginis incidit in diem Dominicam, vel possit in sabbatum præcedens transferre, respondet Sylvester V, v. *Votum*, q. 2, num. 16, quòd si fuerit jejunium luctûs et afflictionis, nempe assumptum ad satisfaciendum pro delictis, ad futura peccata cavenda et ad domandam carnem, iste debet jejunare, sabbato præcedenti juxta morem Ecclesiæ. Si verò fuerit jejunium exultationis, assumptum ut mens sit aptior ad contemplationem divinorum, tunc iste vovens debet ipsâ die Dominicâ jejunare, quia est votum virtuosum et ligans, dist. 76, can. *Utinam*. Existimo tamen cæteris paribus melius esse se conformare consuetudini universalis Ecclesiæ, illudque jejunium in sabbatum præcedens transferre, adhibito ad cautelam assensu superioris aut confessarii; exceptis tamen sabbatis in quibus iste vovens alio præcepto jejunare tenetur. Item si quis vovit jejunare in vigiliâ alicujus sancti, v. g., B. Mariæ Magdalenæ, et illud incidat in feriam secundam, debet jejunare sabbato præcedenti, quia jejunium istud interpretandum est instar eorum quæ Ecclesia instituit in vigiliis sanctorum. Tandem qui promisit jejunare per mensem integrum, non tenetur jejunare diebus Dominicis, quia jejunium istud intelligitur ad modum aliorum jejuniorum ab Ecclesiâ indictorum, nisi vovens expressè intenderit ac voluerit etiam se ad illos obligare.

§ 2. *De superstitione cultûs divini creaturæ exhibiti, seu de idololatriâ.*

Idololatria communiter et impropriè sumpta, convenit cuicumque peccato mortali, cùm per illud homo avertatur à Deo et convertatur ad creaturam, cui adhæret tanquàm ultimo fini; in quo sensu, Apostolus ad Ephes. 5, avaritiam appellavit idolorum servitutem, eò quòd avarus postponat Deum auro et argento, ac in divitiis, ultimum suum finem interpretativè ponat. Et de hâc non est sermo in præsenti, sed tantùm de idololatriâ propriè sumptâ, quâ scilicet cultus divinus alteri quàm Deo exhibitur; quo modo est speciale peccatum ab illis distinctum, et isto primo Decalogi præcepto vetitum, potestque definiri : *Superstitio quâ dicimus honor tribuitur alicui creaturæ sicut Deo;* et hæc superstitio *est quædam infidelitatis protestatio per exteriorem cultum*, ut dicit D. Thomas, 2-2, q. 94, art. 1, ad 1.

Unde ad actum idololatriæ committendum duo concurrere debent, primum ut honor et cultus Deo debitus tribuatur creaturæ, secundum ut cultus iste divinus tribuatur creaturæ prout Deo tribui solet et debet, seu ut ille cultus uni et soli Deo debitus, ita verè impendatur creaturæ, sicut Deo impendi oportebat; ut enim ait D. Ambros. ad Eph. 5 : *Idololatria Dei honorificentiam usurpat, et vendicat creaturæ.* Idemque repetit D. Thomas, quæstione mox citatâ, quæ duo sunt à nobis breviter explicanda; quia sunt velut regula generalis ad quam recurrendum est, quoties de aliquo facto particulari dubitatur utrùm sit idololatricum. Inprimis recolendum est ex D. Thomâ, 2-2, q. 103, art. 1, cultum et honorem generatim sumptum, esse testificationem dignitatis, sive excellentiæ alicujus. Hæc autem testificatio opinionem ac existimationem de alicujus excellentiâ parit, eaque existimatio non verbo solùm, sed etiam officio excitari potest. Sic igitur quidquid honoris causâ facimus accommodatè ad excitandum in nobis aut in aliis talem de excellentiâ opinionem, quæ divinæ majestati proprie conveniat, id totum hoc loco cultum honoremve divinum censemus. Unde honor ille divinus, quem dicimus Deo per religionem offerri, duplex habet quasi objectum, alterum materiale, alterum formale. Materiale est quodvis officium externum aut internum à nobis factum ad excitandum in nobis aut in aliis talem existimationem, qualem de excellentiâ Dei habere convenit. Formale verò est ea ipsa existimatio propriè conveniens excellentiæ et majestati Dei. Officium istud primò cognosci potest interdùm, ex ipsius officii naturâ et conditione, quæ aliquando tantæ dignitatis existit, ut manifesta perversitas sit officium hujusmodi ad honorandam creaturam transferre, ut est oblatio sacrificii, et nunc sacrosanctum Missæ sacrificium, internum mentis sacrificium, quo quis religionis studio accensus totum se devovet et consecrat divino numini. Secundò ex aliquo adjuncto divinus honor discerni potest ex ritu et consuetudine communi, si aliquid nonnisi ad divinum cultum usurpari soleat, ut olim fiebant animalium immolationes. Tertiò ex intentione ejus qui aliquod officium confert ad excitandam opinionem excellentem, qualis de divinâ majestate solummodò haberi potest : nonnunquàm enim iidem actus externi, qui Deo fiunt, exhibentur hominibus absque peccato, ut genuflectere, quia sola interior hominis voluntas et intentio conciliandi existimationem divinam per istos actus externos, facit ut sint materia cultûs divini. Cùm enim honorem alicui conferre sit quædam actio humana, intentione et voluntate peragi debet, non minùs quàm si pecunia aut munus aliud alicui sit conferendum. Et hæc intentio semper quoque necessaria est ad secundum caput dignoscendum, nempe cum divinos honores creaturæ sicut Deo exhibere, qui eam divino cultu sic prosequitur, ut quantùm in se est, illo velit ipsi conciliare talem opinionem et

existimationem, qualis reverà soli Dei majestati competit. Idque duobus modis fieri potest : primò expressà atque præsenti intentione, quæ summa est in hoc genere perversitas. Secundò virtualiter, ut cùm quis ex vi prioris intentionis tantummodò, quâ antea statuisset eà ratione colere creaturam, id faceret. Aut implicitè, nempe si quis metu, vel aliorum consuetudine ductus, aliâve ratione obcæcatus, aliquid facere intenderet, quod necesse est ut intendat ille qui divinos honores creaturæ reverà exhibere vult; aut si omninò ita extrinsecùs creaturæ divinum cultum exhibeat, ut alii meritò existimare possint ipsum illi velle divinitatis opinionem conciliari juxta morem patriæ. Tunc enim saltem indirectè et in causâ censetur id intendere.

Cùm igitur hæc duo in nullo Ecclesiæ catholicæ cultu conjuncta esse, plusquàm certissimum sit, evidentissimè habetur, nullum Ecclesiæ cultum esse idololatricum, prout pleniùs convincunt controversistæ adversùs hæreticos.

Idololatriam tam interiorem quàm exteriorem grav peccatum esse, divinæ litteræ apertissimè declarant et hoc scelus tanquàm summum gravissimè vetat le. divina, severâ comminatione adhibitâ Exodi 20, Deuteron. 5, Psalm. 105, Isai. 1 et 44, Jerem. 2 et 16, Ezech. 6 et 14; Oseæ 8, Amos 2, 1 Regum 15, et D. Thomas, 2-2, q. 94, art. 2, et art. 3, probat hâc ratione : Sicut in terrenâ republicâ gravissimum esse videtur quòd aliquis honorem regium alteri impendat quàm vero regi, quia quantùm in se totum reipublicæ perturbat ordinem; ita in peccatis quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem divinum creaturæ impendat; quia quantùm in se est, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum, sicque ex parte et naturâ ipsius peccati, istud scelus est omnium gravissimum : nam secundùm suum genus includit in se infidelitatem et odium Dei, quòniam utriusque protestatio est, ut probat Cajetanus, super art. 3. D. Thomæ.

Idololatria potest esse cum interiori incredulitate ac infidelitate, et sine illâ. Unde non excusatur ab hoc peccato, qui metu mortis exteriùs idola coleret, etiamsi fidem in mente servaret, ut probat ibidem D. Thomas, art. 2 : *Nam cùm exterior cultus sit signum interioris, sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium ejus quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui, contra id quod sentit in mente. Unde Augustinus dicit contra Senecam, quòd eò damnabiliùs colebat idola, quò illa quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret.* Hæc D. Thomas. Unde etiam ficto animo iste idola colens committit idololatriam externam, et opere externo impendit honorem divinum creaturæ sicut Deo, factoque ipso confitetur eam esse Deum, quod est intrinsecè malum, et absque gravi veri Dei injuriâ fieri nequit.

Dices : Actus externus non est malus, nisi voluntarius. Atqui ista mera externa idolorum adoratio non est voluntaria. Ergo, etc. Adde quòd inde sequeretur actores comœdiarum in theatro, Jovem, v. g., colentes exteriùs, idololatras esse, quod tamen est falsum. — Resp. illam adorationem censeri voluntariam, quatenùs homo liberè vult exercere externum adorationis signum, quatenùs hîc et nunc est determinatum ad colendum idolum, eodem prorsùs modo quo supra dictum est de negatione externâ fidei; est enim hic cultus quasi negatio externa veri Dei. Ad aliud verò argumentum adductum, nego paritatem. Quia satis notum est actores comœdiarum etiam exteriùs hæc fingere, cùm solummodò repræsentare intendant ea quæ idololatræ faciunt. Hoc autem non habet locum in fictâ idololatriâ de quâ agimus : est enim ibi voluntas saltem tacita conciliandi creaturæ existimationem soli Deo convenientem his cæremoniis externis hîc et nunc ad hoc determinatis.

Quæres utrùm hostia quæ adoranda offertur in Ecclesiâ, adoranda sit sub conditione, nempe si sit verè consecrata. Et quidem non est sermo de casu particulari in quo aliqua probabilis ratio dubitandi suboriri potest nùm consecratio ritè peracta fuerit; tunc enim illa conditio potest et debet explicitè apponi. Nec etiam sermo est de conditione implicitâ et virtuali, quæ tunc habetur quando adorans ita habitualiter affectus est, ut hostiam non adoraret, si constaret non esse consecratam, nec proinde Christum ibi adesse : hanc enim quilibet Christianus habere censetur. Tota ergo difficultas est de conditione explicitâ, quando hîc et nunc nulla subest probabilis occasio dubitandi de veritate consecrationis. An etiam tunc sit conditio apponenda, ad periculum idololatriæ vitandum. — Respondet Cajetanus negativè, 2-2, q. 1, art. 3, ad 4, dicens hîc accidere illud : *Trepidaverunt timore ubi non erat timor*, idque multipliciter probat : *primò, quia actus humanus cadens super debitam materiam, quando, sicut, ubi et cùm oportet, est bonus moraliter. Atqui actus voluntarius credentis absolutè hanc hostiam esse consecratam, est hujusmodi. Ergo. Prob. min., quia cùm ut in pluribus saltem sit verum hostias ritè consecrari, et quod in pluribus invenitur, verificetur nisi impedimentum aliquod adsit, consequens est, ut nullo apparente quovis modo impedimento, actus credentis feratur super materiam debitam, scilicet veram ut in pluribus, et in hoc singulari non impedito, quantùm apparet rationabiliter : indisciplinati autem esset quærere majorem certitudinem in istis, ut patet ex 2 Metaph. Secundò, quia devotio et veneratio conditionalis minor est devotione et veneratione absolutâ. Nocet ergo devotioni iste timor. Tertiò ostenditur ex auctoritate Ecclesiæ, quæ instituit ut sacerdos absolutè fateatur, hanc hostiam, et hunc calicem esse corpus et sanguinem Christi, dùm dicit in oratione ante communionem :* « Libera me per hoc sacrum corpus et sanguinem « tuum à cunctis iniquitatibus, » *etc. Verba enim exteriùs absolutè prolata, sunt signa interioris mentis absolutæ. Quartò convincitur exemplis satis congruentibus; nam absolutè veneramur ac recognoscimus summum*

pontificem, episcopos et superiores ; et tamen juxta principia et timorem aliorum, sub conditione tantùm forent honorandi ; quis enim scit si isti fuerint baptizati, et si ille qui eos baptizavit habuerit intentionem conferendi sacramentum Baptismi ? Similiter sub conditione confitendum esset proprio sacerdoti, et quilibet sacerdos deberet sub conditione absolvere, aliaque sacramenta conficere ob simile dubium ; nempe si ipse est baptizatus et ritè ordinatus, hæc enim omnia dependent ex intentione ministri, sicut et consecratio hostiæ. Fatuum autem esset, nec auderent isti hanc conditionem foris exprimere. Ergo nulli periculo se exponit aliquis adorando absolutè, quoniam humano more certitudinem habet, et hæc sufficit homini. Hactenùs Cajetanus.

Imò quidam volunt tunc hujusmodi conditionem in adoratione Eucharistiæ, absque culpâ vel indecentiâ non posse apponi. Sicut enim valdè esset indecens dicere regi, de cujus legitimâ electione probabiliter non dubitatur : *Veneror te, si rex es*, ita et dicere Christo in nostro casu : *Te adoro, si sub his speciebus verè existis.*

§ 3. *De superstitione divinativâ in communi.*

Divini juxta Isidorum, dicti sunt, quasi Deo pleni ; divinitate enim se plenos simulant, et astutiâ quâdam fraudulentiæ hominibus futura conjectant. Unde divinatio prout hîc à nobis sumitur, est inordinata affectatio participationis alicujus divini, seu usurpatio modo indebito prænuntiationis futurorum eventuum, quod est Dei proprium, juxta illud Isaiæ 41 : *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* Ita D. Thomas, 2-2, q. 95, art. 1, ubi docet quòd futura dupliciter prænosci possunt, uno quidem modo in suis causis ; alio modo in seipsis. Causæ autem futurorum tripliciter se habent. Quædam enim producunt ex necessitate et semper suos effectus ; et hujusmodi affectus futuri per certitudinem prænosci et prænuntiari possunt ex consideratione suarum causarum, sicut astrologi prænuntiant eclypses futuras. Quædam verò causæ producunt suos effectus non ex necessitate et semper, sed ut in pluribus, rarò tamen deficiunt ; et per hujusmodi causas possunt prænosci effectus futuri, non quidem per certitudinem, sed per quamdam conjecturam, sicut astrologi per considerationem stellarum, quædam prænoscere et prænuntiare possunt de pluviis et siccitatibus ; et medici, de sanitate vel morte. Et tunc non dicitur divinatio, quia non superant captum nostrum, et humanâ ratione prænosci possunt, ac dignosci utrùm bona vel mala sit conjectatio ex proportione rei cognoscendæ ad medium, per quod ejus cognitio procuratur, puta ex causâ. Item ex suo effectu ut ignis ex fumo. Item ex alio effectu qui procedit ab eâdem causâ, ut ex iride præcognoscitur serenitas, eò quòd illius arcûs et serenitatis sit eadem causa. Quoties igitur sapientûm judicio apparet aliquo ex his tribus modis unum ex alio præcognosci posse, conjectatio non fit indebito modo. Unde propter incertitudinem nostræ scientiæ, et elongationem ac occultationem causarum respectu nostri, multa oritur ambiguitas divinationis in his materia libus : ideòque secundùm utriuscujusque naturam suspendendum est, aut ferendum judicium.

Quædam verò causæ sunt, quæ si secundùm se considerentur, se habent ad utrumlibet ; quod præcipuè videtur de potentiis rationalibus, quæ juxta philosophum, se habent ad opposita. Et tales effectus, aut etiam alii effectus qui ut in paucioribus, casu accidunt, ex causâ naturali per se consideratâ prænosci non possunt, cùm hæc non habeat inclinationem determinatam ad illos. Ideòque hujusmodi effectus prænosci non possunt, nisi in seipsis considerentur. Homines autem in seipsis hujusmodi effectus solùm considerare possunt dùm sunt præsentes, sicut cùm vident Petrum currere aut ambulare. Verùm considerare hujusmodi effectus in seipsis antequàm fiant, est Dei proprium, qui solus in suâ æternitate videt ea quæ futura sunt, quasi præsentia. Unde dicitur Isaiæ 41 : *Annuntiate quæ ventura sunt*, etc. ; si quis igitur hujusmodi futura prænuntiare aut prænoscere quocumque modo præsumpserit, nisi Deo revelante, manifestè usurpat quod Dei est : et ex hoc aliqui dicuntur divini. Idemque dicendum est de præsentibus et præteritis occultis, ut de cogitationibus et affectionibus cordium, de factis secretis hominum, etc., quæ tamen, si Deo revelante aliquis cognoscat, non propriè est divinatio ; tunc enim non ipse divinat, seu quod divinum est, facit, sed magis quod divinum est, suscipit.

Unde restat quòd tunc solùm dicitur quis divinare, quando modo indebito sibi usurpat prænuntiationem futurorum eventuum aut cognitionem occultorum, nempe absque proportione rei cognoscendæ ad medium, per quod ejus cognitio procuretur, vel absque Dei revelatione. Tunc enim fit ope dæmonis ; et in hoc consistit ratio formalis divinationis et superstitionis ; intervenit enim tunc pactum cum dæmone initum, explicitum vel tacitum et implicitum. D. Thomas ibidem, art. 2 et 3. Tunc est pactum explicitum, quando quis dæmonem invocat, qui illi promittit se cognitionem futurorum et occultorum daturum quando tale signum apponet, talia verba pronuntiabit, aut aliud quidpiam faciet. Item dùm quis aliquid facit, quod scit ex diaboli virtute operari, ut faciunt incantatores ; utrique enim expressè dæmonem invocant, verbo vel facto, et intervenit pactum factum, etsi non cum isto homine, benè tamen cum aliquo alio, quòd dæmon assistet illis operibus, vel ostendendo, vel agendo. Tacitum verò pactum, tacitaque invocatio tunc intervenit, quando aliquis talibus se implicat, ut meritò dignum sit dæmonem se illis operibus immiscere, quamvis id sit præter illius hominis intentionem. Ita Cajetanus, q. 95, art. 3. Ratio est quia seriò volens res aliquas divinare occultas per media vana nullam habentia connexionem naturalem cum illis nullamque vim indicandi, seriòque sperans se inde talem cognitionem consecuturum, quibus se dæmon libenter immiscere solet, tacitè dæmonem invocare intendit, quamvis contrarium exprimat et intendat, cùm illa protestatio sit contraria facto suo, et alio modo

quàm ope dæmonis nequeat has res futuras aut latentes cognoscere, dæmonesque soleant vanis inquisitionibus futurorum se ingerere, ut mentes hominum implicent vanitate, sicut docet D. Thomas, q. 25, art. 2. Porrò advertendum est, ex eodem D. Thomâ 1 p., q. 57, art. 3, quòd licet dæmones non cognoscant certò futura contingentia libera, seu quæ dependent à nostro libero arbitrio, multò tamen subtiliùs futura et longè plura de rebus futuris aliisque occultis cognoscunt, quàm homines. Et q. 64, art. 1, ad 5, item in 2 sent., dist. 18, q. 2, et lib. 3 contra gentes cap. 54, id probat. 1° ex subtilitate naturæ eorum; licet enim sint obtenebrati per privationem luminis gratiæ, sunt tamen lucidi lumine intellectualis naturæ per quod cognoscunt causas omnes, et earum virtutes, nostras affectiones, inclinationes, temperamenta, etc., interdùm et nostras cogitationes per actus exteriores, immutationem vultûs et per alia signa. 2° Probat D. Thomas, dæmones cognoscere virtutem aliquam per revelationem à sanctis angelis aut per Scripturas ex permissione divinâ. 3° Per experientiam longi temporis.

Divinatio hæc superstitiosa ex genere suo est illicita, omnique jure damnata, Numeror. 23, Levitici 19 et 20, Deuteron. 18, Isai. 8, Eccles. 34. Item lege canonicâ caus. 26, q. 5, ferè per totam. Et jure civili, c. de Maleficis, l. *nemo*; et probat D. Thomas, q. 95, art. 2, *ex eo quòd omnis divinatio ex operatione dæmonum proveniat, et ad superstitionem pertineat, non solùm cùm sacrificium dæmonibus offertur, quod fit per idololatriam, sed etiam cùm aliquis assumit auxilium dæmonium ad aliquid faciendum vel cognoscendum.* Et art. 4, probat, *quia est pactum et invocatio dæmonum. Unde Isai.* 28, *contra quosdam invehitur :* « *Dixistis : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.* » *Quod sanè est grave peccatum, et adhuc gravius esset, si sacrificium vel reverentia invocato dæmoni exhiberetur. Hinc deducitur esse peccatum superstitionis, et etiam initæ societatis cum dæmone. Primum patet ex hoc quòd affectat usurpare aliquid de excellentiâ Dei, et de cultu ipsi debito, in hoc saltem quòd homo, relicto Deo, ad ipsum dæmonem recurrat, atque se subjiciat tanquàm indigens ejus auxilio; ratione enim hujus excellentiæ divinæ affectatæ à dæmone, profiteri se esse illi subjectum implorando ejus consilium vel auxilium, est vitium superstitionis; constat autem quòd uti pacto cum dæmone, est profiteri se illo indigere, ac per hoc se illi subjicere; omnis namque indigens quatenùs indigens, subjicitur illi cujus operâ indiget. Secundum verò, nempe societas cum dæmone, evidenter apparet ex ipsâ conventione et fœdere inito cum ipso, proindeque cum proprio et Dei hoste, cum quo Deus perpetuas indixit inimicitias, Genes. 3, et cui in Baptismo renuntiavimus. Unde ista societas pertinet ad infidelitatem et apostasiam à Deo, ad crimen læsæ majestatis divinæ, ad proditionem, ad iniquitatem consummatam, perinde ac subditus qui deserens suum principem, ad partes inimicorum transit. Unde Paulus* 1 *ad Corinth.* 10, *ait :* « *Nolo vos fieri socios dæmonum.* » Tandem malitiam hujus divinationis deducit D. Thomas ex parte futuri eventûs : dæmon enim qui intendit perditionem hominum, ex hujusmodi suis responsis, etiamsi aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quòd ei credatur; et sic intendit perducere ad aliquid quod sit saluti humanæ nocivum. Unde D. Athanasius exponens illud Lucæ 4 : *Increpavit illum, dicens. Obmutesce*, ait : *Quamvis vera fatebatur dæmon, compescebat tamen Christus ejus sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, ut nos etiam assuefaciat, ne curemus talibus, etsi verà loqui videatur : nefas enim est, ut cùm adsit nobis Scriptura divina, à diabolo instruamur.* Vide D. August., lib. 2, de Doct. christ., cap. 22. Et licet quis ad dæmonem confugiat eumque invocet ad habendam cognitionem, quæ non est supra captum et virtutem naturalem hominis, quia tamen init societatem cum dæmone, ad ipsum contra Dei voluntatem confugit eique confidit, graviter peccat, et crimen superstitionis incurrit, quatenùs scilicet dæmon in hoc affectat usurpare aliquid de excellentiâ divinâ ac honore Deo debito, cui usurpationi iste, quantùm in se est, cooperatur, et colit dæmonem formaliter vel materialiter, à quo vult edoceri, et qui præstò est illis qui respiciunt ad *vanitates et insanias falsas.* Omnis itaque societas dæmonum et hominum tanquàm pestifera fugienda est, ait D. August., lib. 2, de Doctrinâ christianâ cap. 23, et Psalm. 30 : *Odisti omnes observantes vanitates supervacuè.*

Expressum cum dæmone pactum haud rarò conjungitur cum hæresi, puta si paciscens abjiciat fidem christianam vel in totum vel in partem, si credat dæmonem mereri adorationem, posse vi propriâ facere vera miracula, aut futura contingentia à libertate humanâ pendentia certò cognoscere, etc.; quare confessarius debet examinare qualiter pactum cum dæmone iste inierit, ut intelligat num hæresis aliorumque peccatorum malitia, ut solet, superstitioni adjuncta sit.

Hinc superstitiosus et planè illicitus est usus vertendi cribrum farinarium ad detegendum furti auctorem, cùm talis detectio posito illo signo vano, nullamque habente connexionem cum illâ, nonnisi à dæmone expectari possit. Nec consentio illis qui volunt esse tantùm veniale talia media vana adhibere joci causâ, non ad acquirendam rerum futurarum vel occultarum cognitionem, sed ad videndum quid casu accidat, ex otiositate, vanitate et curiositate : isti enim curiosi sese exponunt periculo non levi faciendo opus cui ex pacto cum aliis inito, dæmon sese immiscere solet.

Nec refert quòd Cajetanus videns annulum, prolato certo Psalmorum versiculo, supra filum de se moveri, ipsè versum postea protulerit, non tanquàm institutum ad movendum annulum, et protestatus fuerit se non illum dicere ad invocandum dæmonem, sed ad Deum laudandum; non refert, inquam, quia id non fecit vanè et curiosè ut experiretur, sed potiùs ut superstitionem illam damnaret, ac convinceret ibi inesse pactum cum dæmone, ut ipsemet refert in Summâ, v *Incantatio*, additque tunc annulum non fuisse mo-

tum, *ut hinc cognoscant omnes, quòd tunc diabolus movet annulum, quando versus ille dicitur ei*, ut ipse instituit : *dicit autem tacità intentione, quicumque dicit etiam jocando illum ut habentem vim ad movendum annulum, quia vim illam non habet nisi ex pacto olim inito cum dæmone aliquo ; et sic idem de similibus fac judicium.* Hactenùs Cajetanus. Proindeque quicumque etiam vanè, joco et curiositate vertunt cribrum farinarium tanquàm usum aptum ad dignoscendum furem, ad experiendum et videndum quid casu accidat, non videntur à superstitione immunes.

Damnantur etiam qui ex lineis manuum aliarumve partium corporis dispositione certò affirmant futura contingentia sive libera, sive casualia, ut aliquem fore divitem, felicem aut miserum, etc. Licet enim ex ejusmodi signis aliqualiter possit conjici inclinatio et temperamentum hominis, eà tamen quæ ex causis contingentibus et liberis futura sunt, nedùm certò prædici, sed et ullo modo inde conjici non possunt : unde graviter peccant interrogantes personas, quas vocant Ægyptiacas, seriò petentes ab eis prædictionem bonæ aut malæ fortunæ animo credendi firmiter earum dictis, vel cum aliorum scandalo : id enim esset à dæmone sperare notitiam futurorum contingentium ; si verò id fiat ex joco et animo ridendi, etc., prout communiter fit, tunc erit solùm res vana et venialis. Ita Navarrus, cap. 11, num. 31 ; P. Navarra, lib. 2, cap. 2, dub. 7, num. 156, Bonacina circa 1 Decal. præcept., disp. 3, q. 5, punct. 3, prop. 2, num. 11.

Tandem quando aliquis ex hujusmodi signis et impressionibus, non conjecturalem tantùm, qualis fieri potest ex eâ re per quam cognitio quæritur, sed certò vel etiam probabiliùs et firmiùs quàm par est, vult cognoscere et absolutè futurum prænuntiare, indicit divinationem superstitiosam.

§ 4. *De speciebus divinationis superstitiosæ.*

Cognitio futurorum vel occultorum ope dæmonis, est ultimus finis, ex quo sumitur generalis ratio divinationis : distinguuntur autem diversæ species, secundùm propria objecta sive materias, prout scilicet in diversis rebus occultorum cognitio consideratur. Ita D. Thomas, q. 95, art. 3, ad 2. Et ibidem in corp. duas ponit generatim divinationis species, alteram quâ expressè dæmon invocatur, aliam quâ dæmon præter intentionem hominis se occultè ingerit ad prænuntiandum futura, in quâ tamen inest tacita illius invocatio, quatenùs adhibentur media vana ad occultas res dignoscendas ; et hanc duplicem constituit, unam quâ ad præcognoscendum futura adhibetur sola consideratio dispositionis vel motûs alterius rei, alteram dùm facimus aliquid ad hoc ut nobis manifestetur aliquòd occultum. Prima pertinet ad necromanticos, secunda ad augures, tertia ad sortes. Sub quâlibet autem istarum, multæ aliæ continentur. Nam ad primum caput, seu ad pactum expressum, plura reducit D. Thomas, dicens quòd dæmones expressè invocati, solent futura prænuntiare multipliciter, quandoque quidem præstigiosis quibusdam apparitionibus se aspectui et auditui hominum ingerentes ad prænuntiandum futura. Et hæc species vocatur *præstigium*, eò quòd oculi hominum perstringuntur. Ubi Cajetanus notat *hujusmodi dæmonum apparitiones quandoque exteriùs fieri, quandoque solùm interiùs ; exteriùs quidem, objiciendo hominum sensibus vera corpora, vel occultè et celeriter aliunde asportata, vel à se conflata, applicando activa passivis. Quandoque exhibenas non verum corpus sed similitudinem tantùm corporis, ex naturalium tamen operatione consurgentem. Quandoque facit apparere aliquà quæ nec in veritate, nec in similitudine extra sunt, sed ex parte videntis causa est, dæmone commovente humores aut spiritus hominum, sicut accidit febricitantibus videre similitudines in parietibus, et aliis hujusmodi. Interiùs verò dæmon apparitiones causat, vel in alienatione à sensibus, sive per nimiam attentionem, ut accidit in superbis contemplativis, qui à dæmone illuduntur in variis imaginibus ; sive per unctionem corpoream, ut accidit his qui ire se credunt vespere quintæ feriæ ad ludos Dianæ vel conventus diabolicos : sunt enim hæc in imaginatione, ut experientiâ compertum est. Sive quâcumque aliâ causâ alienatio à sensibus contingat. Vel sine alienatione à sensibus operatur dæmon in homine, quemadmodùm ex infirmitate accidit phreneticis, qui vident et audiunt quæ non sunt. Facit autem dæmon hæc omnia intùs in sensibus commovendo humores, spiritus, componendoque diversimodè, ut ostendit D. Thomas q. 16 de Malo.* Hactenùs Cajetanus.

Secundo loco ponit D. Thomas divinationem per *somnia*. Tertiò divinationem per mortuorum aliquorum apparitionem vel locutionem, et vocatur *necromantia*, quia quibusdam præcantationibus adhibito sanguine, videntur resuscitati mortui divinare, et ad interrogata respondere. Quartò dæmones quandoque futura prænuntiant, per homines vivos, sicut in arreptitiis patet, et hæc est divinatio per *Pythones*. Quintò quandoque futura prænuntiant per aliquas figuras vel signa, quæ in rebus inanimatis apparent, quæ quidem si appareant in aliquo corpore terrestri, puta in ligno vel ferro, vel lapide polito, vocatur *geomantia*. Si autem in aquâ, vocatur *hydromantia* ; si autem in aere, dicitur *aeromantia* ; si verò in igne, *pyromantia*. Si tandem in visceribus animalium immolatorum in aris dæmonum, appellatur *aruspicium*.

Ad secundum caput, in quo est tantùm tacita dæmonis invocatio, divinatio fit per solam considerationem dispositionis, vel motûs alicujus rei quæ tamen dispositio nullam habet sufficientem virtutem ad res illas indicandas, D. Thomas reducit, primò, *astrologiam judiciariam, seu genethliacam*, propter natalium considerationem dierum, quando scilicet ex situ et motu siderum inquiruntur natalia hominum, et eventus contingentes futuri prænuntiantur. Secundò *augurium*, quandò scilicet per garritum avium, seu voces et motus quorumcumque animalium, sive per sternutationes hominum, vel membrorum saltem, quæritur cognitio occultorum. Id enim generaliter pertinet ad augurium, quod dicitur à garritu avium, sicut *auspi-*

cium ab earum volatu. Quorum primum pertinet ad aures, secundum verò ad oculos et inspectionem. Tertiò *omen*, quando scilicet consideratio fit circa verba hominum casu absque intentione dicta, quæ quis retorquet ad futurum, quod vult prænoscere. Quartò, *chiromantiam*, quando scilicet ex figuris et lineamentis manûs inquiritur futurorum cognitio. Quintò, *spatulomantiam*, quando divinatio sumitur ex quibusdam signis in spatulâ alicujus animalis apparentibus. Hæc D. Thomas. Quidam addunt *metoposcopiam*, quando ex signis, lineamentis et motu frontis futurorum cognitio quæritur; *physiognomiam* quando signa vultûs et totius corporis humani eo fine inspiciuntur; *oniroeriticam*, quæ ex somniis occulta perquirit.

Denique ad tertium caput divinationum, in quo est tacita dæmonis invocatio, dùm scilicet aliquid fit ut manifestetur occultum, D. Thomas reducit divinationem, quæ fit ex consideratione eorum quæ eveniunt, ex quibusdam quæ ab hominibus seriò fiunt ad aliquid occultum inquirendum, sive per protractionem punctorum, quod pertinet ad artem *geomantiæ*, sive per considerationem figurarum, quæ proveniunt ex plumbo liquefacto in aquam projecto, sive ex quibusdam schedulis scriptis, vel non scriptis in occulto repositis, dùm consideratur quis quam accipiat, vel etiam ex festucis inæqualibus propositis, quis majorem vel minorem accipiat, vel taxillorum projectione, quis plura puncta projiciat, vel etiam dùm consideratur quid aperienti librum occurrat; quæ omnia *sortium nomen habent*. Hactenùs D. Thomas.

Regula generalis est ea quam tradit D. Thomas art. 1, 2 et 5, nempè quòd divinationi, quæ ex opinione falsâ vel vanâ procedit, ingerit se operatio dæmonis, ut animos hominum implicet vanitati aut falsitati. Vanâ autem vel falsâ opinione utitur quisquis ex consideratione hujusmodi signorum, futura et occulta prænoscere tentat, quæ per ea certò præcognosci non possunt, seu quæ virtutem non habent de se illa manifestandi. Ratio est quia iste non quærit hæc scire viâ inventionis, cùm superent humanam cognitionem, et aliunde sint improportionata et inepta media quæ adhibet. Quærit ergo scire per viam disciplinæ ab aliquo magistro, sed non à Deo, nec per se, nec per angelos instruente et revelante, utpote qui his vanis non intendit. Nec ab alio homine, cùm illa notitia naturalem ejus captum superet. Ergo à dæmone. Quòd si doctrina illa per modum alicujus artis in quibusdam libris tradita inveniatur, censenda est à dæmone per aliquem ministrum illius exarata, cum quo pactum jam iniit. Secùs dicendum, si ista futurorum prænoscitio, naturaliter et modo humano haberi possit, per aliqua signa ex jam relatis, ut apparet in animalibus quæ, cùm propter cœlorum influxum aliquâ ratione moveantur, effectum naturalem demonstrant. D. Thomas autem art. 5, in corpore, docet quòd hæc signa corporalia naturalia tribus modis contingunt: primò, ut sint non solùm signa, sed causæ significantes, ut astra; secundò, ut sint effectus significantes causam, sicut fumus significat ignem; tertiò, ut sint effectus multi unius et ejusdem causæ, et tunc unus effectus potest esse signum alterius, quatenùs designando causam à quâ ambo procedunt, per consequens illum significat; sicut iris quandoque significat serenitatem, in quantum serenitatis est etiam causa. Quoties igitur sapientûm judicio aliquo ex his tribus modis apparet unum ex alio cognosci posse, non est absolutè damnanda conjectatio, proindeque juxta connexionem et proportionem rei cognoscendæ ad medium, per quod ejus cognitio habetur, mediata est.

Ad hanc igitur regulam generalem semper recurrendum est quoties dubium est, an prænuntiatio futurorum ex his speciebus divinatio, nisi sit illicita et superstitiosa.

Notat autem Cajetanus in Summâ, v. DIVINATIO, *usurpationem indebitam futurorum eventuum, vel præteritorum aut præsentium occultorum, esse quidem ex genere suo peccatum mortale, in quantum dæmoniaco innititur auxilio. Posse tamen aliquando esse tantùm veniale propter imperfectionem actûs, vel quia actus dæmoniacus non est secundùm se, nec ex intentione tacità vel expressà exercentis illum, ut contingit in multis vanis, puta libro fortunæ*, etc.; *vel quia non putatur actus dæmoniacus, ut contingit in multis in quibus sola vanitatis deformitas apparet, ut in operatione librorum, et similibus, quæ ex fortunâ seu casu creduntur procedere. Pro generali siquidem regulâ habendum est, quod ubi nulla intervenit dæmonis invocatio, nec explicita, nec tacita, et non adest mala intentio, peccatum mortale non incurritur. Tacita autem dæmonis invocatio tunc excluditur, quando nullâ re aut verbo quis utitur, ut institutâ ab aliquâ secretâ causâ: quod tunc fieret, quando quis uteretur aliquâ re aut verbo, quasi habente virtutem ad aliquem effectum, ad quem constat nec naturalem nec divinam habere virtutem; tunc enim tacitè consentit in dæmoniacum auxilium, quia ad virtutem illius tacitè recurrit, dùm sic utitur re aut verbo illo.*

Ibi tacitè intervenit dæmonis invocatio; si cognita, aut credita, aut dubia est, peccatum mortale committitur; si ignota est, et si adesse crederetur, id omninò non fieret, pactoque renuntiatur, non est peccatum mortale, quia propriè loquendo iste non invocat dæmonem etiam tacitè: quòd si id contingeret, foret merè per accidens, materialiter et involuntariè; idque non facit hominem socium dæmoniorum. Hactenùs Cajetanus.

Verùm, quia, ut ait D. Thomas, Dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate et falsitate, vanaque inquisitio sit, tentare futurum prænoscere, unde prænosci non potest, ab his vanis abstinendum timendumque censeo, ut clariùs apparebit istas species divinationis sigillatim cum D. Thomâ explicando.

§ 5. *Utrùm divinatio quæ fit per astra, sit licita.*

De hâc tractat D. Thomas q. 95, art. 5, et incipit à regulâ generali à nobis jam statutâ, nempe quòd vanâ aut falsâ opinione quis utitur, si ex consideratione stellarum futura prænoscere velit, quæ per ea cognosci non possunt; proindeque considerandum est,

quid per cœlestium corporum inspectionem de futuris prænosci possit. Et inprimis certum est eclipses, siccitates, pluvias, fertilitates, sterilitates, sanitates, infirmitates, aliosque corporales effectus, qui ex cœlestibus corporibus causantur, posse ex eorum consideratione inquiri et prænosci, quoniam effectus quæruntur et reducuntur in suas causas naturales, et naturalis scientiæ opiniones ac conjecturæ non sunt prohibitæ, sed à Deo nobis in perfectionem intellectûs et adminiculum datæ. Hinc astrologia naturalis non est prohibita.

An autem sit licita, etiam quando ex astrorum aspectu, situ et inflexu in puncto nativitatis alicujus, conjectat illius temperamentum, habituales propensiones et inclinationes naturales, videtur quòd sit, quia ex causis naturalibus conjicere possumus naturales ipsarum effectus : habituales autem hominum inclinationes, prout à corpore pendent, quodammodò proveniunt ab astris, quatenùs influunt in corpora, et consequenter concurrunt ad propensionem habitualem nominis, unà cum naturali corporis dispositione. Ergo, etc.

Notat tamen Cajetanus, quòd licet quandoque veritas aliqua ex istis habeatur, tamen adeò debilis est ratio conjecturæ, ut vix conjectura sit. Idque propter humanam ignorantiam causarum cœlestium et proximarum ; totum enim quod cognoscimus in hujusmodi, non meretur dici pars minima eorum quæ ignoramus de eodem effectu : quoniam astra sunt nobis ignota, quomodò se habeant ad invicem et ad nos, vixque potest sine errore notari situs astrorum existens in puncto nativitatis, eò quòd rapidissimus cœli motus efficiat ut constellatio priùs prætereat, quàm tunc ab astrologis notari valeat. Taceo de calculo motuum, quoniam impossibile videtur habere instrumenta quibus ad amussim sciant ortum et occasum, novumque stellati cœli situm ad quem planetæ relati, qualitatem induunt et mutant. Tandem quia ad hoc conjectandum, punctum animationis et conceptionis fœtûs in utero materno potiùs spectandum foret ; cùm enim influxus et vis astrorum profunda terræ penetret, quantò magis uterum maternum ! magisque fœtus tenerrimus illum influxum percipiet ! Illud autem momentum et instans conceptionis est scitu impossibile.

Si quis autem ex consideratione stellarum vellet prænoscere futuros casuales vel fortuitos eventus aut futura contingentia ex libero hominum arbitrio dependentia per certitudinem, incideret in inquisitionem vanam, falsam et divinationem superstitiosam, inquit D. Thomas, quia ex stellis non accipitur prænotitio futurorum, nisi sicut ex causis prænoscuntur effectus. Duplices autem effectus subtrahuntur causalitati cœlestium corporum.

Primò quidem omnes effectus per accidens contingentes, sive in rebus humanis, sive in rebus naturalibus, quia ut probatur in Metaph. lib. 8, ens per accidens non habet causam et præcipuè naturalem cujusmodi est virtus cœlestium corporum : nam quod per accidens fit, neque est ens propriè, neque est unum : sicut quòd lapide cadente fiat motus terræ, vel quòd homine fodiente sepulcrum, inveniatur thesaurus, etc. Hæc enim et hujusmodi non sunt simpliciter unum, sed simpliciter multa : operatio autem naturæ semper determinatur ad unum aliquid, sicut procedit ab uno principio, quod est forma rei naturalis. Ubi D. Thomas non negat quòd ens per accidens divisim sumptum et secundùm suas partes non possit habere per se suas causas : nam quòd hic sit locus thesauri, est ab aliquo ibi reponente ; et similiter quòd hic sit locus sepulcri est ab aliquo alio. Item quòd bos, v. g., deambulet horâ tertiâ, habet causam naturalem ; similiter quòd eâdem horâ tonitruum fiat, habet causam naturalem. Sed hoc totum simul, nempe quòd tempus ambulationis et tempus tonitrui sit unum et idem, nullam vult D. Thomas habere unam causam naturalem, ob rationem allatam, proindeque ex consideratione siderum non posse certò cognosci.

Secundò subtrahuntur causalitati cœlestium corporum actus liberi arbitrii, eò quòd corpora cœlestia directè imprimere nequeant suos influxus in intellectum et voluntatem, quæ non sunt corpus, nec actus organi corporei ; id enim esset ponere intellectum non differre à sensu : unde corpora cœlestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrii, quòd est facultas voluntatis et rationis, sed solùm possunt ad hoc dispositivè inclinare, in quantum aliquid influunt et imprimunt in corpus humanum, et per consequens in vires sensitivas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus ; quia tamen vires sensitivæ obediunt rationi, nulla necessitas ex hoc, libero arbitrio imponitur ; sed contra inclinationem corporum cœlestium, homo potest per rationem operari. Inquirere igitur per certitudinem ex sideribus cognitionem futurorum contingentium est vanum, superstitiosum, diabolicum, et ab Ecclesiâ damnatum, quia futura contingentia non de necessitate causantur à cœlo ; sicque divinatio illa non fundatur in astris tanquàm in causis actuum humanorum ; aliàs tolleretur nostra libertas, omniaque fato et fatali necessitate contingerent ; cùm astra naturaliter et necessariò quantùm possunt influant, sicque necessitate determinarent nostram voluntatem ad unum. Nec potest illa divinatio fundari in astris tanquàm in signis naturalibus, cùm nec sint causæ actuum nostrorum liberorum, nec effectus eorum, nec cum illis habeant causam communem, in cujus influxu connectantur ; unde non nisi ope dæmonis, et ex pacto saltem tacito haberi solùm potest per viam disciplinæ.

Hinc rectè damnatur astrologia judiciaria, per quam ex aspectu cœlorum eventus liberos futuros, præterita et præsentia prorsùs occulta, quis vult divinare, v. g., conditionem vitæ, statum, inimicitias, matrimonium cum tali personâ, tali tempore incundum ; occisionem, naufragium, incendium, etc., caus. 26, q. 3, cap. *Igitur*, q. 2, cap. *Sed* [illegible] *illud*, cap. *Illud*, q. 5, can. *Non licet*. Et Sixtus papa V, in suâ Bullâ 17, quæ incipit : *Cœli et terræ Creator*, Cod. de Maleficis et Mathematicis, l. 2, l. 5, et l. 7, et Cod. de

episcopali Audientiâ, l. *Mathematicos*. Reprobatur etiam jure divino Isai. 44, v. 25, et cap. 47, v. 13; Jerem. 10, v. 2; Actorum 19, v. 19, multi ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus. Hos ad astrologiam judiciariam spectâsse narrat D. August. in Psal. 61, et à Tridentino talis astrologiæ libri reponuntur in indice librorum prohibitorum. Hanc divinationem per astra reprobârunt sancti Patres, D. Basilius homiliâ 6 in Genesim; D. Chrysost. in cap. 2 Matth.; D. Ambrosius lib. 4 Exam. cap. 4; D. August. lib. 2 de Genesi ad litteram cap. 17, lib. 2 de Doctrinâ christ.; lib. 4 Confess. cap. 3; lib. 1 de Civit. et Psal. 61; D. Gregorius homil. 10 in Evang.; Eusebius lib. de Præparat. Evang., Joannes Picus Mirandulanus, et Franciscus ejus nepos; D. Thomas hîc; D. Antoninus 2 p. tit. 12, cap. 1, § 6, et communiter doctores apud Petrum à Navarrâ de Rest. lib. 2, dub. 2, num. 10. Hinc astrorum observatio ad nativitates hominum et occurrentia humana, tripliciter peccato subjici posse notat Cajetanus in Summâ, v. *Astrorum observatio*; et quodlibet eorum ex suo genere est peccatum mortale, primò si ea quæ fidei christianæ mysteria sunt, tanquàm subsint cœlestibus causis habeantur; quia hoc est contra spiritualitatem christianæ religionis, quæ super cœlos est, immutare potens etiam ipsos cœlorum cursus, juxta id quod scriptum est: *Confessio ejus super cœlum et terram*. Et ipsa experientia testata est. Secundò si futura contingentia quærantur, certòque divinari affectetur, cùm fit contra veritatem doctrinæ christianæ et liberi arbitrii, quo domini sumus nostrorum operum. Tertiò, si electiones suas quis subjiciat cœlestibus causis, ut legi illarum, ita quòd vitam suam et actiones suas regulet secundùm cœlos; quia est contra dignitatem gratiæ legis divinæ ac humanæ mentis; quâ supra omnia corporalia constituti sumus; et sicut erraremus subjiciendo nos passionibus iræ, odii, spei, timoris, etc., ita quòd haberemus impetus passionum pro lege; ita vilificamus; si inclinationes cœlorum habemus pro lege; corpora enim sunt, et per modum passionum inclinant nos; et quemadmodùm sapiens dominatur passionibus suis, ita dominabitur astris.

Dices astrologos ex consideratione astrorum frequenter vera prænuntiare. Ergo, etc. — Respondet D. Thomas, hîc, ad 2 id contingere dupliciter, uno quidem modo, quia plures homines passiones corporales sequuntur; et ideò actus eorum disponuntur ut in pluribus, secundùm inclinationem cœlestium corporum; pauci autem sunt, id est, soli sapientes qui ratione inclinationes ejusmodi moderentur: et ideò astrologi in multis vera prænuntiant, et præcipuè in communibus eventibus, qui dependent ex multitudine. Alio modo propter dæmones se immiscentes, ut ait Augustinus lib. 2 de Genesi ad litteram cap. 17, et sic concludit: Quapropter bono Christiano, sive mathematici, sive quilibet impiè divinantium, et maximè dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant.

An sit illicitum conjicere ex levi conjecturâ solùm probabiliter effectus contingenter futuros, eosque conjecturaliter prænuntiare, affirmant plures, quia in bullâ Sixti V expressè fuit prohibitum. Alii limitant in casu quo probabilis conjectura desumatur non à solis astris, sed etiam ab aliis causis et circumstantiis particularibus, ut à temperamento, dispositione, et actionibus personæ: quia sicut pater cui explorati sunt filii mores, facilè conjectat futuras ejus actiones et eventus, ita et astrologi ex astris cognoscentes alicujus temperamentum, probabilem inde possunt sumere conjecturam ejus actionum futurarum. Cajetanus verò negat id esse illicitum, in Summâ v. *Astrorum, observatio*, quia actiones humanæ aliquo modo per indirectam inclinationem, seu pro quanto pendent à corporibus subjiciuntur cœlo. Unde, si quis cœlestium influxum causas ut inclinativas ad ea humana, quæ ex corporibus pendent, suscipiat, nec errat, nec peccat, servato moderamine conjecturæ, nec nimiùm inhærendo.

Addo tamen quòd cùm ab astris nonnisi levissima ac tenuissima conjectura haberi possit de propensione et inclinatione habituali alicujus hominis, à fortiori ita debilissima ratio conjecturæ haberi poterit de actionibus humanis et effectibus particularibus contingentibus et provenientibus ab eâ inclinatione, ut vix conjectura sit; tum quia caremus perfectâ astrorum scientiâ; tum quia, si sapiens dominetur passionibus suis, ita dominabitur astris. Unde cùm quidam astrologus explorando Socratem, dixisset nec castum nec clarum esse, respondisse fertur, se talem quidem futurum fuisse, sed per abstinentiam se castum, et per studii exercitationem clarum evasisse, corporisque malas passiones philosophiâ superâsse.

Ad Ecclesiæ prohibitionem, respondet Cajetanus, quòd sancta mater timens ne filii ad superstitiosam occultorum inquisitionem declinent, hæc horret et damnat, non injiciendo laqueum animabus, sed prohibendo quæ de se mala sunt, et monendo ne hujusmodi etiam licitis se implicent, ne fortè paulatim ad perniciosa deveniant. Verùm postea, motu Sixti papæ V id videtur fuisse prohibitum, quia, cùm permiserit ex astris judicium de agriculturâ, navigatione, medicinâ, et aliis rebus naturalibus, de quibus constat certum judicium ferri non posse, sed valdè dubium, et deinceps illud judicium absolutè interdicat circa casus fortuitos et contingenter pendentes ex libero arbitrio, etiam cum eo dubio, videtur hoc etiam interdixisse, fortè quia hic quoque modus prænuntiandi futura probabiliter est valdè reipublicæ perniciosus, et expositus multis superstitionum periculis et calumniis divinatorum fingentium id dubium.

Dicendum igitur quòd quando hæc futura prænuntiantur absolutè, aut majori firmitate quàm ex astris haberi potest, ut dicendo esse probabile, est ibi superstitio, quia de futuris merè contingentibus, nullam, vel ferè nullam habentibus connexionem cum inclinationibus hominum, v. g., quòd iste sit futurus rex; quòd post decem annos victoriam sit obtenturus in

mari, ex astris judicium absolutè probabile, aut conjecturalis cognitio, comparari nequit; non videtur tamen prohibitum aliqualiter conjectare effectus contingentes et humanos, habentes aliquam connexionem cum propensionibus, inclinationibus et temperamento hominum, non quidem à solis astris, sed ex his aliisque causis et circumstantiis adjunctis; neque prædicendo in particulari contingentia determinatè in seipsis, sed solùm in communi prænuntiando connexionem dictam propensionum cum suis actibus. De quo etiam alii judicent; videtur tamen D. Thomas hoc indicare 1 p. q. 115, art. 4, ad 3.

§ 6. *Utràm divinatio quæ fit per somnia, per auguria, omina, et alias hujusmodi observationes exteriorum rerum, sit illicita.*

D. Thomas hîc art. 6, divinationem superstitiosam per somnia dupliciter accidere docet, primò ex revelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc invocantur; ad quam reduci debet superstitio quâ quis utitur instar gentilium certo modo aut situ se componendo ad somnum, ut occulta sibi revelentur per somnia; id enim est dæmonis instructionem de industriâ requirere. Secundò, quando extenditur ista præcognitio ad futura casualia aut contingentia libera aut occulta, aut ad ea quæ per somnia certò cognosci nequeunt: tunc enim est tacita cum dæmone conventio et societas, ac reprobatur Levit. 10, Deuteron. 18. Item in Decreto caus. 26, quæst. 7, can. *Non observetis.*

Considerandum igitur est quæ sit causa somniorum; et an possit esse causâ futurorum eventuum, vel ad cognoscendum illos conducere. A multis autem causis somnia procedere tradit D. Thomas hîc art. 6: *Quandoque enim causa est interior; et hæc est duplex. Una quidem animalis, in quantum scilicet ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ ejus cogitatio et affectio fuit immorata in vigilando; et talis causa somniorum non est causa futurorum eventuum; unde hujusmodi somnia per accidens se habent ad futuros eventus: et si quandoque simul concurrant, erit casuale. Altera verò corporalis; nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasiâ conveniens tali dispositioni; sicut homini in quo abundant frigidi humores, occurrunt, in somnis, quòd sit vel in aquâ, vel in nive; et propter hoc medici dicunt esse intendendum somniis ad cognoscendum interiores dispositiones et humorem prædominantem.*

Quandoque causa somniorum est exterior, et hæc similiter est duplex, scilicet corporalis et spiritualis. Corporalis quidem in quantum imaginatio dormientis immutatur vel ab aere circumstante, vel ex impressione cœlestis corporis, ut sic dormientis aliquæ phantasiæ appareant conformes cœlestium dispositioni, sive fiat in imaginatione animalis, v. g., crocitantis, imago pluviæ, sive motus quidam correspondens pluviæ; ita quòd somnium et futura pluvia, sint effectus unius communis causæ cœlestis. Spiritualis verò causa quandoque est quidem à Deo, qui ministerio angelorum aliqua hominibus revelat in somniis, juxta illud Num. 12: « Si quis fuerit inter vos « propheta Domini, in visione apparèbo ei, vèl per somnium loquar ad illum. » Sic Joseph interpretatus est somnia Pharaonis, ejusque pincernæ. Et Daniel somnium regis Babylonis, etc. *Quandoque verò operatione dæmonum aliquæ phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura revelant his cum quibus habent pacta illicita.* Hactenùs D. Thomas.

Discernere autem somnia divina à diabolicis, viri prudentis et confessarii sapientis judicio relinquitur, observatis ferè iisdem regulis quibus veræ Dei revelationes à falsis discernuntur. Duas istas regulas circa somnia assignant communiter auctores. Primò enim considerandum est ad quid somnium impellat, nempe si ad aliquod excitet opus malum, aut indiscretum, etc., signum est esse à dæmone. Si è contra excitet ad bonum, potest existimari esse à Deo; cautè tamen et cum humilitate ac timore est procedendum; solet namque dæmon se transfigurare in angelum lucis, ut postmodùm vana, falsa et perniciosa hominibus suadeat. Secundò, si post somnium animus remaneat confusus, inquietus, turbatus, minùs promptus ac dispositus ad bona opera, indicium est esse à dæmone; si autem sit alacrior, quietior et promptior ad pia opera, signum est, somnium esse à Deo. In dubio tamen, tutissimum est hæc contemnere, tum quia curiosa somniorum observatio ad hoc discrimen agnoscendum, est superflua, quia Deus solet somnium immittens hominem reddere certum de suâ inspiratione; tum quia Eccles. 38, v. 6, dicitur: *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum; multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.* Semper itaque magnâ opus est prudentiâ et discretione spirituum. Et, ut ait Cajetanus hîc, in significationibus somniorum oportet omnes cautelas adhibere, quæ circa cognitionem futurorum ex corporibus cœlestibus jam relatæ sunt. Et tantò plus oportet hîc esse cautiorem, et minùs conjicere ex somnio, quantò somnium est incertissimus effectus cœli; si enim cognitâ cœli naturâ in aliis conjecturarum generibus, adhuc trepidamus conjectantes futura, quid erit quando ignoratur quòd hoc indicium, scilicet somnium sit à causâ cœlesti? Unde ex somniis soli suspicioni relinquitur locus circa futura.

Cùm igitur tam variæ sint causæ somniorum, et ab earum quâlibet somnium æquè provenire valeat, non nisi temerè attribui potest alicui certæ causæ, unamque determinatè inferre, est velle errare. Item somnium temerè determinatur ad aliquid unum significandum; ex eo enim quòd nescitur causa somnii, oportet incertum esse an somnium illud futurum significet; quoniam ex causâ pendet significatio; et nullum videtur somnium procedens ex certâ causâ, quod non possit ab aliâ provenire: et ex hoc periculum imminet cadendi in crimen superstitionis divinativæ per somnia; et adhuc pejus est majusque tale periculum, cùm quis per somnia omittit vel committit contra necessaria ad salutem, aut tantam fidem dat somniis, ut propterea omittat, vel committat contra aliquid ad quod tenetur, quamvis illud non sit de ne-

cessitate salutis, quoniam vanis ac incertis opinionibus seu conjecturis utens quasi certis ad cognoscendum vel operandum aut omittendum circa futura contingentia, meretur ut diabolica illusio se immisceat, ac de vanis fiant perniciosa, et sic in tacitam dæmonum societatem incidatur, dùm paulatim homo tantùm credit somniis, ut illis utatur pro regulis suarum actionum : sicque diabolicâ fraude decipiatur, juxta illud Eccles. 34 : *Multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.* Nec etiam dùm quis ea videt eventu comprobari, debet aliquid ex illis sibi certò persuadere; nam vel casu accidere potuit, vel dæmone procurante, ut hâc ratione faciliùs postea per somnia eum illaqueare valeat; à nullo igitur somnio, exceptis divinis, potest desumi certa cognitio futurorum contingentium, sed duntaxat quædam suspicio, illique fidem adhibere, stultitiam, aut levitatem redolet.

Concludit D. Thomas, quòd si quis utatur somniis ad præcognoscenda futura, secundùm quòd somnia procedunt ex revelatione divinâ, vel ex causâ naturali intrinsecâ sive extrinsecâ, quantùm potest se virtus talis causæ extendere, non erit illicita divinatio. Non se extendit verò ad futura contingentia libera certò cognoscenda, cùm in his homo utatur libero arbitrio, quod non tollitur per istas causas : nec ad alia occulta quæ subterfugiunt etiam corpora cœlestia; unde tunc affectare illorum certam cognitionem ex somniis, esset tacitam inire societatem cum dæmone et incidere in superstitionis crimen, sicut etiam quando est expressa illius invocatio.

Quidam tamen excusant à peccato, saltem lethali, eum qui ex ignorantiâ et simplicitate, absque pertinaciâ, sic erraret, fidem somniis adhibendo. Verùm id limitandum censeo in casu quo persona rudis facilè putaret somnia esse à Deo, aut tenuiter solùm crederet ea, id est, non præstaret illis fidem tanquàm certis, sed solùm indè timorem quemdam conciperet, et cautiùs se gereret, dummodò aliud peccatum non intercedat; cùm enim perfecta ratio superstitionis hìc non inveniatur, videtur iste actus ob imperfectionem excusari à mortali. Instruendi sunt tamen rudes, ne somnia pro lege suorum operum habeant, neque spei aut timori agendi aut omittendi aliquid ex eis nimiùm adhæreant, ne mereantur ut dæmon illis vanis se immisceat ac decipiat ipsos.

De secundâ parte hujus parag. agit D. Thomas hìc art. 7, dicens quòd *motus vel garritus avium, vel quæcumque dispositiones in humanis rebus consideratæ, non sunt causa futurorum eventuum, ut manifestè constat; unde ex eis futura cognosci non possunt sicut ex causis. Relinquitur ergo, quòd si ex eis aliqua futura cognoscantur, hoc erit in quantum sunt effectus aliquarum causarum, quæ etiam sunt causantes, vel præcognoscentes futuros eventus.*

Causa autem operationum brutorum animalium est instinctus quidam, quo moventur motu naturæ : non enim habent dominium sui actûs. Hic autem instinctus potest à duplici causâ procedere, uno quidem modo à causâ corporali; alio modo à causâ spirituali, scilicet vel ex Deo, ut patet in columbâ super Christum descendente, in corvo qui pavit Eliam, et in cete quod absorbuit et ejecit Jonam. Vel etiam ex dæmonibus qui utuntur hujusmodi operationibus brutorum animalium ad implicandos animos hominum vanis opinionibus. Quando igitur hi instinctus non causantur ex causâ spirituali, scilicet vel ex Deo, vel ex dæmonibus, restat ut causentur à causâ corporali. Cùm enim bruta animalia non habeant nisi animam sensitivam, cujus omnes potentiæ sunt actus corporalium organorum, subjacet eorum anima dispositioni continentium corporum, et primordialiter cœlestium. Et ideò nihil prohibet aliquas eorum operationes esse futurorum signa in quantum conformantur dispositionibus corporum cœlestium et aeris circumstantis, ex quibus proveniunt aliqui futuri eventus; futurorum, inquam, naturalium, secùs verò contingentium. Unde superstitiosum est et vanum, ex quibusdam homini fortuitò contingentibus, conjectare aliquid feliciter aut infeliciter eventurum, ut ex certorum animalium aut funeris occursu, ex sternutatione, etc.

Unde in hoc duo considerare oportet, primum quidem ut operationes hujusmodi non extendantur nisi ad præcognoscenda futura, quæ causentur per motus cœlestium corporum, ut supra dictum est; secundò ut non extendantur nisi ad ea quæ æqualiter possunt ad hujusmodi animalia pertinere : consequuntur enim per cœlestia corpora cognitionem quamdam naturalem, et instinctum ad ea quæ eorum vitæ sunt necessaria; sicut sunt immutationes quæ fiunt per pluvias, ventos et alia hujusmodi. Hactenùs D. Thomas.

Augurium igitur et auspicium si absque damnatis artibus fiant, capiendo conjecturam futuri eventûs ab audito garritu, aut inspecto motu avium, etc., quandoque tolerari possunt, dummodò adsint debitæ circumstantiæ, puta quòd ex illis non sumatur nisi suspicio seu conjectura, et de his tantùm ad quæ cœlestia corpora se extendere possunt; nam sicut in cæteris suspicionibus homo prudenter se habere debet, ita et in istis. Vel possunt esse venialia si aliqua circumstantia desit, puta quia nimis quis credit aut timet propter hujusmodi signa. Qui autem his signis ita deditus est, ut ea pro lege suorùm operum habeat, sine causâ Christianus est; cùm hæc christianæ religioni adversentur, utpote ad sacrilegas artes divinatorias quibus idololatræ utebantur spectantia, et damnatur Levit. 19 et Deuteron. 18. Divinatio itaque fit per auguria, etc., ita ut extendatur ultra illud ad quod pertingere potest secundùm ordinem instinctûs naturalis, vel divinæ providentiæ, est superstitiosa et illicita. Et eadem videtur esse ratio de aliis omnibus divinationibus relatis; facilè enim dæmon se illis immiscet, tacitaque ejus invocatio intervenit, dùm quis seriò nimiùm illis adhæret, indeque certò futura prænuntiare affectat.

Specialem autem rationem ponit D. Thomas de *omine*, eò quòd verba humana quæ accipiuntur pro *omine* non subdantur dispositioni stellarum; disponuntur tamen secundùm divinam providentiam, et quandoque secundùm dæmonum operationem; quare,

si extendatur hæc divinatio ultra id ad quod potest pertingere secundùm ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ, est superstitiosa et illicita. Idque pro regulâ generali in his materiis semper est habendum.

§ 7. *Utrùm divinatio quæ fit per sortes sit licita.*

Sortes propriè sunt actus humani consultò seriòque facti à nobis, ut eorum eventu considerato aliquid occultum innotescat. Ita D. Thom. opusc. 25 de sortibus, et hîc art. 8; quando enim res ad vitam humanam pertinentes, per propriam industriam et prudentiam homines cognoscere et ad effectum perducere nequeunt, per sortes inquirere et efficere aliquando tentant. Et quidem si quæratur judicio sortium quid cui sit adhibendum, sive sit honor seu dignitas, seu pœna aut actio aliqua, vocatur sors *divisoria*. Si autem inquiratur quid agere oporteat, et per humanam prudentiam dubitatio vinci nequeat, si sors loco consilii tunc succedat, vocatur sors *consultoria*. Si tandem inquiratur quid sit futurum, vocatur sors *divinatoria*. Igitur inquisitio occulti excedentis humanam industriam, per aliquid à nobis seriò factum in rebus humanis ad nos pertinentibus vel habendis, vel utendis, vel cognoscendis comprehendit *sortem divisoriam*, *consultoriam et divinativam*. Cùm autem sortium eventus expectari possit à triplici causâ, nempe à cœlo, à fortunâ, et à spiritu dirigente, si expectetur à cœlo, quasi actus humani, qui ad sortes requiruntur, sortiantur effectum secundùm dispositionem stellarum, vana et falsa est opinio, et per consequens non carens dæmonum ingestione, indeque talis divinatio erit superstitiosa et illicita. Si verò expectetur à fortunâ benè sanèque intellectâ, quod solùm potest habere locum in sorte divisoriâ, non videtur habere nisi fortè vitium vanitatis. Si verò expectetur à causâ spirituali sortis judicium, et quidem à dæmone, sicut legitur de rege Babylonis Ezech. 12, tales sortes sunt illicitæ et secundùm canones prohibentur. Si à Deo, tunc sors secundùm se non est quid malum, ut dicit August., et habetur cap. 16 Proverb. : *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*, dummodò tamen observentur conditiones debitæ, mox referendæ.

Sortes in actibus humanis multipliciter fieri solent, nempe vel in taxillorum emissione; vel in aliquarum chartularum descriptione; vel in signis resultantibus in plumbo liquefacto et in aquam projecto; vel ex designatione festucæ aut paleæ, quam quis eligit ex duabus oblatis æqualibus vel inæqualibus; vel ex quibusdam schedulis scriptis aut non scriptis in occulto positis indeque extractis; vel ex consideratione ejus quod aperienti librum primò occurrit, etc. *Uti sortibus*, inquit Cajetanus in Summâ, v. Sors, *non est ex genere suo malum, sed solùm ex admixtâ irreligiositate, aut injustitiâ, aut imprudentiâ : secùs admixtâ religione, prudentiâ et pace.* Et secundùm hanc regulam judicandum est de sortibus. Dùm igitur sortes eâ ratione exercentur ut à Deo dirigantur, fiatque divisio, consilium, vel cognitio, tunc requiritur primò ut adsit necessitas inducens ad sortes : nam si absque necessitate ad eas recurratur, hoc videtur ad Dei tentationem pertinere, ubi operâ humanâ provideri potest. Unde Ambrosius dicit super Lucam : Qui sorte eligitur, humano judicio non comprehenditur. Secundò requiritur ut adsit debita reverentia ex parte hominis recurrentis ad sortes. Nam si occurrente etiam necessitate, divinum judicium sortibus requiratur irreverenter et sine devotione, est peccatum veniale : nec enim omnis irreverentia est mortalis, nisi foret notabilis. Tertiò ut servetur modus proportionis, nempe ut divina oracula ad terrena negotia non convertantur. Ex hoc tamen quòd Evangelia ad secularia negotia consulantur, non incurritur peccatum mortale, juxta Cajetanum ubi supra, quia id non est contra divinam reverentiam, sed præter eam videtur : ideò hoc displicuit Augustino ad inquisitiones Januarii, Epist. 119, cap. 20. Quartò ex parte materiæ debitæ, ne scilicet in electionibus ecclesiasticis, utpote quæ Spiritûs sancti motione et inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur. Id enim est prohibitum cap. fin. de Sortileg. Nam in electionibus ecclesiasticis tractatur de re divinâ et hæreditate æternâ, quam non expedit tractare per sortes. Unde illicitum est plures idoneos ad beneficium vel officium nominare, et unum ex illis per sortes eligere. Imò in casu quo plures bis aut ter habuerint plura suffragia paria, non licet eorum alterum sortibus eligere, nec etiam sortibus compromissarios designare qui electionem faciant. Circa autem D. Matthiæ electionem, vide D. Thomam hîc, et ea quæ à nobis dicta sunt in fine tom. 3 de Just., ubi de Sortibus etiam est sermo.

Sors *divisoria*, cùm nihil aliud sit quàm contractus fortunæ in quo conditionem partes subeunt æqualem acquirendi aut perdendi, est licita, dummodò serventur debitæ conditiones, nempe primò ut eventus non expectetur à dæmone, nec ab astris, nec à fato e fortunâ tanquàm Deâ ex necessitate causante eventus hominum, prout à gentilibus usurpabatur. Sic enim foret contra religionem, sed sumptâ pro divinâ providentiâ ordinante, et disponente causas ad talem eventum. Secundò ut necessitas immineat, v. g., quando fit ad contradictiones humanas dirimendas, quæ aliter terminari non possunt. Tunc enim licitum est cum debitâ reverentiâ sortibus judicium divinum implorare. Unde August. dicit Epist. 180 ad Honoratum : *Si inter Dei ministros sit disceptatio qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga omnium fiat, et qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia; si hæc disceptatio aliter non potuit terminari, quantùm mihi videtur, qui maneant et qui fugiant, sorte eligendi sunt.* Idem fieri potest tempore pestis, inter religiosos vel medicos. Item in tempestate maris periculosâ, inter merces diversorum mercatorum, ad sciendum quænam sint projiciendæ. Item inter milites quando tempore belli est contentio, quinam ex ipsis priùs hostes aggredi vel castrum oppugnare debeant. Item ad dirimendas lites inter hæredes aut legatarios, etc. Similiter si duo essent in æquali necessitate extremâ constituti, et aliquis non haberet unde

duobus succurrere posset, sed uni tantùm : tunc nihil justius faceret, quàm ut sorte eligeret cui dandum esset, ut expressè docet D. August. l. 1 de Doct. christ. c. 28. Tandem quando princeps ut rem gratam alicui faciat, non vult omnes reos mortis plectere, sed aliquos tantùm, curat mitti sortes, ut designentur quinam sint interficiendi. Tunc enim nulli facit injuriam, cùm omnes sint rei mortis, et par sit illorum conditio, ut suppono. Tertiò, ut non violetur justitia, sed illæsum servetur jus partium. Quartò ut sors non adhibeatur in electionibus ecclesiasticis, sed solùm in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrena disponenda ordinantur. In quarum proinde electione, sicut et in temporalium rerum divisione, plerùmque homines sortibus utuntur, vitando tamen imprudentiam : omnis enim actus humanus prudenti circumspectione, cautelâ et ratione, formandus est. Item cavendo ne fiat cum periculo boni communis aut privati, aut justitiæ, ut si fortè regiminis electiones fiant admissis promiscuè ad sortes tam dignis quàm ineptis et indignis : ex hoc enim periclitatur respub., ut patet. Secùs dicendum si post admissos et nominatos plures qui pro idoneis et aptis ad hæc officia communiter habentur, sortibus deinde committatur, quis illorum sit aliis præferendus et instituendus, ut benè monet Cajetanus in utrâque Summâ.

Sors *consultoria*, quâ consulimus quid agendum sit, easdem exigit conditiones ad suî rectitudinem, et vix in praxi est licita; plerùmque enim sine peccato tentationis Dei non contingit, cùm ordinariè velit Deus aliter quàm per sortes voluntatem suam à nobis indagari, nempe ex Scripturâ sacrâ et doctrinâ in Ecclesiâ receptâ, ex doctorum aut virorum prudentum consilio, ex recursu ad orationem piaque opera, cum omni humilitate, simplicitate, timore et reverentiâ divinum implorando auxilium, etc. Sors *divinatoria* est illicita et damnata, utpote dæmonum societati innixa, ideòque est peccatum mortale ex genere suo superstitionis contra religionem, quandoque etiam injustitiæ, si ea cognitio occultorum tendat ad infamandum aut puniendum innocentem, supra quem fortè sors cadit, vel reum occultum, cujus crimen aliter probari nequit. Hinc sortilegium, quo explicitè vel implicitè ad dæmonis auxilium, seu consilium sorte recurritur, est peccatum mortale, ut cùm quis per sortes inquirit quis furtum commiserit, aut aliquid hujus modi ad divinationem pertinens. Et simile est si sorte quæratur quid agendum, sortilegii enim crimen, et *divinatoriam* et *consultoriam* sortem comprehendit, dùm ad dæmonem recurritur non solùm explicitè, sed etiam implicitè, ut contingit per sortes inquirentibus occulta, et universaliter ea quæ à solâ naturâ intellectuali sciri aut fieri possunt. Ex eo enim quòd non quærunt à Deo, nec à naturâ, nec à fortunâ hoc expetunt, coguntur, velint nolint fateri quòd ad dæmonem recurrunt : implicitè quidem, dùm ad sortes, ut institutas ad hunc effectum recurrunt; explicitè autem sicut in aliis divinationibus et incantationibus contingit. Ita Cajet. in Summâ.

Advertit tamen idem Cajetanus hîc, quòd licet circa dæmonis expressam invocationem et expectationem, idem sit judicium de sortibus et de aliis, non tamen circa tacitam, idque ob fortunæ admixtionem; nam in aliis, nempe astris, somniis et signis, statim dùm vires naturæ excedunt, oportet ut qui dat illis operam ad Deum vel ad dæmonem recurrat; sicque neglecto Deo incurritur tacita dæmonum societas. In sortibus autem, à tacitâ invocatione dæmonum remotior est illorum usus, eò quòd eis utentes, non solùm jocosè, sed seriò, sive prudenter sive stolidè hoc faciant, sæpè fortunæ se committunt. Tandem D. Thomas hîc art. 8, ad 3, loquens de purgationibus vulgaribus, ait, quòd judicium ferri candentis, vel aquæ ferventis ordinatur quidem ad alicujus peccati occulti inquisitionem per aliquid quod ab homine fit; et in hoc convenit cum sortibus. In quantum tamen expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo, excedit communem sortium rationem. Unde hujusmodi judicium illicitum redditur, tum quia ordinatur ad judicanda occulta, quæ divino judicio reservantur; tum etiam quia tale judicium non est divinâ auctoritate sancitum. Unde prohibetur caus. 2, q. 5, can. *Consuluisti*. Et eadem videtur ratio de lege duellorum, nisi quòd plus accedit ad communem actionem sortium, in quantum non expectatur ibi miraculosus effectus, nisi fortè quando pugiles sunt valdè impares virtute, vel arte, de quo alibi.

Physionomia et chiromantia naturalis est licita, quatenùs ex corporis dispositione, aut lineis et partibus manuum, aliquis probabiliter conjectat corporis temperiem, et ex hâc probabiliter indagat animæ affectus et propensiones. Astrologica verò est superstitiosa et omni jure damnata, quia multa vana et falsa permiscet; ex aspectu enim partium corporis humani prædicit prosperos et adversos hominis eventus et multa alia, quæ inde sciri nequeunt; unde damnatur à Sixto papâ V, et libri hanc scientiam docentes interdicuntur. Item ex D. Thomâ, 2-2, q. 95, art. 1, ad 2.

§ 8. *De superstitionibus vanarum observantiarum.*

Hæc est tertia species cultûs divini exhibiti creaturæ ut Deo, proindeque vitii superstitionis; quæ in hoc differt à divinatione, quòd illa tota referatur ad cognitionem futurorum et occultorum modo indebito consequendam : ista verò licet habeat aliquid talis cognitionis admixtum, præcipuè tamen ordinatur ad effectum externum tanquàm ad finem, nempe ad commoda, quandoque et nocumenta mediis vanis, inutilibus et superstitiosis procuranda. Hujus malitia consistit in hoc quòd creaturæ divinus honor tribuatur tanquàm Deo, expectando ab eâ mediis inutilibus et inefficacibus effectus à Deo expectandos, per media quæ ipse constituit, et non quæ dæmon adinvenit. Unde innititur pacto expresso aut tacito cum dæmone : sicque definiri potest : Superstitio, quâ media inutilia seriò adhibentur ad consequendas aliquas commoditates, ad quas talia media nec à Deo nec à naturâ ullam virtutem habent. Tunc enim illis utens, ac vo-

lens inde consequi effectum intentum, ipso usu et facto protestatur se dæmonem tacitè implorare, ut eis se ingerat, cùm non possit aliter petitis frui, quàm iniundo cum ipso societatem.

Hujus vanæ observationis D. Thomas ponit quatuor species, 2-2, q. 96, et quatuor articulis explicat. Prima est *ars notoria* seu observantia ad scientias indebito modo comparandas. Secunda est *observantia sanitatum*, quæ videlicet ordinatur ad aliqua corpora immutanda. Tertia est observatio *futurorum eventuum*, quæ scilicet ordinatur ad conjecturas sumendas fortuniorum, vel infortuniorum. Quarta tandem est observantia *sacrorum verborum ad collum suspensorum*.

Ars notoria juxta D. Thomam art. 1, est superstitio quâ quis affectat et credit se consecuturum scientiam absque labore et studio, per quædam jejunia, orationes, inspectiones figurarum, prolationes verborum ignotorum, aliaque similia vana et inefficacia. Unde hæc ars his non utitur tanquàm causis, cùm de se nequeant causare et procurare scientiam; sed solùm tanquàm signis; non autem ut signis divinitùs institutis, sicut sunt sacramentalia signa, ut constat. Restat igitur ut sint supervacua signa, et per consequens pertinentia ad pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata. Ideòque ars *notoria* est illicita, penitùs repudianda et fugienda à Christiano, sicut et aliæ artes nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ut dicit D. August. lib. 2 de Doct. christ., cap. 23. Et hæc superstitio est peccatum mortale propter initam societatem cum dæmone, ex cujus institutione hæc observantur. Insuper hujusmodi ars est inefficax ad scientiam acquirendam, cùm per eam non intendatur acquisitio scientiæ per modum homini connaturalem, nempe ab inveniendo, vel addiscendo, studendo, etc., sed per infusionem et absque studio. Consequens est, quòd iste effectus expectetur vel à Deo, qui tamen hoc donum non confert quibuscumque aut cum certâ observatione, etc., sed secundùm arbitrium Spiritùs sancti, distribuentis singulis prout vult: vel à dæmone, qui tamen nequit illuminare intellectum per illapsum et infusionem, ut ostenditur 1 p., q. 105, art. 3. Nec proinde subitò scientiam infundere, licet possit verbis docere hominem, ac colloquendo aliqua scientiarum documenta exprimere, si Deus permitteret: verùm id non quæritur per artem *notoriam*, cùm perquiratur possessio scientiæ subitò per infusionem, et non per disciplinam et studium.

Dices : Ideò videtur esse inordinatum à dæmonibus inquirere de futuris, quia ea non cognoscunt, cùm id sit proprium Dei. Atqui dæmones sciunt veritates scientiarum. Ergo, etc. — Resp. quòd exquirere cognitionem futurorum à dæmonibus, non solùm est peccatum, propter hoc quòd ipsi futura non cognoscunt, sed propter societatem cum eis initam, quæ etiam in proposito habet locum. Ita D. Thomas art. 1 cit. ad 3. Unde non sola societas consummata, et inita cum dæmone, est illicita, et constituit peccatum mortale.

Circa observationes ad corporum immutationes ordinatas, puta ad sanitatem, vel ad aliquid hujusmodi, D. Thomas art. 2, hanc regulam generalem statuit, nempe quòd in his quæ fiunt ad aliquos particulares effectus inducendos, considerandum est utrùm naturaliter videantur posse tales effectus causare : sic enim non erit illicitum; licet enim causas naturales adhibere ad proprios effectus. Unde si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est quòd nec adhibeantur ad hos effectus causandos tanquàm causæ, sed solùm quasi signa, unde pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita, ut indicat D. August. lib. 2 de Civit., cap. 8. Ergo istæ observationes sunt illicitæ, ut docet idem August. lib. 2 de Doct. christ., cap. 20. Non enim absque necessitate recurrendum est ad miraculum; et ut ait Gerson. 2 p. Alphab. 33, litt. 1, observandum est pro regulâ generali circa talia, quæ sunt innumera, quòd nunquàm attribuenda est virtus aliqua supernaturalis quibuscumque rebus, nisi id trahi possit ex Scripturâ sacrâ vel traditione Ecclesiæ, vel ex divinâ revelatione approbatâ; et oppositum credere, speciem superstitionis habet.

Hinc si alicui fœminæ tribuatur potio ad fascinandum, ac incendendum amorem venereum, vel aliquid aliud circa illam præstetur, quod de se non habeat virtutem naturalem ad hunc effectum, censetur vana observantia, et ope dæmonis procuratur. Secùs dicendum si quædam observentur ad procurandum indirectè amorem venereum concitando humores, accendendo semen, perturbando imaginationem, quæ ad hoc vim naturalem habeant. Est tamen hic actus peccatum aliunde, scilicet ex malo fine coeundi, et ex nocumentis quæ talia adhibita corpori afferunt. Sed de hoc magis infra. Hinc tanquàm superstitiosum, quidquid dicant medici, damnant auctores modum illum curandi ægrotum vulneratum valdè distantem, applicando unguentum aliquod aut pulverem sympathiæ dictum panno lineo, aut baculo, aut gladio vulnerati sanguine tincto, cùm nulla hujus subitæ curationis causa naturalis in hoc probabiliter appareat, ut probat Bonacina disp. 3 in 1 Decal. q. 5, punct. 4, prop. 2, num. 18.

Et ibidem num. 20 dicit non esse simpliciter de superstitione damnandos homines quarumdam familiarum dantes operam medendi quibusdam morbis, eamque peritiam successivè de patre in filios habentes; quia id potest esse secretum naturale, aut virtus et gratia gratis data à Deo. Tales nihilominùs personæ diligenter forent examinandæ ab ordinariis locorum, aut à confessariis, antequàm hoc munus exercere permitterentur. Hinc imagines astronomicæ habent effectum ex operatione dæmonum, atque adeò illicitum est illis uti ad sanitatem aliumve similem effectum obtinendum, ut probat D. Thomas ad 2, cujus signum est, quòd necesse est inscribi quosdam characteres, qui naturaliter ad nihil operantur : non enim naturalis actionis principium est figura. Sed in hoc distant imagines astronomicæ à necromanticis, quòd in istis fiunt expressè invocationes ad præstigia quædam; unde pertinent ad pacta expressa cum dæmoniis inita : in

astronomicis imaginibus verò sunt tacita quædam pacta per quædam figurarum seu characterum signa. Imagines verò quas quidam ponunt in cœlo, sunt prorsùs commentitiæ. Et dato quòd essent veræ, adhuc imagines sublunares per artem his similes formatæ, non haberent per hanc consonantiam et conformitatem, vim et efficaciam ad corpora transmutanda in materiâ. Cùm enim sit tantùm relatio et denominatio extrinseca, nihil conferre potest ad influentias suscipiendas, idcòque hoc est merè figmentum et inventio diaboli, homines decipere volentis, et conantis, sub velamine imaginum, annulorum, characterum, aliorumque signorum et rerum vanarum.

Nec obstat quòd, sicut corpora naturalia subjiciuntur cœlo, indeque ex ejus impressione consequuntur virtutes activas occultas, ita et artificialia, puta imagines, etc., non obstat, inquam, ob latam disparitatem. Quia ideò naturalia è cœlo sortiuntur virtutes activas, quia ex impressione cœlestium corporum sortiuntur etiam formas substantiales, quas virtutes naturales eorum consequuntur : at verò corporum artificialium formæ procedunt ex conceptione artificis, et cùm nihil aliud sint quàm compositio, ordo, et figura, ut dicitur in 1 Physic., non possunt habere naturalem virtutem ad agendum. Figura enim resultans ex illis duobus, nempe ex compositione et ordine, nequit esse operationis naturalis principium, quod est naturalis potentia, proindeque artificiata ut talia, non habent talem virtutem ex se; neque ab impressione siderum, quia artificiatum, ut tale, est opus voluntarium à conceptione et voluntate artificis procedens. Opera autem voluntaria non subduntur impressioni corporum cœlestium, nisi quoad materiam, sicut nec ipsa voluntas, à quâ procedunt, illis subditur et inde est quòd ex impressione cœlestium corporum nullam virtutem sortiuntur in quantum sunt artificialia reduplicativè, sed solùm secundùm materiam naturalem quâ fabricantur; v. g., si imago sapphirina sanguinem fluentem cohibeat, effectus iste nequit tribui figuræ et imagini, sed sapphiro quoad materiam suam considerato. Ita D. Thomas hîc, per quod satis ostendit, quòd in 3 contra gentes, cap. 105, non locutus est in personâ et opinione propriâ, sed aliorum, quando innuit quòd imagines astronomicæ sunt tolerabiles, si absque characteribus fiant. Vel, ut ait Cajetanus hîc, figura est actionis naturalis comprincipium et dispositio ad formam quæ est naturalis actionis principium; nam sicut figura hominis est consequens formam hominis, ita similis figura est dispositio in materiâ ad suscipiendam formam hominis; et figura cujuscumque organi corporalis, puta cordis, manûs, etc., est dispositio ad formas organicas, et ad operationes, non quatenùs figuræ sunt, sed quatenùs sunt quædam terminationes corporum naturalium. Ideò nihil prohibere videtur quin figura quæ artificio humano ponitur terminare tale corpus sub tali sidere ob conformitatem, possit influxum participare : hoc enim non verificatur de artificialibus in quantum artificialia sunt, sed solùm ut terminationes, etc. Et sic semper intacta manet doctrina D. Thomæ, nempe quòd figura nullius sit operationis naturalis principium, et quòd artificiata ut talia reduplicativè nihil habeant à cœlo, et quòd duo loca D. Thomæ inter se concordent. Verùm de hâc Cajetani subtilitate alii judicent, ego autem standum censeo solidæ D. Thomæ doctrinæ hîc in Summâ, seu ultimo suo testamento nobis traditæ.

Hinc etiam non carent vanâ observatione, qui utuntur lapidibus, herbis, lignis, animalibus, pulvere, carminibus, artibus vanis, chartulis, etc., ad faciendum aliquid, puta ad sanandum dolorem capitis, et aliorum membrorum, ad curandum equum aliaque animalia, ad sistendum sanguinem, medendum vulnus, etc., cùm, ut suppono, ea remedia non habeant virtutem naturalem, nec supernaturalem ad tales morbos curandos, solùmque proinde ex vi pacti cum dæmone initi procuretur sanitas. Imò est superstitio adjungendo cum mediis naturalibus aliqua vana, ut colligere herbas aut scindere venam die Veneris, tot candelas talis coloris, totque signa crucis adhibere, etc.

Quidam excusant illum qui ad curandum morbum adhiberet remedia, de quibus dubitat an habeant virtutem naturalem ad sanandum, dummodò sincerâ voluntate protestationem præmittat, nolle se effectum consequi si ex aliquo pacto cum dæmone ea virtus proveniat. Secùs dicendum quando certò vel probabilissimè constat actum esse superstitiosum, seu rem esse prorsùs vanam et inutilem ad talem effectum; tunc enim malitia superstitionis intervenit. Nec tunc protestatio prodest, cùm sit contraria facto, nisi fortè id fiat ad convincendum homines, et confundendum dæmones, prout fecit Cajetanus de annulo : quando verò fit ad experiendum effectum, seu adhibetur aliquid, aut profertur verbum ut habens vim ad talem effectum, intervenit superstitio, et factum protestationi contrarium est. Talia remedia exercentes ad sanandum, neque naturaliter neque ex divino aut ecclesiastico instituto ad id vim habentia, non excusantur à mortali, nisi propter imperfectionem actûs ipsorum hominum, quatenùs non per se seu ex intentione, sed per accidens et materialiter tantùm dæmonem invocant, puta quia nesciunt intervenire ibi dæmonum invocationem, et bonâ fide credunt se dare operam rei licitæ.

Hæc porrò ignorantia tacitæ invocationis et cultûs dæmonis, potest quidem habere locum in idiotis et simplicibus, quamdiù non sunt moniti, ut hæc deserant : nam post monitionem si non desistant, non excusantur ampliùs à mortali, quia cessat bona fides. Et inde convincuntur quòd non per ignorantiam peccant, qui postquàm sciunt aut dubitant de invocatione dæmonum, nihilominùs faciunt. Et similiter non excusantur de præteritis ignorantes, qui, si scivissent, nihilominùs fecissent, quia ignorantia non fuit causa illius actûs. Ita Cajetan. in Summâ, verbo *Incantatio*. Unde acriter reprehendendi et monendi sunt varii generis homines, vel ex ignorantiâ vel ex malitiâ similibus implicati superstitionibus, ut pastores ad gregem

suum à lupis aut scabie, aliisque incommodis tutandum. Item fabri ferrarii circa equos sanandos. Item rustici qui multis vanis et superstitiosis ad propria et animalium suorum commoda, utuntur, vel recurrunt ad eos qui hujusmodi callent. Item vetulæ, quæ contra morbos et dolores, nescio quibus chartulis, vanissimis verbis et orationibus, quandoque etiam afflatu, etc., utuntur, et vanâ quâdam confidentiâ id affectant.

Circa observationes futurorum eventuum, distinguendum est. Si enim prudenter, cum ratione et arte fiant, ut dùm ex suis causis præcognoscuntur, tunc non sunt superstitiosæ et illicitæ. *Sic*, inquit D Thomas hîc art. 3, ad 1, *quia infirmitatum causæ præcedunt in nobis, ex quibus aliqua signa procedunt futurorum morborum, ea licitè à medicis observantur. Unde et si quis præsagium futurorum eventuum consideret ex suâ causâ, non erit illicitum, ut si servus timeat flagella videns iram domini sui.* Et simile etiam esse posset, si quis timeret nocumentum alicui puero ex oculo fascinante, ut dictum est 1 p. q. 117, art. 3, ad 2; item si quis ex subito et terrefacto volatu avium denuntiet ibi latere insidias unde aves recesserunt, non est superstitio, sed humana industria. Hinc etiam licitè observantur dies critici, annique climaterici ad periodum humorum et constitutionum. Item somnia, pulsum, urinam infirmi, rectè observant medici. Similiter agricolæ non illicitè observant causas sterilitatum, et nautæ tempestatum, ut sibi provideant. Et sic de cæteris. Si verò homines hujusmodi observationes attendant non ut causas, quia revera non possunt esse causæ, sed ut signa quædam futurorum eventuum vel bonorum vel malorum, impertinentia, vana, sine ratione et arte, *tunc*, inquit D. Thomas hîc art. 3, in corp., *cùm non observentur ut signa à Deo tradita, eò quòd non sunt introducta divinâ auctoritate, observantur ex vanitate humanâ, cooperante dæmonum malitiâ qui nituntur animos hominum hujusmodi vanitatibus implicare. Et ideò manifestum est omnes hujusmodi observationes superstitiosas esse et illicitas. Et videntur esse quædam reliquiæ idololatriæ, secundùm quam observabantur auguria, et quidam dies fausti vel infausti, quod quodammodo pertinet ad divinationem, quæ fit per astra; secundùm quæ diversificantur dies*: *videtur quòd hujusmodi divinationes sint sine ratione et arte, unde sunt magis vanæ et superstitiosæ.* Hactenùs D. Thomas.

Quasdam hujusmodi observationes refert D. Thomas hîc in *Sed contra* ex D. August. lib. 2 de Doctrinâ christ. cap. 20, ubi ait quòd ad pacta cum dæmonibus inita pertinent millia observationum, puta si membrum aliquod salierit, si junctis ambulantibus amicis, lapis aut canis, aut puer, medius intervenit et transit; si surgentem è lecto sternutare contingat, redire ad lectum; si domo egredientem limen calcare aut offendere ante ostium contingat, redire ad domum. Cùm vestis à soricibus roditur, plus timere superstitiones mali futuri, quàm præsens damnum dolere, etc. Item dum quis domo egreditur, si canis aut funus ipsi occurat, si dùm iter incipit, mustellam aut leporem in viâ deprehendat. Si canis de nocte sub fenestrâ ululaverit, si sal in mensâ ceciderit; si tredecim in convivio sedeant, si duo cultelli in modum crucis sint repositi; si auris sinistra tinniat; si surgentes è lecto primùm terram pede sinistro tangant. Hæc et similia incidentia tanquàm futurorum infortuniorum præsagia homines vani et superstitiosi habere solent. Item superstitiosi censentur, qui recitant certam orationem, aut casu aliquo vadunt, ut sciant cui nubere debeant; et ex primo occurrente præsagiunt quales sint nuptias sortituri, vel ex ovo in phialam aquâ plenam immisso, etc. Item, juxta aliquos auctores, peccant venialiter ludentes, dùm mutant locum, vel tantisper surgunt, ad abjiciendum malam fortunam, ut ipsi loquuntur: imò peccant mortaliter dùm astrologos consulunt ad sciendum quibus temporibus et horis dierum ludum exercere valeant, ut eis prosperè succedat, vel ad hoc utuntur annulis, aut characteribus.

Ad hanc superstitionem spectat observatio dierum, quasi quidam sint fausti, quidam infausti, cùm tamen omnes de se sint boni, nihilque mali contineant, utpotè à Deo ordinati, juxta illud Psal. 73: *Tuus est dies*, etc.; et alibi: *Ordinatione tuâ perseverat dies.* Solùmque ex influentiâ siderum Deo sic disponente, recipiant aliquas qualitates et impressiones in naturalibus, propter quod licitum est, colligendis herbis, scindendis lignis, serendis agris, putandis vineis, purgandis corporibus, tondendis ovibus, navigationi incundæ, aliisque peragendis, aptiora tempora et convenientiorem cœli dispositionem observare. Secùs dicendum circa futura contingentia aut merè per accidens et omninò casualia; puta si tali horâ è domo egrediatur, tegulâ obructur. Si tali die iter agat, à feris vel ab hostibus occidetur. Si in meridie recumbat, inveniet thesaurum; si feminæ nent decem illis diebus post festum natalis Domini, omnes illarum fœtus qui eo anno nascentur erunt claudi, tam ex hominibus quàm ex animalibus. Si ungues præscindantur die Veneris, aut aliis erratis, seu in quorum nomine reperitur R., pelliculæ avellentur ex digitis, et dolorem incutient. Item ova quæ gallina parit in die parasceve servata, habent virtutem extinguendi ignem in illum injecta. Item herbæ collectæ in festo S. Joannis Baptistæ summo mane ante solis ortum habent virtutem sanandi animalia, et dissipandi tempestates ac grandines, dùm postea illis ingruentibus concremantur, et sic de infinitis hujusmodi vanitatibus.

Quas reprobat Apostolus ad Galatas 4, Gentiles reprehendens recenter conversos, quòd iterùm converterentur ad pristinas superstitiones: *Dies observatis menses, tempora et annos*, ut exponunt D. Augustinus Epist. 119, cap. 7, in Enchirid. cap. 79, ad Galat. 4, D. Ambros., D. Anselmus et D. Thomas super hunc locum; interdicuntur etiam causâ 26, q. 7, can. *Non observetis*, et can. *Quis existimaret*, ibidem, et can. *Si quis Calendas*, anathemate feriuntur qui Calendas Januarii ritu paganorum colere, vel aliquid plus novi facere propter novum annum præsumpserint. Narrat autem Suetonius in Augusto et Caligulâ diem primum

Januarii magnâ celebritate apud ethnicos celebrari solitum. Inter autem cæteros ritus dabantur *Strenæ*, id est, certa quædam munera in *omen*, id est, precationem bonam novi anni prosperè decursuri. *Strenam* quidam dictam volunt quasi *ternam* à ternario numero, in precationem scilicet alterius anni tertiique venturi, fausti et commodi, et ut nos dicere solemus *ad plures annos;* alii deducunt ab *strenuitate*, eò quòd datis illis muneribus omnia fausta et strenua optabantur ac sperabantur. Propter autem tales et similes ethnicorum superstitiones, damnatæ fuerunt à conciliis et canonibus, quasi mitterentur Jano in honorem. Verùm cùm nunc à Christianis hoc modo superstitioso non usurpentur strenæ, sed in honorem circumcisionis Domini aut amicitiæ fovendæ et recreationis causâ, ex consuetudine fiant, non videntur reprobandæ. Si tamen id facerent tantùm ut omen certum prosperi eventûs, et fausti anni signum, non careret aliquâ vanâ superstitione.

Qui igitur ex consideratione quorumdam impertinentium et casualium eventuum præsagiunt quid prosperi aut adversi futurum sit, indeque actiones suas moderantur, observantes aliqua tempora, loca, verba, audita, vel occursus hominum, aut animalium, etc., incidunt in istam superstitionis speciem; quæ differt à divinatione in hoc quòd non quæruntur signa, sed casu occurrunt. Nec quæritur notitia, sed intenditur potiùs directio operationum ad aliquod malum vitandum, aut bonum obtinendum; propter societatem autem aut pactum tacitum cum dæmone, est peccatum mortale ex genere suo. *Si enim*, ait D. Thomas hîc art. 1, ad 2, *quòd à principio in istis observationibus aliquid veri homines experti sunt, hoc casu accidit. Sed postmodùm, cùm homines incipiunt suum animum hujusmodi observantiis implicare, multa secundùm hujusmodi observationes eveniunt per deceptionem dæmonum, ut homines in his observationibus implicati, curiosiores fiant, et se magis inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris, ut Augustinus dicit* 2 *de Doct. christ. cap.* 23.

Auctores tamen docent, simplices et mulieres, in his ordinariè solùm venialiter peccare, ratione ignorantiæ et bonæ fidei. Tum quia id à majoribus se accepisse dicunt, nec apprehendunt ut malum, sed ad bonas causas sibi ignotas referunt. Tum quia non adhibent fidem efficaciter his observantiis tanquàm certis, sed tantùm quemdam inde timorem concipiunt, dubitantes ne præsens occursus sit signum alicujus futuri, ex communi utriusque causâ cœlesti, vel etiam ex divinâ providentiâ; propterea tamen non desistentes ab operibus prudenter agendis, sed solùm cautiùs vigilantes, etc., ut dictum est supra. Tandem circa observantiam orationum et rerum sacrarum, D. Thomas hîc art. 4, ait, quòd *proferre divina verba aut invocare divinum numen, si respectus habeatur solùm ad Dei reverentiam, à quâ expectatur effectus, erit licitum: si verò respectus habeatur ad aliquid vanè observatum, erit illicitum, tum in verbis prolatis, tum in scriptis gestatis.*

Quare plura in his sunt cavenda. Primò quidem, quid sit quod profertur vel scribitur; quia si est aliquid ad invocationem dæmonum pertinens, manifestè est superstitiosum et illicitum. Similiter etiam videtur esse cavendum si contineat ignota nomina, ne sub illis aliquid illicitum lateat, ut dicit Chrysostomus homil. 43 operis imperfecti in Matth. Est etiam cavendum ne aliquid falsitatis contineat, quia sic ejus effectus non posset expectari à Deo, qui non est testis falsitatis, puta, inquit Cajetanus in Summâ, verbo *Incantatio*, quòd Christus habuit febrem, aut spasmum nervorum, et hujusmodi. Est enim diabolus pater mendacii, Deus autem non eget mendaciis nostris; et huic modus propinquus est præcedens, nempe quando adhibentur verba incerta et ignota. Mirum enim est quòd hujusmodi incerta habeant à Deo virtutem, et certa non habeam, et rursùs quòd sanctis viris, quibus Deus credidit secreta sapientiæ suæ, virtutem potentiæ suæ in miraculis, et sacramentis, ac curam animarum, et quibus promisit notitiam omnis veritatis, secretas has sacrorum virtutes negaverit, et vetulis ac personis qualibuscumque hæc communicaverit: unde hujusmodi incerta, sunt saltem ut suspecta cavenda.

Secundò deinde cavendum est ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana: puta aliqui characteres scripti, præter signum crucis, aut si spes habeatur in modo scribendi aut legendi, aut in quâcumque hujusmodi vanitate, quæ ad divinam reverentiam non pertineat, quia hoc judicaretur superstitiosum. Unde rectè monet Cajetanus ubi supra: Si non vis falli, nulli in materiâ incantationum credas, quia impossibile videtur, ut non interveniat aliqua superstitio, saltem in modo dicendi, puta dicere: *Pater noster*, ad aures equi infirmi; id enim superstitiosum esse constat, et alia similia, quando circumstantiæ vanæ tanquàm necessariæ adhibentur, et in iis vis precum constituitur. Eadem autem est ratio de reliquiarum portatione; quia si portentur ex fiduciâ Dei et sanctorum, quorum sunt reliquiæ, non erit illicitum. Si autem circa hoc attenderetur aliquid vanum, puta ut gestarentur in vase quod esset triangulare, aut aliquid aliud ejusmodi, quòd non pertinet ad reverentiam Dei et sanctorum, esset superstitiosum et illicitum. Hactenùs D. Thomas.

Ex quâ doctrinâ desumi potest regula generalis ad resolvendos omnes casus particulares in hâc materiâ occurrentes. Sic, inquit idem D. Thomas hîc ad 2, *etiam in incantationibus serpentum vel quorumcumque animalium, si respectus habeatur solùm ad verba sacra et ad virtutem divinam, hoc non erit illicitum; sed plerùmque tales incantationes habent illicitas observantias, et per dæmones sortiuntur effectum, et præcipuè in serpentibus, quia serpens fuit primum dæmonis instrumentum ad hominem decipiendum.* Hinc colligi potest, an sint damnandæ aliquæ consuetudines quarum ratio nescitur, ut colligere herbas, aut aperire venam jumentis in die S. Joannis Baptistæ. Item Romæ, juxta Cajetanum, patientes contractiones nervorum, utuntur pro remedio, annulo fabricato ex primo carlino oblato cruci Christi dùm adoratur in parasceve. Item Cas-

siodorus in Psalm. 115 refert multos pro remedio in variis morbis solitos esse tribus vicibus recitare hunc Psalmi versum : *Diripuisti vincula mea*, etc., et sic de similibus. Si enim tales habeant animum adhibendi has circumstantias tanquàm per se efficaces ad effectum à Deo impetrandum, nempe sanitatem aut rerum suarum incolumitatem, incidunt in crimen superstitionis ex suo genere mortale. Si verò eas adhibeant ex devotione quam didicerunt à viris piis et doctis, et quam Deus fortè alicui sancto inspiravit, sicut hodiè triginta missæ Gregorianæ celebrantur pro defunctis, dummodò illi certo numero non adeò innitantur, ut eo aucto vel diminuto aut interpolato valor amittatur ; aut trinam illam repetitionem versûs Psalmi supra dicti in honorem sanctissimæ Trinitatis referant ; aut novem candelas B. Virgini offerant in honorem novem mensium quibus Christum in utero gessit ; ita ut non confidant in numero et circumstantiis de se sumptis, sed à Deo expectent effectum, et nonnisi ab eo intendant recipere, tolerari possunt. Unde monendi sunt ut non ita iis innitantur circumstantiis, ut credant preces nullatenùs prodesse aut candelas, si ponantur in majori aut minori numero, etc.

Idem dicendum si hæc faciant ut se magis excitent ad precandum propter diem sancto dicatum, aut aliam justam et rationabilem causam. Monendi adhuc sunt quòd tales circumstantiæ de se nihil conferunt aut influunt ad hos effectus, et caveant ne exinde ad vana ac superstitiosa declinent. Hinc non caret superstitione dicere et credere quòd qui apud se, istud amuletum vel hæc brevia portaverit, aut has orationes recitaverit, tale malum evitabit, puta quòd non morietur in peccato, vulnus non accipiet in bello, etc. Vel tale bonum consequetur, aut puellæ favorem obtinebit, etc. Ratio est quia Deus per has orationes aut verba nullatenùs infallibilem effectum temporalem promisit : et consequenter superstitiosum est in his rebus certam spem ponere. Nam dæmon dùm simplices et idiotas hoc modo vano securos reddit, consequenter facit ut periculis se exponant, faciliùs pecceut, et ut in peccatis moriantur. Non nego tamen pium et utile esse recitare quotidiè orationes ad vitanda damna etiam temporalia, ad peccata fugienda, ad bonam mortem, et vitam æternam consequendam : dummodò orans ex parte suâ prudenter vitet pericula, et faciat omne quod potest et debet : nec præsumptuosè illis solis confidat, quasi nihil agendo boni, et malum sectando, infallibiliter effectum sit consecuturus : id enim foret plusquàm vanum, et stultum.

Hinc etiam superstitio, vanaque observantia est, dicere et credere quòd verba Evangelii, ut producant effectum ad quem assumuntur, debent esse scripta in pelle aut in chartâ virgineâ, talis longitudinis à Virgine, in Oriente et cum certis cæremoniis, quòd reliquiæ sanctorum debeant includi et portari in vase rotundo aut triangulari. Quòd nisi in tali horâ cum tot candelis talis coloris et longitudinis preces fundantur, non prosint : et quoties conditio aliqua vana et inutilis tanquàm omninò necessaria adhibetur orationi vel rei sacræ, non ex Dei ordinatione nec ex Ecclesiæ institutione. Item quando effectus qui speratur est vanus, ut quòd annulus ferreus supra filum positus moveatur pronuntiatis aliquibus verbis sacris. Tunc enim credendum est verba hæc ad dæmonem referri, qui vult et affectat etiam hujusmodi sacris honorari.

Hinc Navarrus, Bonacina, Sanchez, Delrio, Filucius et alii, docent vanas et superstitiosas esse publicas supplicationes in quibus imago vel statua alicujus sancti in flumen mergitur, aut in ejus os aqua immittitur ad pluviam ottinendam ; quia hæc actio nec virtute naturali, nec institutione divinâ aut ecclesiasticâ habet hunc effectum : neque videtur sancto ita placere ut à Deo impetret ; quasi verò non potiùs precatione, oratione et devotione populi quàm his nugis vanisque usui Ecclesiæ recepto contrariis, adigeretur ad impetrandam pluviam ? Usus igitur verborum divinorum et rerum sacrarum, est de se sanctissimus et utilissimus, si respectus habeatur ad Dei reverentiam, et ex ejus ac sanctorum confidentiâ exerceatur. Sic, juxta Sylvestrum, verbo *Superstitio*, quæst. 10, in fine, pium est ac omni superstitione liberum, eligere diem sancti alicujus erga quem aliquis est specialiter affectus, ad inchoandum aliquod opus, v. g., ad faciendum primum sacrum, ut sanctus ille specialem opem ferat, et sic de aliis : solùmque talis usus redditur illicitus ac superstitiosus ex adjunctis et admixtis circumstantiis vanis, quasi habeant efficaciam infallibilem, aut physicam *ex opere operato ;* cùm id solis sacramentis competat : aut moralem, ita ut Deus ad illarum præsentiam operetur hos effectus, cùm tamen id non habeatur, nec ex ejus ordinatione, neque ex Ecclesiæ et Apostolorum institutione.

§ 9. *De magiâ et maleficio.*

Magia superstitiosa nihil aliud est quàm ratio et facultas faciendi mira et insolita ope dæmonum, et perhoc distinguitur à naturali, quia hæc operatur mira per causas naturales, absque pacto et ope dæmonum, de quâ scripserunt B. Albertus Magnus et alii, qui secreta naturæ indagârunt, et in quâ versatissimus fuisse legitur Salomon. Applicando enim activa passivis, multa mirabilia fieri possunt virtute humanâ, quæ de superstitione non sunt damnanda, etiamsi videantur supra captum humanum, nullaque appareat ratio naturalis, et causa illorum. Hinc non sunt damnandæ plures artes, ut transmutandi metalla, aliasque alchimiæ operationes exercendi ; neque ludi histrionum, quos vocamus *des gobelets ;* non enim statim judicandum est eos uti ope dæmonum, quia manuum agilitate hæc mira operari possunt : aliàs non ita communiter ludus iste permitteretur, prout fit, ut ait Sotus lib. 8 de Justitiâ, q. 3, art. 2, concl. 3. Verum quidem est quòd si immisceantur præstigia ad fascinandum oculos spectantium, characteres, aliaque diabolica, tunc ludentes rei sunt criminis superstitionis.

Hinc etiam non videtur damnanda de superstitione ars inveniendi aquas in terrâ latentes adhibitâ virgâ

salicâ vel amygdalinâ : id enim viribus humanis ob sympathiam virgæ et aquæ ac manûs hominis talis complexionis sub tali signo cœlesti nati, fieri potest.

Non puto tamen idem dici posse de inventione aliarum rerum, v. g., hominem virgâ posse deprehendere thesaurum absconditum, aut argentum perditum, aut designare furem occultum, minùsque posse homicidam secretum distantem et incognitum motu virgæ deprehendere et insequi ; aut divinare et cognoscere virginitatem puellæ absque ejus inspectione, etc. Hæc enim et similia videntur inconsulto dæmone, et absque ejus ope fieri non posse, nisi recurramus ad gratias gratis à Deo istis datas; quod tamen nullatenùs verisimile est. Unde qui hæc exercent, necesse est ut plurimùm falli ac decipi; etsi quandò divinent et vera dicant, id omninò casu contingit, vel nonnisi consulto dæmone ista sciunt et declarant : aut saltem de invocatione dæmonis valdè suspecti haberi debent, ac diligenter examinari. Si enim omnes damnent usum vertendi cribrum farinarium ad detegendum furti auctorem illo instrumento, eò quòd nullam prorsùs habeat connexionem cum hâc manifestatione furis, cur non damnabitur usus virgæ in prædictis casibus, cùm minorem habeat convenientiam cum hujusmodi divinationibus? Nec est eadem ratio de inventione aquæ latentis in terrâ, ob qualitates ab aquâ in virgam, vel à virgâ in manu hominis humidi existente in aquam transmissas, vel ob sympathiam cum homine sub tali signo nato. Quæ ratio non currit in aliis, non enim habent humiditatem, sicut aqua, neque astra quidquam conferre possunt in eorum inventionem, sicut faciunt in inventione aquæ latentis.

Sylvester, v. *Maleficium*, q. 5, dicit effectus mirabiles magorum, ut quòd quis evomat acus, clavos, campanulas, pilos, vittas, ossa magna, vel plumas ingeniosissimè consertas, etc., dupliciter contingere posse. Primò quia aut ista sunt illusiones, ita quòd videntur ea quæ non sunt, sive per activa naturalia id efficientia, sive per aorasiam, quâ scilicet oculi tenentur ne rem cognoscant, sive per aeris condensationem. Secundò, quia si sint veræ res, ipse diabolus invisibiliter eas in stomachum intulit, et inde visibiliter educit, non obstante quòd videantur ita magnæ, quia potest eas dividere et integrare saltem apparenter ; cùm hujusmodi corpora et eorum partes localiter ad nutum illius moveri possint, et invicem conglutinari.

Omnes igitur magiam superstitiosam exercentes, mira supra vires humanas ope diabolicâ operantes, habent cum dæmone expressum vel tacitum pactum, et invocationem. Deprehenditur autem tacita dæmonis invocatio ex multis. Primò ex adjunctis, ut si adhibeantur verba ignota apocrypha, vel imagines vel characteres significativos; referuntur enim hujusmodi verba et characteres ad dæmones ipsos intelligentes. Item si apponantur falsa ; sunt enim signa patris mendacii. Item si adjungatur aliqua conditio vana, tanquàm omninò necessaria, ut si ponatur virtus in verbis sacris, dùm tamen scripta sint in pelle, tali horâ, à tali personâ, et similia, quæ nec ad Dei cultum spectant, nec ad rectam rationem : hæc enim vana diabolus apposuit tanquàm sua sacra, quibus coli affectat. Secundò ex modo operandi, et ex excellentiâ effectûs sperati, quia scilicet excedit humanam industriam, aut virtutem agentium naturalium, ut operari in distans, cognoscere secreta aliorum, hominem aut animal statim sanare brevissimo tempore; principum consilia, et tractus hominum in locis remotissimis commorantium scire, volare per aera, etc. Tertiò ex vanitate et inutilitate effectûs, ut quòd verba quædam sacra habeant movere annulum supra filum suspensum : hoc ipso enim quòd effectus est vanus, constat quòd non fiat virtute divinâ, sed diabolicâ; non quidem assistente verbis sacris; sed sacrificio quo honoratur illis verbis : gaudet enim dæmon verbis et rebus sacris honorari, tanquàm divinitatis simia. Hinc manifestè colligitur magiam diabolicam esse superstitionis peccatum gravissimum, et plerumque conjungi cum apostasiâ, idololatriâ, blasphemiâ, sacrilegio, homicidio, luxuriâ, aliisque gravibus peccatis.

Quando igitur constat causam seu rem adhibitam, non habere vim naturalem ad hunc effectum, nec etiam rationabilem causam suppetere, nec ex sacrâ Scripturâ, aut ecclesiasticâ traditione, vel revelatione habetur nunc effectum esse divinum, neque maxima operantis sanctitas, aut alia urgentissima indicia suadent illum moveri à Deo; in dubio censendum est id esse superstitiosum, et à dæmone provenire; etiamsi verba adhibita sint sacra, nec de facili virtus supernaturalis est præsumenda, eò vel maximè quòd hodiè non sit hæc miraculorum necessitas.

Maleficium hìc à nobis sumitur pro arte injustè nocendi aliis, ex pacto expresso vel tacito cum dæmone. Qui illud damnum patitur, dicitur maleficiatus aut incantatus; qui verò illud damnum procurat inferri à dæmone, interveniente pacto expresso vel tacito, vocatur incantator aut maleficus. Signum autem fœderis quod est inter illos, ut imago cerea cum acubus infixis, vel ligatura, vel aliquid hujusmodi, etiam maleficium dicitur. Unde differt à magiâ quòd hæc ordinariè nonnisi ad divinationem et potentiam ostendendam utitur ope dæmonis : maleficium verò adhuc etiam ad aliis nocendum adhibet dæmoniacam virtutem.

Porrò illi effectus aut damna non semper à maleficis immediatè procedunt, sed mediante dæmone, qui apposito aliquo signo statim nocumentum infert ei cui maleficus nocere intendit; et sic dæmon vexat, afficit, paulatimque consumit corpus illius, cujus figuram ceream acu pungit maleficus; aut isto percutiente aquam, excitat dæmon tempestates, grandines, etc., Deo sic permittente ex justo judicio. Sic enim possunt dæmones omnia facere quæ per motum localem, aut per applicationem virtutum naturalium activarum fieri possunt, ut homines aliaque corpora brevi in longinqua loca portare, pluvias causare, ventos, grandines, infirmitates aliaque hujusmodi, aerem condensare, colorare, figurare, etc. In eo apparere sub formâ

mulieris, viri, bestiæ, etc., amorem carnalem excitare, non quidem voluntatem directè cogendo, sed objectivè movendo repræsentatione turpium, conturbando phantasmata, commovendo spiritus et humores, quibus omnibus voluntas alliciatur ad amorem, aut odium; aliaque mala causare si à Deo permittantur. Vide D. Thom. in Supplemen. q. 38, art. 2 et ad 2, ubi ait quòd quia corruptio peccati prima, per quam homo servus effectus est diaboli, in nos per generationem devenit, ideo maleficii potestas permittitur diabolo à Deo in actu generationis, magis quàm in aliis.

Hujus autem maleficii impeditivi actûs venerei, quod ligamen dicitur, variæ ab auctoribus afferuntur causæ à dæmone inductæ quas colligit Sylvester v. *Maleficium* quæst. 6. Primò, ex hoc quòd spiritus habeat potestatem supra creaturam corporalem ad motum localem prohibendum, vel faciendum, poterit dæmon impedire corpora ne mutuò appropinquent, directè vel indirectè se interponendo inter virum et feminam in corpore assumpto, prout narrat D. Anton. 2 p. hist. tit. 16, cap. 7, § 4 de quodam juvene. Secundò, quia dæmon potest hominem ad actum illum inflammare ut ante semen effundat, vel ab eo infrigidare, semen exsiccare, vas femineum nimiùm coarctare, adhibendo ad hoc virtutes efficaces naturales.

Tertiò, prohibendo directè rigorem et erectionem membri virilis, sicut et potest impedire motum localem cujuscumque organi. Item prohibendo immissionem spirituum vitalium, ne scilicet transeant ad membra in quibus est virtus motiva, quasi intercludendo vias seminis, ne ad vasa generationis transeat, vel ne ab eis recedat, vel emittatur. Quartò, turbando imaginationem et æstimativam facultatem, unum alteri conjugum aut duos ad invicem sibi reddendo odiosos, per immissionem fœtoris, aut per repræsentationem membrorum genitalium in illo actu horribilis formæ, et supra modum fœdæ.

Maleficium istud contingit quandoque mulieribus, sed rarò. Dùm verò femina in actu generationis est maleficiata, hoc accidit per solam opinionem, seu phantasiæ læsionem, quâ in ipso actu habet horrorem, odium, et abominationem illius, aut elongationem à viro, etc.

Vel per arctationem vasis. Ordinariè istud maleficium cadit supra viros : et illius signum est quòd quando coitum appetunt, virgam erigunt, sed dùm ad uxorem accedunt, relaxantur subitò organa; et quoties nituntur copulari, denuò laxantur et rigent.

Malefici omni jure damnantur. Et Exodi 22, morte plectendos esse decernit Dominus : *Maleficos non patieris vivere.* Imò et qui recurrunt ad illos, Levit. 20, et in Decret. causâ 26, q. 16, can. *Non observetis.* Omnes isti tam observantes quàm consentientes, dicuntur abjurâsse fidem christianam et Baptismum prævaricâsse, et tanquàm paganos et apostantes, id est, retrò abeuntes, et Dei inimicos ejus iram in æternum graviter incurrere. Item jure civili Cod. de maleficis et Mathemat. L. *nullus*, L. *nemo*, L. *culpa* graviter puniuntur. Tandem lex naturalis exigit à subditis reverentiam et fidelitatem erga dominos : non censetur autem quis habere reverentiam et fidelitatem erga dominum suum, qui petit auxilium, societatem et benevolentiam, ab ejus hoste infensissimo. Unde homo recurrens ad auxilium et societatem diaboli qui est Dei inimicus, sicque discedens à Domino suo, fit reus læsæ majestatis divinæ, et facit contra legem naturalem, et contra omnes alias. Ita Sylvester, v. *Maleficium.*

Ordinariè malefici sunt multorum gravissimorum rei, de quibus à confessariis sunt interrogandi, si contingat illos resipiscere à laqueis diaboli, et ad Dominum converti. Inprimis, ferè semper ineunt cum dæmone pactum, in quo diabolus spondet suffragium; et hi promittunt famulatum ejusque voluntati obsequium, vel in omnibus, vel quantùm ad aliquid, spondent se negaturos Christum fidem, et Baptismum abjuraturos, etc. Si autem crediderint nostram fidem non esse veram, aut sacramenta nihil prodesse, etc., tunc intervenit etiam crimen hæresis. Secundò, sæpè adorant dæmonem eique offerunt honorem Deo debitum per sacrificia et contemptum nostrorum mysteriorum; solent blasphemias evomere in Deum, Christum, B. Virginem et sanctos, eique dicare proprios natos, ac solemni se professione obligare ad malum, et promittere se ad sectam illam quos poterunt adducturos, plures nefandas luxurias ad invicem, et cum dæmone frequenter committunt; de his omnibus debet illos interrogare confessarius. Tertiò, sacrilegia multa committere solent, offerendo sacra dæmoni in ejus honorem et cultum; utendo in incantationibus suis rebus et verbis sacris, ut oleo sancto, chrismate, cerâ benedictâ : imò quod horrendum est dicere, ipsâ Eucharistiâ. Quartò, conantur occidere parvulos Christianorum, ut non pertingant ad Baptismum, et procurare abortum, morbos, occisiones hominum et animalium. Causant damna innumera per vastationes segetum, vinearumque, suscitationes tempestatum, grandines, vermes, et similia. Et tunc peccant etiam contra justitiam, et ad damnorum illatorum restitutionem obligantur.

Multa remedia adhiberi possunt contra maleficia. Inprimis magna fides, juxta illud Apostoli : *In omnibus sumentes scutum fidei*, additâ magnâ fiduciâ in divinâ protectione, quam ferventer petere decet, invocare nomen Jesu, B. Virginis, angeli custodis, et aliorum sanctorum, eorumque intercessiones implorare, recurrendo ad orationem, et carnis macerationem per jejunium, pœnitentias, piaque opera. Secundò, adhibere reliquias sanctorum, verba sacra, aquam benedictam, signum crucis, Ecclesiæ exorcismos et similia. Tertiò, frequentare sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ, Missas Deo offerre, eleemosynas elargiri, peregrinationes ad loca sancta suscipere, etc. Quæ demùm intelligenda sunt, quando constat de maleficio, quod non nisi virtute supernaturali potest tolli : consulendi enim sunt medici ut examinent an à

causis naturalibus oriatur, et remediis ordinariis curari valeat.

An autem liceat petere à maleficio, aut ab alio, ut maleficium maleficio dissolvat?—Respondent communiter auctores, nullatenùs licitum esse maleficos etiam de se paratos adhibere ad operandum maleficium, nec consequenter ad maleficium alio maleficio dissolvendum, ob quemcumque finem, pro quâcumque re gravi, et bono publico. Ratio est, quia id solùm à parato peti potest, quod ipse licitè præstare potest, solùmque ex ejus malitiâ provenit ut adhibeat medium illicitum. Et aliunde ex parte petentis interest ut suæ necessitati consulat, ob quam potest permittere peccatum alterius, nec ipsi censetur cooperari, cùm ex propriâ malitiâ duntaxat alterius proveniat, ut constat de petente mutuum ab usurario parato et de exigente juramentum ab infideli parato per falsos deos jurare, prout fusè ostendimus tomo 3 de Just. q. 1, art. 4; et q. 2, art. 4, § 4. Id enim non est cooperari peccato usurarii aut infidelis, sed tantùm uti eorum malitiâ in bonum. Secùs dicendum quando in nullo casu id præstari potest absque peccato, propter quod nequit ab scorto peti copula, etiam paratissimo; eò quòd fornicatio sit de se intrinsecè mala, nec ob quemcumque finem cohonestari valeat. Atqui maleficium est de se intrinsecè malum, proinde in nullo casu licitè præstari potest, cùm non fiat sine invocatione, auxilio, et societate dæmonis, et consequenter benevolentiâ erga illum tanquàm erga benefactorem et amicum; unde in his sortilegiis non datur parvitas materiæ, ut ostendit Diana 5 part. tract. 5, resolut. 29.

Quandò igitur maleficus non potest maleficium sine alio maleficio tollere, cùm sine aliquâ dæmonis invocatione et pacto id præstare nequeat, illud petere nequaquàm licet; nec etiam generatim ab eo petere ut maleficium absolutè tollat, quando constat, non posse ab ipso tolli absque alio maleficio, sive quia nullum datur aliud medium, quo auferri possit; sive quia etsi aliud detur medium, à maleficio tamen ignoratur: hoc enim esset ab eo petere quod sine gravissimo peccato exequi non potest. Secùs censent plures auctores dicendum, quando probabiliter constat maleficum nôsse alia media naturalia et licita ad tollendum maleficium. Tunc enim volunt licitum esse petere ab eo ut maleficium tollat, quamvis petenti moraliter certum sit illud non ablaturum nisi alio maleficio. Ratio est quia tunc petitur res per se licita et honesta, nempè ablatio maleficii: ille verò potest et debet sine peccato eam exequi. Si ergo utatur medio illicito, peccatum ipsi soli, et non petenti imputabitur, ut jam dictum est de mutuatario, qui utitur duntaxat peccato usurarii in suam utilitatem.

Solet à maleficis cum dæmone pactum iniri, ut quamdiù aliqua ligatura extiterit, vel aliqua res in tali loco defossa permanserit, aut quid simile, tamdiù maleficium duret: iisque ablatis aut destructis, cesset. Idque dupliciter fieri potest: primò, ita ut interveniat duplex pactum, puta dùm convenitur, ut dæmon tali exhibito signo aliquem vexet; et fit aliud pactum cessandi à vexatione, remoto illo signo. Secundò, quòd sit unicum pactum, ita ut posito tali signo dæmon nocere teneatur, eoque sublato remaneat liber ad nocendum, aut cessandum à nocumento. Dubium est, an sit licitum signum maleficii destruere ad hoc ut nocumentum cesset.

Quidam hoc licere negant, eò quòd sit confirmare pactum à dæmone initum, qui non aliâ ratione quàm virtute pacti nocere desinit ablato signo. Alii tamen communiter affirmant hoc esse licitum, non solùm quibuscumque aliis, sed etiam ipsi maleficio; imò istum damnificatorem ad hoc teneri lege justitiæ; quoscumque verò alios, lege charitatis, si commodè possint et absque maleficio. Debent autem id facere non animo ut priori maleficio pactum cum dæmone servetur, sed ut tollatur, et sanitas obtineatur. Ratio est quia ejusmodi signa destruere, non est invocare dæmonem, sed potiùs impedire et rescindere invocationem illius, quæ veluti virtualiter continuatur, quamdiù ea signa permanent: neque est pactum et amicitiam confirmare, sed magis dissolvere; neque eum honorare, sed potiùs eo contempto ab ejus amicitiâ recedere; nihilque aliud est quàm auferre et comburere id quo dæmon ad nocendum allicitur. Quod sanè laudabile ac meritorium est, quodque verificatur, sive unicum, sive duplex cum dæmone pactum initum fuerit; et tantùm abest ut signum quis auferendo, consentire dicatur, aut illud pactum confirmare, quia potiùs censetur illud detestari, et actione humanâ, opera diaboli dissolvere. Et per hoc patet solutio argumenti in contrarium allati.

Dices tamen: Quicumque signum destruit, non tantùm intendit, ut dæmon nocere desinat, sed etiam ut sanitatem restituat: talis autem effectus non potest à dæmone expectari absque invocatione illius et pacto cum eodem inito. Ergo non licet. Resp. cum qui signum aufert, posse et debere tantùm intendere ut auferatur id quo dæmon ad nocendum allicitur, ut ita fortè nocere desinat, quod sanè absque ullâ confœderatione et invocatione illius fieri potest. Quòd si ipsemet dæmon ablato signo, non solùm nocere desinat, sed etiam ad sanitatem reddendam positivè operetur, id facit ex merâ suâ voluntate, aut ut fidem maleficio datam servet: non verò ut rogatus aut inductus ab eo qui signum abstulit, qui tantùm negativè, seu permissivè se habet ad illam dæmonis operationem, sicut etiam permittit ut maleficium in ipsum maleficum, aut aliquem alium transferatur. Hinc infertur, maleficum posse cogi vi, minis, verberibus, pecuniâ, etc., ad ea signa tollenda, cùm hæc ablatio licitè fieri possit: neque id sit injuriam maleficio inferre, sed ab ipso illatam repellere. Graviter tamen illum plectere, ad solum judicem spectat.

Infertur quoque quòd dùm maleficus se accusat de nocumento alteri illato, per ligaturam aliudve signum in aliquo loco appositum, confessarius ipsum urgere debet ut tale signum dissolvat: imò ut reparet damnum, si quod ex maleficio consecutum fuit. Infertur præterea quòd si maleficus, qui signum apposuit, sit

ignotus, aut conveniri non possit, licitum est rogare alium qui novit quo in loco positum fuerit, ut illud dissolvat, sive notitiam illam habeat naturaliter, quia fortè fuit particeps sceleris, sive aliâ viâ quocumque modo jam habitâ. Si tamen signum illud ignoret, nullus potest hunc maleficum inducere ut arte suâ utatur ad investigandum quo in loco positum sit; quia hoc esset illum inducere ad peccatum, nempe ad invocandum dæmonem, ut de loco et signo certior fiat illius ope. Inferunt tandem Sanchez, Lessius, Suarez, et alii, ad pactum cum dæmone initum rescindendum, licitum quoque esse apponere signum contrarium, dummodò sit ex se licitum et indifferens, quo scilicet posito destruatur pactum et dæmon nocere desinat. V. g., si dæmon cum malefico pactum inierit nocendi alicui, nisi iste faciem lavaverit, aut signum crucis adhibuerit, aut tres Missas celebrari fecerit, si ex relatione malefici tale pactum huic constet, potest iste licitè se lavare, se signare, et tres Missas offerre, non intentione sanitatem positivè acquirendi illo medio aut dæmonis operatione, nec animo illum invocandi de novo, aut ex vi præcedentis pacti illum inducendi ad tollendum maleficium, sed solo animo tollendi signum et nocendi pactum, quæ intentio est bona et medium licitum, aut de se indifferens. Imò supposità dæmonis malitiâ censetur bonum et quamvis non liceat uti re vanâ ad aliquem effectum, ut ex vi illius rei aut per positivam dæmonis operationem effectus aliquis positivè obtineatur, licitum tamen videtur uti re vanâ pro signo, quo posito, nihil remaneat quo dæmon tanquàm objecto ad nocendum et malè agendum alliciatur; hîc autem nihil aliud consideratur quàm quòd celebratio tot Missarum sit signum, quo posito dæmon nocere desinat.

Hinc si saga te tangit ad hoc ut inficiaris, et repercutiendo eam, tale nocumentum impediatur, id tibi licitum erit, vel quia dæmon statuit tunc nocere, vel quia tunc signum veneficæ non est tale, quale dæmon requirit.

Item si verum sit quod dicitur, nempe infectum à sagâ sanari, aut à nocumento liberari, si det illi panem et salem, vel ab eâ accipiat, id facere erit licitum; quia fortè diabolus statuit non nocere posito tali signo : licitum est autem aliquid de se indifferens facere, ut pactum expiret, et nocumentum cesset.

Nam si liceat tollere signa, eo fine ut pactum nocendi dissolvatur, cur non licebit apponere alia signa per se indifferentia ob eumdem finem? Cùm à parte rei positio talis signi nihil aliud sit quàm ablatio signi quo dæmon movetur ad nocendum; sicut enim fecit pactum nocendi, quamdiù, v. g., annulus in tali loco remanebit : ita et quamdiù maleficio affectus corpus suum non lavabit, aut nisi sagam repercutiat, etc. Unde, sicut in priori casu annulus in tali loco positus, est signum quo dæmon movetur ad nocendum, ita in posteriori casu, defectus lotionis, aut percussionis, est signum quo dæmon allicitur ad continuandum maleficium. Quod cùm in privatione consistat, nequit tolli nisi per actionem oppositam, nempe lotionem, et percussionem, etc. Ergo, si liceat primum, secundum quoque erit licitum. Ita auctores mox citati.

Verùm de hoc alii judicent. Existimo in hâc parte hominibus non multùm laxandas esse habenas, ob periculum superstitionis, in quod callidus hostis de facili eos præcipitat, mediantibus his signis vanis quærens honorari, invocari, pactumque confirmari saltem tacitè. Nec approbari aut permitti potest factum illorum, qui lignum vitis involutum linteo, tali loco, tali tempore, tali fuste percutiunt, eâ intentione ut saga percussiones sentiat, aut à diabolo vexetur, sicque doloribus cruciata apparere, signum et maleficium dissolvere, atque ab inferendo malo cessare cogatur. Et sic de aliis multis, quæ tanquàm superstitiosa, sunt è cœtu Christianorum eliminanda, et recurrendum potiùs ad orationem, et ad alia remedia jam à nobis adducta.

§ 10. *De superstitionibus in adjuratione contingentibus.*

Adjurare est aliquam personam vel rem imperando, vel obsecrando inducere ad aliquid faciendum, vel omittendum ex invocatione alicujus rei sacræ, sicut Apost. ad. Rom. 12, adjurat Romanos dicens : *Obsecro vos per misericordiam Dei ut*, etc. Ita Sylvester v. *Adjuratio*, et colligitur ex D. Thomâ 2-2, quæst. 90. Adjuratio convenit cum juramento, quòd pertineat ad divini nominis assumptionem; et quòd sicut istud adhibetur ad veritatis assertæ confirmationem, aut majorem promissionis factæ firmitatem : ita adjuratio fit, ut postulatio aut jussio sint efficaciores. Unde adjuratio ad sui honestatem requirit eosdem tres comites quos juramentum exigit, nempe veritatem, justitiam, et judicium. Justitia consistit in eo quòd res petita sit justa et licita, injuria enim fit Deo si interponatur tanquàm intercessor rei illicitæ; quæ si fuerit venialis, erit solùm venialis injuria; erit verò gravis, si res fuerit lethaliter illicita. Deest autem veritas, si fiat per falsum Deum, ut per Jovem, etc. Et tunc si seriò id fiat, est peccatum idololatriæ; item quando intervenit fictio, ut si quis dives petat eleemosynam per Deum, aut non adsit animus impetrandi quod petitur. Tandem ad judicium requiritur ut adjuratio cum necessitate et debitâ reverentiâ fiat, nec temerè in quâvis occasione usurpetur, eò quòd nomen Dei assumatur.

Differt tamen adjuratio à juramento, quòd in isto, Deus adducatur tanquàm testis veritatis, aut quasi fidejussor promissionis : in adjuratione verò tanquàm objectum amoris vel timoris personæ quam adjuramus, ut inde ad rem petitam concedendam Dei amore vel timore inducatur. Differt etiam à simplici oratione, quòd per hanc petimus à Deo, per adjurationem verò ut sic, tantùm petitur propter Deum, aut imperatur creaturis : quòd si fiat ad Deum, v. g. : *Per crucem tuam libera nos*, etc., tunc est simul oratio et adjuratio. Item quando adjuramus Patrem æternum per Filium suum, vel per sanctos suos, qui illi accepti supra nos fuerunt, ad inclinandum illum per benevolentiam : sicut quando adjuramus dæmones, assumitur aliquid divinum ad inclinandum illum per compulsionem et violentiam, ut illi obsessis corporibus exeant. Unde in adjuratione semper assumitur poten-

tior virtus ad impetrandum, quod nos ex nostrâ infirmitate non possumus impetrare : ideòque semper adjurans, in se defectum ad hoc profitetur, eo ferè modo quo in juramento assumitur divina veritas, quasi firmior in testimonium veritatis à nobis dictæ. Ita D. Thomas in 4, dist. 15, q. 4, art. 3, q. 1, ad 1.

Duplex est adjuratio, una imperativa, alia deprecativa. Ut enim ait D. Thomas, 2 2, q. 90, art. 1, *sicut homo juramento promissario seipsum obligat ad aliquid faciendum ob reverentiam divini nominis, quod est seipsum immobiliter ordinare ad aliquid faciendum, ita potest alios ordinare ad aliquid agendum, superiores quidem deprecando, inferiores verò et subditos, imperando; et dùm utraque ordinatio per aliquod divinum confirmatur, tunc est adjuratio. Si aliquis per invocationem divini nominis vel cujuscumque rei sacræ, alicui non sibi subdito, adjurando, necessitatem agendi aliquid imponere intendat, sicut imponit sibi jurando ; talis adjuratio illicita est, quia usurpat potestatem in alium, quam non habet : licet enim sit dominus suarum actionum, ideòque possit sibi ipsi necessitatem imponere ; non tamen eorum quæ sunt ab aliis agenda, nisi sunt subditi : quos potest ex debito juramenti compellere, et propter aliquam necessitatem tali genere adjurationis necessitatem imponentis constringere. Unde peccavit princeps sacerdotum, præsumendo Dominum Jesum Christum, sic adjurare.* Ita D. Thomas art. 1, ad 1.

Adjuratio verò deprecativa, quâ quis intendit solummodò per reverentiam divini nominis, vel alicujus rei sacræ aliquid ab alio obtinere absque necessitatis impositione, est licita respectu quorumlibet subjectorum, imò et ipsius Dei. Aliter tamen utimur adjuratione ad homines, et aliter ad Deum. Nam adjurando hominem, intendimus ejus voluntatem immutare per reverentiam rei sacræ, non verò Deum, cujus voluntas est immutabilis; sed intendimus à Deo aliquid obtinere per æternam ejus voluntatem, idque non ex nostris meritis, sed ex illius bonitate. Quare interponimus aliquid divinum, non ad movendum, seu inducendum Deum immobilem, sed ad excitandum nos, ut vehementiùs petamus, et petendo expleamus quod Deus ordinavit. Dùm aut sanctos aut angelos bonos adjuramus et invocamus, interponimus aliquid sacrum, ut nos excitemus, eosque pariter moveamus commemorando ea per quorum amorem et contemplationem libenter interpellant. D. Thomas ibid. ad 3. Difficultas restat an et quomodò liceat adjurare dæmones, et creaturas irrationales.

Dico primò, non esse licitum adjurare dæmones deprecativè, quia hoc pertinet ad invocationem, et videtur ad quamdam benevolentiam, amicitiam, et confidentiam spectare, quâ erga Dei et hominum hostes infensissimos uti non licet. Sed solùm licitum est adjurare imperativè et compulsivè, tanquàm adversarios nobis in hujus vitæ incursu constitutos repellendo, ne nobis noceant spiritualiter vel corporaliter, secundùm potestatem nobis traditam à Christo, Marci ultimo, et Lucæ 10 : « Ecce dedi « vobis potestatem calcandi, *etc.* » *Non tamen est licitum etiam imperativè et compulsivè dæmones adjurare ad aliquid ab eis addiscendum, aut ad aliquid ab eis obtinendum et obsequium consequendum, tum quia hoc pertinet ad aliquam societatem aut familiaritatem cum ipsis, tum quia in hujus vitæ cursu, illorum actus nostræ dispositioni non subduntur, ut scilicet eis veluti subditis ad nostrum obsequium utamur ; nisi fortè ex speciali instinctu vel revelatione divinâ aliqui sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione utantur, sicut legitur de B. Jacobo, quòd per dæmones fecit Hermogenem ad se adduci.* Hæc D. Thomas, art. 2, q. 90, ex 2-2.

Hinc licitum est adjurare dæmones auctoritativè et compulsivè, per exorcismos, ut ab obsessis exeant corporibus, quia non exeundo nocent : et licitum est adjurare ut non noceant, et consequenter licitè adjurari possunt ad ea quæ ordinantur ad hujusmodi expulsionem eorum, et ad nocumenti cessationem; puta, ut dæmon ille nomen suum dicat, quia valet ad hoc ut exorcista nominatim contra ipsum præcepta dirigat; similiter ut causam nocendi et obsidendi hominem fateatur; valet enim ad hoc ut ad cautelam ea causa amoveatur. Item ut dicat si habet socios; valet namque ad ipsi exeunti imperandum, ut secum trahat socios quantùm potest : et sic de cæteris hujusmodi. Si verò exorcista imperet dæmoni ut dicat curiosa, nihil ad expulsionem conducentia, idque ab eo requirat ex quâdam levitate et curiositate ductus, est grave peccatum, licet non videatur esse mortale, quia tale non videtur esse, nisi cùm quis adjurat dæmonem obsecrativè, aut ad aliquid consequendum, puta notitiam, aut obsequium adjuratio ordinatur; quod tamen iste exorcista non facit, eò quòd non credat dæmoni, nec amicitiam et societatem cum ipso ineat. Ita Sylvester verbo *Adjuratio*, q. 5. Quid autem facere possint et debeant exorcistæ, et quid licitè requirere non possint, latè ostendunt Sanchez, lib. 2 in *Decalog.*, cap. 42, à num. 6 usque ad num. 56; et Bonacina, disp. 4, q. 1, puncto ultimo in 1 *Decal.* præcep.

Regula itaque generalis est, quòd semper cum dæmone nobis agendum est tanquàm cum hoste, cum quo nulla est induciarum concessa libertas, ut scilicet interim possit homo cum dæmone quasi tempore treugæ conversari, ita ut nunquàm tanquàm cum socio conversari liceat, aut amico. Ad hostes autem duobus modis inculpabiliter nos exhibemus, scilicet expulsivè vel compulsivè : ideòque his solis duobus modis per se loquendo licitè ad dæmones nos habemus, vel expellendo, ut in exorcismis et orationibus supra abreptitios fit, vel compellendo, ut sancti viri sæpè faciunt præcipiendo illis divinâ potestate, quâ sciunt se eos compellere posse, ut aliqua dicant, vel faciant, non ut spontanei, sed ut hostes in captivitatem servitutis redacti, quomodò Deus et angeli utuntur ministerio dæmonum. Si verò homo se habeat cum dæmone non tanquàm cum hoste, sed ineat actum socialem cum eo, tunc facit aliquid ex genere suo peccatum mortale; nam actus ille socialis habet materiam repugnantem, cùm terminetur ad hostem Dei et nostrum, quod repugnat societati, utpote quæ sub amicitiâ comprehenditur, nullaque cum hoste amicitia sit

concessa. Adde quòd actus ille socialis habet materiam repugnantem, non qualitercumque, sed perniciosè; eò quòd sit cum hoste in iis in quibus est hostis; quia omnia dæmonis voluntaria, hostilia sunt propter perversam et obstinatam ejus voluntatem in malo. In quo differt ab hominibus invicem inimicis, in quibus quædam voluntaria possunt ad hostilitatem pertinere, quædam verò non. Inde sequitur quòd si homo exerceat cum dæmone actum socialem perfectè, committit peccatum mortale : si verò solùm imperfectè, peccatum grave veniale facit, modò non faciat deprecativè. Habet autem rationem actûs socialis perfectè, uti dæmonis voluntariâ confabulatione, servitio, doctrinâ, et similibus : ista enim sunt vitæ socialis actus. Imperfectè verò, si quis ex levitate et curiositate, non credens se divinam amicitiam offendere, cum occurrente dæmone in assumpto corpore vel abreptitio per modum transeuntis loquitur, inquirit breviter curiosa, facit aliquid vanum ab eo fieri, puta movere lapidem, etc.

Tamen cum his omnibus stat quòd per accidens licitum esse potest ab occurrente dæmone inquirere, et cum eo loqui propter aliorum utilitatem, si casus exigat, quasi testimonium ab hoste oblato exigendo. Et tunc tanquàm cum hoste hæc agenda sunt per modum transeuntis : ita ut finis proximus sit imminens utilitas id exposcens ad honorem Christi; quod rarò aut nunquàm accidere videtur, nisi his qui possunt dæmones compellere, quoniam dæmonis verbis, cùm sit mendax et hostis, nulla potest fides adhiberi, nisi adsit virtus compulsiva. Unde D. Thomas hîc ait, fortè ex speciali instinctu, vel revelatione divinâ, aliquos sanctos dæmonum operatione ad quosdam effectus uti posse. Hæc ex Cajetano referre volui, quia totam istam materiam egregiè explicant, parcè tamen et cum grano salis intelligenda. Dico secundò absolutè et secundùm se vanum esse creaturas irrationales, ut locustas, vermes, nubes, etc., adjurare ; ita ut adjuratio referatur ad ipsas secundùm se, quasi ex seipsis se moveant ad illas operationes nocivas, cùm intentionem nocendi habere non possint, neque adjurationis percipiendæ, ac in vi illius cessandi à nocumento sint capaces. Unde vanum ac superstitiosum est vocare eas in litem, dare ipsis advocatum et defensorem ac copiam accusationis factæ à populo tanquàm à parte adversâ, et quòd adjurator se constituat judicem ad eas per sententiam à nocumento repellendas, et expellendas à territorio.

Quia verò creaturæ irrationales ab alio aguntur ad proprias operationes; et aliundè eadem est actio ejus quod agitur et movetur, ac illius quod agit et movet, sicut motus sagittæ etiam est quædam operatio sagittantis : ideò operatio irrationalis creaturæ non solùm ipsi attribuitur, sed principaliter Deo, cujus dispositione omnia moventur ; ad diabolum etiam pertinet, qui permissione divinâ utitur aliquibus irrationalibus creaturis ad nocendum hominibus. Hinc adjurare creaturas irrationales relativè ad eum à quo aguntur et moventur, est licitum, nempe per modum deprecationis ad Deum directæ, quomodò sancti miracula faciunt; et respectu dæmonis per modum imperii, et compulsionis, quæ ad ipsum referantur, ne irrationalibus creaturis tanquàm instrumentis ad nostrum nocumentum utatur, quomodò adjurantur in Ecclesiæ exorcismis, per quos dæmonum potestas excluditur ab irrationalibus creaturis. Ita D. Thomas hîc, art. 3. Cùm autem non constet an creaturæ à Deo aut à dæmone ad nocendum moveantur, uterque modus adjurandi simul, nempe deprecativè Deum, et imperativè ac compulsivè dæmones, communiter fit in Ecclesiæ exorcismis. Et si quando adjuratio ad ipsas creaturas aliquo modo dirigatur, id solùm fit, quia in eis recipitur illa operatio seu effectus nobis adversus, quem per adjurationem avertere conamur ; ideòque à Sanchez et Suarez id excusatur à peccato : alii verò contendunt esse mortale ex genere suo, ob scilicet irreverentiam contra res sacras et Ecclesiæ exorcismos, quæ vanè adhibentur : posse tamen esse solùm veniale, tum ob bonam fidem, tum ob ignorantiam, tum ob levitatem materiæ, sicque ut plurimùm fieri et contingere in praxi.

Appendix (1).

DE POSSIBILITATE ET EXISTENTIA MAGIÆ.

Quæstiones morales modò expositæ supponunt possibilitatem et existentiam tum divinationis, tum magiæ. Mayol de eo puncto nihil disseruit, quòd tunc temporis in controversiam non adducebatur; at cùm multi prodierint etiam inter Christianos, imò inter Catholicos, qui magnis eâ de re præjudiciis sunt imbuti, abs re non erit aliquantulùm huic discussioni immorari, ut vindicetur sensus Ecclesiæ contra quorumdam opinionem, quæ processit ex radice infidelitatis circa doctrinam christianam de dæmonibus. Incredulos ad tractatum de Religione remittimus; res potissimùm hîc agitur cum Catholicis seu parùm edoctis, seu præjudiciis nimiùm dantes in iis quæ spectant ad magiam. Porrò illis dicimus existentiam magiæ (sub quo nomine divinationem cæteraque istius modi, brevitatis causâ, comprehendimus) licet non pertineat ad dogmata fidei, tamen citra temeritatis notam negari non posse.

Prob. 1° Scripturis : In veteri et novo Testamento videmus angelum malum qui ab exordio cum homine locutus est, dùm in paradiso terrestri protoparentes nostros ab innocentiâ dejecit, cum eodem homine lapso sæpè iniisse commercium quoddam ad eum decipiendum ac magis depravandum. Citari possunt incantationes magorum Ægyptiacorum, evocatio Samuelis, etc. Hinc prophetæ cæterique viri divinitùs inspirati multoties loquuntur de arte ariolandi, de maleficiis, etc.; graviter objurgant eos qui pythones consulunt et per divinos à mortuis veritatem quærunt : at quis dicat Deum debuisse tot mandatis, hortationibus, minis avertere homines à crimine quod nec pos-

(1) Appendix illa textui Mayol addita est operâ Editorum.

sibile foret, vel homines tantùm indiguisse olim ut à magiâ avocarentur, si dæmones nunquàm operati essent præstigia vi, seu occasione harum invocationum?... Reperiuntur multi Scripturarum textus circa potestatem dæmonum et maleficia in *Theologiâ Scripturæ sacræ* quam edidimus in primo volumine cursûs Scripturæ, part. tertiâ, cap. 11, ad 15, et parte sextâ, cap. 29 et 30.

2° Traditione Ecclesiæ. Innumera possemus citare testimonia SS. Patrum, si id paterentur hujus notulæ limites, aut existimaremus de eorum sensu dubium moveri posse. S. Augustinus librum integrum exaravit de *Divinatione dæmonum;* in eo explicat quibus variis modis dæmones multa noscunt quæ hominibus sunt impervia, et simul quæ sit illorum potestas morbos immittendi ipsum aerem vitiando, unde concludit : *Quæ cùm ita sint, sciendum est, quoniam de divinatione dæmonum agitur, illos plerùmque pronuntiare quæ ipsi facturi sunt.*—De Div. dæm., c. 5. S. Cyprianus, lib. de Vanit. idol., dicit spiritus malos sub statuis atque imaginibus delitescere, afflatu suo pectora inspirare suorum cultorum, et sic oracula efficere : *Hi tamen*, subdit S. doctor, *adjurati per Deum verum, nobis statim cedunt et de obsessis corporibus exire compelluntur.* Hæc adeò manifesta erant, ut Tertullianus ausus fuerit in Apologiâ publicâ provocare magistratus romanos ad experiendum quâ virtute, solo crucis signo Christianus quislibet dæmonem fugaret à corpore obsessorum et eum cogeret ad suam vanitatem confitendum : *Nisi*, inquit, *se dæmones confessi fuerint, christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani sanguinem profundite.* Apolog., c. 34. Hæc directè quidem divinationem spectant. Quoad magiam, innumera sunt concilia tum generalia, tum privata quæ illam ut certam supponunt, et regulas tradunt servandas erga eos qui vel maleficiis operam dant, vel cum magis commercium ineunt; summam Ecclesiæ sapientiam certè contemnunt qui hæc omnia veluti mera phantasiæ deliramenta habent. Hunc continuum traditionis sensum, ne ultra limites accumulentur testimonia, habemus in constitutione Sixti V quæ incipit : *Cœli et terræ*, datâ anno 1586. Sic locutus est pontifex : *Sunt qui cum morte fœdus ineunt et pactum faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum divinationem et inveniendos thesauros vel ad alia facinora perpetranda etiam expressâ cum diabolo factâ pactione, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta et maleficia adhibent.* Rituale romanum cui concinunt omnes libri rituales in Ecclesiâ adhibiti, monet exorcistam ut *jubeat dæmonem dicere an detineatur in corpore obsessi ob aliquam operam magicam aut malefica signa vel instrumenta; quæ si obsessus ore sumpserit, evomat; vel si alibi extra corpus fuerint, comburantur.*

Hinc colligere est quàm meritò S. Thomas condemnaverit sui ævi viros temerarios docentes quòd maleficium nihil est in mundo nisi in existimatione hominum qui effectus naturales quorum sunt causæ occultæ, maleficiis imputant : *Hoc*, ait S. doctor, *est contra auctoritates sanctorum qui dicunt quòd dæmones habent potestatem supra corpora et imaginationes hominum quando à Deo permittuntur, unde per eos maleficii aliqua signa facere possunt... Credimus dæmones ex subtilitate suæ naturæ multa posse quæ nos non possumus; et illi qui eos ad talia facienda inducunt, malefici vocantur.* Suppl., q. 58, art. 20.

3° Ratione simul et factis. Quæstio versari potest vel de possibilitate, vel de existentiâ magiæ; possibilitas probatur rationibus theologicis seu à fide potissimùm desumptis, quia fide solâ novimus ipsos angelos; existentia autem factis evincitur.

Si quid obstaret quin agnosceretur possibilitas magiæ, esset vel ex parte dæmonum qui nullam vim haberent occulta revelandi seu operandi portenta, vel ex parte hominum qui non possent inire cum dæmonibus commercium, vel ex parte Dei, cujus læderetur providentia.

Non primum. Enimverò, si agatur de divinatione, angeli multa procul dubio cognoscunt quæ ab homine ignorantur; suâ celeritate incomparabiliter vincunt cursum quorumlibet hominum; ipsis insuper accessit per tam longum tempus quo eorum vita protenditur, rerum longè major experientia quàm potest homini. Hinc naturaliter fit, concludebat S. Augustinus libro supra laudato, cap. 3, ut multa seu remotioribus locis peracta, seu abdita, nuntient vel prænuntient, quæ homines per seipsos nôsse non valent. Ipsamet futura contingentia quæ à liberâ hominum determinatione pendent, licet certò prævidere nequeant, ut alibi ostenditur, tamen possunt magnâ probabilitate conjicere propter agnitam illorum indolem et influxum quem se habituros præsumunt in eorum voluntatem... Si de operatione prodigiorum quæstio sit, non major est difficultas. Novimus ex Scripturâ sacrâ surrecturos ante finem mundi pseudoprophetas qui dabunt signa magna et prodigia ad seducendos, si fieri potest, etiam electos; porrò hæc pseudoprophetarum virtus tota veniet à dæmone; ille est enim qui horum ministerio apparebit, juxta S. Paulum : *Secundùm operationem Satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis.* Th, 2, cap. 2; ergo, etc. Angelus est quidem substantia spiritualis, unde non potest quidem agere in corpora contactu materiali, non secùs ac Deus qui movet corpora non contactu, sed suâ solâ virtute, vel etiam anima quæ, licet simplicissima, suum proprium corpus movet, et eo mediante in alia agit modo quidem nobis ignoto, quia nos latet natura substantiarum spiritualium, sed modo efficaci; ita et non est cur angeli non fuerint in suâ creatione simili virtute donati in materiam.

Non secundum : ex scil. parte hominum veniret impossibilitas magiæ. Sicut cum angelis bonis, ut sæpiùs evenisse legimus in Scripturis, ita cum malis possunt habere commercium, dùm substantiæ illæ angelicæ voce per aerem formatâ, aut signis in phantasiâ impressis, aut sub variâ specie apparendo, illos alloquuntur et sic suas ideas ipsis communicant.

Fieri igitur potest ut diabolus signa quædam instituat, simulque quibusdam hominibus manifestet, quæ quoties illi adhibebunt, ipse suâ virtute aderit sive ad occultorum manifestationem, sive ad quorumdam prodigiorum operationem.

Non tertium, seu ex parte Dei. Observandum, ante omnia, potestatem angelorum, quæcumque sit, ita subordinatam manere divinæ voluntati, ut nihil prorsùs valeant nisi eâ permittente, sicut legimus in libro Job, unde Deus maximâ facilitate impedit quidquid moliri intendunt, sive eos suo nutu solo cohibeat certosque inter limites circumscribat, sive dæmonibus opponat angelos bonos qui adversùs eos pugnant et vincunt, nisi ordo providentiæ postulet aliquid eis permitti. Illæc sola observatio sufficit ad ostendendum nullatenùs sub eo respectu repugnare interventum dæmonis in magiâ. Quæ sint autem illa divina consilia quando dæmonibus permittitur ut homini noceant, sæpè ignoramus; aliquando id fit ad justorum probationem, aliquando etiam in punitionem malorum. Non magis certè repugnat bonitati Dei ut permittat diabolo maleficiis nocumentum homini inferre, quàm illius sanctitati ut hominem tentet ad malum et ea operetur prodigia quibus seducantur, si fieri potest, ipsi electi. Numquàm desunt media quibus possimus malis materialibus uti, si patienter tolerentur ad expiationem peccatorum, et periculo tentationum nos subducere, recurrendo ad Deum.

Magia proinde possibilis comprobatur; an verò reapsè existat, non ratione, sed factis ostendendum. Fatendum quidem non facilem fidem adhibendam esse omnibus quæ narrantur; in multis intervenit fraus, multa etiam ignorantiæ vel præjudiciis adscribenda sunt, sed quòd illud de omnibus sit dicendum nequaquàm permittit ratio : hoc esset certè obstinata incredulitas. Impossibile est quòd ubique terrarum homines tum pagani, tum Judæi, tum Christiani reputaverint dæmones multa prodigia operari, si nullum factum ipsis unquàm constitisset de illo interventu dæmonum; eo sensu magiæ meritò apponimus quod de miraculis dicebat celebris Pascalius : *Il me paraît évidemment qu'il n'y a tant de faux miracles, de fausses révélations, de sortiléges, que parce qu'il y en a de vrais.* (Pascal, *Pensées sur les miracles.*) Huic persuasioni universali suffragantur plurima monumenta sive in historiâ generali Ecclesiæ, sive in privatis sanctorum historiis consignata, quæ non uno loco ipsam memorant confessionem reorum et virtutem divinam quâ sancti aut exorcistæ fugavêre dæmones et dissolverunt opera magiæ. Non possumus facta specialia prosequi argumentis criticis : talis discussio transiliret limites quos huic notamini præscribere necessum fuit; sed consulatur de divinatione opus P. Baltus, *Réponse à l'histoire des oracles de M. de Fontenelle*, 1re part., ch. 16, 18. 2e partie, ch. 10, 11, 12, 13, et alibi passim. Quod olim diabolus operabatur per oracula, non est cur idem non adhuc operetur per privatam divinationem, divinos suscitando qui vi pacti cum eo initi possint identidem aliqua vel locis remotis peracta, vel abditis retecta, vel quæ alio modo sint hominibus impervia, sed non excedunt captum dæmonis, manifestent De Magiâ, vide opus P. Lebrun, Histoire critique des pratiques superstitieuses, liv. 2 ch. 3, t. 2, t. 4, versùs finem. Factums et Arrêts du parlement de Paris contre des Bergers, etc., et alibi.

Huic discussioni finem imponendo unum notatum volumus. Sunt quædam operationes quæ olim reputabantur magiæ, nunc verò legibus physicis meliùs cognitis, naturales omninò apparent; hinc multi concludunt errâsse olim pastores Ecclesiæ et injustè egisse, dùm veluti magos damnabant ac pœnis subjiciebant, qui hisce operationibus operam dedisse convincebantur. Hoc consectarium respuimus, nam facilè concipitur dæmonem sæpiùs potuisse legibus naturalibus quidem, sed tunc ignotis, uti ad decipiendos homines variis præstigiis; aliunde Ecclesiæ constare potuit homines quos magos seu sortilegos vocamus adhibuisse reverà artes sacrilegas, media superstitiosa, pactum cum diabolo, ad obtinendum hos effectus, unde hi fuerint rei graviter criminis magiæ, etsi operatio, seu effectus impetratus ratione sui fuerit naturalis, dependens à legibus naturæ..... Præter auctores in decursu laudatos consule Suares., de Angelis, lib. 4, cap. 39; Le Grand, Dissertatio de *Miraculis*, quæ edita fuit in theologiâ Bailli ad calcem, tract. de Religione; Amandum à Sanctâ Cruce, Animadversiones criticas in Hermanni Janssens. Hermeneuticam sacram.

Articulus III.

De peccato irreligiositatis quod reperitur in tentatione Dei.

Tentare aliquem est verbis aut factis eum probare, experiendo an sciat, velit, aut possit aliquid. Et hoc experimentum fieri potest, sive apertè, ut dùm quis tentatorem se profitetur, quo modo Samson, Judicum 14, proposuit problema Philisthæis ad eos tentandum; sive insidiosè et occultè, sicut legitur Matth. 22, Pharisæos Christum tentâsse. Contingit autem aliquem alium tentare dupliciter : uno modo formaliter et expressè, puta cùm quis dicto vel facto intendit experimentum sumere de illo, seu ex intentione tentandi explorat. Secundò virtualiter et interpretativè, puta dùm non intendit quidem experimentum sumere, aliquid tamen dicit aut agit quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad experimentum sumendum. Et cùm nullus experimentum sumat de eo de quo est certus, ideò omnis tentatio ex aliquâ ignorantiâ vel dubitatione procedit, vel ejus qui tentat, sicut cùm quis experimentum de aliquâ re sumit, ut ejus qualitatem cognoscat; vel aliorum, sicut cùm quis experimentum sumit de aliquo, ut aliis ostendat; per quem modum Deus dicitur nos tentare. Ita D. Thomas, 2-2, q. 97, art. 1 et 2. Unde tentare Deum, est experimentum facere de ejus potentiâ, sapientiâ, bonitate, aut voluntate, absque aliquâ necessitate aut utilitate; quando enim aliquis necessitate aut utilitate ductus

committit se divino auxilio in suis petitionibus aut factis, quærens humiliter ab eo instructionem, et quid circa aliquid particulare velit, non dicitur tentare Deum, cùm hoc ad charitatem, humilitatem ac prudentem religionem spectet; ideòque est licitum; dicitur enim 2 Paralip. 20 : *Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Sicut cùm quis equum currere facit, ut hostis evadat, id non est experimentum de equo sumere : sed si equum currere faciat absque aliquâ utilitate et necessitate, hoc nihil aliud esse videtur quàm experimentum sumere de equi velocitate de quâ dubitat, aut saltem non est omninò certus. D. Thomas ibidem.

Hinc primò ille censetur expressè et formaliter experientiam de aliquâ Dei perfectione facere, quando ex intentione formali dubitat de câ, et ex tali dubitatione dicto aut facto vult experientiam de illâ sumere. Et hæc Dei tentatio est peccatum mortale ex genere suo, quia irreverentiam exhibet divinæ excellentiæ, dubitando de illâ : si enim divinæ excellentiam voluntatis homo revereretur, nonnisi ex rationabili causâ præsumeret quærere secretum illius velle nôsse, prout experimur in hominibus; nullus enim absque irreverentiâ principis quærit absque irrationabili causâ ab eo quid ipse velit, sicut nec quid sciat, aut quid possit; sicque velle ex dubitatione aliquod Dei attributum experiri, magnum Dei contemptum includit; ideòque nequit esse peccatum veniale solùm ex pravitate materiæ, sed tantùm ex defectu perfectæ deliberationis et propter imperfectionem actûs. Quoties igitur deliberatè et consultò fit, semper est peccatum mortale. Unde graviter prohibetur Deut. 6 et Matth. 4 : *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Imò Sanchez., l. 2, in Decal. c. 34, et alii docent, quòd etiam quando dubitatio deest, licet non sit tentatio Dei ita propria, adhuc tamen ex objecto, et ex naturâ suâ est mortalis, nisi fortè ex indeliberatione, ex ignorantiâ non omninò crassâ, et ex ineptâ quâdam specie pietatis ac simplicitate id faciens excusetur, etiam quando fit ex solâ curiositate videndi aliquod opus supernaturale et miraculosum, aut signum petitur à Deo suæ voluntatis absque dubitatione de ejus scientiâ ac potentiâ, si nulla sit rationabilis causa petendi. Ratio est, tum quia agere cum Deo tanquàm cum ludione et vanarum curiositatum fautore et amatore, gravis est irreverentia ac despectus divinæ majestatis. Tum etiam quia iste vult et intendit, quòd Deus suâ omnipotentiâ aliquid mirabile operetur ad finem omninò vanum, quod immensam ejus sapientiam valdè dedecet : unde hoc vix à peccato lethali potest excusari.

Quando alicui fit revelatio, et dubitat an Dei sit aut dæmonis, potest concurrentibus circumstantiis debitis, nempè justâ necessitate, aut piâ utilitate, petere instructionem à Deo per aliquod signum, adhibendo petendi modum debitum, scilicet cum omni humilitate, câque animi submissione, ut petens non ita finem suam illi signo particulari petito adstringat, ut nisi tale concedatur, non sit creditarus; neque terminum Dei adjutorio ponat; neque interim omittat media ordinaria à Deo præstituta ad illam veritatem cognoscendam, aut rem assequendam, solùmque petat ad hoc ut instruatur, quid circa hoc placitum sit Deo. Ita D. Thomas art. 2, ad 3.

Hinc secundò, censetur ille implicitè et interpretativè tentare Deum, qui, tametsi non dubitet expressè de perfectione divinâ, aliquid tamen agit, quod suâpte naturâ ad nihil aliud pertinere et referri posse videtur, quàm ad experimentum sumendum de perfectione divinâ, quasi dubitaretur de illâ ; quod accidit quando absque necessitate et utilitate neglectis mediis à divinâ providentiâ constitutis aliquid agit expectans à solo Deo effectum, et sine ratione committit se periculo, volens experiri utrùm possit à Deo liberari; alioquin non est tentatio Dei, si nempe opus fiat sine respectu ad Deum, nec ab eo petatur aut expectetur effectus. Unde qui spontè se in ignem conjicit ad moriendum, nec intendens inde à Deo liberari, non dicitur tentare Deum.

Ex his facilè resolvi possunt casus particulares circa Dei tentationem occurrentes. Sequitur enim quòd cùm sancti suis precibus miracula facientes, ex aliquâ necessitate vel utilitate moverentur ad petendum divinæ potestatis effectus, non tentabant Deum; sic enim Apostoli licitè petierunt à Domino quòd in nomine Jesu Christi fierent signa, ut dicitur Actor. 4, ad hoc, scilicet, ut virtus Christi in fidelibus manifestaretur, cùm subesset justa necessitas, pia utilitas, et alia quæ ad hoc concurrere debent. Non existimo tamen nunc licitum esse absolutè, publicè, absque necessitate petere miraculum ad confirmandam fidem coram infidelibus aut hæreticis; tum propter periculum scandali quod inde suboriri posset si effectus non eveniret; tum quia modò sufficit Ecclesiæ testimonium et auctoritas; tum quia ista petitio est adeò excellens et extraordinaria, ut sine speciali Dei motione fieri non debeat. Unde, nisi petens habeat donum miraculorum, aut ex peculiari Spiritûs sancti inspiratione ad hoc certò moveatur, ut quidam sancti fecerunt, non caret tentatione Dei. Petere signum noluit Achaz pro populi instructione, quod Deus volebat illi dare; ideò peccavit. Gedeon verò ex debilitate fidei, signum petiisse videtur, et ideò à peccato non excusatur, sicut et Zacharias Lucæ 1. Abraham ex instinctu divino illud petiit, et non peccavit. D. Thomas art. 2, ad 3.

Sequitur præterea quòd prædicatores regni Dei ex magnâ necessitate et utilitate subsidia temporalia prætermittentes ut verbo Dei expeditiùs vacent, non ex hoc tentant Deum, si solius Dei auxilio innitantur : benè tamen si absque utilitate vel necessitate subsidia temporalia desererent; ut si quis vellet à cibo abstinere toto quadragesimali tempore ad Christi imitationem, aut nollet quærere unde sustentari posset, expectans quòd Deus manna illi plueret, prout fecit Israelitis in deserto. D. Thomas ad 3, art. 1.

Sequitur insuper quòd B. Agatha non tentavit Deum nolendo medicinam carnalem corpori suo unquàm

exhibere, sed à Deo solo expectando curationem; quia experta erat erga se divinam benevolentiam, ut vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali medicinâ indigeret, vel statim sentiret divinæ curationis effectum. Ita D. Thomas, 2-2, q. 97, art. 1, ad 3, ubi Cajetanus dicit quòd tempore martyrii respuere medicinas, hoc non est tentare Deum, quoniam utilitas maxima est et necessitas promptitudinis animi ad sustinendum, et sic promptè testimonium fidei christianæ perhibendum: nam, si medicinam corporalem athleta fidei tunc susciperet, videretur minùs spontè hæc pati, et evitare passionem quantùm potest. Item quòd respuere aliquando medicinam ratione spiritualis profectûs, non est tentare Deum, modò hoc sistat intra limites rationabilis obsequii: sic enim viri sancti se offerunt Deo hostiam viventem in hoc mundo, dolores iliacos, ulcera, etc., quæ patiuntur, libenter suscipientes ad carnis mortificationem, et Christi imitationem, et ob hoc respuunt medicinas: quod tamen limitandum videtur, nisi ex medicinæ neglectu mortis periculum immineret. Tandem dicit Cajetanus quòd absolutè è toto tempore vitæ, nolle uti medicinâ, de lege communi, esset tentare Deum: scriptum est enim: *Altissimus de terrâ creavit medicinam, et vir sapiens non despiciat illam*, Eccles. 38. Unde infirmus graviter decumbens qui nollet medicamentum adhibere, credens quòd Deus eum sit sanaturus, non excusaretur à peccato gravi: secùs videtur dicendum si levi tantùm morbo laboraret, cùm in primo casu immineat periculum vitæ; secùs in secundo, ut supponitur.

Sequitur præterea quòd qui temerè se offerunt martyrio, irritando et turbando infideles absque necessitate fidei vel fidelium, videntur tentare Deum, ex D. Thomâ, 2-2, q. 124, art. 1, ad 3, et q. 97, art. 1; in *Sed contra* refert Augustinum, l. 22, contra Faustum, cap. 36, dicentem quòd Christus, qui palàm docendo et arguendo, et tamen inimicorum rabiem valere in se aliquid non sinendo, Dei demonstrabat potestatem, idem tamen fugiendo et latendo, hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat quando habet quod faciat, ut quod cavere oportet evadat. Et ibidem ait D. Augustinus relatus à D. Thomâ ad 3, art. 1, q. 97, quòd Paulus fugit, non quasi non credendo in Deum, sed ne Deum tentaret, si fugere noluisset, cùm sic fugere potuisset. Nam, quando absque necessitate et utilitate prætermittit facere quod potest ad pericula evadenda, respiciens solùm ad auxilium divinum, censetur tentare Deum, ut qui à grassatoribus impetitus, cùm posset fugâ sibi consulere, vult tamen sistere ad experiendum in se divinum auxilium. Idem à fortiori dicendum de eo qui spontè temerèque se exponit probabili periculo mortis aut mutilationis absque causâ, ut qui existens in alto loco, nollet per gradus descendere, sese præcipitaret; aut qui, cùm posset fluvium pertransire supra pontem, aut naviculam, vellet super aquas ambulare, credens quòd Deus eum servaret incolumem, et sic de similibus.

Sequitur ulteriùs damnandam esse consuetudinem quâ homines olim à crimine objecto se purgare solebant, monomachiâ, ferro candenti, vel aquâ fervente, aliisque purgationibus vulgaribus, cùm constet in illis contineri saltem interpretativam Dei tentationem: tum quia sine necessitate tales se exponebant evidenti periculo, tum quia ad tuendum bonum commune sufficit ut de crimine aut de innocentiâ constet per depositionem testium, per juramentum, aliaque media ordinaria et suavia. Unde meritò reprobantur à jure tit. de Purg. canonicâ, cap. *Ex tuarum*, et tit. de Purg. vulg., cap. fin., et caus. 2, q. 5, can. *Consuluisti*. Et à D. Thomâ, 2-2, q. 95, art. 8, ad 5, et 3 p., q. 80, art. 6, ad 3, et doctores asserunt judicem lethaliter peccare, si procedat ad torquendum, condemnandum vel absolvendum aliquem tanquàm manifestatum his et similibus signis. Ratio est quia judex ex indiciis et probationibus procedere debet, ex quibus humano modo in veritatis notitiam devenire potest: hujusmodi autem indicia non sunt humana, sed superstitiosa, æquivoca, aut saltem nobis ignota. Eodem modo ratiocinandum est, dùm judex procedit contra aliquem qui à malefico per divinationem, magiam, aliumve superstitiosum et diabolicum modum denuntiatus et cognitus fuit reus. Neque refert quòd Num. 5, mulier de adulterio suspecta purgabatur aquis amaris. Id expressâ Dei voluntate fiebat, et licebat: quod tamen cùm sit cæremoniale, jam cessavit, nec in novâ lege ad miracula est recurrendum. Nec obstat quòd etiam in novâ lege has purgationes quandoque usurpatas, Deus variis miraculis confirmaverit; id enim in quibusdam casibus accidere potuit, in quibus ex speciali Dei motione fuerunt ab innocentibus injustè accusatis acceptatæ; quamvis qui eas indixerunt peccaverint, volentes Deum sic ostendere veritatem.

Sequitur etiam valdè notandum esse illud Eccl. 18: *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum*. Ubi Glossa interlinearis ait: *Qui scilicet tentans Deum, orat quod docuit, sed non facit quod jussit*. D. Thomas hîc, art. 3, ad 2, hæc verba explicans, inquit quòd ille qui ante orationem non præparat animam suam, dimittendo si quid adversùs aliquem habet, vel aliàs ad devotionem non se disponendo, non facit quod in se est, ut exaudiatur à Deo, et ideò quasi interpretativè tentat Deum, et quamvis hujusmodi quasi interpretativa tentatio videatur ex præsumptione seu indiscretione provenire, tamen hoc ipsum ad irreverentiam Dei pertinet, ut homo præsumptuosè, et sine debitâ diligentiâ se habeat in his quæ ad Deum pertinent; dicitur enim 1 Petr. 5: *Humiliamini sub potenti manu Dei*. Et 2 ad Timoth. 2: *Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo*. Unde etiam hujusmodi tentatio quædam veluti species irreligiositatis est. Tentatio verò Dei propria esse videtur, quòd aliquis imperitus indiscretè absque justâ causâ conciones habeat: sine præparatione, absque studio, meditatione aliisque præviis, sperans sibi à Deo suggerendos esse conceptus. Nec excusaretur ex illo Matthæi 10: *Nolite cogitare, quomodò aut quid loquamini*; non enim dedit Christus omnibus gratias gratis datas

et privilegia quæ contulit suis discipulis quos Spiritus S. repleverat. Vide D. Thomam, 2-2, q. 53, art. 4, ad 1.

Sequitur Dei tentationem esse speciem irreligiositatis, seu esse vitium virtuti religionis oppositum, quia cùm finis religionis sit, reverentiam Deo exhibere, illa omnia religioni opponuntur, quæ directè ad Dei irreverentiam pertinent. Dubitare autem de excellentiâ Dei, et dicto, vel facto velle eam explorare explicitè aut implicitè, prout contingit in tentatione Dei, continet magnam illius irreverentiam, unde est peccatum mortale ex genere suo, non tamen ita grave sicut est superstitionis vitium, utpote quæ minùs reverentiæ divinæ adversatur : nam superstitiosus protestatur errorem excellentiæ divinæ contrarium, eique per certitudinem adhæret; qui verò Deum tentat, protestatur dubitationem de divinâ excellentiâ. Sicut autem magis est infidelis qui in errore est confirmatus, quàm qui de veritate fidei dubitat, ita etiam magis contra Dei reverentiam agit, qui suo facto protestatur dubitationem. Ita D. Thomas hîc art. 3 et 4.

Sequitur tandem, tentationem Dei formalem et expressam esse semper mortale peccatum, quoties fit cum plenâ advertentiâ et deliberatione, solùmque posse esse veniale propter indeliberationem et imperfectionem actûs, ut in primis motibus ; tentationem verò Dei solùm materialem et interpretativam, quæ scilicet non est cum dubitatione et cum intentione explorandi divinum nôsse, posse, aut velle, cùm sit tantùm quid imperfectum in specie tentationis, esse solùm peccatum veniale, propter imperfectionem actûs ex parte suæ formæ : si tamen magnitudo seu qualitas tentationis reduceret actum in naturam suæ formæ, seu materia adeò gravis esset ut sine dubitatione et exploratione divinæ excellentiæ adhiberi non posset, prout in purgationibus vulgaribus contingit; tunc esset peccatum mortale. Ita Cajetanus in Summâ, v. *Tentatio*.

Hinc colligitur Dei tentationem in confessione explicandam esse. Imò et exprimendum an fuerit vel expressa vel tacita.

Articulus IV.

De sacrilegio (1).

Sacrilegium est omnis *violatio*, seu *indigna tractatio rei sacræ*. Ad hujus definitionis intelligentiam observa : 1° rem sacram dici eam quæ deputatur ad cultum divinum ; si agatur de personâ, sufficit quodlibet propositum aut votum privatum, ut sic Deo deputetur et inter sacra reputari possit; si autem agatur de locis vel rebus, necesse est ut consecratio fiat publicâ auctoritate, ut tenent communiter DD. 2° Res Deo sacra potest duplicem habere sanctificationem, unam ex ipsâ suâ institutione seu dedicatione, alteram priori supervenientem, ut si persona jam sacra, v. g., clericus, eximatur ab aliquo onere ob reverentiam statui clericali conciliandam; illa immunitas vel privilegium dicitur sanctitas, quia ordinatur ad priorem sanctitatem tuendam et illius gratiâ conceditur. 3° Sacrilegium supponit non qualemcumque violationem rei sacræ, sed illius violationem in eo in quo est sacra sive suâ institutione, sive lege ecclesiasticâ; unde aliud est sacrilegium naturâ rei independenter à jure positivo, ut si violetur virgo, et aliud ex jure positivo ita disponente. His positis dicimus 1° : Sacrilegium est peccatum oppositum virtuti Religionis. Ita omnes, et ratio est quòd illa virtus exigat ut res divino cultui dicata venerationi habeatur propter Deum ad quem refertur.

2° Sacrilegium multiplicem potest habere malitiæ speciem ; nam cùm sacrilegii objectum sit res sacra, *secundùm diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est quòd sacrilegii species distinguantur.* Cùm itaque tria sint genera rerum, quæ sanctitate ordinari possunt, nimirùm persona, loca, et certæ quædam res, hinc sacrilegium distinguitur in personale, locale, et reale. Quæ quidem specifica distinctio, ut optimè notant cum D. Thom. theologi, non ex eo desumitur, quòd res à se invicem specie, imò toto genere distinguantur, sed quia diverso planè modo sanctitatem participant, et nanciscuntur, unde sanctitas analogicè de illis enuntiatur. Quamobrem subdit l. c. S. doct. : *Tantò sacrilegium est gravius, quantò res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem. Attribuitur autem sanctitas personis sacris (id est, divino cultui dedicatis) et locis sacris, et rebus quibusdam aliis sacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum Deo exhibet. Dicitur enim Machab.* 5 : Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus eligit : *et ideò gravius peccatum est sacrilegium, quo peccatur contra personam, quàm quo peccatur contra locum sacrum... Tertia species sacrilegii, quæ circa alias res sacras committitur*, etc.

In hisce tamen speciebus, quæ atomæ sunt, varios agnoscit gradus seu modos idem D. Angel. *secundùm differentiam personarum, et locorum sacrorum, et secundùm differentiam rerum sacrarum.* Horum graduum et modorum aliquos enumerat ibidem D. Angel., quibus alios addunt theologi. Itaque quoad personas sacras attinet, seu quoad sacrilegium personale, quatuor ponuntur gradus seu modi sacrilegii, videlicet : 1° Personam sacram verberando, percutiendo, persequendo, vel reali aliquâ contumeliâ afficiendo. 2° Eam ad laicum forum trahendo. 3° Tributa et vectigalia absque legitimâ auctoritate, vel urgente necessitate imponendo. 4° Impudicas actiones cum ipsâ peragendo, tum respectu ipsius personæ sacræ, tum respectu complicis; nam cujuslibet voti violatio sacrilegium est. Ex parte verò loci sacri sacrilegium committitur : 1° Locum sacrum incendendo, infringendo, spoliando, etc. 2° Immunitatem violando per violentam extractionem hominis illùc tanquàm ad asylum confugientis, quibusdam tamen casibus exceptis. 3° Locum

(1) Vid. Patuzzi Th. mor., t. 5, dissert. V; Billuart de Religione dissert. X, unde articulum hunc penè expressimus interserendum textui Mayoli qui de sacrilegio disserit inferiùs in materiâ luxuriæ.

sacrum polluendo vel per sanguinis injuriosam effusionem, vel per voluntariam pollutionem sive manifestam, sive occultam, vel per sepulturam hominis non baptizati, sive excommunicati non tolerati. 4° Profanas actiones inibi exercendo, quæ sive naturali lege, sive juris canonici prohibitione loci sanctitati repugnant, cujusmodi sunt mercaturas, negotiationes, convivia, scenas in templis instituere. 5° Furari, nam statutum legimus à jure canonico cap. *Quisquis*, 17, quæst. 4 : *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro sive sacrum de non sacro.* Denique ex parte rei sacræ, prout à loco et personâ distinguitur, primo loco enumerat S. Thom. *Sacramenta quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideò sacrilegium, quod contra hoc sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia,* inter violationes rei, non personæ sacræ; nam licet Christus sit realiter in Eucharistiâ præsens, non est tamen inibi per modum corporis, sicut erat in mundo, et modò est in cœlo, sed alio ineffabili modo, scilicet sacramentali; ideò indigna tractatio Eucharistiæ non constituit sacrilegium in personam, sed in rem sacram. *Post Sacramenta* (sequitur S. Thom.) *secundum locum tenent vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, necnon eorum materiæ et formæ, et ipsæ imagines sacræ, et reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo ipsæ personæ Sanctorum venerantur, et dehonorantur. Deinde ea quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive mobilia sint, sive immobilia.*

3. Sacrilegium est de se et ex genere suo lethale, ut ipso naturali lumine patet, cùm gravem irroget Deo injuriam, afferatque damnabilem ejusdem dehonestationem. Potest tamen ratione imperfectionis actûs, vel etiam parvitate materiæ esse veniale, ut si quis ex oblationibus fidelium tenuem furetur monetam. Sacrilegii circumstantia semper est in confessione aperienda; novam enim addit peccato malitiam : nam, ut observat S. Thom., aliqua peccata licet specie inter se differant, convenire tamen possunt in unâ eâdemque sacrilegii specie; hinc scribit l. c. ad 2 : *Possibile est aliqua duo peccata differre specie secundùm materiales actus, convenire autem in specie secundùm unam rationem formalem sacrilegii, puta si quis sanctimonialem violaverit verberando, vel concumbendo.*

Hinc multa deduci possunt consectaria; quædam exponemus quæ majoris momenti sunt : 1° Personæ Deo dicatæ vel per vota, vel per ordinationem, non in omni quod perpetrant peccato, sacrilegium committunt, sed solùm cùm in se violant castitatem. Ita docet S. Thom., 2-2, q. 99, art. 3, ad 3 : *Omne peccatum, quod sacra persona committit, materialiter quidem, et quasi per accidens est sacrilegium. Unde Hieronymus* (Bernard. lib. II., de considerat., cap. 13) *dicit, quòd nugæ in ore Sacerdotis sacrilegium sunt, vel blasphemia. Formaliter autem, et propriè illud solum peccatum sacræ personæ sacrilegium est, quod agitur directè contra ejus sanctitatem; puta si virgo Deo dicata fornicetur. Et eadem ratio est in aliis.* Præterea tenentur in confessione aperire et gradum quem obtinent, et votum etiam castitatis, si regulares sint, cùm hæc omnia sacrilegii peccatum aggravent, ut docent cum Suarez plures alii theologi.

2° Locum sacrum violant, et sacrilegium committunt qui res etiam non sacras, et loci sacri fidei commendatas in illo furantur. Et quidem oblationes fidelium è capsulis subripere, vel pecunias sive alias res in ecclesiâ depositas furari, sacrilegium esse concedunt etiam benigniores theologi, et confirmant punitione Heliodori horribiliter et severè ab angelis flagellati, quippe qui ærarium templi spoliare vellet. At negant de furto, quod per accidens et casu fit in templo, cujusmodi est crumenam vel horologium vicino in ecclesiâ subripere; sed immeritò, tùm quia in jure canonico, ut superiùs diximus, sacrilegium dicitur etiam auferre *non sacrum de sacro;* porrò qui rem in loco sacro furatur, aufert non sacrum de sacro; ergo sacrilegus est. Præterea divus Thomas apertè docet : *Omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, et habet sacrilegii rationem :* porrò furtum cujuscumque rei in ecclesiâ perpetratum ad irreverentiam loci sacri pertinet, ergo ad injuriam Dei pertinet, et est sacrilegium. Tertiò, communi omnium sensu, qui furantem in Ecclesiâ non eo solo nomine detestantur, quia aliena rapit, sed quia rapit etiam in templo; ergo intimo sensu experiuntur, furtum illud specialem afferre deformitatem, quæ profectò non alia esse potest nisi irreverentia loco sacro præstita, proinde sacrilegium. Non sunt itaque audiendi probabilistæ, dùm hujusmodi furta à sacrilegii crimine immunia declarant.

3° Locum sacrum violant, et sacrilegii rei fiunt, qui in Ecclesiis de obscœnis et turpibus colloquia miscent, et ad turpia sollicitant, licet extra ecclesiam peragenda, et multò magis qui turpes actus in loco sacro exercent sive manu, sive nutibus, sive tactu aliquo, quæ videntibus actionis inhonestæ speciem statim exhiberent. Quis est qui non videat irreverentiam hanc esse loci sacri violationem ? Violatio autem loci sacri est sacrilegium.

4° Rei sunt habendi violationis loci sacri, qui in ecclesiis mercaturam, emptiones, et venditiones celebrant, cùm Christus Dominus ejecerit de templo ementes et vendentes columbas, etiam fortassis ad usum sacrificiorum, nec non nummulariorum mensas everterit, et æra vendentium disperserit. Veniale fortè, si quis per accidens ob effugiendam pluviam brevi spatio vel pecuniam pro merce emptâ numeraret, vel ad ipsam mercem evolutam videndam et prospiciendam in ecclesiâ detineretur. Similiter qui comessationes et epulas in templo instituerent, cùm cap. *Non oportet* 2, dist. 24, statuatur : *Non oportet in basilicis, seu ecclesiis, agapem facere, et intùs manducare;* et ut Apostolus ait 1 ad Corinth. 11 : *Numquid domos non habetis ad manducandum et ad bibendum ? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent ?* Si quis tamen vel asyli, vel custodiæ causâ in ecclesiâ morari contingeret, non impediretur,

ut in loco remoto consuetum sumeret cibum et potum.

5° Quoad ecclesiasticorum locorum immunitatem plura docuit sanctissimus et sapientissimus pontifex benedictus XIV in suis institutionibus, et plura statuit in Bullâ quæ incipit, *Officii nostri*. In hâc itaque binas confirmat Benedicti XIII et Clementis XII Bullas, in quarum primâ statuebatur, non gaudere loci sacri asylo et immunitate, 1° impedientes, ne quis recurrat ad locum immunem, vel ab eo violenter extrahentes. 2° Interfectores ex animo præmeditato ac deliberato; 3° Adulterantes litteras apostolicas. 4° Reos furti, seu quid falsi committentes in Monte pietatis, vel in loco publico, ubi pecuniæ deponuntur, ex quo arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. 5° Vitiantes sive abradentes aureas argenteasque monetas cujuscumque principis, etiam exteri, cursum in loco habentes ubi delictum perpetratur, vel sic vitiatas monetas expendentes, ut fraudis conscii et participes censeri possint. 6° Illos qui curiam simulantes insinuant sese in domos ad furandum, dummodò simul etiam committant homicidium aut mutilationem membrorum in eos qui etiam per accidens in eâ domo sunt, effectu tamen secuto. 7° Illum qui stans in Ecclesiâ vel in cœmeterio, interficit stantes extra ea loca, et vicissim. 8° Homicidam etiam in rixâ, si ex processu reus sit deprehensus, seu in exilium eo nomine agatur; quod tamen declarat tantùm in ditione Ecclesiasticâ. 9° Mandantes, id est, qui certum præmium mandatario sunt polliciti, licet non dederint, homicidio tamen et mutilatione commissâ. Quæ omnia confirmavit Clemens XII, additis nonnullis ad Ecclesiasticam ditionem pertinentibus. Idem Benedictus XIV citatâ Bullâ *Officii nostri*, præter prædecessorum Pontificum statutorum confirmationem, nonnulla alia adjecit. 1° Declaravit in præfatis legibus comprehendi etiam ecclesiasticos, et mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo vel saxo, nisi fortè homicidium commissum sit casu aut necéssariâ defensione, non verò si fiat ex odio et animo nocendi. 2° Declarat privativè ad episcopos pertinere facultatem demandandi extractionem delinquentium è loco immuni, adeò ut si locus sit nullius diœcesis, sit ad viciniorem episcopum recurrendum, et si locus sit à residentiâ episcopi remotus, vicarii foranei de mandato episcopi indicia ad extractionem necessaria juridicè colligant, et ad episcopum transmittant. 3° Jure asyli privat eos qui sine recursu ad episcopum extrahunt, sive obsidere præsumunt loca immunia, ne alimenta ad reum deferantur, vel alio modo cogunt reum ad se dandum curiæ seculari. Hæc tamen Bulla lata est pro ditione pontificiâ, et pro illis principibus, qui eam postulaverint. In encyclicâ verò ad Inquisitores quæ incipit *Elapso proximè*, et habetur Bullar, t. 3, n. 40, statuit, seu declarat, hæreticos, aut de hæresi suspectos, et Judæos post Baptismum in apostasiam lapsos, posse ab Inquisitoribus extrahi ab Ecclesiâ, sed ante vel post capturam episcopos commonere teneri.

Plura verò docet in Instit. 4, n. 61, et primò quidem casus enumerat, in quibus de jure communi canonico delinquentes, asylo et ecclesiasticâ non gaudent immunitate, nimirùm, 1° si publicus latro fuerit, ex can. *Sicut antiquitus, nisi publicus* 17, quæst. 4, et in decretali *Inter alia*, de Immunitate Eccles. 2° Nocturnus depopulator agrorum, in citatâ Decretali. 3° Qui homicidia et mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis vel eorum cœmeteriis committere non verentur, ut statuit Greg. IX, in cap. *Immunitatem*, de Immunit. Eccles. 4° Qui per assassinos interficiunt, vel eosdem ad hoc recipiunt domi, ut statuit Innoc. IV in cap. *Pro humani*, de homicidio in 6; 5° Homicidium proditorium, cùm in cap. 1, de homicidio, innovatum inveniatur Exodi præceptum : *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles illum, ut moriatur*. 6° Hæretici, vel de hæresi suspecti, vel Hebræi à fide apostatæ, juxta decretum Joan. XXII in suâ 1 Constit. in Bull. Rom. tom. 1.

Deinde doctissimus pontifex addit quid postea statuerit Gregorius XIV, nimirùm non gaudere immunitate, qui fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. 2° Cùm in jure canonico diceretur, non gaudere immunitate *nocturnos* depopulatores agrorum, verbum *nocturnum* delevit, ut et diurni comprehensi intelligerentur. 3° Cætera juris canonici statuta confirmavit, et 4° aliud addidit statutum, quo declarat, non gaudere immunitate reos læsæ majestatis in personâ principis. Denique institutionem claudit ea recensendo, quæ à summis pontificibus Bened. XIII et Clemente XII, decreta sunt, et superiùs retulimus, nonnullas addens declarationes ab ipsis factas, videlicet, violantes ecclesiasticam immunitatem non gaudere jure asyli non solùm in illâ Ecclesiâ quam violârunt, sed nec in aliâ quâcumque. Similiter unicam grassationem in viâ publicâ aut vicinali admissam sufficere ad hoc, ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodò tamen grassati mors vel mutilatio secuta fuerit. Hæc sunt à sapientissimo pontifice vel statuta vel declarata, quæ doctrinam omnem de asylo et immunitate templorum complectuntur.

6° Ut quis sacrilegii crimen incurrat in indignâ tractatione rerum sacrarum, necesse non est, ut habeat directam voluntatem, et intentionem eas inhonorandi vel contemnendi; hoc enim proprium solùm est hæreticorum et infidelium et semper est lethale peccatum, nullam admittens materiæ parvitatem; sed sufficit indirecta et virtualis, sita in ipsâ indignâ tractatione rei sacræ; et hæc parvitatem materiæ admittere potest : ut si quis ex incuriâ imaginem aliquam sacram perire sinat.

7° Sacrilegium est res sacras adhibere ad usum profanum, puta sacris vasis ad profanum convivium, vestibus sacris ad spectaculum profanum uti. Nam, ut manifestè patet, hæc esset violatio rei sacræ, et magnam erga Deum, in cujus honorem illa instituta sunt

et dedicata, injuriam continent. Non desunt tamen theologi, qui hanc doctrinam ad ea coarctant sacra, quæ benedictione aliquâ consecrantur; unde inferunt, sacrilegium non esse ad profanos usus adhibere candelabra, tapetes, manutergium, ampullas, pelvim, et similia; sed improbabiliter omninò; nam S. Thom., 2-2, q. 99, art. 3, inter res Deo dicatas et sacras enumerat *ea quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ et ministrorum*, et postea nullâ factâ distinctione definit: *Quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit.* Præterea in Jure Canonico statuitur c. 3 de Consecrat. ex decreto Clementis papæ: *Altaris palla, candelabra et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, malè tractari.* Et reverà, nonne pius quilibet commoveri se sentit, si videat, tapetes, sericea, candelabra, et similia profanis usibus adhibere?

8° Res sacras violant, et sacrilegii crimine polluuntur, qui sacris Scripturæ verbis ad satyras, ad profanas cantiones, ad libellos famosos, et ad quoslibet profanos usus abutuntur. Sic declaravit, et statuit Tridentina synodus sess. 4: *Post hæc temeritatem illam reprimere volens, quâ ad profana quæque convertuntur et torquentur verba et sententiæ sacræ Scripturæ ad scurrilia scilicet fabulosa, vana, adulationes, detractiones..... mandat et præcipit ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cætero quispiam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc et similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines temeratores et violatores verbi Dei juris et arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur.* Hinc jure meritòque etiam benigniores theologi à lethali sacrilegio non excusant, qui in more habent sacræ Scripturæ verba ad sensus turpes, maledicos, scurriles, ineptos detorquere, cùm gravem irrogent injuriam divinis verbis et Evangelio.

9° Sacrilegium committunt pictores qui Sanctarum imagines, puta S. Mariæ Magdalenæ, vel aliarum indecorè, et meretricià nuditate depinguat, cùm harum visio non ad devotionem provocet, sed ad libidinem accendat, et pravas excitet cogitationes, sicut et qui ad innocentiæ tempus designandum Adamum et Evam nudos in terrestri paradiso repræsentant, quæ profectò imagines à sacris templis sunt omninò removendæ cùm scandalum fidelibus offerant et offensionem. Sacrilegium etiam reale est rapere, destruere, et retinere bona Ecclesiæ, sicut et pia legata supprimere Ecclesiæ jura fraudando, cùm D. Thomas loc. sæpiùs laud. inter res sacras enumeret etiam ea *quæ sunt deputata ad ministrorum sustentationem, sive mobilia sint, sive immobilia.*

10° Etiam peccato omissionis sacrilegium junctum esse potest. Hinc sacrilegii rei efficiuntur sacristæ, aliique Ecclesiarum ministri, si ob negligentiam sacramentales species innovandi, eas sinunt corrumpi; si sacra Chrismata et Eucharistiam debità diligentià custodire negligant juxta sacrorum canonum decreta; si ad altaris sacrificium corporalia, purificatoria et sacra vasa non munda, et intùs deaurata ministrent, sed sordida, fœda, et lurida adhibeant. Omissio tamen recipiendi Eucharistiam in Paschate, et annuæ confessionis sacrilegium non est, sed sola præceptorum Ecclesiæ violatio, sicut et omissio auditionis Missæ in die festo cùm nulla in hisce rebus sacris irrogetur injuria. Similiter sacrilegium non est bona per testamentum Ecclesiis relicta retinere; hoc enim, licet injustitiæ peccatum sit, irreverentiam tamen non continet, quia, antequàm in Ecclesiæ transeant possessionem, non censentur sacra. Eâdemque ratione decimas non solvere propriè sacrilegium non est, licet cum injustitiæ peccato conjuncta sit etiam quædam erga Deum irreverentia et irreligiositas, quippe quia decimarum solutio ad supremi divini dominii recognitionem sit ordinata.

12° In confessione aperiendum est et objectum sacrum quod violatur, et actio quâ violatur, cùm eò gravius sit sacrilegium, quò res quæ violatur, magis est sacra, et quò actio, per quam violatur, turpior est, et etiam quia per ordinem ad diversam sanctitatem speciem mutant. Sic gravius sacrilegium est indignè personam sacram tractare, quàm locum sacrum, et qui sacramenta, vel imagines Dei, et Christi, vel lignum Crucis inhonorant, in Religionem peccant, quæ Deum respicit; qui verò Reliquias, vel imagines Sanctorum inhonorant, duliæ aut hyperduliæ adversantur. Sic gravius sacrilegium perpetrat, qui in Ecclesiâ fornicatur, quàm qui in eâ furatur.

EXPOSITIO
SECUNDI PRÆCEPTI DECALOGI:

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Priùs est Deum suscipere ad colendum, quàm eum susceptum honorare: et ideò præmittitur præceptum quo prohibetur superstitio, vitium Religioni oppositum, et mandatur ut cultus divinus debitè offeratur, nec alteri quàm uni ac vero Deo tradatur: superstitio enim impedit Religionem quantùm ad hoc, ne suscipiatur Deus ad colendum, quia ille cujus animus implicatus est alicui cultui indebito, non potest simul debitum Dei cultum suscipere, juxta illud Isai. 28: *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat*, etc. Postea sequitur aliud præceptum quo prohibetur defectus reverentiæ erga Deum, cùm scilicet contemnitur,

quod pertinet ad vitium irreligiositatis, quâ impeditur Religio quantùm ad hoc ne Deus, postquàm susceptus est, honoretur; facitque ut nomen ejus in vanum assumatur, quod in maximam illius irreverentiam cedit. Ex D. Thomâ, 2-2, q. 122, art. 3. in cor. Et ibidem ad 2 ait, quòd « non prohibetur quælibet « assumptio divini nominis per hoc præceptum : sed « propriè illa quâ assumitur divinum nomen ad con« firmationem humani verbi per modum juramenti; « quia ista assumptio divini nominis est frequentior « apud homines. Potest tamen ex consequenti intel« ligi, quòd per hoc prohibeatur omnis ordinata di« vini nominis assumptio. »

Hinc multi auctores tractant hoc in loco non solùm de juramento, sed etiam de voto et de blasphemiâ. Quia non solùm ille Dei nomen in vanum assumere censetur, qui per illud malè jurat, vel benè juratum malè implet : sed etiam qui malè et indebitè vovet, vel malè adimplet quod benè vovit. Item qui blasphemias et verba injuriosa in Deum et sanctos profert, prout declarat Catechismus concilii Trident. in Expositione hujus secundi præcepti, quibus nos conformantes illud dividimus in tres quæstiones. Prima erit de juramento, secunda de voto, tertia de blasphemiâ. Cum quo tamen stat, quòd hoc præcepto directè prohibeatur sola assumptio vana divini nominis per modum juramenti, seu falsa juratio, quæ principaliter perjurium nominatur; unde D. Thomas in art. 3 citato ait, isto secundo præcepto prohiberi perjurium ad irreligiositatem pertinens. Et sanè in hebræo habetur : *Non jurabis nomen Elohe tui falsitati*, id est, ex intentione falsi. Inseritur autem nomen *Elohe tui*, ad reddendam præcepti rationem, scilicet, ex injuriâ quæ fit summo Deo, quem tu ipse colis et profiteris judicem : magna siquidem illi irrogatur injuria afferendo eum in testem falsi, qui est summus Deus quem colis, et profiteris justum judicem et meminit nominis, quia intentio jurantis falsò non est, ut Deus testimonium perhibeat. Enumerat verò hoc sacrilegium D. Angel. dicto jurantis, sed divini nominis attestatione auctorare quod dicit, et propterea directè fit injuria divino nomini. Ita Caj. super c. 20 Exod. v. 7.

Perjurium definitur à D. Thomâ, 2-2, q. 98, art. 1 : *Mendacium juramento firmatum;* actus enim morales ex fine sortiuntur speciem : finis autem juramenti est confirmatio dicti humani cui quidem confirmationi falsitas opponitur. Per hoc enim confirmatur aliquod dictum, quod ostenditur firmiter esse verum; quod quidem non potest contingere de eo, quod est falsum. Unde falsitas directè evacuat finem juramenti : et propter hoc à falsitate præcipuè specificatur perversitas juramenti, quæ perjurium dicitur. Et ideò falsitas est de ratione perjurii. Primò igitur propriè et principaliter est perjurium, quando in juramento deest veritas, item aliquo modo et consequenter dici potest in juramento perjurium quando deest justitia : quocumque enim modo quis jurat illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatus est ad hoc, ut contrarium faciat. Tandem quando deest judicium : qui enim temerè et indiscretè jurat, ex hoc ipso periculo se committit falsitatem incurrendi. Ita D. Thomas, ubi omne illicitum juramentum, quod perjurium à D. Hieronymo vocatur, reducit ad falsum aliquo modo, ut sic falsitas non solùm sit principalis ratio perjurii, sed lues communis omnium perjuriorum : et propriè loquendo sola falsitas orationis cognita vel neglecta constituit perjurium simpliciter.

Juramentum falsum assertorium, non potest esse solùm peccatum veniale ratione parvitatis materiæ, cùm Deus adducatur in testem falsitatis. Imò plures idem asserunt de juramento promissorio ob parem rationem. Solùm enim est differentia in hoc quòd veritas juramenti promissorii debet esse futura pendens ab ipso jurante : veritas verò juramenti assertorii est speculativa et debet esse præsens; quæ diversitas non facit quòd non debeat æquè jurans esse sollicitus ut verum sit quod juravit. Item juramentum respicit materiam, non quatenùs est magni, vel parvi momenti, sed quatenùs est vera. Ergo ejus obligatio non debet judicari ex ejus magnitudine, sed veritate. Verùm de hoc infra.

Cùm actus morales procedant à voluntate, cujus objectum est bonum apprehensum; ideò, si falsum apprehendatur ut verum, erit quidem relatum ad voluntatem materialiter falsum; formaliter autem verum. Si autem id quod est falsum accipiatur ut falsum, erit falsum materialiter et formaliter. Si autem id quod est verum apprehendatur ut falsum, erit verum materialiter, et falsum formaliter. Et ideò in quolibet istorum casuum salvatur aliquo modo ratio perjurii propter aliquem falsitatis modum. Sed quia in unoquoque potius est id quod formale est, quàm id quod est materiale, non ita est perjurus ille qui falsum jurat, quod putat esse verum; sicut ille qui verum jurat, quod putat esse falsum : ut enim dicit August.: *Interest quemadmodùm verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi rea mens.* Ita D. Thomas ibid. ad 3. Est itaque perjurium solùm materiale, dùm quis non intendens jurare falsum, contingit tamen ipsum jurare, aut exit ab homine tanquàm actus imperfectus, puta ex lapsu linguæ, aut aliàs inadvertenter et ignoranter; et tunc non est peccatum mortale, quia non est perjurium; utpote quia nullus actus bonus vel malus potest esse talis sine suâ formâ, nisi tamen actus redeat in naturam suæ formæ, quod in proposito contingeret, si quis non intenderet jurare falsum, et tamen non curaret adhibere omnem diligentiam, ne juret falsum; tunc enim talis jurans falsum, incurret perjurium mortale, quia propter talem negligentiam in tantâ re, actus rediret in naturam suæ formæ; ille enim convincitur quòd maluit incurrere perjurium, quàm discutere, uti debuit, an juret falsum. Est verò perjurium formale quando quis advertens se jurare falsum vult jurare falsum, et deliberatè sciens ac prudens perjurat. Et hoc semper est peccatum mortale, ut probat D. Thomas in hâc q. 98, art. 2, dicens, quod *jurare est Deum testem invocare; pertinet autem ad Dei irreverentiam, quòd*

aliquis testem eum invocet falsitatis, quia per hoc dat intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoscat, vel quòd falsitatem testari velit. Quod sine dubio gravis est Dei injuria. Idem probat S. doctor expressiùs art. 3, quia PROPTER QUOD UNUMQUODQUE TALE, ET ILLUD MAGIS; *videmus autem quòd ea quæ ex se sunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, si in contemptum Dei fiant, sunt peccata mortalia. Unde multò magis quidquid tale est, quod de suî ratione pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale : perjurium autem de suî ratione importat contemptum Dei. Ex hoc enim habet rationem culpæ, quia ad irreverentiam Dei pertinet. Unde manifestum est, quòd perjurium de suî ratione, est peccatum mortale.* Hactenùs D. Thomas. Et ibidem ad 2, ait, quòd ille qui jocosè perjurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantùm ad aliquid magis auget : et ideò non excusatur à peccato mortali. Ille autem qui ex lapsu linguæ falsum jurat, si quidem advertat se jurare, et falsum esse quod jurat, non excusatur à peccato mortali, sicut nec à Dei contemptu; si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi, et ideò à crimine perjurii excusatur.

Perjurium in judicio, est specialiter exprimendum, non quòd in ratione perjurii differat specie : sed propter adjunctam malitiam injustitiæ specie diversam, ex hoc quòd jurans judici juridicè interroganti, non obediat; quod in re gravi, etiam secluso juramento, esse peccatum mortale, ostendemus in octavo præcepto.

QUÆSTIO PRIMA.

DE JURAMENTO.

D. Thomas agit de juramento, 2-2, q. 89, per decem articulos, ejusque necessitatem statim art. 1 probat hoc discursu : *Juramentum ad confirmationem ordinatur, ut dicit Apost. ad Heb.* 6; *confirmatio autem in scibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ sunt infallibiliter vera. Sed particularia facta hominum contingentia non possunt per rationem necessariam confirmari : et ideò ea quæ de his dicuntur, solent confirmari per testes. Sed humanum testimonium non est sufficiens ad hujusmodi confirmationem propter duo : primò quidem propter defectum veritatis humanæ : quia plurimi in mendacium labuntur, secundùm illud Psal.* 16 : « *Os eorum locutum est men-* « *dacium.* » *Secundò propter defectum cognitionis, quia homines non possunt cognoscere neque futura, neque cordium occulta, vel etiam absentia, de quibus tamen homines loquuntur; et expedit rebus humanis ut certitudo aliqua de his habeatur; et ideò necessarium fuit recurrere ad divinum testimonium, quia Deus nequ mentiri potest, neque eum aliquid latet. Assumere autem Deum in testem, dicitur jurare, quia quasi pro jure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur pro vero habetur.* Et art. 3, docet quòd *jurare est actus latriæ et Religionis; nam ille qui jurat, invocat divinum testimonium ad confirmandum ea quæ dicit; nihil autem confirmatur nisi per aliquid quod certius est et potius; et ideò in hoc ipso quòd homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, utpote cujus veritas est indefectibilis, et cognitio universalis : et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet. Unde et Apostolus dicit ad Hebræos* 6, *quòd* « *homines per majorem se jurant.* » *Et Hieronymus dicit super Matth., quòd qui jurat aut veneratur, aut diligit eum per quem jurat. Et Philosophus etiam dicit in* 1 *Metaph., quòd juramentum est honorabilissimum; exhibere autem reverentiam Deo, pertinet ad Religionem sive latriam.* Unde manifestum est, quòd juramentum est actus Religionis, sive latriæ.

Et ad Hebræos 6, exponens hæc verba Apostoli : *Homines per majorem suî jurant, et omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum*, rationem ejus ponit, quia *nihil aliud est jurare nisi dubium confirmare; sicut ergo in scientiis nihil confirmatur, nisi per id quod est magis notum, ita quia nihil certius est apud homines, quàm Deus, ideò per ipsum tanquàm per majus et certius juratur. Et sicut in scientiis quando fit resolutio usque ad prima principia indemonstrabilia, quiescit intellectus et finitur controversia; ita divinâ lege introductum est, quòd cùm pervenitur ad primam veritatem, est standum; quod fit quando ipsa in testimonium invocatur. Exodi* 22 : « *Applicabitur ad deos, et jurabit, et* « *sic sopitur omnis quæstio et controversia.* »

Licet oratio sit divini nominis invocatio, non est propterea juramentum, quia per eam divinum nomen invocatur gratiâ petendi ab eo auxilium tanquàm à misericorde et omnipotenti : atverò juramento invocatur ut tanquàm testis infallibilis veritatis, confirmet et manifestet, id quod jurejurando affirmatur. Item concionatores et alii referentes sacræ Scripturæ testimonia, non censentur jurare, cùm Deus sponte suâ hæc testimonia dederit ad suas veritates asserendas atque ea referens nihil aliud facit, quàm Dei asserta referre, nisi ulteriùs Deum in suarum assertionum testem invocet.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid et quotuplex sit juramentum.

Jurare *est Deum in testem assumere pro confirmatione alicujus rei*, prout colligitur ex D. Thomâ locis mox adductis. Hinc fit non esse juramentum, nisi Deus tacitè vel expressè invocetur in testem; id enim est de juramenti essentiâ; est enim invocatio divini nominis in testimonium.

Tunc autem est invocatio expressa, quando fidei faciendæ causâ, divinum nomen expressè adhibetur, ut si quis dicat : *Jura per Christum; testis sit mihi Deus*, etc. Tunc verò est solùm tacita, quando fidei faciendæ causâ aliquid fit indicans invocationem Dei, quamvis ejus nomen expressè non interponatur, ut si aliquis requisitus ut juret, manu tangat Evangelium aut crucem, aliudve signum quo ostendat se jurare, et de facto habeat intentionem jurandi. Item dùm jurat per creaturas in quibus specialiter relucet bonitas et potentia Dei, ut si juret per sanctos, per angelos, per

animam rationalem, per cœlum, per solem : in his enim et similibus juramentis creatura non censetur per se adduci in testem, sed quatenùs dicit ordinem ad Deum, præsertim si addatur nomen Dei, ut si juret per solem Dei, per ignem Dei : accipit enim creaturam pro creatore, nec vult eam esse testem, sed Deum, qui in ipsâ speciali modo residet, ut docet D. Thomas hìc art. 6, ubi dicit quòd juramentum per creaturas relatas in Deum fieri potest duobus modis, nempe per simplicem contestationem, in quantum scilicet testimonium Dei invocatur, et in creaturâ divina veritas, cui juramentum innititur, relucet. Item per execrationem, quando inducitur aliqua creatura ut in eâ judicium divinum exerceatur, si res aliter se habeat, quàm juramento confirmatur, ut : *Deus me damnet, nisi*, etc. ; *juro per caput meum, per vitam meam*, etc. Quasi illam creaturam obliget Deo tanquàm judici, ut de perjurio vindictam sumat. Jurare per creaturas constituendo in illis per se sumptis finem juramenti, nempe confirmationem, afferendo illas tanquàm testes infallibiles veritatis, quod est proprium veri Dei, ad blasphemiam reducitur, et est species idololatriæ, cùm per hoc illis attribuatur quod soli Deo competit. Hinc videtur quòd juramentum per falsos deos non sit juramentum, nec ex vi suâ obliget, sed tantùm propter conscientiam erroneam jurantis, existimantis esse vera numina. Ratio est, quia reverà tunc Deus non adducitur in testem, neque est ibi obligatio ex Religione proveniens, sed sòlùm ex affectu et conscientiâ erroneâ : unde infidelis ad fidem conversus, non tenetur juramenta sua servare, nisi ex vi simplicis promissionis acceptatæ, quia *utile per inutile non vitiatur*, ut habetur in Reg. juris in 6. Si autem Catholicus scriò juret per falsos deos, lethaliter peccat ; secùs si joco vel absque intentione jurandi ; hinc etiam quidam docent esse peccatum lethale jurare hoc modo per dæmonem, ob scilicet rationem allatam, quia honor Dei videtur tribui dæmoni, adduntque tale juramentum præcisâ conscientiâ erroneâ non obligare : tum quia testimonium Patris mendacii nequit humanam promissionem confirmare ; tum quia omnis societas et communicatio cum hoste Dei, qualis est, titulo invocationis dæmonum servare promissum, nobis est interdicta. Tandem jurare per creaturas sine ullo ordine ad Deum, sed duntaxat præcisè secundùm dignitatem quam habent in seipsis, non est juramentum, quia tunc jurans non intendit Deum testem suorum verborum adducere, sed solùm per res humanas dictum suum confirmare. Ut enim ait Cajetanus hìc art. 6, dùm dicitur : *In veritate sic est*, nihil aliud significatur quàm : *Verè sic est ;* nec obstat quòd Deus sit veritas, hinc enim non sequitur quòd quidquid affirmatur de veritate, affirmetur de Deo, quia veritas est communior quàm Deus. Item qui dicit : *Per fidem meam sic faciam*, aut, *sic est*, non intendit loqui de fide, quæ est virtus theologica, sed de fide quæ est virtus moralis, id est, de fidelitate, et perinde est ac si diceret. Ita hoc faciam, sicut sum fidelis in promissis vel in dicendo verum : seipsum ergo affert in testem, non Deum. Sicut reges promittentes in fide regiâ, non jurant per hoc, sed propriam fidelitatem excellentem afferunt ad confirmandum. Sic etiam solet dici : *Sic faciam in conscientiâ*. Ita res se habet fide boni viri vel sacerdotis vel religiosi, quia, per se loquendo ex vi verborum tantùm significant se loqui ex veracitate et fidelitate, quæ virum probum, sacerdotem, religiosum decent : per accidens tamen, si ista proferens putet se jurare, procul dubio iste ex intentione suâ jurat, non ex vi verborum. Unde consideranda est dicentis intentio.

Prima igitur regula est, ut testimonium divinum expressè aut tacitè adhibeatur in confirmationem alicujus dicti vel facti. Secunda verò regula est, ut semper habeatur ratio intentionis et animi interioris jurantis ; nam ut sæpè ait D. Thomas, peccata verborum maximè pensantur ex intentione proferentis : et in proposito satis est jurantem velle usurpare verba in eo sensu, in quo pro aliorum jurantium consuetudine usurpari solent, vel in quo juxta morem patriæ intelliguntur, puta si pro juramento habeantur. Tertia regula est, quòd ad essentiam juramenti non est necessarium istud verbum, *juro*, quia Deus sine illo potest tacitè revocari in testem. Unde in lege veteri, sic juramentum fiebat : *Vivit Dominus*, et Apostolus sic jurabat : *Testis est mihi Deus*. Imò nulla verba præcisè necessaria sunt ad substantiam juramenti, eò quòd sine ullâ verborum prolatione, sed solis signis Deus possit in testem invocari, ut si quis rogatus ac jussus manu tangat crucem aut librum Evangelii, aut pectus, si fuerit sacerdos, intendens et significans se jurare ; nam juramentum fit Deo, qui mentis est inspector. Tandem ad essentiam juramenti non est necessarium regulariter, ut verbis juratoriis addatur contactus Evangeliorum aut rei sacræ, cùm sine istis signis sufficienter verbis adducatur Deus in testem. Tamen, ad incutiendum terrorem, et ob alias causas, leges volunt hoc modo juramenta præstari. Quarta regula est quòd ista verba : *Coram Deo loquor*, vel *Deus scit*, et hujusmodi, possunt dupliciter intelligi : uno modo *invocativè*, quando scilicet inducuntur ad confirmandum id quod dicitur, et tunc habent rationem juramenti ; altero modo purè *enuntiativè*, quando solùm per modum narrationis proferuntur ab iis qui non intendunt jurare ad confirmandum dicta sua, sed tantùm significare ea quæ dicunt coram Deo dici, et ab ipso sciri : illaque ad divinum judicium remittere, et ad futuram vitam ubi omnia aperta erunt, ac per hoc exprimere se habere conscientiam rectam et Deum præ oculis, sic non mentiendo. Tunc non est juramentum, ut ostendit Cajetanus in hâc quæst. 99, art. 1, in fine. Quando autem non constat, sed dubium est de proferentis verba ista intentione, tunc putandum est non fuisse dicta invocativè et per modum juramenti in viris bonæ conscientiæ illud abhorrentibus, sed tantùm dicta esse enuntiativè, præsumendum est, nisi constet de contrario : secùs verò dicendum in viris ad jurandum assuefactis, nisi aliter constet de eorum

animo. Nam actus præsumitur factus juxta consuetudinem : si verò proferantur in judicio, aut in causâ concernente damnum tertii, intelligenda sunt juxta communem audientium sensum : nam iste ita tenebatur illis uti, ne audientes deciperet aut damnificaret. Ita Cajetanus loco citato. Quinta regula : Juramentum est quoties aliqua fidei veritas adducitur in testimonium, comparando illi aliam veritatem, v. g. : *Hoc ita, et tam benè est, sicut Deus est veritas, sicut est unus Deus, sicut Christus natus est ex Virgine*, etc. Quia veritas divina invocatur in testem, et non simpliciter enuntiativè : imò et ad blasphemiam accedit.

Differentia per se formalis et essentialis juramenti, est adductio et invocatio Dei in testem ad confirmationem alicujus rei quæ cùm in omnibus juramentis necessariò reperiri debeat, rectè Cajetanus hìc, art. 1, infert omnia juramenta esse ejusdem speciei, solùmque differre materialiter et per accidens penès assertionem, promissionem, contestationem et execrationem, quia hæ differentiæ materialiter et per accidens se habent ad Dei testificationem. Hoc igitur modo juramentum dividitur à D. Thomâ art. 1, in corp. *in assertorium et promissorium* ex parte veritatis enuntiatæ, et ibidem ad 3, in illud quod fit per *simplicem constestationem*, et in illud quod fit *per execrationem* ex parte modi proferendi.

Assertorium est quando divinum testimonium inducitur ad præsentia et præterita asserenda, aut neganda. *Promissorium* est quando assumitur ad aliquid futurum confirmandum. Rursùs tam asertorium quàm promissorium aliquando fit simpliciter per nudam *contestationem*, dùm scilicet quis invocat divinum testimonium sine obligatione sui vel alterius ad pœnam, ut cùm dicit : *Testis est mihi Deus ; coram Deo loquor ; per Deum, per evangelia, per fidem Christi, per sanctos*, etc. Aliquando fit *per execrationem*, adducendo scilicet Deum non solùm ut testem, sed etiam ut judicem et punitorem, id est, se vel aliquid ad se pertinens obligando ad pœnam, nisi sit verum quod dicit, v. g. : *Deus nunquàm mihi parcat, malâ morte feriat, me damnet ; sim maledictus à Deo; non permittat me ex hoc loco moveri, non me adjuvet, si id non sit verum* : Item quotiescumque Deus tanquàm alicujus boni impetitor adhibetur in testem : *Ita Deus me adjuvet. Ita me salvet*, etc. Quia in isto loquendi modo subintelligitur contraria execratio nempe : His bonis me privet, si ita res non se habeat : nisi hæc verba solùm voluntatis appetitum significent, ac contrariam execrationem ex intentione proferentis excludant, ut dùm quis dicit : *Ego sum pauper*, et alius respondet: *Faxit Deus ut ita sim dives et felix ac tu es*, etc.

Articulus II.

An et quando juramentum sit licitum.

D. Thomas hìc, art. 2 probat juramentum esse licitum ex illo Deuteron. 6 : *Dominum Deum timebis, et et per nomen ejus jurabis.* Item ex origine et fine juramenti colligit ejus honestatem. Ex quidem origine, quia juramentum est introductum ex fide, quâ homines credunt Deum habere infallibilem veritatem et universalem hominum cognitionem et provisionem. Ex fine autem, quia juramentum inducitur ad justificandum homines et ad finiendum controversias, ut dicitur ad Hebr. 6 ; tandem quia juramentum est actus religionis, ut constat ex dictis, proindeque juramentum est secundùm se licitum et honestum.

Verùm nihil prohibet aliquid esse secundùm se bonum, quod tamen cedit in malum ejus qui non utitur eo convenienter, sicut sumere Eucharistiam est bonum ; et tamen qui indignè sumit, *judicium sibi manducat et bibit*, ut dicitur 1 ad Corint. 11. Sic juramentum cedit in malum alieni, ex eo quòd illo malè utitur, id est, sine necessitate et cautelâ debitâ. Videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi causâ testem inducit ; quod non præsumeret etiam de aliquo viro honesto. Imminet etiam periculum perjurii, quia de facili homo in verbo delinquit, juxta illud Jacobi, 3 : *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Unde dicitur Eccles. 23 : *Jurationi ne assuescat os tuum, multi enim casus in illâ.* Ex D. Thomâ, art. 2. Et art. 5 probat juramentum, non esse per se appetendum et frequentandum, quamvis secundùm se sit bonum et honestum. Dicitur enim Eccles. 23 : *Vir multùm jurans replebitur iniquitate.* Idemque reprobat August., lib. 2, de Mendacio. Ubi dicit quòd Apost. in Epistolis suis jurans, ostendit quomodò accipiendum sit illud Matth. 5 : *Dico vobis non jurare omninò*, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur ; ex facilitate, ad consuetudinem, et à consuetudine in perjurium decidatur, et ideò non invenitur jurâsse, nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem. Ratio est, sicut medicina est utilis ad sanandum, et tamen quantò est virtuosior, tantò majus nocumentum inducit, si non debitè sumatur ; ita etiam juramentum utile quidem est ad confirmationem ; attamen quantò magis est venerandum, tantò est magis periculosum, nisi debitè inducatur. Id enim quod quæritur ad subveniendum infirmitati, vel defectui, non numeratur inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt necessaria, ut patet de medicinâ. Juramentum autem quæritur ad subveniendum alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredit ; et ideò juramentum est habendum non inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt huic vitæ necessaria, quibus indebitè utitur quicumque ultra terminos necessitatis illis utitur.

Nec valet dicere sic perversum videri testimonium divinum ad res humanas confirmandas referre ; non valet, inquam. Nam in juramento duo sunt consideranda, unum minùs principale, nempe confirmare veritatem divino testimonio : alterum verò principale, quod est exhibere Deo hunc honorem, quo Deus ex veritatis confirmatione, id exigente hominum infirmitate, afficitur, ita ut ipsamet terminatio controversiæ humanæ, tandem in Dei reverentiam cedat, in quo sanè nulla est perversitas, sicut nec in hoc quòd Incarnatio Christi simili modo ordinata fuerit in remissionem peccati, neque quòd gratia ad naturam hominis sanandam ordinetur, quia hæc omnia tandem ad Dei

gloriam, tanquàm in finem principalem referuntur, prout innuit D. Thomas, art. 4, ad 1. Hinc infertur non solùm licitum esse jurare, sed etiam obligatorium, quando recta ratio id exigit; sic judex et potestas publica habet facultatem exigendi juramentum à subdito, quando hoc reipublicæ bono expediens judicaverit; imò quandoque homo non requisitus tenebitur jusjurandum offerre, scilicet vel pro bono publico, aut pro liberando innocente à morte, et non jurando peccaret. Debet tamen debito modo usurpari.

Dico igitur, quòd ut juramentum sit licitum et actus virtutis ac religionis, tres comites et circumstantiæ requiruntur jure divino et naturali, nempe *judicium seu discretio*, ex parte jurantis. Item *justitia* ex parte causæ, *et veritas* ex parte rei, ut docet D. Thomas art. 3, et probat ex illo Jerem.: *Jurabis, vivit Dominus in veritate, in judicio, et in justitiâ.* Et ex D. Hieron. ibid., et ex causâ 22, q. 2, can. 2, et q. 4, can. ultimo.

Probat D. Thomas hâc ratione, quia *ad bonum usum juramenti duo requiruntur, primò quidem quòd aliquis non leviter, sed ex necessariâ causâ et directè juret, et quantùm ad hoc requiritur* JUDICIUM, *scilicet discretionis ex parte jurantis, secundò quantùm ad id quod per juramentum confirmatur, ut scilicet neque sit falsum, neque illicitum; et quantùm ad hoc requiritur* VERITAS *per quam aliquis juramento confirmat, quod verum est. Et* JUSTITIA *per quam confirmat quod licitum est; judicio autem caret juramentum incautum; veritate juramentum mendax; justitiâ verò juramentum iniquum, sive illicitum.* Hæc D. Thomas.

Juramentum itaque debet fieri cum judicio discretionis et prudentiâ, seu non temerè et inconsultò, sed consideratè et cum magnâ cautelâ jurans procedere debet, perpendendo an quæ juramento confirmanda sunt, absque juramento sufficienter probari atque confirmari possint: tunc enim juramentum non est adhibendum sine necessitate. Item considerando attentè quomodò res se habeat in se et quomodò ipsemet sit affectus. Tandem ut non ex quâcumque causâ, nec in re levi, sed tantùm gravi et necessariâ juret. Item juramentum fieri debet cum justitiâ, seu ut cadat super materiam justam licitam et honestam; quia gravis fit injuria Deo, si adducatur in testem rei turpis et illicitæ; quæ irreverentia est mortale aut veniale peccatum pro gravitate aut levitate materiæ, ut si quis juret se fornicaturum, est ibi duplex lethale peccatum contra duo præcepta Decalogi. Qui verò jurat se prolaturum mendacium jocosum, peccat tantùm venialiter secundùm aliquos, si habeat intentionem tale peccatum committendi; si verò tunc non habeat talem intentionem, juretque contra propriam mentem, mortaliter peccat, quia jam reus est perjurii, quod non desinit esse mortale, quamvis res videatur levis, eò quòd gravis Deo fit injuria, quòd adducatur in testem falsitatis, etiam in re alioqui levi. Imò et in hoc videtur inesse gravior injuria. Item materia juramenti non est res indifferens aut impossibilis aut impeditiva majoris boni, seu contraria Dei consiliis, v. g., non ingredi religionem. Item Deus non vult obligare ad aliquid vanum, quale est juramentum non transeundi per talem viam, non emendi in tali officinâ, etc., quamdiù res illæ manent indifferentes; si enim habeant aliquid boni, puta quia non frequentando hanc officinam et viam, evitas aliquam jacturam facultatum aut occasionem peccandi et jures ad cavendum istud periculum, tunc teneris id adimplere, quia est materia apta juramenti. Item si tale juramentum feceris in utilitatem alterius, illud servare debes, modò sine peccato etiam veniali servari possit; tunc enim non censetur res indifferens. Item juramentum factum de re prohibitâ per legem naturalem, divinam aut canonicam, non est de re licitâ et aptâ. Item si sit contra legem civilem primariò et immediatè ordinatam ad bonum commune, aut inde redundet damnum tertii. In prædictis omnibus casibus juramentum non obligat, defectu materiæ aptæ.

Justitiam tanquàm comitem utriusque juramenti, promissorii et assertorii, assignant auctores, diversimodè tamen. Nam in promissorio requiritur tum ex parte ipsius actûs jurandi, ut nempe sit justus, et non noceat proximo; tum etiam ex parte rei quæ juramento affirmatur, ut scilicet res justa promittatur. In assertorio verò non requiritur justitia ex parte rei assertæ, quia sæpè res injusta licitè detegitur: sed solùm requiritur justitia ex parte actûs jurandi, id est, ex parte causæ, quæ compellit ad jurandum; nempe ut sit licita et justa, contra quod facit ille qui absque ullâ rationabili causâ occultam gravem proximi infamiam detegit et juramento confirmat; gravem enim Deo injuriam infert adducendo illum in testem suæ malitiæ, et violationis legis.

Tandem veritas consistit in hoc quòd jurans arbitretur cum fundamento, non levi sed valdè gravi et rationabili, verum esse quod profert in juramento assertorio: aliàs erit perjurium mortale in quâcumque materiâ etiam levi, quibuscumque verbis dicatur, et quâcumque coactione, metu, joco, levitate, consuetudine, utilitate, aut excusatione fiat. Nulla enim admittitur in hoc excusatio, nisi ob imperfectionem actûs, puta quia inadvertenter, tanquàm primus motus, vel ex lapsu linguæ, et si quod aliud est, reddens actum imperfectum, procedit, ob scilicet rationem supra adductam, nempe quia magna irreverentia irrogatur Deo inducendo eum in testem mendacem, aut ignorantem rerum quæ apud homines geruntur; quod est de se intrinsecè malum et in nullo prorsùs casu licitum. In illud peccatum incidit non solùm qui falsum scienter jurat, sed etiam qui rem sibi dubiam, tanquàm certam juramento affirmat, aut negat, cùm mentiatur, seu contra id quod novit ac contra mentem suam loquatur. Denique jurans non excusatur à perjurio, si leviter ac temerè putans esse verum, illud asserat, sive postea contingat in re esse verum aut falsum quandoquidem non sufficienter providet ut verum dicat, sed hoc contingit per accidens. Æqualis tamen non requiritur diligentia in omni materiâ ad rei juratæ veritatem perscrutandam; sed ejus qualitas et conditio spectanda est; major enim requiritur in rebus egregiis et arduis, quàm minoris momenti, et in rebus

obscuris, quàm in omninò perviis et claris. Si verò præmissâ diligentiâ sufficienti rem probabilissimè putando veram juraverit, quæ tamen falsa est, tunc non est formale, sed tantùm materiale mendacium et perjurium; secùs si non adhibuerit debitam curam; tunc enim erit peccatum mortale aut veniale pro ratione negligentiæ in veritate inquirendâ, et attentâ rei juratæ dignitate.

Juramentum verò promissorium duplicem veritatem exigit, unam de præsenti quando fit, nempe ut reverà jurans habeat tunc animum implendi suo tempore id quod promittit, ac se obligandi. Alteram de futuro, nempe ut rem juramento promissam adimpleat, nullâ omittendi subsistente justâ causâ. Quando deest veritas de præsenti, est peccatum mortale semper, sive res quæ promittitur sit licita, sive illicita, sive parva, sive magna, quia est perjurium formale, quod ob solam inadvertentiam et indeliberationem excusatur à mortali. Quando autem deest veritas de futuro, et res promissa non adimpletur, tunc non est semper mortale peccatum, puta quando materia non est capax vinculi obligationis, aut quia mala, aut quia impeditiva majoris boni, aut quia indifferens, solùmque peccavit jurans adducendo Deum in testem promissionis, quam oportet falsificare. Item quando eventus est malus, ut patet de juramento Herodis; tolerabile enim erat sanè intellectum, sed malus fuit eventus, dùm puella petiit caput Joannis Baptistæ : non enim tunc ex juramento astringebatur Herodes ad tantum scelus perpetrandum, quia eventus malæ petitionis vim excludebat juramenti. Hinc qui juravit gladium reddere domino petenti, non tenetur illi reddere si furiosus evaserit, etc. Idem dicendum quando eventus est impeditivus majoris boni, ut si quis juraverit matrimonium contrahere, et postea inspirante Deo, vult ingredi religionem.

Denique quando consuetus modus juramenti aliud fert. Sic in juramento hyperbolico assertorio et promissorio, veritas pensanda non est juxta sonum verborum, sed juxta sensum hyperbolicum à jurante intentum, v. g. : Juro quòd si hoc facias, statuam auri tibi rependam, quantùm ponderas : sufficit enim quòd jurans habeat tunc animum copiosè remunerandi et de facto magnificè donet. Item qui jurat filio aut famulo, fore ut ipsum interimat aut ejus ossa fuste confringat, satis est ut habeat animum severè ac graviter puniendi. Similiter dùm aliqui se honorare volentes, jurant per Deum quòd non se præcedent, et non priùs altero, se per januam egressuros; in his enim et similibus casibus, juxta communem et sanum sensum, subintelligitur : Non te præcedam, nec prior transibo quantùm ex me est; sicut dùm D. Petrus dixit Christo : *Non lavabis mihi pedes in æternum;* et tamen absque peccato perjurii faciunt statim oppositùm, permittendo se vinci.

An autem semper committat peccatum mortale, qui rem juratam parvam absque causâ non adimplet, vel ex parvitate materiæ excusetur, sub lite est; resp. tamen cum Cajetano, probabilius esse istum peccare mortaliter, si totam omittat; secùs dicendum, si solùm omittat partem minimam rei promissæ, et reliquum promissionis adimpleat. Ratio primi est, quia iste, quantùm est in se, facit ut Deus testatus fuerit falsum, fallax fidejussor ac confirmator promissionis inveniatur; in quo sanè gravis injuria illi irrogatur. Sic qui sub juramento promisit dare alteri tres asses, tenetur per se loquendo sub mortali implere promissum, nisi fortè verisimiliter putet alterum parvam illam pecuniam sibi condonare (1).

Ratio secundi est, quia illa minima pars non consideratur tunc ut materia juramenti, cùm non fuerit juramenti vinculo separatim supposita, sicque nequaquàm judicanda est efficere transgressionem juramenti, saltem mortalem; v. g., si quis promiserit triginta solidos, et omittat tantùm dare unum, vel juramento se obligavit recitare Psalmum, illumque recitando omittit unum versiculum, non peccat mortaliter.

Juramentum execratorium aliquando coincidit cum assertorio, ut dùm adhibetur ad confirmandam rem præsentem aut præteritam, v. g., si quis dicat : *Deus me destruat nisi hoc ita sit aut si id non fecerim;* aliquando verò coincidit cum promissorio, ut dùm adhibetur ad confirmandum aliquid futurum quod dependet à jurante; v. g. : *Hæc addat mihi Deus mala, nisi id fecero.* Proindeque juramenti execratorii veritas regulanda est eodem modo ac veritas juramenti assertorii et promissorii. Idem quoque dicendum est de juramento comminatorio, quod scilicet non est de malo inferendo à Deo, sed ab ipso jurante; v. g. : *Per Deum te castigabo, te percutiam*, etc., in quo differt ab execratorio, quod è converso, non est de malo inferendo ab ipso jurante, sed à Deo.

(1) Multi theologi ab eâ opinione recedunt, ut videre est apud P. Antoine de virtute Religionis, cap. 4 : *Alii*, inquit, *communiter, aut saltem communius docent, juramentum promissorium obligare tantùm sub veniali in re levi, sive res levis sit tota materia promissionis, sive solùm illius pars.* Vid. B. Liguori, lib. 3, n. 173; Billuart, dissert. 5, art. 6. Existimant in eo casu non esse perjurium propriè dictum, sed simplicem infidelitatem quæ proinde desumit gradum malitiæ à gravitate sui objecti. Sic ratiocinantur : 1° Perjurium est mendacium omne firmatum juramento; porrò qui non adimplet promissionem antea factam se levem et infidelem prodit, non verò mentitur : quandoquidem nihil actualiter dicit aut facit contra mentem unde alii in errorem inducantur. 2° Ut Deus adduceretur in testem falsitatis, in quo est ratio perjurii, oporteret ut jurans illum invocaret vel ut testem futuræ executionis; talis autem non est intentio jurantis qui solùm invocat Deum in testimonium suæ sinceritatis in promittendo, actualis voluntatis et obligationis quæ inde nascitur ad præstandum promissum, quamque Deus suâ auctoritate foveat. Sic in rebus humanis, testis non assumitur in contractu in testimonium futuræ executionis pacti, sed actualis promissionis et obligationis inde secutæ, et si postea pactum initum violetur, non ideò dicent hunc testem adductum fuisse ad testificandum falsum.... Attamen agnoscenda est obligatio fidelitatis virtute Religionis consecrata propter interpositam auctoritatem Dei; illa obligatio commensuratur capacitati materiæ, adeò ut gravis aut levis sit, prout objectum est magni aut levis momenti.

(Edit.)

Juramentum itaque comminatorium, sicut et promissorium, inducit perjurium in duobus temporibus; præsenti scilicet, quando fit animo mendaci; et tunc sive materia sit justa, sive iniqua, semper est peccatum mortale, nisi ob inadvertentiam excusetur : juramentum enim cadens super animo mendaci, inexcusabile est à mortali. Item si fiat quidem animo veraci et cum intentione adimplendi in materiâ tam mortali quàm veniali, quam oporteat falsificare.

Vel etiam inducit perjurium in futuro, hoc est, tempore executionis. Et quidem si comminatio facta est de aliquo malo culpæ, sive mortali, sive veniali, potest et debet juramentum comminatorium non adimpleri; ut si quis comminatus fuerit percutere aliquem aut diripere ejus bona, aut impedire illum ab assequendo aliquo bono injustè, etc., tenetur non exequi. Si verò comminatio sit de justâ correctione, indictione, aut procuratione mali pœnæ, sive quoad corpus, sive quoad bona temporalia, tunc consideranda sunt hæc tria. Primum, quòd sicut juramentum non est vinculum iniquitatis, ita nec impedimentum melioris boni. Unde quando melius est abstinere à mali comminati justi executione, non tenetur jurans ad implendum juramentum, exemplo David qui licet jurâsset percutere Nabal cum domo ejus, postea ad preces Abigail abstinuit. Secundum est, comminationem intelligendam esse secundùm præsentem justitiam. Unde qui juravit justam punitionem, postea petenti veniam aut se emendanti, absque perjurio parcit, eò quòd cessaverit illa tunc præsens justitia, secundùm quam juravit, propter pœnitentiam peccatoris; quo modo Deus ignoscit post comminationes, et David non quidem ad pœnitentiam Nabal, sed ad merita et preces Abigail innocentis, pepercit ipsi Nabal, tanquàm cessaverit ratio præsentis justitiæ ex aliquorum innocentiâ et supplicatione humili præveniente punitionem. Tertium est, quòd pœnæ in hâc vitâ non sunt appetibiles nisi ut medicinæ, vel personæ puniendæ, vel boni communis causâ, et propterea quando pœna cessaret habere rationem utriusque medicinæ, non teneretur quis ex vinculo juramenti adimplere juratam comminationem; quando autem id accidat, relinquitur judicio prudentiæ, quæ est circa singularia. Hactenùs Cajetanus in Summâ, v. *Perjurium*, et v. *Minari*. Indeque colligit quòd parentes aut domini qui jurârunt verberare filios aut servos, et postea illis parcunt, ne vel pacem domûs turbent, vel quia cessavit præsens justitia ex quasi cessatione demeriti; vel quia ampliùs non est opus medicinâ talis pœnæ, vel quia amicus suam interponit supplicationem et veniæ petitionem, vel breviter quia judicatur meliùs parcere, non tenentur ad comminationem juratam implendam eò quòd executio tunc foret impeditiva melioris boni, et sic de similibus. Quòd si omnia immutata sint, exequendæ sunt minæ justæ; alioquin peccatum inconstantiæ est negligentis justitiam. Et juxta naturam causæ, de gravitate ejus judicandum est si juratæ non forent. Nam juramentum in hoc casu obligat sub perjurio ad executionem, ut jam ostensum est. Neque justa causa omittendi comminationem juratam justam, erit cessatio bilis, furoris et voluntatis castigandi. Vide eumdem Cajetanum, 2-2, q. 89. art. 7.

Quæres an ratione vitiosæ consuetudinis jurandi, indeliberata juramenta culpâ non vacent. — Suppono quòd quamvis prava jurandi consuetudo non sit in se peccatum, omissio tamen illius extirpandæ, potest esse culpa lethalis, ratione periculi moralis et proximi cui exponit hominem affectum, incidendi in juramenta mortalia, sicque illum in statu peccati mortalis constituere potest, prout contingit ei qui domi tenet concubinam, aut differt restitutionem, dùm commodè restituere potest. Difficultas est quando jurandi consuetudo censeatur proxima et moralis occasio incidendi in juramenta mortalia.

Quidam docent quamcumque jurandi consuetudinem, etiam in eo qui mentiri non solet, esse hujus naturæ, quia, sicut in multiloquio est periculum mentiendi venialiter, ita et in frequentatione juramentorum immineat periculum mentiendi cum juramento, quod semper est mortale, juxta illud : *Qui amat periculum, peribit in illo;* et concludunt tales absolvendos non esse, tanquàm in peccato mortali constitutos, nisi firmiter eam jurandi consuetudinem eradicare proponant, et in hoc laborent efficaciter. Alii docent, quòd dùm aliquis est assuetus ad mentiendum, dùm loquitur, et huic consuetudini conjuncta est consuetudo jurandi, etiamsi sic assuetus curam habeat cavendi juramentum falsum, adhuc est in statu peccati mortalis, dùm non vult hanc consuetudinem evellere; quia est in periculo proximo conjungendi mendacia solita cum juramento; et quamvis iste fortè non advertat ad perjurium, illi tamen imputabitur ad culpam lethalem ratione consuetudinis prædictæ.

Nec obstat hanc consuetudinem jurandi, sicut et usum mentiendi præcisè, esse tantùm venialem, quia per accidens se habet ad perjurium indeliberatum ex eâ consuetudine consecutum, quòd consuetudo secundùm se sit tantùm venialis; non enim quatenùs est solùm consuetudo venialis, est causa illius, sed quatenùs est consuetudo jurandi plenè voluntaria. Unde censetur effectus voluntarius in causâ; sicque omissio evellendæ talis consuetudinis erit mortalis.

Alii volunt consuetudinem jurandi etiam absque necessitate et reverentiâ, cum debitâ tamen advertentiâ ad rei juratæ veritatem, curando ne juramentum sit falsum, non constituere hominem in statu peccati mortalis, sive iste sit solitus mentiri absque juramento, sive non, quia habitus desumit suam malitiam ab actibus. Hi autem actus jurandi sunt tantùm veniales, cùm iste solitus sit advertere ne falsum juret. Secùs dicendum quando est consuetudo jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem, cùm iste se exponat periculo jurandi falsum, solùmque casu et præter ejus intentionem accidat quòd juret verum. Idem dicendum de eo qui habet consuetudinem jurandi absque advertentiâ an juret, necne; cùm utraque hæc consuetudo sit voluntaria in suâ causâ, et utraque istum exponat æquali periculo incidendi in per

juria. Tandem consuetudo jurandi advertenter indiscriminatim, sive verum, sive falsum, constituit sic affectum in statu peccati mortalis, et omissio illius extirpandæ, lethalis est, eò quòd ipsum pertrahat ad multa perjuria mortalia. Si tamen pœnitens pravam consuetudinem proposito efficaci retractavit, tunc consequentia falsa juramenta et verba blasphemiæ eâdem consuetudine, quam conatur extirpare, quasi naturali et necessario impetu provenientia, non videntur ad peccatum imputanda, cùm non censeantur voluntaria, nec in se, ut suppono, neque in suâ causâ, cùm consuetudo non sit voluntaria sed de eâ doleat, ut etiam suppono.

Articulus III.

Utrùm juramentum habeat vim obligandi.

Indubitatum est, juramentum ritè factum, cadens supra materiam licitam, honestam, et melioris boni non impeditivam, aliisque circumstantiis jam adductis vestitum, habere vim obligandi in foro conscientiæ; hoc ipso enim quòd quis deliberatè jurat, præcepto naturali religionis secundo Decalogi, obligatur ad non assumendum nomen Dei in vanum; imò juramentum carens discretione et judicio, in hominibus qui sunt sui compotes, suique juris, ipsos obligat, eò quòd non sit absolutè et simpliciter invalidum, ejusque adimpletio non impediat salutem animæ et illius profectum; vel si adsit aliqua justa causa non adimplendi, petenda est absolutio et relaxatio ab habente facultatem. Item si quis ex irâ juravit, adhuc obligatur; si impetus passionis non fuerit talis ac tantus, quòd induceret quamdam mentis alienationen; tandem quæ hactenùs de juramento à nobis dicta sunt, satis ostendunt habere hunc obligandi effectum; magisque patebit ista obligatio ex dicendis quæst. sequenti de obligatione voti. Unde quæ circa juramenti obligationem supersunt explicanda, hìc per breves quæstiones ventilabimus.

Quæres primò, an juramentum promissorium dolosum obliget in conscientiâ?—Potest quis duobus modis habere fictionem circa juramentum promissorium primò, ut solùm exteriùs verbis mendacibus simulet se promittere, in corde tamen nolit. Similiter ut ore solùm proferat juramenti verba, non tamen jurare intendat. Secundò, ut verè promittat et juret, non tamen intendat implere promissum, et exequi juramentum. De hoc secundo modo non est difficultas. Certum quippe est istum peccare mortaliter, et in conscientiâ teneri ad implenda promissa, sive vi, sive jure tale juramentum fecerit, quia effectus naturalis juramenti est obligare jurantem, dummodò id quod juratur, sit vera materia juramenti; defectus autem intentionis implendi non tollit vinculum juramenti. Adde quòd hæc obligatio exequendi promissum non provenit ex intentione implendi, vel non implendi, sed ex ipsâ naturâ promissionis veræ, ut constat de eo qui suscipit sacros ordines, aut qui verè emittit professionem religiosam, aut verè contrahit sponsalia, et de aliis similibus; ut etiamsi non habeant intentionem exequendi obligationes illis annexas, ad illas teneantur. Certum est etiam quòd qui fingit se promittere et jurare sine animo promittendi et jurandi, nullam ex vi et naturâ præcisè juramenti ac promissionis incurrit obligationem, sive jure, sive injuriâ requisitus juret; quia cùm sint actus humani, ubi deest voluntas et intentio jurandi ac promittendi, ibi nullum est juramentum nec promissio, sed tantùm simulatio, et consequenter nulla obligatio ex vi juramenti; quia ad ea quæ honesta sunt, et ad quæ lege non astringimur, nonnisi ex propriâ voluntate obligari possumus. Per accidens tamen ratione scandali aut damni proximo inde provenientis, potest istud juramentum obligare in conscientiâ. An autem iste peccet mortaliter etiam quando non obligatur, quidam absolutè affirmant, alii verò docent quòd si juramentum per injustitiam extorqueatur, in casu quo jurare non tenetur, peccat tantùm venialiter, quia est solùm mendacium officiosum, quo quis injuriam sibi illatam cavet.

Difficultas solùm restat de eo qui verè habet animum jurandi, non tamen promittendi, et se obligandi, an remaneat obligatus ex vi præcisè juramenti, secluso scandalo, et alterius damno. Licet auctores conveniant istum committere perjurium mortale, cùm huic juramento desit veritas præsens, et animus non conformetur verbis juramenti, non tamen concordant circa vinculum obligationis in conscientiâ. Quidam enim volunt quòd licet in foro exteriori adigatur ad implendum promissum, quia Ecclesia judicans juxta verba prolata præsumit habuisse animum se obligandi, negant tamen ad id teneri in foro interiori conscientiæ, eò quòd verè juramentum non fecerit, apponendo scilicet conditionem contrariam ac destruentem essentiam juramenti; verba enim externa necessariò pendent ab intentione proferentis. Sic negans exteriùs fidem, absque tamen hujusmodi intentione internâ non est verè hæreticus.

Alii verò probabiliùs affirmant jurantem in nostro casu, obligari etiam in foro conscientiæ, ad implendum promissum, sive dolo, sive coactè juraverit, quia videtur implicare, quòd quis verè jurare velit, et non se obligare; cùm ex vero juramento oriatur obligatio necessariò, tanquàm naturalis effectus, perinde ac calefactio ab igne, ita ut animus verè jurantis separari nequeat ab obligatione servandi promissum, quando impleri potest; et hoc ipso quòd verè jurandi habeat intentionem, virtualiter et implicitè intendat promittere et se obligare, utpote quia id necessariò consequitur ex juramento, sicque non est in ejus potestate hanc obligationem à juramento separare; confirmatur, quia juramento promissorio necessariò requiritur veritas de præsenti et de futuro, ita ut qui jurat habeat tunc intentionem adimplendi; et postea in executione, si materia sit licita, verificet illud adimplendo promissum, aliàs erit perjurus. Ergo ex vi juramenti, sicut manet obligatus ad veritatem de præsenti dicendam, ita ad veritatem de futuro suo tempore implendam.

Quæres secundò an juramentum coactè per metum et vim elicitum, obliget in conscientiâ, si sit de re licitâ et honestâ? — Resp. affirmativè cum D. Thomâ, q. 89, art. 7, ad 3, ubi ait, quòd in juramento quod

quis coactus fecit, duplex est obligatio, una quidem, quâ obligatur homini cui promittit aliquid; et talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit, hoc meretur ut ei promissum non servetur; nec enim per injustitiam jus acquirit. Alia est obligatio quâ obligatur Deo ut impleat quod per nomen ejus promisit, et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ; quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare, et aliunde voluntariè promisit, licet cum admixtione involuntarii. Hinc si quis metu coactus à latrone, ut mortem evaderet, eidem promisit sub juramento centum nummos, tenetur ex vi juramenti solvere, quia tale juramentum honestè et sine peccato impleri potest, ut suppono, et aliunde obligatio gravis non assumendi nomen Dei in vanum, non tollitur per injuriam illatam, can. *Verum*, et c. *Si verò*, de Jerejur. Idem dicendum de eo qui mutuum accipiens promisit sub juramento usuras solvere mutuatario, et sic de aliis similibus. Talis enim solutio est de actu virtutis, nempe aut redimendi vexationem cujus est consummatio, aut exercendi veracitatem et fidelitatem in promissis.

Possunt tamen isti repetere in judicio quod solverunt, vel prælato denuntiare, vel ab eo relaxationem juramenti obtinere; satisfaciunt enim huic obligationi juramenti momentaneâ solutione, statimque possunt solutum repetere, quia juramentum tantùm fuit de solvendo, neque dati repetitionem exclusit, can. *Ad audientiam*, de his quæ vi. Quòd si esset quoque juramentum non repetendi, non videtur tunc licitum repetere, nisi priùs impetratâ hujus juramenti relaxatione, eò quòd licitè et absque peccato observari possit. Quare dùm D. Thomas hîc ait, *hunc posse repetere quod solvit, vel prælato denuntiare, non obstante quòd contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra justitiam publicam*, intelligit solùm quòd non obstante juramento, adhuc potest latronem denuntiare, puta si sub præcepto obligetur ad accusandum illum ob bonum publicum, vel juridicè interrogetur de hâc violentiâ, sibi à latrone illatâ. Si verò non adveniat casus extraordinarius in quo teneatur denuntiare, si juraverit se non denuntiaturum, tunc non potest spontè et in quantum in se est denuntiare, et S. doctor, concludit quòd romani pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolvunt, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justâ causâ relaxantes. Vide insuper q. 98, de Perjurio, art. 3, ad 1.

Hinc etiam infertur juramentum redeundi ad carcerem aliàs justum, obligare per se loquendo, etiam cum probabili periculo mortis sive justæ, sive injustæ, quia impleri potest absque animæ dispendio et peccato, cùm sit opus eximiæ fortitudinis et religionis, sese periculo mortis exponere ut juramentum servetur de re justâ.

Hinc habetur juramentum præstitum ex errore circà substantiam rei promissæ, non obligare, eò quòd desit consensus, ut probant nostri theologi in primâ secundæ. Item quoties dolus aut error versatur circa causam finalem, seu quoties jurans secundùm prudentem existimationem, non censetur jurare voluisse, si dolum cognovisset; tunc enim ejus juramentum interpretatur sub conditione, si res ita sit.

Quæres tertiò an liceat in juramento, verbis amphibologicis et æquivocationibus uti, ita ut ille cui juratur seipsum decipiat? — Usum aut potiùs abusum æquivocationum et restrictionum mentalium ventilabimus in principio octavi præcepti. Hic autem breviter statuimus, cum D. Thomâ, quòd tam in juramento assertorio quàm in promissorio, juridicè requisitus in judicio tenetur uti verbis claris, non ambiguis, et jurare secundùm sensum et intentionem ejus cui præstat juramentum; idem dicendum, quando juramentum extra judicium fit in materiâ alteri damnosâ, ut sunt emptiones, venditiones, etc. Alioquin in his casibus jurans peccat mortaliter, et tenetur nihilominùs servare juramentum ad mentem ejus qui illud legitimè requisivit, ut ostendit D. Thomas, q. 89, art. 7, ad 4, dicens, quòd quando non est eadem jurantis intentio, et ejus cui jurat, si hoc proveniat ex dolo jurantis, juramentum servari debet secundùm sanum intellectum ejus cui juramentum præstatur, existenti in bonâ fide, ut colligitur ex Isidoro. Quidam tamen explicant D. Thomam, quòd velit istum jurantem committere culpam et obligari ratione exterioris scandali vitandi, et adhuc cessante scandalo ad id teneri ex justitiâ, ratione damni per injuriam alteri subsecuti: ex vi tamen et religione juramenti, non obligari ultra dolosam suam intentionem, prout satis se explicat. S. doctor, tum in 3 sent., dist. 39, q. 1, art. 3, q. 3; tum hîc loco citato, dicens: Sin autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundùm intentionem jurantis, ut indicat D. Gregorius 27 Moral., cap. 8, et refert 22, q. 5, can. *Humanæ aures*. Ergo, secluso damno, licet peccet, non tamen tenetur juramentum servare nisi juxta suam intentionem.

Verum, quis dicatur dolo jurare, ut sciamus audiendum est cap. *In dolo*, causâ 22, ubi sic habetur: *In dolo jurat qui aliter facturus est, quàm promittit*, seu, ut exponit Gratianus, in cujus mente est, non sic faciendum ut promittit. Nec excusatur, ait Cajet. q. 89, art. 7, propter implicitam subauditionem in mente retentam, quoniam hujusmodi subauditio non excusat, quin sit falsa vocis significatio, cum intentione fallendi alium, ut intelligat sibi promitti, quod iste non intendit promittere. Et Sotus, lib. 8 de Just. q. 1, art 7, ait: Si verba exteriùs prolata respectu intentionis jurantis planè falsa sunt, id est, menti ejus dissona, universim et absque ullâ exceptione est peccatum mortale. Neque jurans excusatur per illam mentalem restrictionem: *Dabo, si debeo;* aut, *juro dare si debeo*. Nam, postquàm illam verbis non explicat, sed verba sunt absoluta, non consonat menti os, sed ficta est juratio, quia intùs non fit absolutè ut explicatur exteriùs. Quapropter quantumcumque per vim et injuriam fuerit juramentum extortum, factumque ad redimendam vitam, erit mortale perjurium.

Tandem, si usus restrictionum mentalium esset frequens, et pro levibus, in juramentis præstandis, nulla inter homines fidelitas, nulla societas, nec ullum poterit juramentum cum hostibus tutò fieri. Nam, si cum privato latrone liceat jurare, ad suam propriam intentionem, dicendo, v. g.: *Numerabo tibi centum nummos*, mente subintelligendo: *Si debeam*, licebit etiam cum publico latrone; et sic eludi poterunt omnia pacta et fœdera etiam juramento firmata cum rebellibus, quia legitimus princeps nihil eis debet. Verius ergo est unumquemque jurantem debere jurare et juramentum implere, secundùm communem intellectum, nisi ex verbis à jurante prolatis possit contrarium declarare. Si ab aliquo injustè juramentum exigatur, potest quidem jurans uti verbis ambiguis; modò adsint conditiones in 8 præcepto explicandæ; sed non potest sic ad suam intentionem jurare, ut mente aliud intendat et teneat, quàm is qui juramentum petit, intendit, nisi verba illum intellectum patiantur, modoque infra explicando.

Unde Innocentius papa XI damnavit sequentes propositiones, 24: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.* — 25: *Cum causâ licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* — 26: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intrà se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab eâ in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum; reverà non mentitur, nec est perjurus.*

Petes an si aliquis audivit à viro optimæ famæ aliquam rem, possit cum juramento deponere in judicio se illam certò scire? — Resp. negativè, aliàs omnes testes de auditu efficerentur testes de certâ scientiâ. Item in foro externo testis tenetur reddere rationem sui dicti: item quia omne crimen etiam occultum posset probari in judicio: v. g., qui secretò et nemine vidente fuit ab hoste lacessitus injuriis et verbere, posset producere testes quibus illud facinus narraret, et ipsi deinde coram judice testificari possent cum juramento se illud certò scire, aut vidisse, quod est maximum inconveniens. Tenetur itaque explicare, se tantùm illud scire ex auditu.

Quæres quartò an juramentum promissorium in rebus prohibitis per civiles aut canonicas leges obliget in conscientiâ? — Resp. 1°, juramentum factum de re prohibitâ per legem civilem, aut canonicam, quæ primariò et immediatè dirigitur ad bonum publicum, non obligare, eò quòd nequeat impleri absque peccato, cùm lex tunc obliget ad culpam, tum quia juramentum quod directè vergit in detrimentum injustum tertii, non obligat, can. *Quamvis*, de Pactis, in. 6, cùm non sit vinculum iniquitatis. Ergo multò minùs obligat quando vergit in detrimentum boni communis, prout contingit in nostro casu.

Hinc fit omnes contractus repugnantes legi canonicæ aut civili in bonum commune directè et immediatè ordinatæ, invalidos esse, etiamsi juramentum accedat, quia privatus non potest propriâ auctoritate cedere bono communi: aliàs peccat juxta rei gravitatem. Et consequenter invalidum et non servandum est juramentum clerici renuntiantis privilegio fori, quia scilicet clericis directè ac immediatè concessum est ob bonum commune statûs clerici; nec potest clericus sine peccato tale juramentum exequi, can. *Si diligenti*, de foro competenti. Similiter non valet juramentum vendendi triticum degentibus extra regnum, contra prohibitionem legis civilis, quia lata est in favorem boni communis, et aliunde contractus prohibitus ob favorem publicum non confirmatur juramento; imò juramentum est validum, tum quia est de re illicitâ, tum quia non potest jus publicum ob publicam utilitatem constitutum privatorum conventionibus tolli.

Resp. 2°, juramentum factum contra legem canonicam aut civilem primariò principaliter et immediatè respicientem bonum et favorem privatæ personæ obligare, et contractum per eam prohibitum ac invalidum confirmare, dummodò non vergat in detrimentum tertii. Ratio est quia quilibet potest cedere juri suo absque præjudicio tertii. Item quia illa lex in favorem personæ privatæ lata, non intendit illi laqueum peccati ex transgressione injicere, sed solùm intendit in ejus favorem actum irritare. Ergo, si juramento huic favori et privilegio renuntiet, tenebitur servare juramentum (1).

Hinc femina quæ juravit se solâ dote contentam, ad bona paterna non regressuram, tenetur stare juramento, quamvis lex civilis irritet illud pactum et promissionem. Idem dicendum de alienatione fundi

(1) In eo casu juramentum est procul dubio validum, quum observari possit sine peccato; an verò formet contractum et sic inducat obligationem justitiæ standi conventioni meritò in controversiam inducitur. V. C. de Lugo de Jure et Justitiâ, disp. 22, n. 201. Affirmat sententia communior potissimùm innixa jure canonico et jure civili romano; opinio contraria nobis anteponenda videtur saltem in Galliis et aliis nationibus ubi eadem vigeret jurisprudentia circa minores, etc. Enimverò, ut valeret contractus à minore irritus, necesse foret ut legislator, posito juramento, vim auferret suæ legis; ratio hujus principii in aperto est: si enim lex, declarans tales contractus rescindibiles fore, vim omnem suam servet, minor non minùs inhabilis est ad confirmandum contractum quàm inhabilis erat ad contrahendum: atqui legislator non tollit vim suæ legis; talis intentio nec præsumenda est, nec realis probatur: non est præsumenda, cùm eo modo facillimum esset eludere legem et minores inducere ad firmandum juramento suas conventiones; nec realis probatur cùm nulla sint indicia quibus innotescat; jus canonicum invocari non potest in re quæ forum civile solùmmodò spectat; jus romanum apud nos receptum non est ut sat unanimiter tenent jurisperiti. Vid. Pothier, *Traité des Obligations*, n. 106; Toullier, *Droit Civil*, t. 10, n. 352, 353. Tribunalia non attendunt ad juramenta quæ, cùm sint aliquid contractui accessorium, nihil addere possunt illi in ordine ad justitiam.

Hinc sola est obligatio Religionis: minor non potest exuere jus radicale rescisionis, quia jus istud fundatur lege in illius quidem favorem nata, sed independente ab illius voluntate; sed potest facto renuntiare usui hujus beneficii; lex statuit jus, sed non exigit ut reipsà illo jure utatur.

dotalis. Item de contractu jurato minoris absque curatoris consensu celebrato. Item de donatione inter virum et uxorem, inter patrem et filium, si juramento confirmetur. Item de promissione juratâ solvendi pecuniam creditam ludo perditam, aliisque hujusmodi contractibus legi positivæ in bonum privatum directè ordinatæ repugnantibus; quia nimirùm à jure non irritantur proximè nisi in favorem privatarum personarum : quilibet autem potest suo juri privato renuntiare, tum quia jus positivum ob reverentiam ac honorem Dei et observantiam religionis censetur velle auferre hujusmodi irritationem, et in hoc casu illis contractibus reddere vires quas ob rationes politicas et favorem privatorum abstulerat, et obligationem naturalem quam secum ferunt, quamque restrinxerat, intactam remittit, ac relinquit in suo robore.

Juramentum nihilominùs non confirmat hos contractus in sequentibus casibus. Primò, quando directè et per se tendunt in injustum tertii præjudicium, qualis esset alienatio fundi dotalis, qui ex alicujus dispositione deberet ad filios pervenire. Secundò, quando contractus irritatur à lege ob turpitudinem creditoris aut promissarii, seu illius in cujus favorem fit juramentum. Unde promissio jurata facta usurario de solvendis usuris non confirmatur juramento, contra legis prohibitionis inita, quia acceptio usurarum est turpis et peccaminosa in usurario, qui proinde non acquirit ullum jus ad hanc actionem sibi prohibitam et in se illicitam, can. *Debitores*, *de Jurejur.* Promittens tenetur nihilominùs usuras solvere, non quidem ratione contractûs, qui invalidus est et peccaminosus, sed ne juramentum violetur, unde poterit pecunias solutas repetere. Idem dicendum de contractu per vim, metum aut dolum extorto, quia scilicet inest turpitudo et culpa ex parte juramentum exigentis. Si tamen jurans sine peccato illud servare valeat, tenetur implere momentaneâ solutione, ut supra ostensum est. Tertiò, quando jus irritum reddit non solùm contractum, sed etiam juramentum appositum, tunc juramentum non obligat. Sic Tridentinum sess. 25, cap. 16, de Regular., irritam reddit omnem renuntiationem et dispositionem novitii etiam juratam ante professionem. Quartò juramentum secundum, priori validè facto contrarium, non obligat, cùm sit de re malâ et illicitâ, utpote quia impleri nequit absque prioris juramenti violatione, neque proinde contractum confirmat, quia juramentum additum actibus illicitis non præbet eis robur et firmitatem, can. *Quando*, *de Jurejurando*. Gesta tamen contra prius juramentum per se valida sunt, quamvis illicita, nisi aliunde sint irrita; quia per se loquendo ex juramento non redditur quis inhabilis ad actum contrarium, quem ex se aliàs validè efficere potest. Unde, quamvis peccet qui matrimonium contrahit aut testamentum revocat, postquàm juravit se non contracturum, aut non revocaturum, matrimonium tamen sic contractum valet, et valida est revocatio testamenti. Similiter venditio facta contra promissionem juratam de non vendendo, facta tenet. Et sic de cæteris. Est tamen perjurus iste homo. Per accidens hæc gesta erunt quoque invalida, puta si à jure irritentur aliundè. Quintò ut juramentum confirmet contractum, et faciat de invalido validum ac irrevocabilem, non sufficit quòd sit assertorium, quo scilicet quis juret de præsenti, se rem verè et seriò alienare; sed ulteriùs requiritur juramentum promissorium de futuro, quo quis jurat se non revocaturum contractum, nec illi contraventurum. Nam resiliens à contractu apposito solùm juramento de præsenti, non est perjurus, si tunc haberet veram contrahendi et alienandi voluntatem, nec sub juramento promiserit se non revocaturum contractum jam initum : benè tamen resiliens à contractu confirmato per juramentum de futuro.

Pro cujus intelligentiâ notandum est, aliud esse juramentum firmare contractum, aliud verò juramentum esse servandum. Nam, quando juramentum confirmat contractum aliàs invalidum, tunc oritur duplex obligatio, una erga Deum, quâ jurans curare debet ne Deus adductus sit in testem falsitatis; altera erga hominem, qui jus hoc ipso erga jurantem acquisivit ob contractûs validitatem. Quando verò juramentum non confirmat contractum, una tantùm oritur obligatio, scilicet erga Deum; unde servandum est juramentum, si absque peccato servari potest, ob Dei reverentiam, ut juramentum præstitum latroni aut usurario de solvendâ pecuniâ indebitâ, qui tamen nullum inde jus acquirunt in eam, eò quòd contractus tunc remaneat invalidus ac in suâ pristinâ naturâ immutatus. Porrò quandonam juramentum confirmet aut non confirmet contractum fusiùs alibi declarabimus.

Ex dictis habet quòd juramentum contra bonos mores naturales præstitum, non obligat; secùs si sit tantùm contra bonos mores civiles. Tunc autem dicitur esse contra bonos mores naturales quando res promissa nequit impleri sine peccato, utpote contra legem obligantem ad culpam, qualis est lex naturalis, divina, canonica et civilis directè et immediatè respiciens bonum publicum; naturales enim mores in jure dicuntur illi quibus homo probus efficitur, eisque contrariatur peccatum. Tunc verò juramentum est tantùm circa bonos mores civiles, quando servari potest absque peccato, nec est contra legem obligantem ad culpam, qualis est lex civilis immediatè et directè respiciens bonum privatum; nam in jure mores civiles dicuntur quibus homo efficitur bonus civis, et quos expedit vigere in republicâ ad hoc ut sit benè ordinata. Porrò ad dignoscendum quandonam lex civilis immediatè et directè respiciat bonum commune, respiciendum est an ex illius transgressione proximè lædatur bonum publicum, qualis est lex de non extrahendo frumento : nam ex hâc translatione regnum directè patitur detrimentum, cùm hoc ipso destituatur necessariis ad vitam. Ad dignoscendum verò quando primariò et immediatè lex tendat ad bonum privatum, inspiciendum est si ex ejus violatione non lædatur immediatè bonum commune, ut lex de non alienando fundo dotali, aut ne minor contrahat sine

curatore, etc. Non enim directè multùm reipublicæ interest, ut bona sint unius potiùs quàm alterius civis.

Quæres quintò, an et quomodò obliget juramentum non ludendi? — Resp.: Quòd si constet jurantem voluisse se obligare ad abstinendum ab omni prorsùs ludo etiam licito, tenetur servare juramentum; quia etiamsi ludus licitus possit esse actus virtutis, ejus tamen omissio est melius bonum; sicut validum est juramentum de non nubendo, utpote de meliori bono, quàm sit matrimonium. Jurans non ludere nomine proprio, potest ludere nomine alieno, si finis juramenti fuerit vitare jacturam pecuniarum: secùs verò si fuerit jacturam temporis non facere, eò quòd ludo occupatus non vacaret suo ministerio; quia tunc pro alio ludendo eamdem temporis facit jacturam. Idem dicendum si finis juramenti fuerit vitare rixas, blasphemias, etc., si eodem modo oriantur, dùm ludit pro alio. Jurans absolutè non ludere, si illius intentio ex conjecturis nequit colligi, quo scilicet fine tale juramentum emiserit, tunc non solùm non potest nomine proprio ludere, verùm etiam neque alieno, eò quòd ludus factus nomine alieno, sit verè ludus. Quidam sentiunt posse nihilominùs istum tradere suas pecunias alteri ad ludendum suo nomine, et inspicere socium ludentem, nisi aliter colligatur de mente ludentis, et nisi finis juramenti fuerit vitare propriarum pecuniarum jacturam.

Quæres sextò utrùm obligatio juramenti transmittatur ad hæredes et successores jurantis? — Resp. hanc obligationem præcisè sumptam, non transire ad successores jurantis, benè tamen obligationem contractûs super quem cadit juramentum, si contractus fuerit validus, vel saltem juramento firmetur, et efficiatur validus. Ratio primi asserti est, quia, ut ait D. Thomas, 2-2, q. 98, art. 2, ad 4, *juramentum est actio personalis, et obligationem spiritualem inducens. In personalibus autem et spiritualibus nullus ligatur, nisi ex proprio consensu. Quamvis igitur pater in temporalibus seipsum et hæredem obligare possit per contractum validum, non tamen in spiritualibus, ut patet de voto et aliis. Hinc habetur ratio secundi asserti; nam obligatio contractûs est realis et afficit bona quæ transeunt ad hæredes, qui in iis succedunt patri, ejusque personam repræsentant.*

Unde hæredes non servantes contractum validum juratum, vel permissionem juratam defuncti pro se, et pro illis, non peccant contra religionem, nec perjurium committitur; peccant tamen contra justitiam. Secùs dicendum quando contractus est invalidus; hæredes enim illius qui juravit solvere pecunias latroni aut usurario, non tenentur solvere, quia jurans solùm vi juramenti obligatus erat solvere, non verò ratione contractûs. Qui tamen juravit alicui, v. g., Mævio, dare centum nummos, mortuo Mævio ante solutionem illius pecuniæ, tenetur ejus hæredibus solvere, quia obligatio jurantis non extinguitur morte Mævii, et jura defuncti transeunt in ipsius hæredes, nisi aliud suadeat materia subjecta, et intentio jurantis, secundùm quam juramentum servandum est.

Subdit autem D. Thomas ibidem, quòd *cum aliqua civitas jurat se aliquid servaturam, ille qui de novo fit civis, non obligatur quasi juramento ad servanda illa, quæ civitas se servaturam juravit; tamen tenetur ex quâdam fidelitate, ex quâ obligatur, ut sicut sit socius bonorum civitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus autem qui jurat se servaturum statuta edita in aliquo collegio, non tenetur ex juramento ad servandum futura, nisi intenderit se obligare ad omnia statuta præterita et futura: tenetur tamen ea servare ex ipsâ vi statutorum, quæ habent coactivam virtutem.* Hactenùs D. Thomas. Ubi Cajetanus ait, quòd *episcopus aut canonicus, aut quævis alia dignitas habens annexa multa juramenta, si admitteretur ad suum officium absque juramento, non teneretur ad illa servanda ex prædecessorum juramento. Unde, si non esset aliud vinculum obligans ad ea, nisi juramentum, talis persona foret omninò libera ab illis obligationibus. Sed si esset aliud vinculum obligans officium illud seu talem dignitatem, puta vinculum statuti vel contractûs, tunc hæc persona quæ non juravit, adhuc teneretur hæc servare ratione hujus vinculi officio annexi; quia etsi vinculum juramenti prædecessorum non transeat ad successores, utpote quia est personale, benè tamen obligatio statuti aut contractûs annexa illi officio, utpote realis. Idemque de aliis similibus est dicendum.* Hactenùs Cajetanus.

Subditus jurans obedientiam alteri in officio aut dignitate constituto, ejus dignitatis aut officii expresso nomine, ut religiosus jurans obedientiam generali sui ordinis, in quantum generali et ratione officii, tenetur, ex vi illius juramenti, obedire omnibus illius successoribus in hoc officio; quia licet juramentum sit personale ex parte jurantis, affert tamen obligationem realem ex parte ejus cui juratur, et transit cum re, puta dignitate, vel hæreditate, ut jam dictum est. Si verò juramentum fiat alicui, non ratione dignitatis, sed tantùm nomine proprio, et personaliter, prout est privata persona, v. g., dicendo: *Juro tibi Petro obedientiam*, tunc eo mortuo vel amoto, non transit ad successores, præcipuè si juramentum istud non præstetur tali personæ circa rem ad dignitatem pertinentem, quia est vinculum personale huic determinatæ personæ affixum, et non illius officio. In dubio autem an actus aliquis personæ aut dignitati tribuendus sit, ex conjecturis metiendum est. Quando juramentum fit alicui ratione dignitatis, tunc illo ab eâ amoto, ampliùs non obligat, sed ejus successoribus in illâ dignitate est exhibenda obedientia jurata: dignitas enim non variatur ex varietate personarum, 12, q. 1, cap. *Liberti*.

Quæres septimò, utrùm major sit obligatio juramenti, quàm voti promissorii? — Respondet D. Thomas negativè, hîc q. 89, art. 8, quia omnis infidelitas irreverentiam continet et contemptum. Videtur autem infidelitas subjecti ad dominum esse maxima irreverentia. Cùm ergo obligatio voti causetur ex fidelitate quam Deo debemus, ut scilicet ei promissum

solvamus, ideò votum ex suâ ratione est magis obligatorium quàm juramentum, cujus obligatio causatur ex reverentiâ quam debemus ei, ex quâ tenemur ut verificemus id quod per nomen ejus promittimus.

Quæres octavò quando et quomodò obliget juramentum promissorium in favorem tertii verè et ex animo factum, ac promissione acceptatâ? — Resp. quòd si juramentum fuerit de re quæ sine peccato fieri potest, implendum est ac exequendum, etiamsi eventus rem juratam minùs bonam reddat, quàm oppositum. Ut si juravi Petro me daturum ipsi viginti nummos, non satisfacio per hoc quòd pauperiori donem centum. Quod tamen auctores limitandum censent in casu quo quis juravit feminæ, se eam in uxorem ducturum ; potest enim absque juramenti violatione ingredi religionem, ex cap. 2, de Convers. conjugatorum. Tunc enim huic juramento censetur inesse tacita hæc conditio : Nisi moriar civiliter, et inspirante Deo suscipere debeam meliorem statum, cujus eventus matrimonii sit impeditivus.

Quando juramentum factum est in favorem tertii cum aliquâ conditione, jurans non obligatur, nisi illa impleatur. Quia de naturâ conditionis est, ut suspendat actum cui accedit. Et quando tota obligatio pendet à conditione, illâ deficiente, cessat obligatio. D. Thomas q. 89, art. 9, ad 2, ait, quòd *homo potest alteri promittere aliquid sub juramento dupliciter. Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius, puta, si sub juramento promittat se serviturum ei, vel pecuniam daturum. Et à tali promissione potest absolvere ille cui promissio facta est : intelligitur enim jam ei solvisse promissum, quando facit de eo secundùm utilitatem et voluntatem ejus, cui juravit. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum, puta si aliquis sub juramento promittat alicui se intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum. Et tunc ille cui promittitur, non potest absolvere promittentem, quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo; nisi fortè sit interposita conditio, ratione cujus possit, scilicet si illi videbitur cui promittitur, vel aliquid aliud tale.* Hactenùs D. Thomas.

Hinc colligitur quòd si jurans aliquid in favorem alterius, priùs et principaliter honorem et cultum Dei respexit, ac intuitu principali religionis juravit, solùmque posteriùs et secundariò utilitatem tertii attendit, tunc iste nequit ipsi remittere obligationem, cùm juramentum tunc se habeat quasi votum. Secùs dicendum si non principaliter intuitu religionis juraverit, sed animo fidem suam alteri astringendi, ratione amicitiæ. In dubio autem hujus intentionis, præsumenda est prior intentio, ob scilicet materiæ naturam in honorem Dei tendentis. Ita Sotus, lib. 8 de Just. q. 1, art. 1, ad 2.

Tandem qui jurat se facturum voluntatem alterius, intelligendus est, si id quod ei mandatur licitum sit, honestum, et portabile, seu moderatum; ex D. Thomâ q. 8, art. 2, ad 3.

Articulus IV.

De irritatione et dispensatione juramenti.

Divus Thomas, q. 89, art. 9, ad 1, ait, quòd *dispensatio quæ fit in juramento, non se extendit ad hoc quòd aliquid contra juramentum fiat : hoc enim est impossibile, cùm observatio juramenti cadat sub præcepto divino, quod est indispensabile. Sed ad hoc se extendit dispensatio juramenti, ut quod sub juramento cadebat, sub juramento non cadat, quasi non existens debita materia juramenti. Materia autem juramenti assertorii, quod est de præterito vel præsenti, in quamdam necessitatem jam transiit, et immutabilis facta est. Et ideò dispensatio non refertur ad materiam, sed refertur ad ipsum actum juramenti ; unde talis dispensatio directè esset contra præceptum divinum. Sed materia juramenti promissorii est aliquid futurum, quod variari potest, ita scilicet quòd in aliquo eventu potest esse illicitum vel nocivum, et per consequens non esse debita materia juramenti, et ideò dispensari potest in juramento promissorio, quia talis dispensatio respicit materiam juramenti, et non contrariatur præcepto divino de observatione juramenti.* Et in corp. ait 8. Doctor quòd *necessitas dispensationis, tam in lege quàm in voto, est propter hoc quòd id quòd in se vel universaliter consideratum, est utile et honestum, et secundùm aliquem particularem eventum, potest esse inhonestum et nocivum, non potest cadere nec sub lege, nec sub voto. Quòd autem aliquid sit inhonestum vel nocivum, repugnat his quæ debent attendi in juramento. Nam si sit inhonestum, repugnat judicio ; si sit nocivum, repugnat justitiæ ; et ideò pari ratione etiam in juramento dispensari potest.*

Per quod ostendit S. doctor, quòd supra formale juramenti, nempe veritatem, non cadit dispensatio ; nunquàm enim quis dispensari potest ut scienter juret falsum ; sed tantùm supra materiam juramenti, quatenùs id quod erat materia juramenti, non sit ampliùs talis ob circumstantias hîc et nunc occurrentes. Ostendit insuper S. doctor quòd in juramentis assertoriis, nequit dispensatio locum habere, cùm sint de actu præterito vel præsenti, quia materia jam transiit et immutabilis efficitur ; seu juramentum vel fuit verum, vel falsum, propter veritatem aut falsitatem actûs jam præteriti aut existentis. Unde fieri non potest ut non sit vel fuerit, neque dispensari potest, ut actus jurandi, qui jam est aut fuit falsus, non sit aut non fuerit falsus. Idem dicendum de juramentis promissoriis, quantùm ad veritatem quæ respicit tempus præsens in quo fuit juramentum : sicque non possunt non obligare, cùm ea obligatio sit indispensabilis, et præcepti negativi de non adducendo Deum in testem falsitatis. Tota igitur dispensatio in juramentis promissoriis solùm potest habere locum, quantùm ad obligationem et veritatem, quæ respicit tempus futurum, seu futuram executionem et impletionem promissi, quod cùm variari possit ac in aliquo eventu esse illicitum et nocivum, et per consequens fieri materia non apta juramenti, super eam sic ummodò, et non super actum jurandi præsentem, cadit dispensatio.

Quoties juramentum est invalidum et non obligat, aut defectu intentionis jurandi, aut defectu materiæ aptæ ac debitæ, tunc non est opus irritatione, dispensatione et commutatione; sed jurans de se ab illius impletione absolvitur; si enim illud quod cadit sub juramento promissorio sit peccatum, tenetur jurans illud non servare: si verò sit majoris boni impeditivum, sicut cùm aliquis jurat se non intraturum religionem, licitum est ei servare et non servare tale juramentum. Ita D. Thomas in isto art. 9, ad 3. Item irritatur juramentum et tollitur ejus obligatio per remissionem illius in cujus favorem præstitum fuit, ut si quis juraverit se daturum pauperi determinato eleemosynam, paupere condonante obligationem, relaxatur juramentum. Quia tunc ille censetur tollere et remittere materiam Deo in sui favorem promissam, quâ sublatâ, cessat voti obligatio, nisi ea eleemosyna nulli esset determinatio pauperi aut personæ promissa, quia tunc nullus pauper obligationem talis juramenti remittere posset, eò quòd soli Deo censetur præstitum, nec res promissa cedit in favorem certi pauperis, qui possit illam remittere, taliaque juramenta rationem voti induunt. Vide D. Thomam, 2-2, q. 89, art. 9, ad 2. Item irritare potest juramenta omnis ille qui habet dominium et potestatem in rem promissam, et à sibi in hâc re subditis emittuntur. Sic pater juramenta filiorum et filiarum in minori ætate existentium, vir juramenta uxoris, prælatus juramenta subditorum irritare, etiam sine causâ, et annullare possunt. Ita D. Thomas in hoc art. 9, in fine, quia censentur hæc juramenta facta cum conditione saltem tacitâ: Si hi in quibus tales personæ sunt subjectæ approbaverint; nullus enim absolutè jurare potest in præjudicium alterius. Si tamen hi superiores in juramenta istorum antea consenserint, aut facta confirmaverint, tunc non possunt ampliùs absque legitimâ causâ irritare, aliàs peccant, quia per licentiam vel approbationem concessam, juramentum jam robur et confirmationem obtinuit; ad cujus proinde relaxationem requiritur superveniens causa; aliàs recurrendum erit ad jurisdictionem spiritualem, ut obtineatur absolutio seu dispensatio. Licet enim papa et prælati ecclesiastici solùm habeant jurisdictionem spiritualem, et non dominium rei promissæ, tamen possunt juramenta sibi subditorum relaxare, tum ratione officii, quia ita fieri expedit ad utilitatem reipublicæ, tum aliquandò in pœnam humanæ sævitiæ, etiam non consentiente eo in cujus favorem juramentum factum est; ut si observatio juramenti promissorii bono communi foret nocitura, aut juramentum per metum et injuriam fuerit extortum, ut si quis juravit latroni dare pecunias, aut usurario solvere usuras, si petat illius juramenti absolutionem à suo prælato et episcopo, potest illi concedi dispensatio: est enim justa causa, ne scilicet sævitia hominum fovcatur, idque sic fieri expedit bono communi. Item in odium excommunicatorum, liberantur subditi et alii à juramento fidelitatis illis præstito, 15, q. 6, can. *Nos sanctorum*, et can. *Juratos*. Item quandò sub juramento promittitur aliquid, de quo dubium est, utrùm sit licitum vel illicitum, proficuum vel nocivum, aut simpliciter aut in aliquo casu, potest tunc quilibet episcopus in hoc suum subditum dispensare. Ita D. Thomas in hoc art. 9, ad 3; tandem cùm juramentum sit minùs obligatorium quàm votum, consequens est ut omnia juramenta subsint facultati episcopi ad dispensandum; quæ si forent vota, posset in eis dispensare; quia cui concessum est posse ordinariò in majus, concessum est posse in minus. Unde qui potest dispensare in votis, potest etiam dispensare in juramentis de eàdem re sine voto, seu independenter et disparatè à voto, nec in ejus confirmationem factis. Cùm autem prælati regularium habeant jurisdictionem in suos religiosos, qualem habent episcopi in diœcesanos, possunt pari modo eorum juramenta relaxare; et adhuc magis cùm sint domini voluntatum jurantium, qui non sunt sui juris, nec absque prælati consensu se aliis obligare et promittere possunt.

Hinc juramenta quæ habent annexum votum papæ reservatum, vel quæ, si forent vota, essent papæ reservata, nec episcopi nec prælati religionum dispensare possunt, ut sunt vota castitatis, religionis, peregrinationis ad templum Hierosolymitanum, ad limina Apostolorum Petri et Pauli, ad Compostellam, apud D. Jacobum, et juramenta circa ista quinque opera pia. Quidam tamen volunt quòd si hæc juramenta fuerint pœnalia aut conditionalia, tunc potest episcopus dispensare ante et post conditionem impletam, et pœnam incursam. Imò Sanchez addit posse episcopum in his dispensare, quandò jurans intendebat solùmmodò Deum in testem vocare, non verò ipsi promissionem facere, eaque opera in ejus obsequium offerre, cùm tunc non contineant votum, ratione cujus papæ sint reservata. Verùm contrarium est tenendum, quia summus pontifex reservans sibi aliqua vota per generalem consuetudinem, etiam censetur reservare juramenta de iisdem rebus.

Summus pontifex in omni juramento, cessante damno tertiæ personæ ex causâ rationabili dispensare potest. Hæc enim facultas est necessaria ad bonum regimen Ecclesiæ, ut scilicet post causæ particularis occurrentis diligens examen, prælati et maximè pontifices judicarent an æquum esset hujusmodi voti obligationem et juramenti religionem in causis particularibus remittere, et materiam, quæ voto et juramento subjecta erat, ex causâ subtrahere per absolutionem et dispensationem. Ita divus Thomas in hoc art. 9, ad 3.

Dixi, *cessante damno tertiæ personæ*, quia non est in potestate papæ auferre jus tertii in rebus non ecclesiasticis, eò quòd non sit dominus bonorum temporalium illius. Unde, licet sit in potestate papæ dispensare in omnibus votis, et commutare in aliquid gratius Deo, eò quòd sit ejus vicarius, non tamen in omni juramento, quandò fit in commodum tantùm hominis, ut si juravit creditori suo solvere debitum, aut tenere contractum justum, eò quòd papa non sit vicarius illius hominis, nec ita habet dominium super eum, ut possit illum rebus suis temporalibus privare ad libitum, et hoc non

est propter defectum potestatis papæ, aut excellentiam juramenti, sed ex naturâ contractûs juramento firmati, scilicet inter hominem et hominem; quocirca cessante præjudicio hominis, ita juramenta subjiciuntur Ecclesiæ potestati, sicut et vota; nisi esset turpitudo ex parte recipientis injustè juramentum, aut urgens boni communis causa postularet.

Dixi, *ex causâ rationabili* : nam prælatus sine eâ dispensans peccat, et non valet dispensatio in foro conscientiæ, ut ostensum est alibi de Just.. tract. de Legibus; porrò loquimur hîc tantùm de dispensatione, quatenùs scilicet juramenti obligatio tollitur; non verò de irritatione, quatenùs scilicet impeditur ne juramentum vim obligandi habeat, sed cassatur et annullatur : id enim etiam sine causâ fieri potest à papâ respectu rerum ecclesiasticarum, à viro respectu uxoris, à patre respectu filiorum, quoad materiam, in quâ illis subjiciuntur, et in prælato respectu suorum religiosorum; causa verò legitima dispensandi in juramento desumenda est, tum ex gravitate operis et imbecillitate jurantis, tum ex diminutâ operis utilitate : tum si ex eventu ejus impletio non sit satis conveniens bono communi; tum ex aliis circumstantiis occurrentibus mutationem quamdam inducentibus. Horum omnium ratio est, quia juramentum obligat ad sui observantiam, non ex jure humano, in quo valet dispensatio etiam sine causâ concessa, sed obligat ex jure naturali, divino, in quo nec papa validè potest dispensare. Homo tamen in cujus utilitatem et favorem juramentum factum est, tanquàm dominus rei promissæ, potest illud sine causâ dispensare, modo jam explicato; verùm hæc omnia clariùs patebunt quæst. sequenti de dispensatione et commutatione votorum.

Articulus V.

De personis quibus non competit jurare, et de aliis rebus ad completam juramenti notitiam spectantibus.

Divus Thomas, art. 10, docet, quòd quidam sunt qui dictum suum confirmare non possunt propter defectum eorum. Et quidam sunt quorum dictum adeò debet esse certum, quòd confirmatione non egeat, sicque quidam sunt majoris auctoritatis, quàm quòd eos jurare deceat; aliqui verò minoris auctoritatis, quàm quòd eorum juramento stetur. Unde nihil prohibet aliquos à juramento impediri ex causis contrariis, per modum superabundantiæ et defectûs. Nam in juramento duo sunt consideranda, unum quidem ex parte Dei, cujus testimonium inducitur; et quantùm ad hoc debetur maxima reverantia. Propter hoc à juramento excluduntur pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad jurandum, quia nondùm habent perfectum usum rationis, quo possint cum reverentiâ debitâ juramentum præstare; et etiam perjuri qui ad juramentum non admittuntur, quia ex retroactis præsumitur quòd debitam reverentiam juramento non exhibebunt; olim propter hanc reverentiam, nonnisi jejunus poterat quis jurare, 22, q. 5, c. *Honestum*. Ubi divus Thomas loquitur de juramento in judicio. Nam masculis ante annum 14, et puellis ante 12, interdicitur judicialiter et solemniter jurare, nec possunt à judice cogi in causis civilibus 22, quæstione 5, can. *Parvuli;* et in criminalibus non admittitur minor annis viginti, ff. de Testib. L. *Inviti* (1). Verùm, si admitti contingat ad jurandum, licet non faciat plenam fidem, facit tamen præsumptionem ad torturam sufficientem, juxta Sylvestrum, verbo *Impubes*. Item perjuri non admittuntur ampliùs ad juramentum in judicio 22, q. 7, can. *Pueri*. Cum quo tamen stat licitum esse omnibus jurare extra judicium etiam impuberibus, eosque moraliter peccare falsum jurando, si fuerint doli capaces et sufficienti usu rationis polleant.

Aliud, quod in juramento est considerandum, se tenet ex parte hominis cujus dictum juramento confirmatur. Non enim indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur. Hoc autem derogat dignitati personæ ut dubitetur de veritate eorum quæ dicit. Et ideò personis magnæ dignitatis non convenit jurare, propter quod dicitur 2, q. 5, can. *Si quis presbyter*, quòd sacerdotes ex levi causâ jurare non debent : tamen pro aliquâ necessitate, vel magnâ utilitate, licitum est eis jurare : et præcipuè pro spiritualibus negotiis, pro quibus etiam juramenta competit præstare in solemnibus diebus, quibus est spiritualibus rebus vacandum : non autem tunc sunt juramenta præstanda pro temporalibus, nisi fortè ex magnâ necessitate. Hæc D. Thomas.

S. Anton. p. 2, tit. 10, cap. 3, § 3. Et Sylvester, v. *Juramentum*, 2, q. 3, varios casus referunt in quibus sacerdotes jurare possunt et debent in judicio coram suo judice ecclesiastico; coram verò seculari non possunt, nisi adsit prælati licentia. Vice juramenti, per sanctam consecrationem sunt interrogandi tangendo proprium pectus, can. *Si quis presbyter*, 2, q. 5, et ita usu receptum est.

Quæres primò, an juramentum possit præstari per nuntium, aut procuratorem. — Resp. affirmativè, ex cap. *De statu regularium*, in 6, et cap. ultimo de Juramento calumniæ, in 6. Nam et matrimonium, licet sit actio personalis, potest tamen contrahi per procuratorem; ita et juramentum, dummodò actus talis sit qui per procuratorem præstari possit, aut lex non præscribat, ut quis præsens propriâ manu juret. Item modò procurator habeat speciale mandatum alterius in hâc causâ et negotio particulari, suo nomine jurandi, nec dominus illud mandatum revocaverit.

Et tunc ille cujus homine præstatur juramentum ligatur, non verò procurator, ut patet à simili de matrimonio. Hinc si quod iste jurare mandat suo procuratori, sit falsum, afficitur pœnis in perjuros constitutis, non verò procurator : et è contra si procurator non exequatur sincerè illius mandatum, sed nomine mandantis malâ fide scienter falsum juret, vel dubium tanquàm certum, perjurii peccatum committit, non

(1) Hæc pendent à jurisprudentiâ eorum quæ varia statuit in variis nationibus.

quòd vinculo juramenti afficiatur, sed quia cooperatur perjurio alterius ; sicut inducens alium ad jurandum falsum, reus est perjurii, licet non sit propriè perjurus.

Quæres secundò, an juramentum exigi possit ab eo qui creditur pejeraturus? — Resp. D. Thomas, 2-2, q. 98, art. 4, *distinguendum esse ; aut enim quis exigit juramentum pro seipso propriâ sponte ; aut exigit pro alio ex necessitate officii sibi commissi. Et si quidem pro seipso aliquis exigit juramentum tanquàm persona privata, distinguendum videtur, ut August. aïcit in sermone de Perjuriis. Si enim nescit alium juraturum falsum, et ideò dicit,* Jura mihi, *ut fidem ei faciat, non est peccatum. Tamen est humana tentatio, quia scilicet procedit ex quâdam infirmitate, quâ homo dubitat alium esse verum dicturum. Et hoc est illud malum, de quo Dominus dicit Matth.* 5 : « *Quod amplius est, à malo est.* » *Si autem scit eum fecisse contrarium ejus quod jurat, et cogit eum jurare, homicida est ; ille enim de suo perjurio se interimit ; sed iste manum interficientis impressit. Si autem aliquis exigat juramentum tanquàm persona publica, secundùm quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius, non videtur esse in culpâ, si ipse juramentum exigat, sive sciat eum falsum jurare, sive verum, quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit* (1). Hactenùs D. Thomas in corp. Et ibidem, ad 4, dicit licitum esse malo uti propter bonum, sicut et Deus utitur ; non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus qui per falsos deos jurare paratus est, juramentum recipere ; non tamen licet eum inducere ad hoc quòd per falsos deos juret. Nec licet juramentum exigere ab eo qui per verum Deum, falsum jurat ; quia in tali juramento deest bonum fidei, quâ utitur aliquis in juramento illius qui verum per falsos deos jurat. Unde in juramento illius qui falsum per verum Deum jurat, non videtur esse aliquod bonum, quo uti liceat.

An autem judex possit hoc juramentum exigere etiam quando pars id non petit, et sponte suâ hoc facere ad informandam conscientiam suam, respondent auctores illud posse quando lege obligatur ad exigendum juramentum ex officio ad sibi comparandam notitiam publicam, et faciendum legitimum processum ; secùs si ad exigendum juramentum, nullâ partis aut legis necessitate cogatur : tunc enim instar personæ privatæ, tenetur peccatum proximi vitare, ut aliâ viâ non deficiendo suo muneri procedere valeat.

(1) Solutio hujus quæstionis repetenda est ex principiis de cooperatione : petitio juramenti est, ratione sui considerata, actus bonus vel indifferens, unde æquè probabiliter et immediatè possunt prodire duo effectus : tota difficultas erit determinandi utrùm bonus effectus qui solus intenditur compenset malum. Hoc rarissimè eveniet quando privatâ auctoritate juramentum postulabitur, quia si jurans prævideatur pejeraturus, nulla adveniet generatim utilitas ex petitione. E contra aderit illa compensatio quoties judex publicâ auctoritate et ad instantiam partis adversæ, in casibus à lege prævisis, defert juramentum ; onus officii publici quod judex ille gerit, et bonum publicum cujus valdè interest ut controversiæ per juramentum possint interdùm dirimi, suppeditat rationem sufficientem cooperationis.

Nulli itaque licet absque necessitate tale juramentum exigere.

Quæres tertiò, an ut juramentum obliget, necessariò requiratur ut jurans habeat formalem actualem et expressam voluntatem se obligandi ? — Resp. negativè : Sufficit enim quòd jurans, sciens naturam juramenti, seu vim quam habet obligandi, verè jurare velit, nec habeat positivam voluntatem non se obligandi : hoc ipso enim censetur velle sequi naturam juramenti, ac proinde se obligare.

Quæres quartò, quænam conditiones in omni juramento promissorio simpliciter facto sint subintelligendæ ex jure communi, ad hoc ut juramentum obliget? — Resp. auctores quatuor assignare in Clavi regiâ lib. 5, cap. 5, n. 15 et sequentibus. Prima est, circa jus et auctoritatem superioris. Nam in omni juramento promissorio, subintelligitur : Nisi contrarium præcipiat et velit superior, in illis nimirùm rebus quæ sunt illi subjectæ, seu in quibus jurans dependet ab illo. Secunda est observatio fidei propter quam juratur. Nam frangenti fidem, fides servanda non est : v. g. : Promisi tibi centum nummos, quia tu mihi promisisti equum ; tunc si non adimples ex parte tuâ promissum, nec ego teneor ex parte meâ adimplere, 2 de Jurejur. can. *Pervenit.* Et can. *Constitutus* de Pœnis. Item si etiam cum juramento promiserim, te non expellere de domo meâ tibi locatâ, subintelligitur : Modò solvas pensionem. Idem dicendum de patre qui promisit cum juramento, non exhæredare filium ; subintelligitur : Nisi crimen ingratitudinis commiserit. Tertia conditio respicit statum, tam jurantis, quàm ejus cui juratur, et etiam rerum pro quibus et ratione quarum juratur ; puta si mutatio notabilis advenerit. Sic jurans servare statutum, eo revocato, non ampliùs obligatur. Item si quis ut officialis juravit, cessante officio non tenetur. Item qui prælato aut magistratui ut tali obedientiam jurat, si deponatur aut cedat prælationi, aut perfecerit tempus quo cessat officium, ampliùs non tenetur. Item qui juravit alteri suum reddere gladium, si iste furiosus postea evadat, non obligatur restituere. Item qui juravit accipere in uxorem Bertham divitem, sanam, et virginem bonæ famæ, si postea incidat in paupertatem, aut lepram, aut in fornicationem, non tenetur. Item qui juravit inimico se nihil damni illaturum, non videtur peccare contra juramentum, si noceat ob novam injuriam supervenientem sibi illatam ; subintelligitur enim jurâsse se non nociturum propter injurias præteritas, et nisi novam causam dederit. Item qui juravit servare secretum sibi commissum, non peccat contra juramentum, illud secretum detegendo quando nequit illud celare absque gravi detrimento publico, vel privato suo aut alterius innocentis damno : nam promissio secreti censetur facta cum hâc conditione : Si non advenerit præceptum et obligatio revelandi, can. *Sicut nostris, de Jurejurando.* Ratio horum omnium est, quia juramentum cadens supra propositum vel promissionem habentem tacitam conditionem ex intentione jurantis, vel ex dispositione juris, vel ex consuetudine jam re-

ceptâ, eo modo explicandum est, quo explicatur et obligat ipsa promissio; sortitur enim conditiones actûs super quem cadit, sicut accessorium sequitur naturam principalis. Hinc quidam inferunt quòd qui promisit aliquid alteri absenti cum juramento, potest promissionem revocare antequàm acceptetur, quia censetur facta cum hâc conditione : Si acceptetur, et ante acceptationem non habet vim obligandi, proindeque tunc juramentum non ligat : peccant notarii et alii officiales transgrediendo taxationem pretii instrumentorum à lege taxati, faciuntque contra juramentum illam observandi, quod singulis annis, aut in principio sui officii faciunt. Quarta conditio est, ut quando generaliter aliquid promittitur sub juramento, semper subintelligatur : Si sit honestum, licitum, possibile, moderatum, etc., ut tradit D. Thomas hic art. 7, et nos jam explicuimus. Hinc promissio prodiga facta, v. g., meretrici, centum aureorum pro unâ copulâ etiam juramento firmata, obligat solùm ad quantitatem pecuniæ quam viri conditionis æqualis dare consueverunt hujusmodi meretricibus, non verò ad illum excessum pretii. Ita Ledesma, Sotus, Bannes, Aragonius, Salonius et alii.

Quæres quintò, quænam pœnæ contra perjuros statuantur? — Resp. primam et principalem esse infamiam, 6, q. 1, c. *Infames*, et c. *Quicumque*. Item l. *Si quis major*, cod. de transact., ad hanc pœnam incurrendam requiritur ut quis solemniter jurando pejeraverit, et quòd postea in foro judiciali sit de perjurio ad eam publicè condemnatus. Vide D. Thomam, 2-2, q. 98, art. 3, ad 3; cæteras vide apud auctores.

Appendix.

DE PROMISSIONE.

In juramento promissorio et comminatorio involvitur aliqua promissio facta homini; et in omni voto continetur promissio facta Deo, tanquàm basis et fundamentum : ideòque ad pleniorem juramentorum et votorum intelligentiam, naturam simplicis promissionis explicandam necesse judicavimus.

Promissio nuda, seu quæ non firmatur juramento, neque vestitur stipulatione, neque est de re aliàs debitâ, definitur : *Datio fidei deliberata et spontanea de re licitâ.* Nam ad veram promissionem non sufficit voluntas faciendi aliquid, sed requiritur ut quis alteri se obliget ex virtute fidei, seu fidelitatis ad faciendum, intendatque novum aliquod vinculum ad rem promissam implendam, sibi imponere, in quo promissio differt à simplici proposito aliquid faciendi. Item debet esse deliberata, id est, cum advertentiâ et libertate quæ sufficeret ad peccatum, cùm sit actus humanus ad culpam imputabilis, et juxta D. Thomam, 2-2, q. 88, includat actum rationis ordinantis, deliberantis et discernentis quid pro alio debeat quis facere ipsi gratum, in quo differt à comminatione. Item debet esse spontanea, ex D. Thomâ, 2-2, q. 89, art. 7, ad 3; si enim non fuerit voluntaria, non censetur adesse verus consensus promittentis. Tandem debet esse de re licitâ; nam ad illicitum, sicut et ad impossibile, nemo tenetur, ac in malè promissis fides est rescindenda, ex cap. ultimo de Pœnis.

Promissio merè interna homini facta absque ullâ externâ manifestatione eidem exhibitâ, non obligat de se, etiam quando talis est ut iste eam acceptaret, si sciret; quia, ut ait D. Thomas, q. 88, art. 1, Deo potest fieri promissio per solam interiorem cogitationem; homini verò non potest homo facere promissionem nisi per verba vel quæcumque signa exteriora, eò quòd homo videat quæ patent, sed Deus intueatur cor, ut dicitur 1 Regum 16; cùm enim actus merè interni non sint idonea signa ad alteri homini significandum; ita neque ad illi se obligandum; modus quippe connaturalis et humanus se obligandi inter homines, fit signis exterioribus. Adde quòd licet obligatio promissionis à solâ voluntate et intentione promittentis dependeat tanquàm à causâ principali conferente vim obligandi; adhuc tamen in exercitio dependet ab acceptatione promissarii tanquàm conditione sine quâ non; qui tamen nequit promissionem acceptare, nisi per signa exteriora illi manifestetur, ut patet; unde non obligat, nisi fiat per modum voti ipsi Deo.

Promissio igitur debet acceptari à promissario, nec ante acceptationem obligat, potestque à promittente revocari : nam verè promissio est datio fidei, quæ connotat alterius acceptationem, habetque hanc tacitam conditionem : Si alter acceptet; ita ut nolit promittens se obligare ad illi dandum, si acceptare recuset. Inde vota de rebus non bonis aut indifferentibus non obligant, ex hoc quòd Deus ea non acceptet. Item promissio onerosa non obligat, sed potest revocari ante acceptationem, quia ejus perfectio et obligatio requirit mutuum consensum contrahentium ac unionem voluntatum, ita ut qui primus se obligat censeatur hanc saltem tacitam ponere conditionem, nempe, si alter acceptet ac vicissim se obliget; atqui similiter promittens, in nostro casu, non intendit alteri dando fidem, ei firmiter se obligare, donec constet de ejus acceptatione; nam dare, respicit accipere tanquàm correlativum, et in promissione tam onerosâ quàm gratuitâ, obligatio oritur ex mutuo partium consensu, utpote actu justitiæ. Ergo, etc. Item ut promissio acceptata obliget, necesse est ut idem status rerum et personarum immutatus permaneat tempore adimplentionis, in quo erant quando facta est promissio. Si enim evenerit notabilis mutatio, tunc promissio desinit obligare, puta si res promissa jam effecta est impossibilis, vel inutilis, vel nociva, vel illicita. Item si non subsit causa ob quam solùm promissio facta fuit. Item si persona promissarii evaserit ingrata, etc. D. Thomas, 2-2, q. 110, art. 3, ad 5. Tandem simplex promissio debet esse vera, seu cum animo se obligandi facta; quia potissima vis obligandi nascitur ex intentione promittentis. Quamvis autem talis promissio ficta et sine animo se obligandi, non liget, fictio tamen illa nonnunquàm erit peccatum mortale, quando scilicet alicui notabiliter nocet, aut nocere intendit, ac vinculum restitutionis inducet.

Difficultas restat an jam explicata simplex promissio

secundùm se obliget sub peccato mortali ad suî impletionem, aut tantùm sub veniali. Quidam volunt esse tantùm peccatum veniale non implere simplex promissum, quia ex genere suo nihil aliud est quàm mendacium, quod ex genere suo non est mortale, nisi aliquid perniciosum aut charitati contrarium admisceatur, unde est tantùm obligatio antidoralis secundùm honestatem, ac veracitatis et fidelitatis virtutem. Sic D. Thomas, 2-2, q. 88, art. 5, dicit hominem homini obligari ex quâlibet promissione naturaliter. Et q. 110, art. 3, ad 5, docet eum qui non adimplet promissum, infideliter agere, eò quòd animum mutat frangitque fidem datam. Alii docent ex justitiâ et ex genere suo obligare sub mortali. Nam ex justitiâ commutativâ tenemur reddere debitum; postquàm autem aliquid promissum est alicui, jam est ipsi debitum, quia promissio est cum obligatione ad alterum, cui fit et datur fides. Ergo, nisi rei promissæ parvitas excuset, erit peccatum mortale, non implere promissum. Deinde promissio in re gravi, quæ fit coram notario et testibus, ut omnes fatentur, obligat ex justitiâ et ad mortale; atqui ista formalitas non addit novam aut majorem obligationem, sed solùm probat jam contractam, nec mutat, neque à parte rei variat naturam promissionis, sed tantùm reddit eam solemniorem et validiorem in forensi judicio, non autem in foro conscientiæ; ubi obligatio oritur ex fide datâ et acceptatâ, quod æquè convenit promissioni nudæ et simplici, ut patet. Ergo, etc.

Dico tamen id totum pendere ex intentione promittentis. Si enim intendat se obligare graviter, ac conferre promissario jus justitiæ ad rem promissam, vera est secunda sententia, quia sicut in potestate hominis est donare, ita et velle se obligare civiliter et ex justitiâ ad dandum. Et tunc promissum erit debitum legale. Atqui magni momenti debitum legale absque causâ non solvere, est peccatum lethale, ut patet. Ergo tunc obligatur sub mortali. Quando verò promittens solùm intendit se obligare moraliter ex honestate, fidelitate, benevolentiâ, gratitudine, etc., prout frequentiùs contingit et est in usu apud homines, nisi aliud exprimant, tunc promittens peccat solùm venialiter, et vera est prima sententia, quia hujusmodi obligatio non inducit simpliciter necessitatem, nec constituit debitum legale, sed morale duntaxat. Unde quando ex omissione adimpletionis, nullum aliud promissario provenit damnum, quàm carere promissâ re etiam notabili, tunc promittens committit culpam venialem tantùm eò quòd violatio fidei datæ non opponatur justitiæ, sed virtuti veracitatis et fidelitatis. Hinc communiter homines dùm aliquid promittunt ex animo se obligandi sub mortali et ex justitiâ solent promissionibus adhibere juramentum, aut testes, aut scripturam. Nisi ergo ita faciant, aut exprimant, aut intendant, nolunt se obligare, nisi tantùm moraliter et ex honestate. Cujus signum est, quòd plerique non promitterent, si putarent se remanere obligatos sub mortali ad implendum promissum. Item quòd si requirerentur ut promissionem juramento, aut scripto confirmarent, aut coram notario, et testibus, aut stipulatione illam muuirent, id omninò facere recusarent; quia, scilicet nolunt se graviter ex ustitiâ, sed tantùm consuetâ honestatis moralis et veracitatis virtute obligare. Et quia promissio fit cum deliberatione et animi proposito, breviter explicandum est, in quo differant inter se. Sciendum est igitur quòd deliberatio est actus rationis deliberantis et consultantis utrùm expediat, necne, aliquid facere et promittere. Nudum verò propositum est actus voluntatis procedens ex deliberatione de solâ convenientiâ rei faciendæ; mens siquidem nostra videtur communiter sic procedere in promittendo, scilicet, quòd primò obicitur menti consideratio alicujus rei faciendæ, deinde præmissâ consultatione intellectûs utrùm id sit conveniens necne, concludit ratio id expedire, et voluntas approbat; sicque per utramque potentiam suo modo statuitur illud esse faciendum; et hìc existit jam nudum propositum.

Promissio verò procedit ex deliberatione acceptandæ obligationis, sibique illius imponendæ, quæ ex decreto et determinatione faciendi proveniat. Itaque dicendum est tunc aliquem promittere, quando intellectu et voluntate adeò firmiter statuit, se in gratiam alterius aliquid facturum, ut deliberatè etiam velit, ex tali decreto, obligatus manere ad illud faciendum, sibique hanc privatam legem imponat. Quod dupliciter fieri potest, scilicet vel cum expressâ quâdam notitiâ habitâ ab illo qui eruditè totam hanc promissionis naturam expressè intelligit et vult; vel in confuso, nempe cùm quis ita statuit aliquid facere, ut velit se obligare modo quo alii qui verè promittunt, etiamsi ignoret promissionis naturam; quia tunc in virtute et implicitè vult se obligare. Idem dicendum de eo qui, conscius obligationis, habuit veram promittendi voluntatem, et tunc dùm promittit illius obligationis non recordatur, si tunc fuerit suî compos, aut illud decretum antea non retractaverit, quia virtute et implicitè voluit obligari; ut si quis deliberatè incipiat cæremonias ad professionem religiosam prævias cum vero profitendi animo, quamvis tempore professionis, non haberet plenam deliberationem et advertentiam propter animi perturbationem, aut attentionem ad alia, valeret professio; ob scilicet deliberationem virtualem, quâ vota sunt volita in seipsis, nisi tunc amens aut ebrius aut suî non compos, aut dormiens vota emittat, eò quòd voti tempore foret incapax actûs humani eliciendi, et censetur suspensa prior illa voluntas virtualis.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE VOTO.

Navarrus observat ex concilio Coloniensi, illum assumere nomen Dei in vanum, non solùm qui per eum malè jurat, aut benè juratum malè implet, sed etiam illum qui malè vovet, aut quod benè vovit, malè implet. Ideò post juramentum, de voto agendum est: hæc enim duo magnam habent affinitatem et connexionem, ita ut quæ de juramento dicuntur, possint ac debeant proportionaliter voto applicari, et è contra; ac in utroque dispensatio, commutatio, irritatio et rela-

xatio fiant ratione materiæ, ut docet D. Thomas, 2-2, q. 89, art. 9. Tamen quantùm ad propositum spectat, differunt primò ex parte objecti, quia votum fit soli Deo : juramentum verò et Deo et homini fieri potest, ac frequentiùs fit homini. Secundò, ex parte materiæ, quia propria materia voti est bonum supererogationis : materia verò juramenti est etiam bonum de necessitate salutis, ut reddere debitum, servare fidem, et universaliter quodcumque licitum : ita tamen quòd non ponatur obex Spiritui sancto, jurando quidem licitum, sed majoris boni impeditivum. Tertiò ex parte dispensationis, nam in votis dispensandis seu commutandis attenditur id quod magis est acceptum, et gratum Deo : in juramentis autem oportet respicere ad præjudicium hominis, cui et in cujus favorem factum est, eò quòd juramentum fiat homini, et votum Deo. Hinc fit quòd cùm papa sit Dei vicarius, potest in voto dispensare, et in aliquid aliud ei magis gratum commutare; quod nequit homo privatus spirituali carens auctoritate facere : è contra verò homo, cui juramento promissa est certa quantitas pecuniæ, potest tale juramentum relaxare : secùs verò papa in ejus præjudicium, quia iste est dominus rei suæ; secùs verò prælatus. Ita benè Cajetanus, 2-2, q. 89, art. 9.

D. Thomas q. 89, art. 5, ad 1, dicit *aliam rationem esse de voto et de juramento. Nam per votum aliquid in Dei reverentiam ordinamus : unde ex hoc ipso fit Religionis actus. Sed in juramento è converso reverentia divini nominis assumitur ad promissi confirmationem : et ideò illud quod juramento confirmatur, non propter hoc fit actus Religionis, quia actus morales species sortiuntur secundum finem.* Hinc videtur inferre quòd licet juramentum non sit per se appetendum, nec frequentandum, benè tamen votum, de quo agit, 2-2, q. 88, per duodecim articulos. Hîc autem explicabimus primò, essentiam et divisionem votorum, examinando voti materiam propriam, intentionem, deliberationem ac libertatem voventis, conditiones voto appositas, differentiam inter votum solemne ac votum simplex, naturam voti religionis et castitatis, etc.

Secundò agemus de obligatione voti, quomodò sciicet et quo tempore obliget, an etiam obliget quando ejus materia reddita est impossibilis, ut si post votum simplex castitatis, vovens nupserit, etc.

Tertiò de votis emissis ab iis qui sunt alterius potestati subjectis, ac de eorum irritatione, nempe de votis filiorum, uxorum, religiosorum, servorum, etc. Quartò de votorum dispensatione et commutatione : an papa in voto solemni possit dispensare, etc

ARTICULUS PRIMUS.

De essentiâ et divisione voti.

Votum definitur : *Promissio deliberata, Deo facta de meliori bono.* Ita communiter auctores cum D. Thomâ in hâc quæstione 88, art. 1 et 2. Explicantur singulæ particulæ hujus definitionis.

Promissio tenet locum generis, et per hoc significatur quòd ad votum non sufficit simplex desiderium, aut etiam propositum ac deliberatio aliquid faciendi, nisi accedat animus se obligandi, seu nisi de facto aliquis voluntariè se obliget ad aliquid faciendum, se dimittendum. Obligat autem se homo homini ad aliquid per modum promissionis, quæ est rationis actus ad quam pertinet ordinare. Sicut enim homo imperando vel deprecando ordinat quodammodò quid sibi ab aliis fiat, ita promittendo ordinat quid ipse pro alio facere debeat. Sed promissio quæ ab homine fit homini, non potest fieri nisi per verba, vel quæcumque exteriora signa ; Deo autem potest fieri promissio per solam interiorem cogitationem, quia, ut dicitur 1 Regum : *Homo videt ea quæ patent, sed Deus intuetur cor.* Exprimuntur tamen quandoque verba exteriora, vel ad sui ipsius excitationem, vel etiam ad alios contestandum, ut non solùm desistat à fractione voti propter timorem Dei, sed etiam propter reverentiam hominum, unde in promissione perficitur ratio voti. Ita D. Thomas. Sufficit autem quòd promissio implicitè fiat; qui enim recipit sacros ordines, hoc ipso promittit castitatem, cùm tale votum ex Ecclesiæ intentione ac institutione sit illis annexum : ideòque inhabilem reddit ad matrimonium eum qui voluntariè ordinatur; et quicumque consentit et vult ordinari, censetur velle istud votum emittere, ac eam inhabilitatem suscipere, etiamsi expressè non promittat, sed solùm virtualiter.

Dicitur *deliberata*, quia, ut ait D. Thomas, promissio procedit ex proposito faciendi : propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cùm sit actus voluntatis deliberatæ. Unde ad votum tria ex necessitate requiruntur : primò quidem deliberatio; secundò propositum voluntatis; tertiò promissio, in quâ perficitur ratio voti, quia votum inducit obligationem : nullam autem inducit propositum simplex, ejusque natura est variabilis; benè tamen promissio, ut supra ostensum est. Primò igitur homo deliberat et cogitat an velit et sit sibi expediens emittere votum, et quodnam; postea proponit se illud facturum, et se determinat ad promittendum Deo. Tandem de facto promittit Deo id quod deliberavit et proposuit. Et tunc est votum, sive homo interiùs dicat : *Deo voveo, promitto, sive me obligo;* sive nihil dicat, sed ostendat Deo verum animum quem habet, se ex tunc ad aliquid obligandi. Cùm enim votum, sicut et juramentum promissorium, sit quædam privata lex quâ quis se Deo obligat, requirit in eo plenam et perfectam deliberationem ejus ad quod se obligat : hîc autem censetur plena et perfecta consideratio et deliberatio, quæ sufficit ad mortale in materiâ peccaminosâ, etiamsi brevissimo tempore fiat : cùm enim sit actus intellectùs, potest citissimè perfici, dummodò ratio advertat et liberè consentiat. Nec est sufficiens indicium quòd ratio non fuerit libera, defueritque perfecta deliberatio, ex hoc quòd voventem statim voti pœniteat. Nam homo facilè mutare potest mutatis circumstantiis. Verùm de his magis infra.

Facta Deo. Nam votum est actus religionis : religio verò est virtus moralis quâ Deum honoramus et colimus, tanquàm primum principium à quo sumus et in quo vivimus, ex D. Thomâ, art. 5, in corpore. Et ad 3 concludit quòd votum fit soli Deo. Quando au-

tem aliquid vovetur sanctis vel prælatis, ita intelligendum est, ut ista promissio cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod sanctis vel prælatis promittit, vel quatenùs facit votum coram ipsis tanquàm testibus ad majorem reverentiam; vel tanquàm intercessoribus ad consequendum id propter quod obtinendum, facit votum: ideòque talis debet esse mens voventis ut illam gratiam principaliter à Deo speret obtinere, intercedente sancto illo.

De aliquo meliori et majori bono; seu voti materia talis esse debet ut non solùm sit aliquid bonum absolutè, sed etiam melius et Deo gratius, quàm ejus oppositum: si enim talis sit materia ut impediat majus bonum, ut est votum nubendi, quod est impeditivum operum consilii, et est minus bonum quàm servare castitatem, aut ingredi religionem, non est apta voto, quia materia voti debet esse aliquid gratum Deo: id autem est Deo gratum, quod est melius, quàm ejus oppositum; non enim acceptat Deus promissionem et obligationem sibi factam rei impedientis suum majus obsequium. Licet igitur id quod vovetur semper optimum, aut solùm consilii opus esse non debeat, debet tamen majoris esse virtutis officium, quàm ejus contrarium. Hanc voti definitionem exactiùs explicabimus in sequentibus; ex eâ enim benè intellectâ facilè resolvi possunt omnes casus particulares de istâ materiâ in praxi occurrentes, proindeque præ oculis tanquàm regula generalis semper est habenda, quoties supervenit dubium an aliquid sit votum, et an obliget.

Votum aliud est personale tantùm, puta dùm quis opus vovet quod à personâ solùm impleri potest, v. g., castitatem, ingressum religionis, etc. Aliud reale, quando scilicet vovetur sola res, nihil ad personam voventis referens, ut eleemosyna. Tandem aliud mixtum ex utroque, nempe dùm quis rem et personæ officium simul Deo promittit, ut si voveat peregrinationem Lauretanam ad propriis manibus offerendum B. Virgini aliquod munus. Rursùs votum aliud est temporale, quod scilicet ad certum tempus, v. g., ad annum, solummodò durat et obligat. Aliud verò perpetuum, quod nempe durat per totam voventis vitam, ut est votum castitatis simpliciter emissum. Item votum aliud est conditionale, ut dùm apponitur conditio à cujus impletione obligatio pendet, ut dùm quis promittit Deo se ingressurum religionem, aut aliquid ei oblaturum, si ab infirmitate sanetur, aut ab imminenti periculo liberetur: quandoque etiam apponitur certa pœna si non servetur, ut si quis dicat: Voveo jejunium in pane et aquâ tribus diebus observandum, si inebriatus fuero; tunc secutâ ebrietate, ad tale jejunium obligatur; secùs verò si vitet ebrietatem, dummodò votum sit pœnale simplex; nam si voveat se non inebriaturum sub pœnâ jejunii, tunc ex vi voti tenetur vitare ebrietatem, quia censetur includi votum absolutum non se inebriandi, et præterea votum conditionatum jejunandi suppositâ ebrietate. Aliud verò votum est omninò absolutum, quando quis vovet simpliciter aliquid absque conditione et pœnâ appositâ. Et talis tenetur votum adimplere quàmprimùm commodè potest. Tandem aliud est votum simplex, aliud solemne, quod scilicet emittitur tacitè vel expressè in aliquâ religione approbatâ; vel quod est annexum ordini sacro, unde generaliter dicitur votum simplex, quod non est solemne. Hæc omnia explicabuntur in sequentibus.

§ 1. *De materiâ voti.*

D. Thomas, hìc art. 2, statuit principium istud, ex quo cætera ad materiam voti spectantia deducit, nempe quòd promissio est alicujus quod quis pro aliquo voluntariè facit: non enim esset promissio, sed comminatio, si quis diceret se contra aliquem facturum. Similiter vana esset promissio, si quis alicui promitteret, id quod ei non est acceptum, et ideò cùm omne peccatum sit contra Deum, nec aliquod opus sit Deo acceptum, nisi sit virtuosum, consequens est quòd de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debet fieri votum, sed solùm de aliquo actu virtutis. Ea igitur quæ in omnem eventum sunt bona, sicut opera virtutis et alia bona, absolutè possunt cadere sub voto: et è contra ea quæ in omnem eventum sunt mala, sicut ea quæ secundùm se sunt peccata, nullo modo possunt cadere sub voto: ea verò quæ sunt quidem bona in se considerata et secundùm hoc possunt cadere sub voto, quia tamen possunt habere malum eventum, tunc in hoc casu non sunt observanda, prout accidit in voto Jephte, Judicum 11. Quem tamen excusat S. doctor.

Sed quia votum promissionem voluntariam importat, necessitas autem voluntatem excludit, id quod est absolutè necessarium esse vel non esse, nullo modo cadit sub voto: stultum enim esset, si quis voveret se non moriturum, vel se non esse volaturum. Illud verò quod non habet absolutè necessitatem, sed necessitatem finis, puta quia sine eo non potest esse salus, cadit quidem sub voto in quantum voluntariè fit, non autem in quantum est necessitatis. Illud autem quod neque cadit sub necessitate absolutâ, neque sub necessitate finis, omninò est voluntarium, et ideò hoc propriissimè cadit sub voto. Hoc autem dicitur esse majus bonum in comparatione ad bonum, quod communiter est de necessitate salutis. Ideò propriè loquendo votum dicitur de esse majori bono. Hactenùs D. Thomas. Ex quâ doctrinâ benè intellectâ facilè colligitur, quænam materia sit apta voto; inprimis enim colligitur quòd cùm materia voti sit solummodò bonum aut sub præcepto, aut sub consilio divino contentum, alienum est à materiâ voti omne opus in se illicitum. Ut si quis voveat occidere aliquem, aut dicere mendacium jocosum, utpote non gratum nec acceptum Deo, votum tunc est peccatum sacrilegii mortale, si cadat supra opus mortale, ob maximam injuriam quæ Deo irrogatur, quæ malitia est in confessione explicanda. Nisi ergo vovens non advertat aut ignoret inculpabiliter opus esse de se pravum, lethaliter peccat. Vel enim habet animum implendi, v. g., homicidii votum, et sic mortaliter peccat, tum propter illam malam voluntatem; tum etiam quia illud homi-

cidium habet ut necessarium ad benè vovendum, et per votum firmat suam voluntatem ad tale facinus perpetrandum. Si verò non habeat intentionem occidendi, tunc excusatur quidem ab homicidio, non tamen à culpâ ex suo genere gravi, dùm profitetur rem quam Deus execratur, esse illi gratam; quod est non parva blasphemia, et peccatum irreligiositatis.

An autem vovere opus solùm veniale, ut verbum otiosum, mendacium jocosum, sit etiam peccatum mortale? Videtur quod sic, quia scienter Deo attribuit quod ei non convenit, nempe acceptare et gratum habere veniale peccatum : sicque est blasphemia quædam, ac gravis injuria Deo irrogata. Item quia non minùs repugnat divinæ bonitati acceptare votum de peccato veniali, quàm divinæ veritati, attestari leve mendacium in juramento. Atqui in hoc juramento falso committitur peccatum mortale. Ergo similiter et in isto voto. Secùs verò dicendum, si iste vovens crederet hæc vota Deo displicere sicut peccata venialia; et nihilominùs credens votum valere, aut saltem quòd valeat quantùm valere potest, faciat hujusmodi vota. Nam tunc venialiter tantùm peccat, excusante illum ignorantiâ communi, et existente intentione non malâ, sed promissione stultâ. Ita Cajetanus in Summâ, v° *Votum;* potest etiam talis vovens excusari à mortali, per surreptionem et naturalem inconsiderationem, aut quia non advertit ad id quod facit, an Deo promittat, necne : aut saltem non advertit per illam promissionem stultam protestari tale opus esse gratum et acceptum Deo.

Verùm opinio communior sentit hunc voventem peccare venialiter duntaxat, quia in hâc materiâ levi, nonnisi levis irreverentia adesse censetur, etiam respectu Religionis. Item quia implere hujusmodi votum, est veniale tantùm; ergo et illud emittere. Item jurans se facturum aliquod opus veniale, peccat solùm venialiter. Ergo etiam illud vovens. Tandem quia quando Petrus, v. g., dicit Joanni : Voveo et promitto Deo mentiri in gratiam tui, ordinariè nullam habet intentionem divini cultûs vel Deo promittendi, sed comminandi, vel promittendi Joanni, vel explicandi suam voluntatem : nominat autem Deum ut fidem suis dictis conciliet. Quare magis eum adducit in testem, quàm ut personam cui fit promissio stulta.

Omnes tamen conveniunt quòd si vovens probè sciens et advertens se attribuere Deo quod ipsi non convenit, nempe acceptare hujusmodi votorum vincula, et tamen hæc vovere velit, intendens ut Deo placeret tale opus, tunc foret blasphemia, et peccatum mortale. Quæ autem in hoc corollario hactenùs dicta sunt de opere malo secundùm se et ex objecto, proportionaliter applicanda veniunt voto facto ob malum finem, nempe quòd est peccatum mortale contra Religionem, quando finis est mortalis : veniale verò, si finis fuerit solummodò venialis.

Pro cujus intelligentiâ, Cajetanus in Summâ, v° *Votum*, § 2, notat vota hæc illicita pluribus modis fieri posse, primò promittendo Deo opus bonum vetitum malo fine. Ut si quis voveat dare eleemosynam propter vanam gloriam. Et ob hunc malum finem opus bonum redditur malum, fitque materia indebita voti, ex quo malus finis eam ingreditur. Non enim vovetur solummodò eleemosyna, sed totum istud, nempe dare eleemosynam propter inanem gloriam, sicque votum est nullum, et peccatum mortale aut veniale, juxta prædicti finis qualitatem. Secundò promittendo Deo licitum ob illicitam petitionem obtinendam; ut si quis voveret Deo offerre centum nummos ad hoc ut posset occupare civitatem non suam, aut obtinere victoriam injustam, etc. Et tale votum est nullum, potiùsque est blasphemia quàm votum, cùm id sit facere Deum auctorem, seu patronum criminis, et votum ad illum malum finem tanquàm medium assumatur, qui proinde est pars objecti nempe, eleemosynæ promissæ, illudque reddit formaliter malum : unde censetur votum rei malæ et peccaminosæ, quatenùs promissum bonum ordinatur, quasi effectivum et impetrativum mali.

Tertiò, promittendo Deo licitum pro objecto illicito, quasi in recompensationem et gratiarum actionem; ut si quis voveret Deo vas argenteum pro obtentâ uxore alienâ ad concubitum, aut pro partâ victoriâ injustâ, ita ut obligatio promissa ordinetur ad malum, quasi recompensativam pro gratiarum actione. Et tunc nullum est votum; imò potius est blasphemia cùm Deum agnoscat auctorem mali.

Quartò promittendo licitum pro petitione licitâ, ex causâ tamen turpi pendente, ut si quis habens concubinam, voveat Deo centum aureos, si filium ex eâ sibi concesserit. Ita quòd beneficium optatum, sit nativitas filii, non verò illicitus concubitus, nullaque sit relatio et ordinatio boni ad malum, neque ad Deum. Tunc istud votum est validum et obligat, si conditio impleatur, nempe si nascatur filius, quoniam votum non cadit super illicito coitu, sed super dono filii, præsupposito illo concubitu : et in hoc ac similibus casibus vovetur res bona et à Deo, sine ordine ad actum et finem turpem : sed tantùm supposito quòd ille actus exerceatur, est ordo ad bonum effectum, nempè filii productionem. Quintò promittendo licitum, non pro aliquâ petitione obtinendâ, sed purè conditionaliter apponendo eventum illicitum, ut si quis voveat se ingressurum religionem, si committat adulterium, ad hoc ut caveat ab adulterio, vel ut pœnitentiam agat de adulterio, vel absolutè intendit in tali eventu se obligare ad tale votum. Et hujus modi vota sunt verè vota conditionalia, ac obligant adveniente conditione; et non aliàs. Hactenùs Cajetanus in utraque Summâ.

Colligitur insuper ex doctrinâ D. Thomæ jam relatâ, vota quæ repugnant divinis consiliis, seu quæ sunt de rebus impedientibus opera consilii, non esse valida. Ut si quis voveat non ingredi religionem, mutuum non dare, non fide jubere, non elargiri eleemosynam, etc., non esse valida. Quamvis enim quis licitè possit omittere opera consiliorum, non ingredi religionem, etc., non tamen potest ad illis opposita voto se adstringere,

cùm votum debeat esse de meliori bono, ut supra ostensum est; ideòque vota contra consilia evangelica absolutè ut talia, non obligant, nisi in individuo occurreret aliqua circumstantia et necessitas ratione cujus hæc opera forent hîc et nunc respectu talis personæ, meliora bona quàm opposita. Tunc enim votum esset validum. Verùm tunc saltamus extra chorum, opera siquidem relata desinerent esse consilii per comparationem ad hanc personam.

Notat Cajetanus in Summâ, quòd qui de facto vovet illicitum, aut contra consilium, aut indifferens, peccat vovendo, quia abutitur voto. Peccat autem quandoque mortaliter, quandoque venialiter : si enim vovendo non facere ea quæ sunt consilii, habeat animum ita pertinacem, ut intendat obligare se voto, etiam in casu quo consilium acciperet vim præcepti, puta non dare eleemosynam aut non mutuare extremam necessitatem patienti, etc., tunc est peccatum mortale. Item si vovendo hujusmodi vota stulta Deoque displicentia, cognoscit quid facit, nempe quòd Deo tribuit id quod non convenit, et tamen sciens ac prudens adhuc velit hæc vovere, tunc lethaliter peccat; venialiter autem semper peccat vovens quodcumque tale, quia displicet Deo. stulta promissio tam indifferentium quàm oppositorum consiliis, quàm venialium promissio Deo exhibita. Ita Cajetanus.

Colligitur præterea ex D. Thomâ, quòd qui vovit opus indifferens ut tale est, remanens in suâ indifferentiâ, non emittit votum validum, nec obligatorium, cùm careat debito fine, neque sit bonum ac Deo gratum. Secùs dicendum si apponeretur finis honestus, et ex aliquo respectu fieret moraliter bonum vel malum : tunc enim cadere potest sub voto. Pro cujus intelligentiâ sciendum est quòd, ut actus ex genere suo indifferens sit materia voti ex appositione finis honesti, non sat est quòd ex libertate aut falsâ apprehensione operantis in eum finem referatur; sed oportet ut talis relatio prudenter fiat cum fundamento ac proportione alicujus convenientiæ inter tale medium et talem finem : id est, quòd verè ad illum conducat et sit utile, vel proximè, vel mediantibus aliis. Sic non ire, v. g., ad domum Joannis est opus de se indifferens ; sed si in eâ domo verè sit et fiat aliquid mali, seu me attrahens ad malum, puta ludus, aut mulier, etc., tunc non ire ad eam tendit ad bonum; sicque votum de hoc est validum : cessante autem hâc occasione mali cessat obligatio voti. Hoc ipso enim quòd non ire ad domum Joannis, non habet ampliùs rationem cautelæ, seu præservati à periculo, redit in naturam indifferentis. Et sic non est ampliùs materia voti. Ita Cajetanus.

Quando verò relatio in finem est tantùm fundata in falsâ apprehensione voventis, tunc opus indifferens non extrahitur à suâ indifferentiâ, nec est materia voti. Sic, inquit Cajetanus, non nere aut non coquere in die sabbato, nec bonum nec malum morale importat, sed est indifferens : ideòque mulier hoc vovens nihil vovet, etiam si id faciat in reverentiam B. Virginis ; et illam cessationem à nendo in honorem B. Virginis ordinare, nihil est ordinare ; sicut nec ordinare in ejus reverentiam nere ; unum enim non magis ad illius honorem conducit quàm aliud. Secùs dicendum si emitteret votum ab omni opere servili eo die abstinendi, in honorem B. Virginis, ut hâc ratione expeditior foret ad vacandum divinis, sicut in diebus festivis. Vovere rem indifferentem, ut talis est, censetur vana et stulta promissio, quia nec offertur Deo aliquid gratum, neque quod in ejus cultum cedat ; est tamen per se loquendo peccatum veniale duntaxat, quia licet ista materia non sit apta voto, non est tamen directè injuriosa et contumeliosa Deo, solùmque negativè se habet circa honestum finem, seu non apponit bonum finem, nec positivè vovet facere illud opus sine bono fine. Colligitur adhuc ex D. Thomâ, quòd materia voti debet esse in nostrâ potestate; sicque votum de re absolutè necessariâ et impossibili non est validum, cùm impossibilium nulla sit obligatio, et necessitas absoluta tollat voluntarium ad validitatem voti requisitum.

Quando materia voti partim est possibilis et partim impossibilis, vel partim licita, et partim illicita, tunc vovens tenetur adimplere votum quoad partem possibilem, aut licitam, si possit separari ab impossibili et illicitâ ; quia ex regul. juris in 6 : *Utile per inutile non vitiatur*. Et hoc votum censetur factum per modum plurium votorum. Unde qui vovit recitare rosarium flexis genibus, si postea nequeat genua flectere, adhuc tenetur recitare, vel stando, vel sedendo. Item qui vovit peregrinationem pedestrem, tenetur equo, si pedibus eam perficere nequeat. Item qui vovit jejunare per totam quadragesimam, tenetur postea diebus quibus potest, si integrè jejunare non valeat. Nam votum istud complectitur virtualiter singula vota pro singulis diebus, et cadit per se primò super jejunia singulorum dierum, et sic de aliis. Id tamen videtur limitandum, nisi vovens totam materiam simul promiserit per modum unius, vel unam partem dependenter ab aliâ, nolendo se obligare ad unam, quin se obliget ad aliam, ita ut totum per se primò intenderit, partes verò solùm secundariò. Cùm ergo non potuerit se obligare ad partem impossibilem aut illicitam, tunc ad possibilem aut licitam censetur voluisse se obligare. At ille qui duo distincta vota fecit, non per modum unius, quorum unum est principale, et aliud accessorium, tenetur exequi principale, etiamsi nequeat accessorium exequi, ut constat exemplis adductis de recitatione rosarii et de peregrinatione. Si verò principale implere nequeat, non tenetur ad accessorium, nisi aliter constet de illius intentione. Sic qui vovit recitare rosarium flexis genibus, si nequeat orare et rosarium proferre, non tenetur genua flectere per spatium quo durâsset rosarium.

Votum disjunctivè factum de duabus partibus quarum una est apta materia voti, non verò altera, v. g., si quis voveret dare eleemosynam, aut fornicari, non est validum, quia votum sub formâ disjunctivâ reverà factum, æquè cadit super utramque partem, ita ut sit liberum voventi, alteram eligere : in nostro autem

casu obligatio voti cadere nequit supra materiam ineptam. Ergo tunc vovens ad nihil se obligare intendit. Colligitur insuper ex D. Thomâ, quòd licet votum validè fieri nequeat de re absolutè necessariâ, ut de moriendo, de non volando, etc., benè tamen de operibus quæ habent necessitatem finis, seu quæ sunt necessaria ad salutem, ut præcepta legis naturalis aut divinæ : *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, etc., ac præcepta ecclesiastica, audiendi Missam diebus festivis, etc. Ratio est, quia licet ad similia opera de præcepto teneamur, ex suppositione finis, nempè beatitudinis consequendæ, quomodò necessitatem quamdam important, prout tamen subjiciuntur nostræ voluntati, et in particulari à nobis liberè spontèque implentur, consequenter possumus ad ea opera nos arctiori vinculo voti adstringere; sicut, etsi lege naturali et divinâ obligemur ad non furandum, etc., id non impedit quin etiam ad id lege humanâ, et sub gravibus pœnis obligemur. Item qui professionem religiosam emittunt, aut sacros ordines suscipiunt, novo voti vinculo adstringuntur ad abstinendum à fornicatione et adulterio, à quibus tamen lege naturali et divinâ abstinere tenebantur. Item Paulus qui mutuo accepit centum nummos à Joanne potest eidem juramento promittere quòd solvet acceptum, etiamsi aliunde sit ex contractu debitum, volens se novo vinculo ligare. Idem dicendum de voto in nostro casu : unde David volens se hoc modo obligare Deo ,dixit : *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ*. Et colligitur ex D. Augustino serm. 7 de Tempore, 3 de Natal. Domini.

Confirmatur : qui enim vovet rem aliunde sub præcepto cadentem, non id facit, quia plus tribuat voluntati suæ, quàm legi divinæ, sed ut firmiùs ac diligentiùs per præceptum quasi murum, ac per votum, quasi antemurale, se tueatur ac defendat contra hostium impugnationes, et fideliùs persolvat debitum Deo.

Cæterùm cùm obligatio voti sit distincta ab obligatione præcepti de eâdem re, ac diversæ rationis ; sicut quamvis unicus sit actus, habet tamen duplicem bonitatem, unam scilicet propriæ virtutis, cujus speciei est actus ; alteram verò religionis ratione voti : ita etiam qui non adimplet, unico actu duplex peccatum committit in confessione explicandum, ratione scilicet duplicis malitiæ. V. g., qui vovit castitatem, si postea fornicetur, duplicis est peccati mortalis reus, nempe luxuriæ, contra præceptum naturale : *Non mœchaberis ;* et sacrilegii, contra votum : hæc enim circumstantia mutat speciem.

Et hoc modo interpretandus est D. Thomas quando in 4 Sent. dist. 38, q. 1, art. 2, q. 1, ait, votum singulare quod est de operibus consiliorum habere completè rationem voti ; commune verò, quod scilicet est de operibus præceptorum, non habere completè rationem voti, ejusque fractionem novum peccatum non inducere. Solùm enim docere voluit, quòd opera consilii propriissimè cadunt sub voto, quia solius voti sunt materia, et non præcepti : atverò res præcepta, quamvis verè et propriè cadat sub voto, illius tamen materia non est propria voto, seu voti solius, sed illi, et præcepto communis. Sicut promissio simplex, licet ordinariè et propriissimè de rebus quæ non debentur fiat, potest tamen verè et propriè de rebus aliunde debitis fieri, ut jam ostensum est. Ita votum propriissimè et ordinariè fit de rebus quæ non sunt de præcepto, sed tantùm de consilio, juxta illud Deuteron. 23 : *Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Nihilominùs verè et propriè potest votum fieri, etiam de re præceptâ ; additque Cajetanus quòd effectus voti in hujusmodi necessariis ad salutem, est facere idem alio modo Deo debitum ab ipso vovente : ita ut non fornicari, quod erat debitum solùm, ut erat castitatis, modò est etiam debitum, quia est religionis. Unde si vovens postea fornicatur, non solùm committit peccatum luxuriæ, sed etiam irreligiositatis, agens contra votum. Ergo est ibi vera species voti, non enim circumstantia mutaret speciem, nisi esset ibi ratio essentialis illius speciei. Quando igitur D. Thomas dicit rem necessariam et præceptam non habere propriè et completè rationem voti, id non accipit ex parte essentiæ voti, sed ex parte materiæ voti, etvocat votum communiter, quia obligat ad ea ad quæ communiter homines tenentur ; votum verò propriè, quod obligat ad ea ad quæ alius non teneretur. Ita Cajetanus.

Ledesma tamen, Zumel et alii volunt, quòd omittens Missam audire in die festo incidente in Dominicam, vel jejunium vigiliæ incidentis in quadragesimam, non committat nisi unicum peccatum, quia hæc duo præcepta sunt de eâdem materiâ, et ob idem virtutis motivum. Navarrus tamen in Manuali cap. 11, num. 4, oppositum docet, existimans ex illo duplici præcepto duplicem oriri malitiam. Quidam docent unico actu nos posse diversis præceptis satisfacere, v. g., unico jejunio, satisfieri voto, præcepto Ecclesiæ, et sacramentali pœnitentiæ, ut si quis voveat jejunium quadragesimale, ac eidem imponatur in pœnitentiam. Ita Candidus disp. 25, art. 22, dub. 8, idque probat ex paritate rationis. Nam obligatus ad recitandum officium duplici titulo, nempe ordinis sacri et beneficii, unâ eâdemque recitatione utrique obligationi plenè satisfacit. Item potest aliquis recitare officium, et simul audire Missam, de præcepto. Item quando festum incidit in Dominicam, quamvis ratione utriusque teneamur audire Missam, utrique tamen obligationi per auditionem unius Missæ satisfacimus. Et sic de cæteris (1). Quidquid tamen sit de hoc, unicus actus potest habere duplicem malitiam in confessione explicandam, ratione diversarum obligationum, et virtutum quibus contrariatur.

§ 2. *De libertate sive deliberatione ad vovendum requisitâ.*

Ad essentiam et validitatem voti duo requiruntur primum se tenet ex parte materiæ et objecti, nempe ut res quæ Deo promittitur sit bona et de melior bono, prout jam ostensum est. Secundum se tenet ex parte voventis : nempe ut sit suî compos suique juris,

(1) Hæ quæstiones expensæ sunt in tract. de Legibus.

habeatque veram intentionem promittendi Deo ac vovendi. Si enim solùm verbis exterioribus simulet se vovere, promittendo scilicet aliquid se facturum, absque tamen proposito et animo promittendi, tunc per se loquendo, quantùm est ex vi promissionis, non manet obligatus in foro conscientiæ; et tale votum coram Deo est nullum, cùm sit tantùm fictio voti et promissionis. Peccat tamen mortaliter hujusmodi vovens, quia mentitur in re gravi, facitque Deo parvam injuriam.

Imò dùm constabit Ecclesiæ hujusmodi votum emisisse, nec certis evidentibus signis probabit se non habuisse animum promittendi, cogetur in foro exteriori ad illud adimplendum, quia Ecclesia non judicat de internis, 2-2, q. 5, can. *Humanæ aures*. Neque huic credet etiam juranti se tantùm exteriùs ac fictè promisisse, can. *Per tuas*, de Probationibus. Aliàs enim ingens eveniret perturbatio in Ecclesiâ; hoc quippe modo sponsalia, matrimonia, vota religiosa, aliaque similia facilè eluderentur. In isto igitur casu vovens implere tenebitur, non quidem ratione voti, sed ob præceptum superioris. Unde si non possit aliter quàm apponendo verum animum, et cum verâ intentione, vovendo de novo, benè et licitè implere quod præcipitur: ad hoc poterit saltem in foro conscientiæ obligari, si aliud inconveniens aut peccatum inde non sequatur, quia licet voti emissio per se loquendo sit tantùm de consilio per accidens tamen in nostro casu poterit iste obligari, ob vitandam novam culpam, præsertim supposità priori culpâ et fictione, seu decipiendi intentione, cùm *fraus et dolus nulli patrocinari debeat*. Imò etiam secluso speciali Ecclesiæ præcepto, qui sic fictè promisit, aliquando per accidens tenebitur ad implenda promissa, puta propter injuriam eâ occasione tertio illatam, ut in sponsalibus, et aliis promissionibus humanis, sæpè contingit, vel propter scandalum, vel ob alia. Vide Cajetanum in Summâ, verbo *Votum*, cap. 3.

Qui ibidem ait, quòd emittens votum fallax, nempe intendens quidem verè vovere, sed non implere promissum, verè obligatur, et verum est votum, quia ibi intervenit intentio vovendi, cum promissione Deo factâ de bono illi grato; nec minùs tenetur coram Deo adimplere votum, quàm si vovisset cum intentione servandi promissum; et ex suo iniquo proposito nihil reportat exemptionis à vinculo voti, cui se subjicit. Imò peccat mortaliter sic vovens, et in statu damnationis remanet, quousque adimplere intendat. Ratio est quia tam ex voto verè emisso quàm ex juramento, obligatio adimplendi promissum consequitur tanquàm necessarius et naturalis effectus, nec in potestate ventis illam impedire ne fluat, ut supra ostensum est: idem dicendum de eo qui probè sciens naturam voti et promissionis esse obligatoriam, verè vovet, et promittit; non intendit tamen se obligare, quia tunc velit nolit ex naturali quâdam resultantiâ et consequentiâ, voto adstrictus et obligatus manet.

Additque Cajetanus quòd imperfectio actûs in voto dupliciter invenitur. Uno modo per modum motûs primò primi, quando scilicet promissio Deo facta non est actus deliberatus, sed ex repentino ac indeliberato voluntatis impetu procedit. Et tunc est promissio imperfecta: sicut in tentationibus fidei, vacillatio, absque consensu, non est deliberata infidelitas; et affectus ad occidendum inimicum absque consensu rationis, non est mortale homicidium completè: sic de similibus. Et hujusmodi promissiones votivæ, non sunt verè vota sed inchoationes votorum, ac per hoc non obligant.

Alio modo invenitur imperfectio actûs votivi, ex defectu plenæ ac discussæ deliberationis. Non propterea tamen necessaria est deliberatio, quâ quis cum longâ meditatione et discursu actum discussum concludat, acceptet et eligat, omniaque perpendat ac consideret quæ ex tali operatione provenire possunt: sed ad voti obligationem ea solùm deliberatio necessaria est, quæ sufficit ad constituendum actum deliberatum absolutè, et quæ sufficeret ad peccatum mortale committendum; non enim omne peccatum mortale semper est actus deliberatus ex modo illo deliberandi, cùm constet multa homicidia, sacrilegia, luxurias, etc., committi ex passione absque hujusmodi longo discursu, discussione, meditatione, etc. Vota igitur deliberata absolutè sunt verè vota et obligationem inducunt, quia deliberatio quæ sufficit ad constituendum seipsum servum diaboli per peccatum, multò magis sufficere debet ad se Deo constituendum debitorem per votum. Ratio est quia homo tunc habet libertatem contra dictionis, quâ facere, vel non facere, promittere, vel non promittere possit, eò quòd cognoscat id quod facit et promittit, velitque spontè se obligare, ut ista deliberatio absoluta sufficiat ad constituendum actum humanum seu moralem, ad jurandum, ad contrahendum matrimonium et ad alium quemcumque contractum civilem, ad inducendam obligationem inter homines, ad merendum coram Deo, ad peccandum mortaliter, prout ostensum est contra peccatum philosophicum.

Quia tamen quantùm ad modum vovendi, non intervenit deliberationis modus, vota hæc dicuntur esse minùs plena, utpote quibus plenitudo vovendi, scilicet per exactam discussionem et deliberationem, defuit: et propterea absque difficultate hujusmodi vota commutantur et dispensantur. Hinc fit valere vota quæ fiunt ob metum mali repentini, puta mortis naturalis in infirmitate gravi: aut mortis violentæ, ut in naufragiis, incendiis, hostium invasione, aliisque periculis. Si enim in angustiis constituti, habuerint intentionem Deo se obligandi cognoscentes quid faciebant, seu cogitantes de infirmitate aut periculo, ac de incolumitate obtinendâ per votum, ad illud tenentur, etiamsi in illâ tribulatione ac perturbatione emiserint. Et generaliter votum factum ex metu gravi illato ex causâ intrinsecâ, est validum et obligat, cùm spontaneè fiat à vovente: nemo enim ipsum ad hoc cogit, sed à seipso voluntariè determinatur, quatenùs talem metum sibi injiciens, ex suâ voluntate eligit votum tanquàm medium ad evadendum malum et periculum, quod timet.

Idem dicendum de votis quæ in iracundiâ aliâve passione fiunt: si enim passio ita mentem non obnu-

bilet, ut auferat cognitionem et usum rationis, nec impediat excusetque peccatum mortale, sunt valida et obligatoria. Idem dicendum de votis quæ fiunt ex levitate animi et pronitate ad vovendum, dummodò non procedant ex subreptione et motu subitaneo, absque ullà prorsùs deliberatione, sicut motus primò primi. Moneo tamen deliberationem sufficientem posse fieri in momento temporis quo emittitur ipsum votum, puta si adsit advertentia etiam per imperceptibilem quasi considerationem ac perceptionem convenientis et disconvenientis, ita ut solà prioritate naturæ deliberatio votum præcedat. Vide Cajetanum q. 88, art. 1.

Votum tamen factum ex metu gravi cadente in constantem virum, ab extrinseco proveniente, seu injustè incusso à causâ extrinsecâ liberâ, nempe ab alio homine ad illud votum extorquendum, est nullum. Votum enim, sicut et matrimonium, debet esse liberum, talis autem metus censetur tollere libertatem, et excludere voluntarium perfectum absque admixtione involuntarii, propter quod jure ecclesiastico hujusmodi vota annullantur : esto quòd jure naturæ forent valida, si vovens haberet intentionem verè vovendi et se obligandi. Dixi, *ad extorquendum votum*, quia si metus incutiatur ob alium finem, validum est votum, et in conscientiâ obligat, dummodò vis et metus talis sit quæ usum rationis non alienet; quia in tali periculo constitutus, v. g., invasus à latronibus ad necem aut spoliationem, aut damnatus ad triremes, voluntariè ac spontè, à seipso, nemine cogente, tunc eligit votum tanquàm medium sibi gratum, quo tale periculum evadat, nec metus est causa, sed duntaxat occasio voti.

Quando aliquis certus est se vovisse, dubitat autem an habuerit intentionem vovendi, tenetur ad illud adimplendum, quia probato facto, præsumuntur adfuisse necessaria ad illud, nisi probetur contrarium, et delictum non debet præsumi de vovente, nisi probetur. 2-2, q. 3, cap. *Absit*. Idem dicendmu, quando vovens dubitat an habuerit sufficientem deliberationem, an votum ex metu processerit, aut an ille metus fuerit gravis cadens in virum constantem, quia possessio stat pro voto, quod emissum fuisse constat, solùmque de causâ excusante dubitatur. Item si quis dubitet aut suspicetur se votum non adimplevisse, adimplere tenetur; quia obligatio voti est certa, et satisfactio dubia. Secùs dicendum si fuerit dubium an reverà votum emissum fuerit. Tunc enim possessio stat pro libertate, ideòque non obligat.

Tandem votum emissum per errorem aut dolum versantem circa substantiam et rem promissam, non est validum nec obligatorium, eò quòd tunc promissio non sit voluntaria, cùm nihil sit magis contrarium consensui, quàm talis error. Unde si versetur circa difficultates maximi momenti, notabiliterque existimationem voventis superantes, quibus cognitis, non vovisset, votum censetur involuntarium; ut si quis voveret ire Compostellam falsò putans non longè distare; quando postea comperit longam distantiam, non tenetur. Secùs dicendum, si error solùm contigerit circa accidentarias circumstantias, id est, quæ non sunt magni momenti, nec excedunt notabiliter voventis existimationem; ut si credens Compostellam distare septuaginta leucis, postea comperiret esse distantem centum leucis : iste siquidem error per se loquendo non reddit votum irritum, nisi talis mutatio superveniat, quæ judicio viri prudentis censeatur excepta, puta quia rem promissam quasi in alio statu constituit, ut videatur diversa.

Votum simplex factum per errorem vel dolum circa causam finalem et motivam, non est validum : secùs verò dicendum, si fuerit tantùm circa causam impulsivam. Ratio primi est, quia votum non obligat ultra intentionem voventis; vovens autem censetur sub hâc tacitâ conditione vovisse, si causa finalis subsistat. Ut si quis voveat jejunare per mensem, ut possit sanitatem filio absenti obtinere, non tenetur ad jejunium, si antea filius jam erat mortuus. Item si dùm votum emissum est, causa finalis subsistebat, et tamen postea desiit, cessat quoque obligatio voti. Sic qui vovit non ingredi domum in quâ habitet mulier fornicaria, eâ mortuâ, vel absente, potest ingredi domum.

Ratio verò secundi est, quia causa solùm impulsiva est illa quâ non existente adhuc opus fieret, licet non ita libenter vel celeriter, et eodem modo. Ergo si error circa illam versetur, modò causa finalis subsistat, validum erit votum, ut patet de eo qui vovit peregrinationem Romanam devotionis causâ ad visitanda limina Apostolorum, eamque libentiùs vovit, quia habet Romæ amicum invisendum. Tenetur enim implere votum, etiamsi tempore quo emissum fuit, jam mortuus esset ejus amicus; eò quòd fruitio et visio amici fuerit tantùm causa impulsiva voti, ut suppono.

§ 3. *De conditione appositâ voto.*

Hùcusque explicuimus essentiam et definitionem voti; nunc in isto parag. et sequentibus, ejus divisionem examinamus, incipientes à voto conditionato, dùm scilicet aliquis promittit Deo se aliquid facturum aut daturum in ejus obsequium, non absolutà voluntate, sed tantùm dependenter ab aliquâ conditione honestâ.

Et tunc vovens juxta illam conditionem votum adimplere tenetur, et non aliter. V. g., pater vovit dare imaginem capellæ rosarii, si ejus filius infirmus ab hoc morbo liberetur; non obligatur ad offerendam tabellam, si ex illo morbo mori contingat. Et quidem si vovens plures conditiones apposuerit, nec intendebat se obligare donec omnes implerentur, non tenetur exequi votum, antequàm omnes conditiones evenerint. Si autem de hoc non cogitaverit, nec sciat discernere, tunc unà conditione extante, totius et melius est quòd votum adimpleat. Ratio cur vovens conditionatè non teneatur ad votum, nisi post adventum conditionis est, quia in dispositione conditionali duæ reperiuntur voluntates, vel formaliter, vel virtualiter; una quæ his verbis exprimitur : Volo tabellam B. Virgini offerre, si filius meus convaluerit ab infirmitate. Altera quæ subintelligitur, nempe si filius meus ex eâ decesserit, offerre nolo. Quæ ambæ voluntates sunt inefficaces ac suspenduntur, donec impleatur condi-

tio. Nam illâ conditione adveniente, pater vult et intendit Deo offerre tabellam : et tunc promissio conditionata transit in absolutam, habetque omnes suos effectus : non adveniente verò conditione, non vult nec intendit dare, sicque conditionalis nihil ponit in esse.

Invalidum est votum factum sub conditione contrariâ substantiæ voti, aut rei promissæ ex cap. fin. de Condit. appositis. Ut si quis voveat religionem profiteri sub eâ conditione, ut habeat proprium, aut luxuriosè vivat, aut non teneatur observare regulam, etc. Item nullum est votum factum sub conditione impossibili, ut si quis voveat ingredi religionem, si totam maris aquam biberit, aut cœlum digito tetigerit : quantùmvis hujusmodi conditio in matrimonio aut testamento, pro non adjectâ habeatur, ideòque hujusmodi contractuum valorem non impediat, jure humano ita rationabiliter statuente, Deus tamen tale votum respuit. Quando verò conditio turpis de futuro adjicitur voto, distinguendum est. Nam potest quis ad votum se astringere per modum pœnæ, ut si contigerit eum fornicari, vovet ingredi religionem. Et tunc adveniente fornicatione, tenetur votum exequi, et non antea. Adverte obiter votum pœnale dupliciter fieri posse. Uno modo sub disjunctione, ut si quis promittat se non lusurum, aut si luserit, illâ die jejunaturum. Post ludum, solùm jejunare tenetur, nec propterea fit reus voti ludendo, quia ex vi illius non tenetur vitare ludum, sed tantùm ad jejunandum, supposito quòd ludat alio modo absolutè et determinatè. Ut qui vovet non accedere ad talem feminam sub pœnâ dandi decem nummos pauperibus, tunc si ad illam accesserit reus est voti, et insuper ad eleemosynam promissam tenetur, quia in hoc casu duo vota includuntur : unum scilicet absolutum, non accedendi ad eam feminam ; aliud verò conditionatum, nempe, supposito isto accessu, solvendi talem pœnam.

Potest verò aliquis se voto obligare ad aliquid faciendum sub purâ conditione alicujus eventûs turpis contingenter futuri, et non per modum pœnæ. Et tunc si non dirigat votum ad talem effectum turpem, ut optet evenire, quin potiùs peroptet non fieri, tunc valet votum ; non enim pendet à re turpi, nisi tanquàm a conditione, ut si quis voveat religionem, si Petrus obtineat copulam à tali dominâ, aut si exercitus Turcarum vincat classem Christianorum. secùs dicendum si dirigat votum ad illum malum finem, et effectum turpem à Deo obtinendum. Tunc enim est invalidum, cùm sit de materiâ illicitâ et peccaminosâ.

Votum factum sub conditione necessariò eventurâ, est validum ; ut si quis voveat dare eleemosynam, si sol cras oriatur : talis enim conditio non vitiat nec suspendit contractus, sed pro statim completa habetur. Unde istud votum statim obligat, ac si foret absolutum. Sic vovens castitatem, si sol cras oriatur, statim obligatur ex voto ad servandam castitatem, nisi expressè intenderit se ad eam non obligare ante adventum hujusmodi conditionis.

Quandoque particula *si* non apponitur ad suspendendum consensum, usque ad conditionis eventum, sed apponitur ad determinandum tempus adimplendi votum. V. g., voveo religionem, si pater meus obierit : sensus enim est, voveo ingredi religionem, quando pater meus obierit. Et tunc votum est solùm apparenter conditionale, et reverà absolutum. Vovens sub conditione futurâ non potest aliquid facere, quo, postquàm illa advenerit, ad impletionem voti inhabilem se reddat. Unde qui vovit religionem se ingressurum, si navis quæ brevi expectatur, ex Indiâ venerit, peccat si ante navis adventum contrahat matrimonium, nisi ex communi et probabili famâ constet navem ab hostibus captam, vel naufragio periisse, ac impossibile moraliter appareat conditionem eventuram. Item nisi vovens reservaverit sibi libertatem adimplendi aut non adimplendi ; ista enim intelligenda sunt juxta voventis intentionem, utpote quia ab eâ votum vim obligandi habet. Tandem, si conditio apposita in voto, sit de præsenti vel de præterito, ut : Voveo religionem, si res ita se habeat, aut se habuit, non suspendit consensum voventis, nec efficit hujusmodi votum propriè conditionale, sed est absolutum, si tunc conditio vera sit, sive vovens sciat, sive ignoret conditionem extare : si verò conditio non existat, non valet votum. Ex D. Thomâ in 4 Sent. dist. 29, quæst. unicâ, art. 3.

Votum conditionatum differt à voto verè disjunctivo ; quando enim mens voventis consonat verbis, quia nempe ad neutram disjunctionis partem vult præcisè se obligare, sed ad eam quam elegerit : tunc si utraque sit materia apta voti, debet alterutram eligere : v. g., si vovit dare quotidiè eleemosynam aut recitare rosarium, est votum disjunctivum. Si verò mens illius sit conditionaliter se obligare, nempe se determinatè ligando ad unam, si exequi poterit, et in casu quo nequeat, aut non exequatur, se obligando ad alteram, tunc non est votum verè disjunctivum, sed conditionatum, ut si quis voveat dare decem nummos in eleemosynam, si facultas suppetat : sin minùs, elargiri quinque. Tunc enim non datur voventi electio, sed tenetur absolutè et præcisè ad dandum decem nummos, si potuerit ; sin minùs, ad elargiendum quinque.

§ 4. *De voto solemni et simplici.*

Divus Thomas in hâc quæst. 88, art. 7, ostendit votum solemne effici per susceptionem ordinis sacri, et per professionem religiosam ad certam regulam ab Ecclesiâ approbatam, nec dici solemne per hoc quòd fiat in publico : sic enim potest quidem habere quamdam solemnitatem humanam, sed non solemnitatem spiritualem, et divinam, quam habet etiamsi coram paucis fiat. Unde aliud est votum publicum esse, aliud solemne ; hujusmodi autem solemnitas pertinet non solùm ad homines, sed ad Deum, in quantum habet spiritualem et interiorem aliquam consecrationem seu benedictionem, cujus Deus est auctor, etsi homo sit minister. Votum quippe est promissio Deo facta, unde solemnitas voti attenditur secundùm aliquid spirituale, quod ad Deum pertineat, id est, secundùm aliquam

spiritualem benedictionem vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ, secundo gradu post sacri ordinis susceptionem, ut dicit Dionysius cap. 2 Eccles. Hierarch. Et hujus ratio est, quia solemnitates non consueverunt adhiberi nisi in assumptione novi statûs, et nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei. Non enim solemnitas nuptialis adhibetur, nisi in celebratione matrimonii, quando uterque conjugum sui corporis potestatem alteri tradit. Et similiter voti solemnitas adhibetur, quando aliquis per susceptionem ordinis sacri divino ministerio applicatur; et in professione certæ regulæ, quando per abrenuntiationem seculi et propriæ voluntatis, aliquis statum perfectionis assumit. Solùm igitur voto quo quis totaliter se subjicit divino ministerio seu famulatui, congruit solemnitas, ideòque votum tantùm solemnizatur per susceptionem sacri ordinis et per professionem ad certam regulam; solùmque hujusmodi vota impediunt matrimonium contrahendum, et dirimunt jam contractum, quod est effectus voti solemnis, ut ostenditur 3 p. in Supplem. q. 53, art. 2.

Ubi D. Thomas disertè asserit voti solemnitatem non consistere in consecratione et benedictione externâ et humanâ, sed interiori et divinâ, quâ aliquis assumendo novum statum ordinis sacri, aut professionis religiosæ, actuali quâdam dedicatione et traditione proprii corporis ac libertatis, se in Dei possessionem et dominium transfert, ejusque famulatui totaliter mancipatur, interveniente acceptatione illius qui Dei vices gerit, et adhibitis quibusdam circumstantiis ac cæremoniis exterioribus ab Ecclesiâ institutis et approbatis, quibus significat se talem acceptare traditionem, ita ut hujusmodi persona non sit ampliùs sui juris, sed sub dominio alterius. Et consequenter istud votum jure naturæ et divino, religiosum professum prorsùs inhabilem reddit ad se tradendum alteri per matrimonium, aut faciendum validè et licitè ea opera quæ contrarientur illis quæ vovit, quia jure naturali et divino nemo potest alteri dare, quod suum non est, irritaque est donatio. Clericus verò sacris initiatus, lege tantùm ecclesiasticâ redditur inhabilis ad matrimonium, ratione statûs cui annexa est continentia, prout indicavit Tridentinum sess. 24, de Reformatione, can. 9, ubi distinxit irritationem matrimonii causatam lege ecclesiasticâ in iis qui sacris sunt initiati, ab eâ quæ voto causatur in religiosis professis, ut significaret eam irritationem in illis provenire ab ipsâ naturâ et conditione votorum in professione expressâ vel tacitâ alicujus religionis approbatæ. Verùm hæc fusè à nostris theologis pertractantur in tractatu de Matrimonio, ad quos lectorem remitto, et ad D. Thomam in Supplem. q. 53, art. 2; in 4 Sent. dist. 38, q. 2, art. 1; quodlib. 3, art. 18, et quodlib. 11, art. 2, et opusc. contra retrahentes hominem ab ingressu in religionem, cap. 12.

Duplex autem est voti solemnitas. Una substantialis, et essentialis, consistens in actuali et totali traditione suî ipsius, quam facit professus religionem in manu superioris, et in acceptione quam facit prælatus nomine Dei. Alia verò accidentalis et cæremonialis, quæ consistit in cæremoniis et modis cum quibus illa traditio et acceptatio fit ex statuto Ecclesiæ. Et de hâc tantùm solemnitate locutus est Bonifacius VIII, in sexto, cap. unico de Voto et voti Redempt., quando dixit ex solâ Ecclesiæ institutione esse inventam: secùs verò de primâ et substantiali solemnitate. Ex locis D. Thomæ adductis colligitur esse differentiam essentialem inter votum simplex et solemne, in hoc quòd votum simplex sit tantùm promissio facta Deo; at verò solemne addat supra promissionem, actualem suî ipsius traditionem et exhibitionem Deo, ejusque acceptationem (1).

(1) Sic communiter Thomistæ; at communiùs theologi aliam tenent sententiam cui adhærendum putamus; videtur igitur duo hìc esse accuratè decernenda: 1° Utrùm ex rei naturâ, antecedenter ad omnem Ecclesiæ constitutionem, aliquid habeat votum solemne, ex quo differat à voto simplici, et in quonam illud consistat? 2° Posito quòd nihil tale reperiatur, et quòd sola Ecclesia discrimen instituerit inter votum solemne et simplex, in quo præcisè consistat? Porrò:

Circa primum, quod est hìc præcipuum, nobis videtur, ex naturâ suâ votum solemne non differre à simplici, seu aliis verbis, independenter à lege Ecclesiæ, nullum esse votum solemne. Illudque deducimus 1° ex declaratione Bonifacii VIII, cap. unico, *Quod votum, de voto*, in 6. Interrogatus *quod votum dici debeat solemne ac ad matrimonium dissolvendum efficax*, ac proinde non de solemnitate externâ et accidentali, sed de substantiali, sic respondet: *Nos igitur attendentes quòd voti solemnitas ex solâ constitutione Ecclesiæ est inventa... declarandum duximus illud solum votum dici debere solemne, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem apostolicam approbatis.* Illa verba satis clara sunt, et si quid remaneret ambigui, tollitur per interpretationem Gregorii XIII mox afferendam. 2° Ex exemplo votorum quæ emittuntur in Societate Jesu, à Scholasticis et Coadjutoribus. Cùm declarâsset Gregorius XIII, Const. *Quanìo fructuosius*, 1 februar. 1583: *Omnes et quoscumque, qui in ipsâ Societate admissi, biennio probationis à quocumque peracto, tria vota, tametsi simplicia, emiserint, emittentque in futurum, verè et propriè religiosos fuisse et esse, et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere;* non defuerunt qui contrarium assererent, quorum errorem redarguens idem S. Pontifex in Const. *Ascendente Domino*, 25 maii 1584, hæc ait, ibid. p. 83, n. 5: *Considerantes voti solemnitatem solâ Ecclesiæ constitutione inventam esse, triaque hujus modi societatis vota tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota, ab hâc Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu religionis verè constitui, quippe qui per ea ipsa societati se dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio mancipant.* Ex quibus duplex exsurgit argumentum: 1° Gregorius XIII confirmat ea quæ ex Bonifacio VIII deduximus, cùm adhibeat eadem verba, loquendo sanè de solemnitate substantiali et propriâ, per quam votum solemne differt à simplici. 2° Illa vota declarantur simplicia; et tamen fit ibi traditio et donatio; ergo per illam traditionem non constituitur solemnitas. Equidem illa donatio non est irrevocabilis ex parte societatis, et hæc est ratio cur votum non dicatur solemne; sed est perfecta et irrevocabilis ex parte donantis; ergo si hic applicanda essent quæ dicuntur de contractu donationis, quamdiù durat, deberet irritare matrimonium et conferre voto solemnitatem. Vide Suarez. cap. 7, n. 15-21. 3° Demùm ex ratione: Postquàm homo se obligavit erga Deum ad non utendum suo corpore, ut fit

Ex quo fit votum solemne impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, simplex verò castitatis votum non dirimere matrimonium, si postea qui vovit, illud contrahat; quia non obstante eâ promissione, retinet suî ipsius dominium : proindeque potest validè se alteri per matrimonium tradere, quanquàm lethaliter peccet contra fidelitatem Deo datam.

Tandem, ut ait D. Thomas hîc q. 88, art. 7, ad 1, votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm votum simplex, et graviùs peccat qui illud transgreditur. Dùm autem dicitur quòd votum simplex non minùs obligat apud Deum quàm solemne, intelligendum est quantùm ad hoc quòd utriusque transgressor mortaliter peccat. Religionis perfectio substantialis, et professio religiosa essentialiter consistit in tribus votis solemnibus, paupertatis scilicet voluntariæ, continentiæ, et obedientiæ, ut probat D. Thomas 2-2, q. 186, art. 7, et opusc. de Perfectione vitæ spirit. cap. 11.

Votum paupertatis voluntariæ consistit in liberâ abdicatione bonorum temporalium tam quoad affectum, quàm quoad effectum : quatenùs aliquis aufert à suâ voluntate potestatem licitè possidendi proprium, promittitque in perpetuum sine proprio vivere, quasi mortuus civiliter mundo, ita ut reddatur hoc ipso inhabilis et omninò incapax dominii, possessionis, ususfructûs, imò et nudi usûs proprio nomine et jure, independenter ab assensu et licentiâ prælati. Unde toties peccat graviter monachus professus contra votum, quoties actum proprietarii exercet; quod contingit quando absque saltem tacitâ superioris licentiâ, aliquid sibi acquirit, aut sibi retinet, aut alienat, donatione vel contractu, aut rebus illis utitur inscio ac invito superiore, etc., ut fusè ostenditur in tract. de Justitiâ.

Votum continentiæ perpetuæ consistit in liberâ abdicatione omnium venereorum, auferendo à suâ voluntate in perpetuum potestatem licitè utendi venereis, etiam per matrimonium licitis, ita ut per professionem monachus reddatur inhabilis ad conjugium, et teneatur abstinere ab omni violatione castitatis, tam corde quàm opere; aliàs ultra peccatum luxuriæ, committit peccatum sacrilegii in confessione explicandum.

Votum obedientiæ consistit in renuntiatione et abdicatione spontaneâ et perpetuâ propriæ voluntatis, quatenùs aliquis promittit et vult propter Deum, per totam vitam se submittere superiori præcipienti, adimplendo ejus voluntatem, ita ut totus è superiorum nutu pendeat. Sic fratres Prædicatores tenentur ex voto suæ professionis, castè et sine proprio vivere, regulam ac constitutiones non contemnere; præcepto in regulâ, vel in constitutionibus contento, vel à prælato facto in his quæ sunt secundùm regulam et constitutiones usque ad mortem inclusivè obedire. In his tamen quæ sunt contra præceptum Dei et Ecclesiæ, vel contra regulam, nullus religiosus prælato obedire tenetur. Ita habent constitutiones nostræ dist. 1, cap. 15, textu 1; in quibus autem casibus transgressio obedientiæ apud nos sit peccatum mortale, declaratur ibidem dist. 14, textu 3, in fine. Religiosus ex voto obedientiæ tenetur obedire prælato, non solùm in iis quæ religioni propria sunt, sed etiam in communibus, id est, in his quæ sunt de necessitate salutis, ut docet Cajetanus 2-2, q. 186, art. 5. Tandem religiosus per obedientiæ votum desinit esse sui juris ac libertatis, suæ personæ dominium transfert in religionem, quæ proinde jus acquirit in ipsum et in opera sua, potestque ipsum repetere, reducere, recuperare tanquàm rem suam sibi mancipatam, si recesserit, etc. Unde profitens dat arborem, nempe suam personam, et fructus, nempe opera, illa promittendo.

Votum simplex religionis aut castitatis, aut suscipiendi sacrum ordinem, aut non contrahendi matrimonium, obligat sub peccato mortali propter fidem Deo datam et promissionem illi factam, subindeque peccat vovens si ineat conjugium, quod, licet sit illicitum, non tamen invalidum. Ratio est quia tale votum simplex est tantùm promissio Deo facta proprii corporis ad continentiam servandam : res autem alicui tantùm promissa adhuc remanet sub dominio promittentis, et potest validè quamvis illicitè eam donare alteri. Unde iste vovens validè tradit corpus suum uxori per matrimonium, quamvis peccet lethaliter, etiamsi animo non consummandi illud contraxerit. Tum quia decipit sponsam, eique gravem injuriam facit; tum quia se exponit periculo frangendi castitatis votum, etc. Si quis autem post tale votum feminam illud ignorantem deceperit, sub spe et pacto futuri conjugii obtinendo ab eâ copulam, videtur quòd tunc, non obstante voto, teneatur contrahere matrimonium, si infamia et damnum nequeat aliter reparari; quia obligatio justitiæ videtur in hoc casu præferenda

in quolibet voto, non concipitur quòd aliquid amplius faciat : nam 1° non potest se directè inhabilem reddere ad matrimonium, nisi accedat auctoritas publica, ait Suarez, c. 9, n. 3, quia jus matrimonii ineundi videtur magis jus publicum naturæ, quàm individui, cùm ordinetur ad conservationem speciei. 2° Non potest etiam, mediante donatione Deo factâ; tum quia Deo non potest transferri dominium propriè dictum in corpus, cùm sit supremus omnium dominus, nec quisquam dixerit votum inducere obligationem justitiæ propriè dictæ; tum quia si Deo jus dicatur conferri per votum, jus illud non erit incompatibile cum illo jure quod essentialiter oritur ex matrimonio, ut patet exemplo illius qui, post matrimonium consummatum, religionem amplectitur, ex alterius conjugis consensu. Ergo ex naturâ rei votum solemne non differt à simplici.

Circa secundum duo hæc observare sufficiat : 1° Nullus est ritus specialis in quo consistat voti solemnitas ab Ecclesiâ constituta. Sunt enim vota quæ fiunt absque cæremoniis et benedictionibus peculiaribus, quæ tamen sunt solemnia : quædam è contra ritu valdè publico emittuntur et tamen non reputantur nisi simplicia. Unde ritus externus non constituit nisi solemnitatem accidentalem, de quâ hîc non agimus. 2° Solemnitas voti in eo ergo tantùm sita est, quòd emittatur in religione ab Ecclesiâ approbatâ : cùm igitur religio ipsa constituatur per vota solemnia, ultimatè dicendum est votum solemne illud esse quod tale habetur ab Ecclesiâ.

Vid. Prælectiones theologicas de Matrimonio, auctore Carrière, t. 2, n. 645. (Edit.)

obligationi voti, quando utrique satisfacere nequit.

D. Thomas hîc quæst. 88, art. 3, ad 2, ait, quòd *si illud quod quis vovit, ex quâcumque aliâ causâ impossibile reddatur, debet hoc facere quod in se est, ut saltem habeat promptam voluntatem faciendi quod potest. Unde ille qui vovit monasterium aliquod intrare, debet dare operam, quantùm potest, ut ibi recipiatur. Et si quidem intentio sua fuit se obligare ad religionis ingressum principaliter, et ex consequenti elegit hanc religionem vel hunc locum, quasi sibi magis congruentem, tenetur, si non potest ibi recipi, aliam religionem intrare. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locum propter specialem complacentiam hujus loci vel religionis, non tenetur aliam religionem intrare, si eum ibi recipere nolunt. Si verò incidit in impossibilitatem implendi votum ex propriâ culpâ, tenetur insuper de propriâ culpâ præteritâ pœnitentiam agere. Sicut mulier quæ vovit virginitatem, si postea corrumpatur, non solùm debet servare quod potest, scilicet perpetuam continentiam, sed etiam de eo quod amisit peccando, pœnitere.* Hactenùs D. Thomas; idem docet q. 189, art. 3, ad 2.

Quibus S. doctoris verbis colligitur primò, quòd qui vovit ingredi monasterium aut religionem, debet facere totum quod potest, ut ibi recipiatur, ita ut per ipsum non stet; quòd si adhibitâ sufficienti curâ et diligentiâ, patiatur repulsam à monachis ipsum recipere nolentibus, tunc distinguendum est. Vel enim intendit simpliciter et absolutè vovere ingressum religionis in communi, ita ut intentio illius primaria et principalis fuerit se obligandi ad religionis ingressum, quamvis postea particularem habeat affectum ad hunc vel illum ordinem, aut locum. Et tunc cùm determinatio illius ordinis aut loci, tantùm secundariò et accidentaliter se habeat ad votum, quamvis iste fuerit repulsus ab unâ aut alterâ religione, adhuc tenebitur alias religiones adire, et tentare. Addunt tamen plures auctores, quòd si iste nequeat recipi in monasteriis existentibus in proprio regno, non tenebitur se præsentare aliis extra regnum distantibus ac remotissimis : imò neque tenebitur adire monasteria singula suæ provinciæ; sed sat erit adire diversa monasteria diversorum ordinum in illâ provinciâ aut propè existentia, ex quibus cognoscere poterit quòd in nullo alio reciperetur. Ratio est quia cùm votum sit de possibili morali, ejus obligatio est moraliter sumenda, et in proposito præsumitur vovens non intendisse ad monasteria extra regnum posita se conferre, nisi expressè ad ea se obligare voluerit. Unde, ait Cajetanus : *Adolescentula vel vidua, quæ vovet ingredi religionem, et nullum in terrâ suâ, aut propinquis locis inveniens monasterium quod illam velit, per hoc quòd quiescit patienter, reputans sibi esse ampliùs impossibile quod vovit, satis ostendit facto suo quòd non intendebat se obligare ut iret aut mitteret per mundum quærendo monasteria.*

Subdit Cajetanus quòd si talis vovens non invenit nisi monasteria non reformata parata ad ejus receptionem, ita ut publicè constet quòd non servatur ibi regularis observantia, sed quilibet vivit ad placitum, et reputantur malæ conscientiæ ferè omnes illi religiosi, non tenetur hoc intrare monasterium, ob scilicet periculum perversionis. Secùs dicendum, si ibi viverent fratres cum timore Dei, vitam communem, essentialia ac substantialia religionis servarent, quamvis non ita strictè, ut regula et disciplina exigit, et accidentalia quædam non observarent.

Vel tandem vovit primariò et principaliter ingressum alicujus religionis determinatæ et in particulari, v. g., sancti Dominici. Et tunc repulsus à multis conventibus suæ provinciæ aut regni, si probabilis non fuerit spes quòd ab aliis recipiatur propinquis, non tenetur Gallus, v. g., adire conventus quos ordo habet in Italiâ, Germaniâ, etc., ob scilicet rationem mox adductam; neque intrare monasteria non reformata modo jam dicto, in casu quo non posset alibi recipi ad habitum : benè tamen potest etiam aliam religionem arctiorem intrare ac suscipere, cùm votum non sit impeditivum melioris boni. Idem dicendum si quis voveat determinatè habitum certæ religionis suscipere, principaliter in monasterio existente in tali loco, eò quòd sibi magis congruat, vel ob specialem devotionem, etc. Tunc si ibi nequeat recipi, liber erit ab obligatione voti, nisi repellatur solùm ad tempus : si enim speret alio tempore recipi, tenetur expectare.

An autem qui vovit ingredi religionem, sed ideò non admittitur quia ignorat grammaticam, teneatur illam addiscere, aut suscipere habitum fratrum laicorum, quem religiosi ipsi offerunt, resp. id totum pendere ex intentione quam iste habuit dùm vovit. Si enim tunc bonâ fide credebat eos qui apud istos religiosos choro desserviunt non debere necessariò tenere grammaticam, non obligatur ad eam cum molestiâ et labore addiscendam, neque habitum conversorum suscipere, quem monachi illi offerunt. Secùs dicendum videtur, si crederet grammaticam esse necessariam. Tunc enim aut tenetur illam addiscere, quia implicitè censetur vovisse media quamvis difficilia, conducentia ad finem. Aut si se credebat ineptum ad addiscendum, obligatur ad recipiendum habitum laicalem ipsi oblatum, quia quantùm ad hoc non est illi impossibilis voti adimpletio.

An qui vovit ingredi religionem, possit exire sine peccato? Resp. quòd si iste voverit simpliciter ingredi religionem, cum animo et intentione experiendi illam et cum libertate remanendi, aut exeundi, si talem statum sibi non congruentem judicaverit, tunc ante professionem ex rationabili causâ potest exire absque peccato. Quidam volunt quòd, si intra annum probationis absque legitimâ causâ recedat, peccat quidem in eo quòd temerè et ex animi levitate ab incœpto bono proposito recedat ac desistat, non tamen contra votum, nec facit quod est sibi illicitum, suoque jure utitur, ut colligunt ex D. Thomâ 2-2, q. 89, art. 4. Ibidem tamen ad 3, ait, *quòd ille qui intrat ut statim exeat, non videtur satisfacere voto suo : quia ipse in vovendo, hoc non intendit. Et ideò tenetur mutare propositum, ut saltem velit experiri an ei expediat in religione manere,*

non autem tenetur ad perpetuò remanendum. Debet itaque habere animum experiendi religionem, cùm talis experientia inclinatur essentialiter in isto voto; aliàs non haberet rationem boni. Si tamen voverit ingressum religionis ac in eâ permanentiam et professionem, si aptus ad eam judicetur et admittatur à religiosis, tunc ex vi voti tenetur in eâ perseverare ac profiteri, etiamsi sentiat aliquas difficultates. Siquidem videtur promisisse se illas superaturum, ac renuntiàsse beneficio probationis sibi concesso, adeò ut nisi religio ipsum expellet, nequeat absque dispensatione ad seculum redire. Quam dùm petit, exprimere debet nedùm votum ingrediendi, sed et profitendi, aliàs dispensatio erit subreptitia. Vide D. Thomam loco citato. Vovens qui ita deliquit in eum finem ut non admitteretur in religionem, aut ut semel admissus ac habitu indutus ejiceretur, non modò peccat, sed non est liber in conscientiâ, quia culpâ suâ injustè ac in fraudem voti ea impedimenta apposuit, ut declarat D. Thomas in isto loco quem interpretamur; *culpa enim nulli patrocinari debet.*

Tandem qui vovit ingredi religionem, si postea nequeat recipi aut receptus ac indutus habitu non possit profiteri, sed è monasterio ejiciatur, egressus deinde et in seculo manens, potest matrimonium contrahere ac consummare absque scrupulo, nisi simul cum isto voto habuerit intentionem obligandi se ad castitatem et continentiam perpetuam. Quia, ut inquit Cajetanus, istud votum est formaliter de assumendo statu religioso, et perseverando si religioni placuerit: materialiter autem de observandis tribus votis. Cùm ergo conditio non extet in proposito casu, quia iste rejicitur à monachis, sicut non obligatur ad primum et principale; ita neque ad secundum et accessorium; et cùm ratio formalis quæ sub conditione pendebat, cesset, consequenter etiam votum totaliter cessat. Nec ratio et obligatio hujus voti cadit super castitatem, paupertatem, et obedientiam, nisi per religionis statum, si illum profiteatur, et non aliter.

Hinc fit quòd si ille qui emisit votum religionis habeat copulam cum muliere, dùm est in seculo, aut dùm nondùm emisit professionem, solùm peccatum luxuriæ, non verò sacrilegii committat, cùm nondùm voverit castitatem, sed religionem duntaxat, ut suppono. Item si talis matrimonium contrahat, debitum reddere ac petere potest, cùm nondùm professionem, neque castitatis votum emiserit. Verùm de his magis infra dùm de votis conjugatorum sermo erit.

§ 5. *De voto personali et reali, an possit impleri per alium.*

Votum personale simpliciter factum, non potest impleri per alium: quia ejus materia est actio propria ipsius voventis, ut jejunandi, castitatem servandi, etc. Ideòque si vovens verè effectus sit impotens illud implendi, non tenetur curare ut impleatur ab alio, nisi ab initio, dùm vovit, expressè intentionem habuerit per alium perficiendi, quando per seipsum implere non posset; puta si voveret peregrinationem ad sanctam Balmam, gratiâ honorandi reliquias aut pœnitentiæ locum B. Mariæ Magdalenæ per se vel per alium.

Quando vovens per se ipsum non potest implere votum reale, tenetur exequi per alium, quia materia hujus voti non est actio voventis, sed res, v. g., eleemosyna, quæ per alium à vovente exhiberi potest. At verò votum mixtum, quâ parte est personale, debet per ipsum voventem impleri: quâ parte autem est reale, per alium exequi potest et debet, nisi accessoriè duntaxat factum fuerit. Unde si vovens peregrinationem ad sanctam Balmam ibique offerre calicem, nequeat peregrinari, sufficit quòd promissum calicem mittat. Quòd si tantùm peregrinationem voverit, non tenetur tunc sumptus peregrinationis quos fecisset, eò mittere; cùm hæ expensæ non fuerint promissæ nisi accessoriè ad onus peregrinandi, à quo ob infirmitatem vel impotentiam liberatus est.

Quando vovens moritur non adimpleto voto sive culpabiliter sive inculpabiliter, ejus hæredes non tenentur postea illud votum perficere, si fuerit personale, ut jejunium, castitatem, ingressum religionis, etc., quia materia hujus voti est actio seu officium propriæ ipsius voventis personæ: unde non ligat hæredes, nisi spontè consenserint, et ad id se obligaverint in defectum alterius. Item nisi defunctus voverit mittere certas personas indeterminatas ultra mare ad juvandum fideles contra Turcas pugnantes; verùm tunc votum non est tantùm personale, sed etiam reale. Postquàm tamen hæres adiit hæreditatem, tenetur vota realia defuncti solvere, salvâ legitimâ portione ac juxta vires hæreditatis: quòd si multi fuerint hæredes tenentur ad id singuli pro ratâ hæreditatis. Licet enim tunc hæres ratione voti ad id non teneatur, quia tamen ratione hæreditatis adeptæ obligatur ad defuncti debita persolvenda, consequenter etiam ad ejus votum reale adimplendum ligatur, utpote quod est quid Deo debitum, ut si voverit dare calicem ecclesiæ, facere talem eleemosynam pauperibus, dotare pauperes puellas, etc., ejus hæres ista persolvere tenetur: debet tamen priùs extrahere legitimam, imò et solvere debita ex justitiâ ante extractionem legitimæ, quia legitima non potest sumi nisi ex bonis defuncti: non censentur autem bona illius, nisi quæ deductis debitis justitiæ supersunt. Neque ante extractionem legitimæ hæres tenetur solvere votum, quia vota non sunt Deo grata, neque ab eo acceptantur, quæ fiunt in præjudicium alicujus, qualia sunt ea quæ impleri nequeunt, nisi ex legitimâ filiis, vel aliis debitâ; vota tamen præferri debent legatis etiam piis, quia defunctus tenebatur adimplere vota, non verò solvere legata à se constituta, cùm sint opus supererogationis.

Quando votum est mixtum, hæres non tenetur ad implendum illud quâ parte est personale, sed tantùm quâ parte est reale; si sit æqualiter reale et personale, et defunctus ad utrumque voluerit æqualiter se obligare, ut si voverit ire Compostellam, ibique offerre centum nummos D. Jacobo in oblationem, tunc hæres tenetur summam illam eò mittere, non tamen

hanc peregrinationem suscipere. Ratio est, quia licet actio et obligatio personalis nequeat ad hæredes transmitti, benè tamen hæreditas ac obligatio realis eam afficiens.

Quando verò personale est expressum ac principale, reale autem tantùm tacitum et accessorium, ut si defunctus voverit ire Compostellam, nec expresserit quas expensas in itinere erat facturus, tunc hæres ad nihil obligatur, nempe ad peregrinationis sumptus Compostellam mittendos et insumendos ad alios pios usus, nisi defunctus intendisset talem peregrinationem per alium perficere, in casu quo per seipsum illam exequi non posset. Ratio est quia sublato principali, tollitur accessorium : cùm ergo tunc hæres ad votum personale, quod est principale, non teneatur, nec etiam ad reale, quod est tantùm accessorium, obligari potest.

Parentes qui puerum religioni profitendæ voverunt, non tenentur illum offerre, nec in religionem invitum introducere, nec antèquàm usu rationis gaudeat, ut consensum præbere possit, quia cùm promissio parentùm sit alieni facti ac personæ alterius, tantùm eos obligat ad curandum, ut filius ingredi velit, votumque approbet ac ratum habeat : pendet enim ejus executio à filii voluntate. Nec tenetur in hoc parentibus obedire, tum quia iste ingressus est maximè arduus debetque esse omninò spontaneus, nec est res ad domesticam gubernationem pertinens : tum quia in iis quæ pertinent ad vitæ statum, quilibet debet esse sui juris, ut constat de matrimonio : nemo autem potest promittere quod non est in suâ, sed alterius potestate. Nisi ergo filius verè consentiat interiùs quòd parentes suo nomine tale votum emittant, aut emissum postea confirmet, ad illud non obligatur. Porrò hâc in re aliisve onerosis, taciturnitas filii, pro expresso illius consensu, non reputatur, nisi tunc interno consensu id approbaret.

Vota emissa ab aliquâ communitate, v. g., colendi aliquod festum aut observandi jejunium, etc., obligant etiam successores illius populi qui vovit, non tantùm ratione consuetudinis, si jam sit præscripta, cùm vim legis habeat, nec solùm ex quâdam æquitate naturali et fidelitate, quatenùs scilicet, sicut bonorum communitatis sunt participes, ita et onerum; sed etiam ratione statuti et legis à populo prædecessore latæ, vel ratione pacti, cujus obligatio transit ad hæredes, accedente consensu episcopi circa spiritualia promissa, et præcepto superioris suis subditis imposito, ob bonam reipub. gubernationem. Unde non servantes rem promissam à communitate, peccant contra istud pactum ac superioris præceptum : non tamen contra votum, cùm sit actio personalis, nisi tale votum ipsimet acceptaverint; ad quod videtur communitas eos velle obligare nomine civium tam præsentium quàm futurorum promittendo. Vide D. Thomam 2-2, q. 98, a. 2, ad 4, ubi per fidelitatem, intelligit pactum et legem.

ARTICULUS II.

Utrùm omne votum obliget ad suî observationem.

Suppono expediens ac utile esse aliquid vovere. Ut probat D. Thomas hîc art. 4, ex illo Psal. 57 : *Vovete et reddite Domino Deo vestro.* Illud autem ad quod Deus faciendum nos invitat, est honestum ac expediens. Item hoc discursu, aliâ ratione promittitur aliquid homini, aliâ ratione Deo : homini quidem promittimus aliquid propter ejus utilitatem, non verò Deo, sed propter nostram utilitatem, ut dicit August. Et sicut id quod damus Deo, non est ei utile, sed nobis, quia quod ei redditur, reddenti additur, ut dicit idem Aug., ita etiam promissio, quâ Deo aliquid vovemus, non cedit in ejus utilitatem, qui à nobis certificari non indiget, sed ad utilitatem nostram, in quantum vovendo, voluntatem nostram immobiliter firmamus ad id quod expedit facere. Et ideò expediens est vovere. Nec tamen propterea votum inducit necessitatem coactionis : homo enim vovens remanet liber, et propriâ voluntate et spontaneitate promisit; sed tantùm adducit necessitatem firmatæ voluntatis in bonum. Unde sicut non posse peccare, non diminuit libertatem, ita nec ista firmitas et necessitas, ut patet in Deo, et ut Apostolus ad Rom. 6, loquens de legis obligatione, ait : *Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ*, et ex his verbis D. Aug. : *Felix necessitas, quæ in meliora compellit.* Idem Aug. c. 24 de Quantitate animæ ostendit, animam solis religionis actibus Deique obsequio et famulatu verâ libertate dignam se præbere posse, quia servire Deo regnare est. D. Thomas autem hîc, art. 5, probat votum esse actum latriæ, sive religionis, tum ex illo Isai. 19 : *Colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent;* tum quia ipsa ordinatio actuum cujuscumque virtutis in servitium Dei, et proprius actus latriæ; cùm autem votum sit promissio facta Deo; quæ nihil aliud est quàm ordinatio quædam ejus quod promittitur in eum qui promittitur, nempe in divinum cultum et obsequium; vovere est propriè actus religionis, quandoque solùm imperantis, ut dùm vovetur aliquid quod est alterius virtutis, v. g., jejunare, etc., quandoque etiam elicientis ac ratione rei promissæ, ut orare, vel offerre sacrificium, etc. Id est, votum pertinet aliquando ad religionem ratione solius promissionis Deo factæ, quæ est essentia voti; quandoque etiam ratione rei promissæ, quæ est voti materia ad cultum divinum spectans. Idem D. Thomas, art. 6, triplici ratione probat quòd facere idem opus cum voto, est melius et magis meritorium, quàm facere sine voto, primò quia actus inferioris virtutis est melior et magis meritorius ex hoc quòd imperatur à virtute superiori, cujus actus sit imperium; sicut actus fidei vel spei melior est, si imperetur à charitate; sic etiam actus aliarum virtutum moralium, puta jejunare, quod est actus abstinentiæ, et continere, quod est actus castitatis, sunt meliora et magis meritoria, si fiant ex voto; quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia, et sunt actus à virtute religionis imperati, quæ est præcipua et nobilior inter virtutes morales. Secundò quia ille qui vovet aliquid et facit, plus se Deo subjicit, quàm ille solùm facit absque voto; subjicit enim se Deo, non solùm quantùm ad actum, sed

etiam quantùm ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere, sicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret ei fructus tantùm, ut dicit Anselmus lib. de *Similitudinibus*. Et inde est quòd etiam promittentibus gratiæ aguntur; in quantum enim se obligant ad dandum, jam quodammodò dant, sicut dicitur fieri aliquid dùm ejus causa fit, quia effectus virtute continetur in causâ. Tertiò quia per votum voluntas immobiliter firmatur in bonum; facere autem aliquid ex voluntate firmatâ in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis juxta Philosoph. lib. 2 Ethic., sicut etiam peccare mente obstinatâ, auget peccatum et dicitur peccatum in Spiritum sanctum.

Sequitur ex dictis hactenùs quòd expediat aliquid vovere absolutè loquendo, abstrahendo à conditionibus singularum personarum; non enim nisi cum maturo consilio ac omnibus ritè pensatis vovendum est, neque refert quòd nullus debeat se periculis injicere, qui autem vovet se periculo peccandi injiciat, si non servet quod promisit; non refert, inquam; ut enim ait D. Thomas hìc art. 4, ad 2, *quando periculum nascitur ex ipso facto, tunc factum illud non est expediens, puta quòd aliquis per pontem ruinosum transeat. Sed si periculum immineat ex hoc quòd homo deficit ab illo facto, non desinit propter hoc esse expediens, sicut expediens est ascendere equum, quamvis periculum immineat cadenti de equo; alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quæ etiam per accidens ex aliquo eventu possunt esse periculosa. Unde dicitur Eccles.* 11 : « Qui « observat ventum, non seminat, » etc. *Periculum autem voventi non imminet ex ipso voto, sed ex culpâ hominis, qui voluntatem mutat transgrediens votum. Unde August. dicit* : « Non te vovisse pœniteat, imò gaude « jam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento « licuisset. »

Dico votum emissum ab eo qui vovere potest, et est de materiâ licitâ, habetque alia requisita ad validitatem, sub præcepto et peccato ad suî observationem obligare. Ita D. Thomas hìc art. 3, et communiter auctores. Prob. ex Script. Eccles. 5 : *Quodcumque voveris redde; multòque melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere;* Psalm. 75 : *Vovete et reddite Domino Deo vestro*. Primum est consilii, ut dicit Glossa ibid.; sed secundum est præcepti; ut enim ait Aug. : *Vovere est voluntatis, sed reddere, necessitatis*. Item Proverb. 20, v. 25.

Probatur ratione D. Thomæ. Ad fidelitatem hominis pertinet, ut solvat id quod promisit. Unde, secundùm Aug., fides dicitur ex hoc quòd fiunt dicta. Maximè autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti; et ideò maximè obligatur homo ad hoc ut adimpleat vota Deo facta. Hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo; fractio autem voti est quædam infidelitatis species : unde Salomon rationem assignat Eccles. 5, quare vota sint Deo reddenda, *quia displicet Deo infidelis promissio*. Hinc Cajetanus in Summâ, verbo *Votum*, colligit violationem voti esse peccatum mortale ex genere suo, quia est perfidia irreligiosa contraria virtuti fidei religiosæ, seu fidelitati Deo debitæ ex promissione illi factâ de re ipsi gratâ. Idem sentiunt communiter alii auctores, ex hoc quòd violatio voti sit contra reverentiam Deo debitam, gravemque illi inferat injuriam. Unde D. Thomas quodlib. 3, art. 3, ait esse contra primum præceptum Decalogi de cultu latriæ, in quo etiam includitur ut non simus irreverentes Deo, mediante perfidiâ sacrilegâ fractionis voti. Alii volunt esse contra secundum præceptum, eò quòd nomen Dei assumatur in vanum, et votum efficiatur vanum dùm non impletur. Hinc Innocentius papa III, cap. *Licet, de Voto*, ait, tam necessariam esse voti implectionem, ut sine dispendio propriæ salutis alicui resilire non liceat.

Potest tamen hujusmodi violatio esse tantùm veniale peccatum ex oblivione ac inadvertentiâ, et ex levitate materiæ. Tunc enim nihil attribuitur Deo repugnans illius dignitati, ut contingit in perjurio et in blasphemiâ, sed solùm negatur ei quoddam debitum extrinsecum quod pertinet ad extrinsecam injuriam, quæ recipit magis et minùs usque ad diminutionem culpæ venialis; tum quia votum non magis obligat quàm divina præcepta; hæc autem in materiâ levi obligant tantùm sub veniali, prout constat de præcepto non furandi. Unde, si quis voveret recitare unum *Ave Maria*, aut dare hodiè unum obolum pauperi, non peccaret mortaliter, sed solùm venialiter id omittendo; Cajetanus tamen, quamvis concedat non esse mortale omittere partem levem rei promissæ; v. g., si voverit quis recitare psalmum, omittens versiculum non peccat lethaliter : benè tamen quando votum in totâ suâ materiâ etiam levi non observatur, puta si isto omninò omittat recitare psalmum. Non ad eumdem ut totum, est obligatio sub peccato mortali, quia habet rationem perfecti actûs transgressio totius sub præcepto cadentis. Vide eumdem Cajetanum, q. 89, art. 7, in initio. Igitur violare votum in re gravi, est peccatum mortale contra religionem. Talis autem esse censetur quæ ad honorem Dei valdè conducit, ut vovere Missæ sacrificium, etc., aut quæ si à lege præciperetur, obligaret sub mortali. Quidam hoc limitant, nisi vovens rem gravem, solùm intendat se obligare sub veniali; quia cùm votum sit quædam privata lex, illius obligatio pendet ex voluntate voventis. Unde vovens singulis diebus audire sacrum, sub culpâ tantùm veniali, non peccat nisi venialiter, sacrum semel die feriali non audiendo. Verùm Sotus lib. 7 de Just. q. 1, art. 1, et alii, docent, quòd si materia voti fuerit de se capax obligationis mortalis, non est in potestate voventis illud suâ intentione sic limitare, quia licet in ejus potestate situm sit promittere vel non promittere hanc vel illam rem, factâ tamen promissione, obligatio nascitur non ex ejus voluntate, sed ex lege divinâ et naturali, quæ est gravis obligatio, quasi propria passio in materiâ gravi et capaci naturaliter dimanans. Sicut ergo non est in potestate voventis se obligare absolutè, ita et limitare ad veniale in materiâ gravi; aliàs nullatenùs votum emittit, cùm sit

de re impossibili (1). Hinc fit è contra quòd violare votum in re levi, non sit nisi peccatum veniale, quamvis vovens intenderit se obligare sub peccato mortali, eò quòd materia levis non sit capax talis obligationis; proindeque non peccat nisi venialiter semel prætermittens Salutationem Angelicam, ad quam se obligare voluerat sub mortali. Alii tamen contrarium docent, eò quòd unusquisque possit sibi hanc legem imponere.

Quidam asserunt quòd quando votum tale est, ut licet pro aliquibus diebus non impleatur, semper duret obligatio implendi id quod omissum est, tunc peccatum mortale committitur, dùm ex his materiis levibus omissis completur gravis materia prætermissa: v. g., si quis voverit dare quotidiè unum assem in eleemosynam pro subventione pauperum tenetur diebus sequentibus elargiri quæ omisit diebus præcedentibus, et sic supplere; et ideò posterior omissio semper est gravior, et post notabile tempus erit mortalis. Quando verò ex transgressione voti nulla relinquitur obligatio reparandi id quod omissum est, et consequenter obligatio voti non durat, sed extinguitur, tunc quantùmvis multiplicentur leves transgressiones, nunquàm possunt facere materiam gravem, quia non componunt unum totum, ut si quis in honorem B. Virginis voveat recitare unum *Ave Maria*, aut dare parvam eleemosynam singulis sabbatis, ita ut votum huic diei sit affixum.

§ 1. *De tempore quo vovens tenetur ad impletionem voti.*

D. Thomas hìc art. 3, ad 3, ait quòd obligatio voti ex propriâ voluntate et intentione causatur. Unde dicitur Deuteron. 13: *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propriâ voluntate et ore locutus es.* Et ideò, si in intentione et voluntate voventis est obligare se ad statim solvendum, tenetur statim solvere. Si autem ad certum tempus, vel sub certâ conditione, non statim tenetur solvere. Sed nec debet tardare ultra quàm intendit se obligare. Dicitur enim ibidem: *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Hæc D. Thomas. Quod confirmari potest ex illo Eccles. 5: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio.* Hinc multi graves auctores inferunt, quòd qui absolutè aliquid vovit, nullum determinando tempus, tenetur votum suum implere statim quando commodè potest, juxta boni ac prudentis viri judicium, et maximè juxta confessarii sui pii docti ac prudentis determinationem, qui pensatis singularibus conditionibus personæ, materiæ et temporis, judicare et determinare debet quid sit faciendum, in dubio partem tutiorem eligendo, nempe ut statim votum impleatur. Unde, si per voventem stet quominùs votum statim adimpleat, quando moraliter sine notabili incommodo id præstare potest, censetur reus voti, prout colligitur ex D. Thomâ et locis Scripturæ adductis; quia Dominus illud acceptat ac requirit ab isto moroso debitore. Perinde ac dùm aliquid alteri homini debemus, tenemur illud solvere statim quamprimùm possumus, maximè requirente debitore. Ergo etiam vovens tenetur adimplere votum quamprimùm commodè potest moraliter; aliàs mortaliter peccat, maximè si prævideat fore ut nisi tunc adimpleat, differenda sit postea notabiliter illius adimpletio, aut superventurum sit perpetuum impedimentum. Unde, nisi justam differendi causam habeat, nequit à peccato excusari. Sequitur insuper quòd qui emisit votum conditionatum, sive pœnale sit, sive non, positâ conditione, illud observare et adimplere tenetur. Sequitur adhuc quòd qui vovit aliquid facere determinando tempus, tenetur intra illud tempus sub peccato mortali votum implere, nisi aliunde ex justâ causâ excusetur. An autem transacto illo tempore omissâque culpabiliter adimpletione voti, non teneatur ampliùs ad illud observandum, distinctione utuntur auctores.

Si enim votum emissum fuerit in honorem et devotionem illius temporis principaliter, ita ut determinatio diei se habeat tanquàm pars objecti voti, ut cùm quis vovit jejunare in tribus sabbatis, aut in vigiliâ Visitationis in honorem et devotionem B. Virginis: non solùm ipsum jejunium, sed etiam tale tempus sub objecto voti cadit. Et tunc, quamvis peccaverit non jejunans his diebus, illis tamen transactis non tenetur ampliùs ad votum, cùm non existat ampliùs ejus objectum seu in aliis diebus supplere jejunium non tenetur: sicut qui omisit jejunia ab Ecclesiâ instituta, aut recitationem officii divini, aut sacri auditionem in die festo, non tenetur in aliis diebus supplere, eò quòd sit onus diei affixum: ita similiter istud votum se habet.

Si verò votum emissum fuerit absolutè et simpliciter, tempusque adjectum, non intuitu ipsius, sed tanquàm terminus adimpletionis, et ut non ultra differatur, nec proinde si pars objecti voti, sed tantùm se habeat ut determinativum executionis voti; tunc illud non adimplens statuto tempore etiamsi commodè posset, nedùm peccat mortaliter, sed adhuc transacto illo tempore tenetur quàm primùm poterit votum adimplere, nisi aliter constet de ejus mente ac intentione. Sic qui vovit ingredi religionem intra annum, si suâ culpâ non intret, peccat mortaliter; et adhuc post annum elapsum tenetur ad ingrediendum, quàm primùm commodè poterit. Nam susceptio habitûs religiosi, qua fuit principalis materia et objectum voti, eadem manet et perseverat: tempus verò tantùm ad expelien-

(1) Illa quæstio solvenda videtur ex principiis in tract. de Legibus positis. Ibi lib. 3, c. 27. Suarezius ostendit legislatorem posse subditos obligare solummodò sub levi in materiâ de se gravi, unde cùm votum sit velut lex privata quam quis sibi imponit, non est cur non valeat votum sub conditione obligationis levis in materiâ de se gravi; etenim tale acceptatur à Deo quale ei à vovente offertur, modò nulla sit repugnantia aut læsio honoris ipsi debiti; porrò cùm materia, quamvis supponatur in se gravis, tamen per se non sit obligatoria, sed tantùm obligans eveniat per voluntatem voventis, nihil repugnat quominùs gradus hujusce obligationis dependeat ab eâ voluntate; nulla etiam inde infertur injuria in Deum, ut manifestum est; ergo potest quis vovere materiam gravem non intendendo se obligare nisi sub levi. (Edit.)

dam moram fuit appositum. Is autem qui nullo præfinito tempore vovit religionem ingredi, datâ opportunitate, nulloque alio legitimo impedimento obstante, tenetur ingredi, nec multùm differre potest sine peccato. Hinc habetur quòd qui vovit jejunare uno anno integro, sed aliquibus diebus jejunium omisit, non tenetur jejunium inchoare, imò neque jejunia omissa post annum supplere, si voverit jejunare principaliter intuitu et ex devotione talis temporis, v. g., anni sancti : benè tamen si tempus solùm fuerit appositum ut determinativum executionis voti, et quasi taxativum numeri jejuniorum. Tunc enim satisfacit supplendo dies prætermissos ; dicitur enim uno anno integro jejunare, qui tot diebus jejunat, quot in anno continentur, etiamsi id fiat cum aliquâ interpolatione.

Hinc etiam habetur quòd, si prævideat vovens se non posse adimplere votum præfixo tempore, potest et debet illud prævenire quando fuit appositum tanquàm terminus ultra quem adimpletio voti non differatur : id enim non impedit quin citiùs impleri valeat : secùs dicendum si terminus fuerit præfixus principaliter in honorem talis diei, sitque pars objecti voti.

Quando dubium est et non constat an tempus sit præscriptum principaliter et tanquàm pars objecti, vel solùm appositum tanquàm determinativum executionis voti, tunc possessio stat pro voto, ac in ejus favorem præsumendum est, et tempus solummodò præfixum ad non differendam voti executionem, subindeque etiam transacto eo tempore, remanere voti obligationem censendum videtur, eòquòd jam obligatio voti sit, proindeque in possessione existat.

Obligatio voti tollitur aut suspenditur, quoties tempore adimpletionis voti facta est illicita, aut impeditiva majoris boni aut indifferens aut impossibilis. Si enim tota materia voti effecta fuerit illicita, etc., ac in perpetuum, tunc simpliciter et in perpetuum tota voti obligatio cessat. Si verò tantummodò ad aliquod tempus talis effecta fuerit, tunc obligatio voti solùm suspenditur pro tempore quo durat istud impedimentum, dummodò votum non sit alligatum tempori jam præterito, sed habeat tractum successivum. Item si pars voti tantùm facta sit impossibilis, illicita, etc., obligatio voti cessat vel suspenditur tantùm quoad illam partem : sic qui vovet dare viginti nummos pauperibus, quos integrè ob supervenientem paupertatem solvendi est impotens, tenetur solvere partem quam potest ; aliam verò, dùm ad pinguiorem fortunam evenerit, solvere tenebitur. Pro cujus majori intelligentiâ sit

§ 2. *Ad quid teneatur vovens, quando ex ejus culpâ materia voti effecta est impossibilis.*

D. Thomas, in hoc art. 3, ad 2, docet quòd *si illua quod quis vovet, quâcumque aliâ causâ impossibile reddatur, debet facere quod in se est ; ut saltem habeat promptam voluntatem faciendi quod potest.* Et sic concludit : *Si verò incidit in impossibilitatem implendi votum ex propriâ culpâ, tenetur insuper de propriâ culpâ præteritâ pœnitentiam agere. Sicut mulier quæ vovit virginitatem, si postea corrumpatur, non solùm debet servare quod potest, scilicet perpetuam continentiam, sed etiam de eo quod amisit peccando, pœnitere.*

Ubi Cajetanus docet quòd si naturam hujus voti spectemus, hujusmodi mulier non liberatur ab obligatione servandi continentiam ; quia servare virginitatem, non consistit in operatione, sed in non operando seu in negatione venereæ libidinis voluntariæ. Unde ad virginitatem requiritur, quòd quis nunquàm voluntariè veneream admiserit voluptatem ; hæc autem negatio, non pro aliquo tempore solùm, sed ad semper obliget. Sicque votum virginitatis ex naturâ suâ obligat ad nunquàm voluntariè admittendum opus venereum. Et quia universali negativæ contradicit quælibet affirmativa particularis, inde est quòd huic voto de nunquàm admittendâ venerea voluptate, quocumque tempore ea admittatur, est quid oppositum et contrarium : ac per hoc persona quæ post votum virginitatis semel corrupta est, tenetur adhuc servare continentiam et castitatem in posterum : aliàs toties mortaliter peccat, quoties actum carnalem exercet, nisi voventis intentio solùm fuisset se obligare de cavendo primo libidinis actu quo amittitur virginitas, quam si contingat perdere, non vult ampliùs obligari : tunc enim non tenetur de cætero continere, sed nubere potest, quia votum ultra limites intentionis voventis non obligat ; et actus agentium moralium non operantur ultra intentionem eorum. Ideò confessarius intentionem voventis examinare debet. Et ubi foret dubium de illius intentione, determinandum esset secundùm id quod natura voti requirit, nempe voventem obligari ad continentiam servandam.

Ex istâ D. Thomæ doctrinâ sequitur quòd qui absolutè vovit castitatem, non solùm peccat nubendo absque dispensatione, sed etiam toties quoties debitum petit, licet teneatur reddere ; quia, voto non obstante, sui corporis dominium transtulit in conjugem : imò in priori bimestri debitum reddens, peccat, et primâ vice quâ matrimonium consummat. Ratio autem cur non possit debitum licitè petere, est quia voto sese obligavit ad non utendum actu venereo semper et pro semper, cùm sit votum castitatis perpetuæ hoc ipso quòd simpliciter fuerit emissum ; nec ab eo per matrimonium absolvitur, solùmque astringitur ad conjugi petenti reddendum debitum. Quamvis autem post consummationem castitatem servare omninò sit ipsi impossibile, quia tamen possibile est partim servare, nempè debitum non petere, ideò id est ei illicitum. Tenetur etiam habere voluntatem plenè castitatis votum servandi post conjugis obitum, nec sine dispensatione tunc potest alteri nubere, aliàs peccat. Vide D. Thomam in 4 Sent., dist. 38, q. 1, art. 3, q. 2, ad 3 et ad 4.

Qui post votum simplex castitatis contraxit matrimonium, potest quidem ante ejus consummationem ingredi religionem etiam reclamante altero conjuge, ut tradit concilium Trident. sess. 24, can. 6, et docet D. Thomas in Supplem., q. 53, art. 1, ad 3, et 2-2., q. 185, art. 8, ad 4, ad id tamen obligari, non est

adeò certum. Alii enim affirmant, ut Cajetanus v. *Matrimon.*, quia quilibet tenetur adimplere votum, secundùm quod potest; iste autem adhuc integrè potest servare castitatis votum ingrediendo religionem, per quem ingressum matrimonium ratum dissolvitur. Ergo cùm eâ solùm ratione possit votum adimplere, tenetur ad religionem capescendam, etiamsi illam non voverit, debetque sibi imputare, quòd cùm potuerit castitatis votum servare manendo in seculo et cœlibatu, voluit sciens et prudens matrimonium contrahere, idque D. Thomas videtur tanquàm certum supponere, 2-2, q. 189, art. 8, ad 3. Alii verò negant, quia religio est quid difficilius, quod non censetur promitti ab eo qui simplex votum castitatis emisit: aliud enim est votum simplex castitatis, aliud religionis: unde iste vovens non est redigendus ad tales angustias, sed censendus moraliter impeditus ad votum tam difficili modo implendum, satisque est quòd illud adimpleat meliori modo quo potest, salvo statu matrimonii, nempe reddendo debitum, et non petendo; quantùmvis suâ culpâ hanc impossibilitatem contraxerit, ut patet de eo qui suâ culpâ incidit in morbum, cum quo jejunium non est compatibile: non enim tenetur jejunare, etiamsi id voverit. Verùm si iste cum castitate voverit simul religionem, aut in fraudem voti castitatis transierit ad nuptias, et ante consummationem sentiat se Spiritu divino afflatum ad statum religionis assumendum, agnoscat in se dispositiones ac idoneitatem ad illam, et probabiliter videat quòd de facili sit admittendus in aliquod monasterium, existimo cum primâ sententiâ hunc teneri ad istud medium, quamvis arduum et difficilè assumendum, utpotè unicum possibile, et honestissimum: aliàs non facit totum quod in se est ad implendum votum; neque fraus ulli debet patrocinari: sic enim omnia hujusmodi castitatis vota de facili frustrarentur per matrimonium.

Qui votum simplex religionis emisit, et postea matrimonium contraxit, antequàm consummaverit tenetur ingredi religionem; quia voti adimpletio est ei licita et possibilis; consequenter peccat mortaliter primâ vice quâ consummat matrimonium, sive reddendo, sive petendo debitum; quia se constituit in statu incompassibili cum impletione voti, et voluntariè apponit impedimentum ejus executioni: ideòque post consummationem tunc non solùm debitum reddere, sed et petere potest, cùm votum religionis simplex non obliget ad castitatem, paupertatem et obedientiam, ac officium divinum recitandum, etc., nisi post professionem. Mortuo tamen altero conjuge, tenetur ingredi religionem, quia obligatio voti pristini non erat extincta, sed tantùm sopita et suspensa propter impedimentum; quo proinde sublato, potest et debet iste votum suum implere. Idem dicendum si superveniat justa causa divortii perpetui: quia etiam tunc cessat impedimentum. Vide Cajetanum in Summâ, v. *Matrimonium*, cap. ultimo, versùs finem.

Solum votum non nubendi non æquivalet nec omninò coincidit cum voto castitatis: nam si iste postea fornicetur, non violat votum non nubendi, sicut nec violat votum ingrediendi religionem, nisi aliud expresserit et intenderit. Hinc matrimonium iniens cum voto non nubendi, mortaliter quidem peccat faciendo contra votum: matrimonio tamen jam contracto, potest illud consummare, nec peccat sive petendo, sive reddendo. Quia istud votum habet solummodò pro objecto non inire matrimonium; quòd si obliget ad abstinendum ab actu conjugali, hoc non est per se et primariò, sed tantùm mediatè et secundariò, suppositâ abstinentiâ ab ipso matrimonio ineundo, quæ fuit primaria et immediata voti materia: quæ cùm in nostro casu reddita fuerit impossibilis per matrimonium initum, non obligabit materia tantùm secundaria et accessoria, nempè abstinentia à conjugali copulâ. Iste tamen vovens, mortuo altero conjuge, tenebitur alteri non nubere, quia votum pristinum non fuit extinctum, sed solùm suspensum durante matrimonii impedimento.

3. *De obligatione voventis aliquid indeterminatè, aut quando de ejus intentione non constat.*

Impedimenta excusantia ab impletione voti et ab ejus obligatione ex duplici capite oriri posse, constat ex dictis. Primum se tenet ex parte materiæ, puta si sit illicita, aut impeditiva majoris boni, aut inutilis, aut indifferens, prout ostensum est supra. Secundum se tenet ex parte intentionis voventis. Cùm enim votum sit quædam privata lex quam quis sibi imponit, non obligat ultra seu extra limites intentionis voventis, sed præcisè ad illud tantùm ligat ad quod vovens intendit se obligare, et non ad aliud: et quia ejus intentio sufficit ad quamcumque conditionem apponendam; quando illius mens certa est, tunc vota possunt quæcumque impedimenta recipere. Ita Cajet. in Sum., v. *Votum*, et subdit quòd quando voventis intentio nihil apposuit limitationis, sed votum fecit simpliciter, tunc oportet casus occurrentes secundùm sacros canones et veritatis doctrinam piè interpretari: et quidem ita est semper explicandum, ut quàm maximè fieri possit, tollatur omnis occasio violandi votum, et peccandi periculum, aut saltem ut minùs peccetur.

Ad particularia autem magis descendendo, auctores tradunt sequentes regulas ad interpretandam voventis mentem, quando nullas determinavit circumstantias, nec ad aliquas expressè se obligavit, neque de ejus intentione constat. Prima est, ut verba voventis sumantur juxta sensum quem habent secundùm usum et intelligentiam communem: unde vovens castitatem simpliciter, tenetur ad omnem, et non solùm ad conjugalem. Secunda est, ut verba voventis sumantur juxta strictiorem explicationem quam habent ex usu communi, servatâ eorum propriætate, ut sic vitetur periculum peccati frangendo votum. Hinc dùm quis vovit aliquid omninò indeterminatum, et ex circumstantiis colligi non potest quid aut quantùm promiserit, votum est validum, si aliunde de substantiâ obligationis et animo se obligandi constet: hujus verò voti quantitas et qualitas est determinanda arbitrio viri

prudentis, consideratis personarum, locorum, et causæ promittendi circumstantiis. Quia etsi in jure civili ea incertitudo vitiet promissionem, non tamen in spiritualibus et in favorem causæ piæ. Adde quòd sicut ob dotis favorem obligatio inducitur, etiamsi dos generaliter promittatur, ejusque quantitas tunc definiri debet arbitrio prudentis viri, spectatis facultatibus et conditionibus personarum, ff. *de Jure dot.*, *l. Cùm post*, § *Gener.*; ita in voto ob favorem causæ piæ. Hinc vovens dare calicem certæ ecclesiæ, non satisfacit dando æneum, sed debet afferre argenteum vel aureum, prout communis Ecclesiæ usus observat; dist. 1 de Consecrat., cap. *Calix*; quia intelligitur promissus calix cultui divino aptus et accommodatus.

Sic vovens dare pauperibus mensuram tritici indeterminatè, satisfacit solvendo minimam ex usitatis; quia sub isto voto solæ mensuræ usitatæ comprehenduntur, et quam maluerit ex usitatis dare potest. Cap. *Ex parte, de Censibus.* Satisfaceret etiam dando eam mensuram de quâ cogitabat, aut determinâsset, si cogitâsset, consideratis circumstantiis personæ voventis, et materiæ subjectæ : nec tenetur quoad qualitatem dare melius et optimum frumentum, sed bonum; quia est certitudo de minoribus, de majoribus verò æquale dubium. Unde liberum illi est ex granis de quibus dubitat, quod maluerit eligere; quia in dubio, quod minus est ex usitatis ac juxta morem patriæ, censetur gratuitò promitti, et promittentem voluisse minùs se gravare. Cap. *Ex parte de Censibus.* Et juxta regulam juris in 6, in obscuris et dubiis, minimum est sequendum, nisi aliter explicetur prudentis judicio. Et in reg. *Inspicimus*, habetur quòd in obscuris, vir prudens inspicere debet quod verisimilius est. Hinc qui vovet jejunare aut orare indeterminatè, satisfacit jejunando uno aut altero die, recitando aliquas orationes nisi aliter constet de voventis intentione. Item qui vovit peregrinationem, non determinando de iter faciendo pedibus aut equo, potest equester peregrinari.

Tertia regula est, ut quando dubitatur de intentione voventis, tunc debet attendi quomodò servaretur materia voti, si caderet sub aliquo præcepto divino aut humano : cùm enim votum sit quædam lex privata, de ejus materiâ ratiocinandum videtur in isto casu ac si esset materia alicujus legis, quoad illius impletionem et obligationem : quare vovens audire Missam, aut recitare officium, tenetur adhibere attentionem. Item vovens dare eleemosynam certo pauperi, si ille ante acceptam eleemosynam moriatur, tenetur alteri dare; sic enim legatum pium ex communi sententiâ explicari solet. Item qui vovit jejunare in aliquâ feriâ quartâ, tenetur etiam abstinere à carnibus, eo modo quo jejunium ecclesiasticum obligat. Item qui vovit jejunare per totum mensem septembris, non tenetur jejunare diebus dominicis, nisi expressam habuerit intentionem ad id etiam se obligandi. Quia præsumitur habuisse intentionem se obligandi, eo modo quo Ecclesia ad jejunium obligare solet; nunquàm autem obligat ad jejunandum die dominicâ. Hinc etiam qui vovit jejunare in vigiliâ alicujus sancti, nisi aliud expresserit aut intenderit, præsumitur habuisse intentionem se accommodandi Ecclesiæ consuetudini, proindeque si festum illius sancti incidat in feriam secundam, non tenetur die dominicâ, sed potest sabbato præcedenti jejunare. Tandem vovens rosarium dicere, non satisfacit solâ mente recitando.

Quæres primò, utrùm adstrictus voto, satisfaciat dùm illud adimplet ejus immemor et non attendens ad talem obligationem? Resp. affirmativè, quia votum solùm exigit ut spontè et voluntariè aliquis actu humano opus illud injunctum exequatur; non verò ut alio speciali voluntatis actu intendat etiam et velit obligationi illius satisfacere. Unde qui vovit limina Apostolorum visitare, satisfacit huic voto, si illa visitet postquàm Romam adiit alterius negotii aut curiositatis causâ; nam adimplevit opus promissum. Idque colligitur ex D. Thomâ 2-2, q. 104, art. 3, ad 2, ubi docet quempiam posse actum virtutis implere, non attendendo ad rationem præcepti : quamvis enim ad cujuscumque præcepti impletionem requiratur voluntas et intentio exequendi opus injunctum per præceptum, v. g., audiendi sacrum in die festo, aut jejunandi in vigiliâ alicujus sancti; non tamen exigitur voluntas et intentio actualis satisfaciendi præcepto per illud opus quod exequimur; quia similiter præceptum solum injungit opus actu humano ac libero implendum, et non ut illud opus exequamur ex illâ formali et actuali intentione. Hinc qui præcepti immemor aut ignorans esse diem festum, audit sacrum, verè satisfacit præcepto; nec est necessarium ut aliam Missam audiat, dùm postea novit esse præceptum de illâ. Si tamen aliquis coactè et per vim absolutam invitus adimpleat votum vel præceptum, non satisfacit suæ obligationi, quia deest actus humanus voluntarius. Unde qui vovit jejunium, illud non implet si omninò invitus ablato sibi cibo jejunat, aliàs manducaturus si habere posset cibos. Idem dicendum de eo qui expressè statuit se nullo voto per illud opus satisfacere, quia actus non operantur ultra agentium intentionem.

Quæres secundò, an ille quem vovisse pœnitet, peccet moraliter, et adhuc teneatur ad observationem voti. Monet Cajetanus in Summâ, v. *Votum*, ne quis fallatur putans in variis casibus et eventibus occurrentibus votum non ligare; quia si persona quando vovit hæc prævidisset, votum non emisisset. Falsa quippe est hæc imaginatio, et destructiva omnium humanorum contractuum. Multi namque conjugati non obligarentur ad conjugium, et similiter multi professi non tenerentur ad religionem; quia si prævidissent tunc quæ post occurrent, non se ligâssent, et sic de aliis. Item quòd voventem statim voti pœniteat, non est sufficiens signum, deliberationem et consensum defuisse. Nam homo mutatis circumstantiis facilè mutatur, multique veros contractus ineunt, quos statim pœnitet celebrâsse; neque per hoc solvuntur ab obligatione. Ergo etiam obligatio voti remanet. Difficultas solùm est an isti pœnitentes peccent mortaliter.

Resp. 1° quòd qui de voto facto ita tristatur et pœnitet, ut tamen propositum habeat illud adimplendi, non peccat mortaliter. Et tunc opus votivum factum cum illâ tristitiâ et pœnitudine, quamvis non habeat illam excellentiam meriti, quam alioqui habuisset si prima illa voluntas quâ vovit in suo fervore et robore vigeret : adhuc nihilominùs magis meritorium est, quàm si fieret sine voto; quia impletio voti est actus religionis quæ est potior virtus quàm abstinentia, cujus actus est jejunare. Ita expressè D. Thomas 2-2, q. 88, art. 6, ad 2. Ratio est quia actus ille pœnitudinis non est contra aliquod præceptum, nec de objecto prohibito ex vi obligationis voti. Unde sicut non est peccatum mortale nolle vovere in futurum, ita neque vovisse nolle. Propter tamen periculum cui vovens se exponit, nisi conetur eam pœnitudinem repellere, est peccatum veniale : imò fieri potest ut illa pœnitentia habeat justam causam, et ita cohonestetur ut nullum sit peccatum; sicut quem pœniteret de emissâ professione, eò quòd habeat parentes necessitatibus oppressos, quibus extra religionem liberiùs et faciliùs subvenire posset.

Resp. 2° quòd ille quem ita pœnitet de voto ut intendat illud non adimplere, et omittere gravem rem promissam, peccat mortaliter, cùm habeat affectum ad mortale peccatum, nempe voti transgressionem, sicut peccaret mortaliter qui haberet voluntatem violandi aliquod præceptum graviter obligans. Item qui dolet quòd opera gravia ex voto præscripta executus fuerit, peccat mortaliter perinde ac ille quem pœnitet grave præceptum observâsse. Ratio est quia transgressio et propositum illius eamdem habent malitiam; et in hoc casu pœnitere aliquem de operibus voto vel præcepto sub mortali præscriptis, jam à se factis, idem est ac si doleret quòd peccatum mortale non commiserit.

§ 4. *In quo plures casus particulares circa voti obligationem occurrentes, resolvuntur per breves quæstiones.*

Quæres primò, an toties novum peccatum committatur, quoties votum frangitur scienter, aut ex oblivione et negligentiâ vincibili et culpabili?

Resp. quòd cùm votum sit quædam privata lex, eodem ferè modo ratiocinandum est de eo ac de præcepto. Unde sicut præcepta negativa obligant semper et pro semper, ita votum negativum quamdiù durat et subsistit. Sic qui vovit non bibere vinum per annum, toties mortaliter peccat, quoties intra illum annum bibit vinum. Item cùm votum continentiæ consistat in negatione cujuscumque actûs venerei, iste vovens toties mortaliter peccat, non solùm contra castitatem, sed etiam contra religionem, quoties actum venereum voluntariè exercet. Et sic de similibus. Cùm enim tempus voti non finiatur primâ vice, sed adhuc obligatio ulteriùs duret, iste vovens contra faciendo, non minùs peccat secundâ et tertiâ, quàm primâ vice. Si verò esset votum non bibendi vinum in unâ die mensis, tunc non erit peccatum mortale hâc vel illâ die bibere, nisi fortè esset dies ultimus mensis, et in aliis præcedentibus non abstinuisset : tunc enim peccaret. Ita Sylvester, v. *Votum* 2, q. 20; D. Anton. 2. p., tit. 2, cap. 2, § 3.

Qui subdunt quòd in voto affirmativo, puta jejunandi, ejus fractio non est mortalis nisi primâ vice, utpote quia tunc impossibile jam est illâ die observare jejunium; unde secundâ et tertiâ vice manducans, non peccat, nisi id faceret ex contemptu, eò quòd etiamsi posset servare adhuc jejunium, non faceret, vel ob scandalum aliorum videntium eum pluries manducare, et jejunium Ecclesiæ aut voti frangere.

Quæres secundò, an qui baptizatur, votum propriè emittat, dùm pompis mundi abrenuntiat, et se ad Ecclesiæ præcepta observanda obligat?

Resp. cum Cajetano, q. 88, art. 2, ad 2; Soto, lib. 7 de Just. q. 1, art. 2; D. Anton., p. 2, tit. 11, cap. 2 § 2, et aliis communiter, non esse propriè et strictè votum, sed tantùm largè, quod probat Cajetanus quia verba hæc, scilicet, *abrenuntio*, *volo*, *credo*, quæ dicit baptizatus, non significant promissionem, quæ tamen est de essentiâ voti; ergo non est ibi votum explicitè; nec etiam implicitè, quia non extat aliquod Ecclesiæ statutum quo significetur baptizatum aliquid vovere, sicut implicitè fit votum continentiæ in sacri ordinis susceptione. Item quia neque ex professione religionis christianæ quam facit baptizatus id colligi potest : ad id enim satis est, ut illam corde et ore profiteatur cum proposito mutandi vitam absque ullo voto, ut contingit etiam in sacramento Pœnitentiæ. Adde quòd vovere est opus consilii : baptizari verò est de præcepto. Adde etiam patrinum promittere pro baptizato; nullus autem potest alium voto ligare. Nec ex hoc quòd homo tunc accipiat novum vitæ statum, inferri potes eum propriè vovere. Nam dùm quis suscipit sacerdotium, assumit novum statum, divinis tamen obsequiis mancipatur et consecratur sine voto. Nec D. Thomas q. 88, art. 2, ad 2, asserit in baptismo emitti propriè votum, sed largè tantùm pro voluntate et proposito amplexandi legem Christi et novam vitam ineundi in professione fidei. Hinc christianus faciens contra sponsiones Baptismi, v. g., vacando operibus carnis, fornicando, etc., non committit duplex peccatum, unum scilicet contra præceptum, et aliud contra votum, sed unicum tantùm, licet sit gravius alio quod infidelis committit in eodem genere et eodem modo, ob circumstantiam personæ et voti largè sumpti : propter quod D. Petrus Epist. 1, cap. 3, vocat sponsionem illam stipulationem conscientiæ bonæ. Verùm homine de his solemnibus stipulationibus parùm curant : ideòque, ut in plurimùm illorum Baptisma facit eos magis reos majorique supplicio reddit obnoxios, et ut cum Sapiente loquar, illud convertit in sacrificium stultorum, quod abominationi est Deo. Eccles. 4, v. 13. Proverb. 15, v. 8, et cap. 20, v. 27. Ut enim ait Gregorius Nazian., Oratione in S. Bapt., Baptismus nihil aliud est, quàm purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum. Et D. August. lib. de verâ Innocentiâ, cap. 324, sic monet : *Qui gaudes de Baptismi susceptione, vive in novi hominis sanctitate* : et lib. de Vitâ Christi, cap. 1, subdit : *Si Christianum te esse delectat,*

quæ Christianitatis sunt gere. Hinc sancti Patres occasionem sumunt invehendi contra pravos Christianos. Tertullianus, lib. de Pudicitiâ cap. 10, vocat eos prostitutores christiani sacramenti. Salvianus, lib. 4 de Provid., vocat eos fideifragos, desertores, prævaricatores, qui nomen Dei infamant, suamque professionem moribus impugnant. Magister Sentent. in 4, dist. 38, q. 2, docuit illas sponsiones esse verè vota, quem secutus est D. Thomas ibidem. Nec ab eo longè recedit in Summâ, ut consideranti patebit: solùm enim vult votum baptizatorum esse de necessariis ad salutem; quod quidem facit ut non tam perfectam habeat rationem voti, cujus materiæ propriè est opus supererogationis; non tamen tollit veram rationem voti, ut supra ostensum est. Cajetanus, ut ab hâc difficultate se expediat, dicit quòd D. Thomas hîc non affirmat in Baptismo esse votum, sed supponendo hoc à Magistro in 4 Sentent., et à glossâ dictum, quod ipsemet ibidem approbavit, exponit modum quo hæc sponsiones comprehendantur sub voto, dicens: *Quòd hoc modo sub voto baptizatorum cadit abrenuntiare pompis diaboli, et fidem Christi suscipere; quia voluntariè fit, licet sit de necessitate salutis.*

Ut ut sit, à communi sententiâ nolo recedere; existimo tamen quòd istud pactum cum Deo in Baptismate initum, licet non sit votum strictè sumptum, non minùs Christianos liget, nec minùs de eo observando deceat eos esse sollicitos ac de voti veri impletione.

Quæres tertiò, an votum de nimiâ abstinentiâ, aut corporis maceratione obliget?

Resp. D. Thomas, 2-2, q. 88, art. 2, ad 3, quòd *maceratio corporis, puta per vigilias et jejunia, non est Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis; quod quidem est in quantum cum debitâ discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur, et natura non nimis gravetur. Et sub tali tenore possunt hujusmodi sub voto cadere; propter quod Apostolus ad Rom. 12, postquàm dixerat,* « *exhibeatis corpora vestra hostiam viventem,* « *sanctam, Deo placentem,* » *addidit :* « *Rationabile* « *obsequium vestrum.* » *Sed quia in his quæ ad seipsum pertinent facilè fallitur homo in judicando : talia vota congruentiùs secundùm arbitrium superioris, sunt vel servanda vel prætermittenda; ita tamen quòd si ex observatione talis voti magnum et manifestum gravamen sentiret, et non esset facultas ad superiorem recurrendi, non deberet homo tale votum servare. Vota verò quæ sunt de rebus vanis et inutilibus, sunt magis deridenda, quàm servanda.* Hactenùs D. Thomas.

Observat autem Cajetanus ibidem, quòd quando hujus voti observantia esset manifestè nociva notabiliter, tunc non obligat, nec absolutè opus est recurrere ad superiorem, etiamsi in promptu et de facili haberetur iste recursus, cùm in tali casu cesset res promissa esse pro tunc opus virtutis et materia voti; et à fortiori quando non suppeteret facultas recurrendi ad superiorem. Verùm hæc doctrina intelligenda est regulariter et per se loquendo de personâ particulari istud votum emittente in propriam duntaxat utilitatem, seclusis aliis adjunctis. Per accidens enim si accedat ratio boni communis hujus voti observationem exigentis, potest ad illam cum propriæ vitæ dispendio obligari, ut constat de monacho carthusiano, promittente observare suas constitutiones et laudabiles consuetudines, proindeque nunquàm comedere carnes, nec etiam in periculosâ infirmitate : ad id enim observandum tenetur, ut ostendemus infra, quia id non promisit pro se solo sed pro conservatione disciplinæ regularis in suo ordine, ne introductâ istâ relaxatione paulatim destruatur.

Quoad verò vota de rebus vanis, idem D. Thomas loquens de votis quibus mulieres promittunt se nollo pectere caput tali vel tali die, ac de similibus, ait quòd *talia vota mulierum sunt sortilegia magis quàm vota; sunt enim reliquiæ quædam idololatriæ, secundùm quam observantur dies et menses; et ideò pro non votis habenda sunt; et peccant talia voventes, quia, ut dicit Hieronymus, cum infidelibus etiam nec nomina debemus habere communia.* Ita D. Thomas, in 4 Sent. dist. 38, q. 1, att. 1, q. 2, ad 2. Hæ tamen mulieres ob simplicitatem et bonam fidem, à gravi peccato excusantur, ut dictum fuit in expositione primi præcepti.

Petes an qui vovit aliquo die non comedere carnes, toties peccet quoties illas comedit? Resp. affirmativè, quia votum abstinendi à carnibus etiam pro aliquâ die, est negativum, ad instar præcepti ecclesiastici de abstinentiâ à carnibus certis diebus, sicque obligat pro semper, nec cessat per unam transgressionem, sicut cessat præceptum jejunandi postquàm fuit fractum jejunium. Ergo et votum prædictum. Qui tamen ex voto se obligavit simpliciter ad jejunandum, non toties peccat quoties illâ die comedit carnes, quia in isto voto directè non clauditur abstinentia à carnibus, sed indirectè, quatenùs est pars essentialiter ad jejunium requisita, et accessoriè se habet ad jejunium. Ergo cùm semel violato jejunio, cesset obligatio circa principale, videtur etiam cessare circa accessorium, nempè circa abstinentiam à carnibus.

Quæres quartò, an qui vovit, jejunare in vigiliâ alicujus sancti, si festum illud incidat in feriam secundam, teneatur die Dominicâ jejunare, vel potiùs in sabbato præcedenti? Idem quæritur de eo qui vovit jejunare per totum annum in illâ die in quâ tunc inciderit festum Annuntiationis B. Virginis aut alterius sancti. An si in Dominicam incidat, teneatur ad jejunandum in omnibus dominicis diebus illius anni, vel debeat illud jejunium transferre in omnia illius anni sabbata? Quidam distinguunt dicentes, quòd si iste vovit jejunium afflictionis, debet tunc jejunare in sabbato præcedenti, juxta morem et usum Ecclesiæ universalis. Si verò vovit jejunium exultationis, jejunare debet in Dominicâ, cùm id sit licitum et honestum, dummodò non fiat in contemptum illius diei, vel ex superstitione et errore hæreticorum, ut docet D. Thomas, 2-2, q. 147, art. 5, ad 3, et ibidem explicat quid sit jejunium afflictionis et quid sit jejunium exultationis. Verùm quando iste vovens dubius est an intenderit expressè se obligare ad jejunandum etiam in die

Dominicâ, si vigilia sancti, aut festum Annuntiationis in eam diem inciderit; tunc quamvis possit jejunare die Dominicâ, seclusâ superstitione, singularitate vel scandalo, quia probabile est quòd implicitè elegerit potiùs jejunium exultationis quàm afflictionis; si tamen velit tunc jejunare in sabbatis, voto satisfecisse censebitur. Respondeo tamen, cæteris paribus, unicuique ex istis magis consulendum esse quòd se conformet universali Ecclesiæ quantùm ad morem et diem jejunandi, sicque ut jejunet in sabbatis, et non diebus Dominicis, prout fusiùs ostendimus supra, in expositione primi præcepti, art. 2, § 1, in fine.

Quæres an qui absolutè vovit non comedere carnes die Veneris, teneatur abstinere à carnibus, si dies Natalis Domini incidat in feriam sextam? Idemque dubium moveri potest de Dominicanis aliisque Religiosis, quibus ex constitutionibus suis interdictus est usus carnium. An scilicet peccent mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, illo die Veneris manducantes carnem? Respond. eum qui vovit jejunare aut carnes non comedere quolibet die Veneris, ad id observandum teneri, etiamsi in eum diem incidat festum Natalis Domini, nisi vovens illud expressè voluerit excipere. Istud quippe votum absolutè ac simpliciter emissum, censetur pro quâlibet die Veneris obligare: neque huic voventi favet privilegium manducandi carnes eo die traditum in cap. fin. *de Observat. jejuniorum*, et à B. Pio V confirmatum in suâ Constitutione. Illo enim privilegio excipiuntur ac eximuntur qui voto aut regulari observantiâ adstricti sunt ad carnium abstinentiam servandam. Unde respectu ipsorum remanet et obligat præceptum Ecclesiæ abstinendi à carnibus in die Veneris, proindeque et votum subsistit in suo robore pro illo die. Hinc Medina et alii colligunt Dominicanum in illâ sextâ feriâ carnes manducantem lethaliter peccare, cùm non censeatur à præcepto Ecclesiæ dispensatus, sed ab hoc privilegio expressè exclusus. Sanchez tamen, lib. 7 de Impedim. matrim., disp. 8, num. 16, pag. 29, affirmat religiosum istum non peccare, nisi tantùm contra suas constitutiones, eodem prorsùs modo ac si die Dominicâ aut aliâ non prohibitâ manducaret carnes. Vide rationes apud ipsum Sanchem.

Quæres quintò, ad quid teneatur ille qui duo diversa vota emisit, unum post aliud, in casu quo sint incompatibilia. Resp. quòd si vovens sit certus de suâ intentione, votum adimplere debet juxta illam. Item utrumque votum adimplere tenetur si possit. Si verò sint incompatibilia, tunc si fuerint æqualia, debet servare primum, seu priùs emissum, cùm hoc ipso non potuerit se obligare ad secundum incompossibile cum primo. Si verò inæqualia extiterint, tunc majus servare debet, nempè illud quod est arctioris vinculi. Item quandò vovens certus est se non posse utrumque votum adimplere, non tenetur aliquid pro eo alio die facere, cùm jam per impossibilitatem excusetur, sicut qui propter infirmitatem non potest aliquibus diebus quadragesimæ jejunare, non tenetur alio die supplere jejunium, aut in aliud bonum commutare. Si autem vovens dubitaret, an utrumque votum implere posset, tunc non valeret propriâ auctoritate impletionem unius, v. g., jejunium in alium diem transferre, aut in aliud opus commutare, sed requireretur auctoritas superioris. Vide Sylvestrum, v. *Votum*, 2, q. 17, ubi citat D. Thomam, in 4 Sent., dist. 38, q. 1, art. 4, q. 1.

ARTICULUS III.

De votis emissis à personis quæ alterius potestati subduntur, ac de eorumdem irritatione.

D. Thomas de hâc materiâ tractat in istâ q. 88, art. 8, et docet quòd nullus potest sè firmiter obligare per votum in his in quibus alteri subjicitur, sine consensu sui superioris. Ratio est quia votum est promissio Deo facta. Nullus autem potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sed solùm ad id quod est in suâ potestate. Quicumque verò est subjectus alicui, quantùm ad id in quo est subjectus non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Item quia sub promissione Deo factâ non cadit, nisi quod est virtuosum: est autem contra virtutem, ut id quod est alterius, homo offerat Deo; et ideò non potest omninò salvari ratio voti, cùm quis in potestate alterius constitutus, vovet id quod est in potestate alterius, nisi sub conditione, si ille ad cujus potestatem pertinet, non contradicat. Ubi Cajetanus ait, quòd opus supererogationis à subdito promissum sub voto, dupliciter se habere potest ad subditum voventem: Primò ut inhibitum in communi, quale est peregrinationis votum respectu religiosi, quia non potest absque licentiâ exire extra claustrum; aut ut inhibitum in particulari, quale est opus mortificationis, verberando se, etc., si à prælato fieri prohibeatur religioso absque licentiâ. Secundò ut non prohibitum, puta si religiosus voveat opus orationis quando sibi vacat. Si igitur subditus voveat opus supererogationis inhibitum, subintelligitur conditio affirmativa, nempe si superior consenserit: quoniam aliter materia voti non esset opus virtuosum; votum autem est promissio Deo facta, et non debet esse ridiculosa. Unde tenetur subditus consensum superioris requirere, antequàm sit in morâ persolvendi votum: nisi enim teneretur requirere superiorem de relaxandâ inhibitione, seu concedendâ licentiâ, vana et ridicula esset promissio. Si autem subditus vovet opus supererogationis non inhibitum, tunc conditio subintellecta est negativa, nempe si non contradicat superior. Ratio est quia actus supererogationis qui est in potestate superioris non inhibitus, est verè actus virtutis: et stante conditione non inhibitionis, est in potestate voventis durante conditione; ergo potest esse materia voti: et subditus interim tenetur sub mortali adimplere durante conditione non contradictionis superioris ac etiam de hoc nihil scientis.

Igitur subditorum vota non sunt ipso facto invalida

quæ Christianitatis sunt gere. Hinc sancti Patres occasionem sumunt invehendi contra pravos Christianos. Tertullianus, lib. de Pudicitiâ cap. 10, vocat eos prostitutores christiani sacramenti. Salvianus, lib. 4 de Provid., vocat eos fideifragos, desertores, prævaricatores, qui nomen Dei infamant, suamque professionem moribus impugnant. Magister Sentent. in 4, dist. 38, q. 2, docuit illas sponsiones esse verè vota, quem secutus est D. Thomas ibidem. Nec ab eo longè recedit in Summâ, ut consideranti patebit: solùm enim vult votum baptizatorum esse de necessariis ad salutem; quod quidem facit ut non tam perfectam habeat rationem voti, cujus materiæ propriè est opus supererogationis; non tamen tollit veram rationem voti, ut supra ostensum est. Cajetanus, ut ab hâc difficultate se expediat, dicit quòd D. Thomas hîc non affirmat in Baptismo esse votum, sed supponendo hoc à Magistro in 4 Sentent., et à glossâ dictum, quod ipsemet ibidem approbavit, exponit modum quo hæc sponsiones comprehendantur sub voto, dicens: *Quòd hoc modo sub voto baptizatorum cadit abrenuntiare pompis diaboli, et fidem Christi suscipere; quia voluntariè fit, licet sit de necessitate salutis.*

Ut ut sit, à communi sententiâ nolo recedere; existimo tamen quòd istud pactum cum Deo in Baptismate initum, licet non sit votum strictè sumptum, non minùs Christianos liget, nec minùs de eo observando deceat eos esse sollicitos ac de voti veri impletione.

Quæres tertiò, an votum de nimiâ abstinentiâ, aut corporis macerationc obliget?

Resp. D. Thomas, 2-2, q. 88, art. 2, ad 3, quòd *maceratio corporis, puta per vigilias et jejunia, non est Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis; quod quidem est in quantum cum debitâ discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur, et natura non nimis gravetur. Et sub tali tenore possunt hujusmodi sub voto cadere; propter quod Apostolus ad Rom. 12, postquàm dixerat,* « *exhibeatis corpora vestra hostiam viventem,* « *sanctam, Deo placentem,* » *addidit:* « *Rationabile* « *obsequium vestrum.* » *Sed quia in his quæ ad seipsum pertinent facilè fallitur homo in judicando: talia vota congruentiùs secundùm arbitrium superioris, sunt vel servanda vel prætermittenda; ita tamen quòd si ex observatione talis voti magnum et manifestum gravamen sentiret, et non esset facultas ad superiorem recurrendi, non deberet homo tale votum servare. Vota verò quæ sunt de rebus vanis et inutilibus, sunt magis deridenda, quàm servanda.* Hactenùs D. Thomas.

Observat autem Cajetanus ibidem, quòd quando hujus voti observantia esset manifestè nociva notabiliter, tunc non obligat, nec absolutè opus est recurrere ad superiorem, etiamsi in promptu et de facili haberetur iste recursus, cùm in tali casu cesset res promissa esse pro tunc opus virtutis et materia voti; et à fortiori quando non suppeteret facultas recurrendi ad superiorem. Verùm hæc doctrina intelligenda est regulariter et per se loquendo de personâ particulari istud votum emittente in propriam duntaxat utilitatem, seclusis aliis adjunctis. Per accidens enim si accedat ratio boni communis hujus voti observationem exigentis, potest ad illam cum propriæ vitæ dispendio obligari, ut constat de monacho carthusiano, promittente observare suas constitutiones et laudabiles consuetudines, proindeque nunquàm comedere carnes, nec etiam in periculosâ infirmitate: ad id enim observandum tenetur, ut ostendemus infra, quia id non promisit pro se solo sed pro conservatione disciplinæ regularis in suo ordine, ne introductâ istâ relaxatione paulatim destruatur.

Quoad verò vota de rebus vanis, idem D. Thomas loquens de votis quibus mulieres promittunt se nollo pectere caput tali vel tali die, ac de similibus, ait quòd *talia vota mulierum sunt sortilegia magis quàm vota; sunt enim reliquiæ quædam idololatriæ, secundùm quam observantur dies et menses; et ideò pro non votis habenda sunt; et peccant talia voventes, quia, ut dicit Hieronymus, cum infidelibus etiam nec nomina debemus habere communia.* Ita D. Thomas, in 4 Sent. dist. 38, q. 1, att. 1, q. 2, ad 2. Hæ tamen mulieres ob simplicitatem et bonam fidem, à gravi peccato excusantur, ut dictum fuit in expositione primi præcepti.

Petes an qui vovit aliquo die non comedere carnes, toties peccet quoties illas comedit? Resp. affirmativè, quia votum abstinendi à carnibus etiam pro aliquâ die, est negativum, ad instar præcepti ecclesiastici de abstinentiâ à carnibus certis diebus, sicque obligat pro semper, nec cessat per unam transgressionem, sicut cessat præceptum jejunandi postquàm fuit fractum jejunium. Ergo et votum prædictum. Qui tamen ex voto se obligavit simpliciter ad jejunandum, non toties peccat quoties illâ die comedit carnes, quia in isto voto directè non clauditur abstinentia à carnibus, sed indirectè, quatenùs est pars essentialiter ad jejunium requisita, et accessoriè se habet ad jejunium. Ergo cùm semel violato jejunio, cesset obligatio circa principale, videtur etiam cessare circa accessorium, nempè circa abstinentiam à carnibus.

Quæres quartò, an qui vovit, jejunare in vigiliâ alicujus sancti, si festum illud incidat in feriam secundam, teneatur die Dominicâ jejunare, vel potiùs in sabbato præcedenti? Idem quæritur de eo qui vovit jejunare per totum annum in illâ die in quâ tunc inciderit festum Annuntiationis B. Virginis aut alterius sancti. An si in Dominicam incidat, teneatur ad jejunandum in omnibus dominicis diebus illius anni, vel debeat illud jejunium transferre in omnia illius anni sabbata? Quidam distinguunt dicentes, quòd si iste vovit jejunium afflictionis, debet tunc jejunare in sabbato præcedenti, juxta morem et usum Ecclesiæ universalis. Si verò vovit jejunium exultationis, jejunare debet in Dominicâ, cùm id sit licitum et honestum, dummodò non fiat in contemptum illius diei, vel ex superstitione et errore hæreticorum, ut docet D. Thomas, 2-2, q. 147, art. 5, ad 3, et ibidem explicat quid sit jejunium afflictionis et quid sit jejunium exultationis. Verùm quando iste vovens dubius est an intenderit expressè se obligare ad jejunandum etiam in die

Dominicâ, si vigilia sancti, aut festum Annuntiationis in eam diem inciderit; tunc quamvis possit jejunare die Dominicâ, seclusâ superstitione, singularitate vel scandalo, quia probabile est quòd implicitè elegerit potiùs jejunium exultationis quàm afflictionis; si tamen velit tunc jejunare in sabbatis, voto satisfecisse censebitur. Respondeo tamen, cæteris paribus, unicuique ex istis magis consulendum esse quòd se conformet universali Ecclesiæ quantùm ad morem et diem jejunandi, sicque ut jejunet in sabbatis, et non diebus Dominicis, prout fusiùs ostendimus supra, in expositione primi præcepti, art. 2, § 1, in fine.

Quæres an qui absolutè vovit non comedere carnes die Veneris, teneatur abstinere à carnibus, si dies Natalis Domini incidat in feriam sextam? Idemque dubium moveri potest de Dominicanis aliisque Religiosis, quibus ex constitutionibus suis interdictus est usus carnium. An scilicet peccent mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, illo die Veneris manducantes carnem? Respond. eum qui vovit jejunare aut carnes non comedere quolibet die Veneris, ad id observandum teneri, etiamsi in eum diem incidat festum Natalis Domini, nisi vovens illud expressè voluerit excipere. Istud quippe votum absolutè ac simpliciter emissum, censetur pro quâlibet die Veneris obligare : neque huic voventi favet privilegium manducandi carnes eo die traditum in cap. fin. *de Observat. jejuniorum*, et à B. Pio V confirmatum in suâ Constitutione. Illo enim privilegio excipiuntur ac eximuntur qui voto aut regulari observantiâ adstricti sunt ad carnium abstinentiam servandam. Unde respectu ipsorum remanet et obligat præceptum Ecclesiæ abstinendi à carnibus in die Veneris, proindeque et votum subsistit in suo robore pro illo die. Hinc Medina et alii colligunt Dominicanum in illâ sextâ feriâ carnes manducantem lethaliter peccare, cùm non censeatur à præcepto Ecclesiæ dispensatus, sed ab hoc privilegio expressè exclusus. Sanchez tamen, lib. 7 de Impedim. matrim., disp. 8, num. 16, pag. 29, affirmat religiosum istum non peccare, nisi tantùm contra suas constitutiones, eodem prorsùs modo ac si die Dominicâ aut aliâ non prohibitâ manducaret carnes. Vide rationes apud ipsum Sanchem.

Quæres quintò, ad quid teneatur ille qui duo diversa vota emisit, unum post aliud, in casu quo sint incompatibilia. Resp. quòd si vovens sit certus de suâ intentione, votum adimplere debet juxta illam. Item utrumque votum adimplere tenetur si possit. Si verò sint incompatibilia, tunc si fuerint æqualia, debet servare primum, seu priùs emissum, cùm hoc ipso non potuerit se obligare ad secundum incompossibile cum primo. Si verò inæqualia extiterint, tunc majus servare debet, nempè illud quod est arctioris vinculi. Item quandò vovens certus est se non posse utrumque votum adimplere, non tenetur aliquid pro eo alio die facere, cùm jam per impossibilitatem excusetur, sicut qui propter infirmitatem non potest aliquibus diebus quadragesimæ jejunare, non tenetur alio die supplere jejunium, aut in aliud bonum commutare. Si autem vovens dubitaret, an utrumque votum implere posset, tunc non valeret propriâ auctoritate impletionem unius, v. g., jejunium in alium diem transferre, aut in aliud opus commutare, sed requireretur auctoritas superioris. Vide Sylvestrum, v. *Votum*, 2, q. 17, ubi citat D. Thomam, in 4 Sent., dist. 38, q. 1, art. 4, q. 1.

Articulus III.

De votis emissis à personis quæ alterius potestati subduntur, ac de eorumdem irritatione.

D. Thomas de hâc materiâ tractat in istâ q. 88, art. 8, et docet quòd nullus potest sè firmiter obligare per votum in his in quibus alteri subjicitur, sine consensu sui superioris. Ratio est quia votum est promissio Deo facta. Nullus autem potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sed solùm ad id quod est in suâ potestate. Quicumque verò est subjectus alicui, quantùm ad id in quo est subjectus non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Item quia sub promissione Deo factâ non cadit, nisi quod est virtuosum : est autem contra virtutem, ut id quod est alterius, homo offerat Deo; et ideò non potest omninò salvari ratio voti, cùm quis in potestate alterius constitutus, vovet id quod est in potestate alterius, nisi sub conditione, si ille ad cujus potestatem pertinet, non contradicat. Ubi Cajetanus ait, quòd opus supererogationis à subdito promissum sub voto, dupliciter se habere potest ad subditum voventem : Primò ut inhibitum in communi, quale est peregrinationis votum respectu religiosi, quia non potest absque licentiâ exire extra claustrum; aut ut inhibitum in particulari, quale est opus mortificationis, verberando se, etc., si à prælato fieri prohibeatur religioso absque licentiâ. Secundò ut non prohibitum, puta si religiosus voveat opus orationis quando sibi vacat. Si igitur subditus voveat opus supererogationis inhibitum, subintelligitur conditio affirmativa, nempe si superior consenserit : quoniam aliter materia voti non esset opus virtuosum; votum autem est promissio Deo facta, et non debet esse ridiculosa. Unde tenetur subditus consensum superioris requirere, antequàm sit in morâ persolvendi votum : nisi enim teneretur requirere superiorem de relaxandâ inhibitione, seu concedendâ licentiâ, vana et ridicula esset promissio. Si autem subditus vovet opus supererogationis non inhibitum, tunc conditio subintellecta est negativa, nempe si non contradicat superior. Ratio est quia actus supererogationis qui est in potesta superioris non inhibitus, est verè actus virtutis : et stante conditione non inhibitionis, est in potestate voventis durante conditione; ergo potest esse materia voti : et subditus interim tenetur sub mortali adimplere durante conditione non contradictionis superioris ac etiam de hoc nihil scientis.

Igitur subditorum vota non sunt ipso facto invalida

nec absolutè et firmiter obligatoria, sed medio modo se habent, quoniam obligant stante conditione subintellectâ, scilicet si superiori placet aut non ei displicet. Nam subjectio voventis reddit ejus vota conditionalia. Dixi autem : *Si placet aut non displicet*, propter diversam materiam voti : quia si votum sit de rebus subdito prohibitis, tunc subintelligitur : *Si superiori placet*. Et tunc tenetur requirere bonâ fide superioris beneplacitum, explicando ei suum votum, ad hoc ut integrâ fide agat cum Deo cui promisit; fortè enim concederet superior intellecto voto, quod negaret nesciens subditi votum. Si tamen subditus in communibus votis petens licentiam, non significet quòd hoc voverit, putans sibi hoc sufficere, excusatur pro tunc ab executione voti superiore negante licentiam. Non tamen propterea votum est irritatum ; quia ad irritationem voti requiritur voluntas superioris ad irritandum ; quæ in proposito non intervenit. Unde remanet obligatus ad petendum iterùm quando prudentia suadebit petere licentiam operis promissi, donec irritetur votum. Si verò votum sit de non prohibitis subdito, tunc subintelligitur : *Si superiori non displicet*. Ita quòd tenetur exequi votum quousque superiori notificatum sibi votum displiceat. Ita Cajetanus in utrâque Summâ.

Si superior in votum subditi consenserit, et postea sine causâ legitimâ revocet licentiam ac votum annullet, valet quidem irritatio ; ideòque non tenetur subditus votum implere, quia etsi superior consenserit, non desinit propterea esse superior, nec sibi adimit potestatem irritandi, neque actu ac de facto in subditum adhuc transtulit rei promissæ dominium. Verùm tunc superior peccat, quia ex quo jam consensit, sibi imposuit obligationem votum licitè non irritandi, nisi accedat gravior causa, quàm quæ sufficeret ad irritandum inculpatè subditi votum, in quod antea non consensisset. Sicut ergo tunc peccaret saltem venialiter, sine causâ bonum opus impediendo, ita et in isto secundo casu. Imò Cajetanus vult superiorem peccare etiam mortaliter ; quia licet apud superiorem consentientem adhuc remanserit dominium illius rei Deo exhibendæ, remanet tamen ligatus ad exhibendam illam Deo ratione voti subditi, ac de consensu superioris, sicque tanquàm delusor et violator vinculi ad Deum, mortaliter peccat. Igitur irritatio voti nihil aliud est quàm ejus annullatio facta à superiore ex cujus voluntate pendet : vel quia habet dominium supra rem promissam, ideòque sine illius consensu alienari nequit; vel quia habet potestatem dominativam supra voluntatem voventis, et liberas illius promissiones ; vel quia inhibere potest actum promissum, et contrarium præcipere, quæ irritatio cùm non sit propriè actus jurisdictionis, sed dominii, potest fieri ex levi et modicâ causâ, sicque excusari à culpâ etiam veniali, tam in concedente quàm in petente. Votum sic irritatum deinceps non obligat, nec revivisce, sed extinguitur.

§ 1. *De votis puerorum.*

Certum est pueros ante usum rationis non esse vovendi capaces, quia votum essentialiter includit deliberatam promissionem : pueri autem non habent deliberatam rationem, si careant illius usu, sicut et amentes. Quando autem adsit sufficiens usus rationis, nequit pro omnibus certa et uniformis regula assignari, cùm alii citiùs, alii tardiùs adveniat. Et quidem ex juris præsumptione ante septenarium pueri non censentur habere usum rationis, loquendo de his quæ regulariter et communiter contingunt. Nam ut ait D. Thomas, q. 88, art. 9, in corp. : *Contingit aliquando propter naturæ dispositionem, quæ legibus humanis non subditur, in aliquibus, licet paucis, accelerari rationis usum, qui ob hoc dicuntur doli capaces. Et tunc quantùm est de se, voto simplici possunt se obligare. Si enim tunc possint se obligare diabolo per peccatum mortale, cur non poterunt se Deo obligare per votum?* Unde diligenter attendendum est an sint doli capaces, an sciant discernere quid sit Deo vovere, an possint peccare mortaliter? Tunc enim si emittant votum simplex, contrahunt obligationem adimplendi, donec à patre irritetur. Hinc colligit D. Thomas quòd *si puer vel puella ante annos pubertatis nondùm habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid voto se obligare : si verò ante annos pubertatis attigit usum rationis potest quidem, quantùm in ipso est, se obligare : ejus tamen votum potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subjectus.* Hujus autem rationem assignat S. doctor, dicens quòd votum simplex habet efficaciam ex deliberatione animi quâ quis intendit se obligare. Quòd autem talis obligatio robur non habeat, dupliciter potest contingere : Uno quidem modo propter defectum rationis, sicut patet in furiosis et amentibus, qui voto non possunt obligari ad aliquid dùm sunt in furiâ vel amentiâ. Alio modo quia ille qui vovet est alterius potestati subjectus. Et ista duo concurrunt in pueris ante annos pubertatis ; quia patiuntur rationis defectum, ut in pluribus, et sunt naturaliter sub curâ parentum vel tutorum, qui sunt eis loco parentum : et ideò eorum vota ex duplici capite robur non habent. Si verò habuerint usum rationis ac fuerint doli capaces, ex uno tantùm capite infirmantur : non enim propter hoc in aliquo eximuntur à curâ parentum, quæ subjacet legi humanæ respicienti ad id quod frequentiùs accidit. Verùm quantumcumque sint doli capaces ante annos pubertatis, non possunt se obligare voto solemni religionis propter Ecclesiæ statutum, quod respicit id quod in pluribus accidit. Ratio est, quia solemnitas voti in quâdam spirituali benedictione et consecratione consistit, ut dictum est supra, quæ fit per ministerium Ecclesiæ : ideò solemnizatio voti sub dispensatione et acceptatione Ecclesiæ cadit, quæ statuit impuberes ad emittenda solemnia religionis vota esse inhabiles ; de aliis autem votis secùs est dicendum, quia non tam ad ætatem quàm ad rationis plenum usum spectant : sicque pueri doli capaces, etiam

ante annos pubertatis possunt quocumque voto simplici se obligare; potest tamen à parentibus irritari; cùm enim ut plurimùm non ita ratione ac judicio vigeant, lex ecclesiastica, quæ respicit id quod evenit ut plurimùm, voluntatem illorum in eâ ætate parentibus ac tutoribus subjicit. Imò Cajetanus docet tunc pueros doli capaces posse se obligare voto solemni continentiæ, suscipiendo sacrum ordinem, cùm Ecclesia tale votum acceptet. Idque ex eo patet quòd Ecclesia exigit à tali puero spontè ac liberè ordinato, ut se in eo sacro ordine deliberatè suscepto recognoscat, cui inseparabiliter est annexum continentiæ votum in Ecclesiâ occidentali. Quamvis enim concilium Trident. sess. 2, de Reform. cap. 12, voluerit neminem in sacris admitti ante annum ætatis suæ vigesimum secundum, si tamen aliquis ante annos pubertatis, nempe decimum quartum, spontè susceperit sacrum ordinem, sibi collatum, ad votum continentiæ obligatur. Verùm de hoc alii judicent.

Pater et tutor etiam vota personalia aut realia aut mixta, quæ filius impubes emisit exequenda tempore pubertatis, aut etiam alio tempore, mortuo patre, possunt irritare; quia semper verificatur quòd fuerint ab impubere emissa, et habeant inhibitam conditionem pendentem ex patris consensu, jure ita disponente ob immaturum ac imbecille impuberum judicium. Ergo cùm in adventu pubertatis nulla facta fuerit mutatio in eo voto, si post eam non fuerit confirmatum, pater poterit illud irritare, sicut poterat priùs. Ita Sylvest., v. *Votum*, 4, q. 2, in fine. Sotus lib. 7 de Just. q. 3, art. 1; D. Anton. p. 2, tit. 11, cap. 2, § 7. Dummodò tamen filius post annos pubertatis votum illud antea factum non confirmet de novo ac ratificet, quasi jam de novo vovens et se obligans: tunc enim in votis personalibus non est ampliùs in facultate patris irritare, cùm jam filius in his sit sui juris: secùs dicendum si filius putans votum in impubertate emissum valere, cum illâ credulitate illud tantùm sæpè renovet ac implere simpliciter statuat; tunc enim nulla additur firmitas voto præcedenti; ideòque potest à patre irritari; sed ad confirmationem voti requiritur, ut pubes tunc de novo voveat, aut saltem animo velit ut votum ante pubertatem emissum valeat tunc, etiamsi antea non valuerit, in his scilicet quæ pertinent ad statum vitæ, etc. Imò Cajetanus, 2-2, q. 189, art. 5; Navarrus, cap. 12, num. 71; Lopez, Valentia, et alii, non improbabiliter docent patrem, qui non irritavit vota personalia aut realia à filiis ante pubertatem emissa, ea deinde post pubertatem irritare posse, si filius ea tunc non confirmârit, ob scilicet rationem jam adductam: quia nulla facta est mutatio in voto ex naturâ suâ, ex hoc quòd mutata fuerit persona filii, et ut habetur in Reg. juris in 6: *Quæ à principio non tenent, tractu solo temporis non firmantur.* Esto enim quòd tunc votum irritari nequeat ex parte materiæ promissæ, ut religionis et continentiæ; potest tamen irritari ob subjectionem voluntatis filii ad patrem eo tempore quo illud votum emissum fuit. Cùm igitur illud votum filii impuberis emissum fuerit cum dependentiâ ad consensum patris, adhuc obligatio ex illo pendet, sicut antea pendebat; fuit namque votum emissum sub conditione, si pater consenserit, et reverà nondùm consensit. Nec est eadem ratio de voto servorum. Nam datur patri facultas dispensandi in votis impuberum filiorum ob defectum firmi judicii: datur verò potestas dispensandi dominis in votis servorum, ob præjudicium quòd ipsis irrogatur: quando autem servus liber evasit, tunc nulla ejus vota sunt domino præjudicialia, jamque cessavit omnis ratio potestatis illius in servum. Hinc fit ut vota aliqua subditorum irritata à superiore, cessante statu subjectionis reviviscant, ea scilicet quæ non possunt irritari, nisi quatenùs superiori præjudicant, qualia sunt vota quæ ab uxoribus aut servis emittuntur; alia verò numquàm reviviscant, ea nimirùm quæ irritantur ob defectum maturi judicii in voventibus, qualia sunt vota impuberum. Quidam tamen volunt patrem tunc solummodò posse irritare vota filii in impubertate emissa, quando solùm post annos pubertatis illa novit, quia taciturnitas filii nequit afferre præjudicium patriæ potestati, dummodò statim ac illud scit contradicat: secùs verò si sciverit, dùm filius adhuc erat impuber, et intra illud tempus ei concessum, non irritaverit, quia tacendo consentire videtur.

Et hæc de votis filiorum in impubertate factis. Quoad ea verò quæ emittunt post pubertatem, D. Thomas hìc art. 8, ad 1, ait, *quòd ex quo homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis, quantùm ad ea quæ pertinent ad suam personam, puta quòd obliget se religioni per votum vel quòd matrimonium contrahat. Non autem est suæ potestatis quantùm ad dispensationem domesticam: unde circa hoc non potest aliquid vovere, quod sit ratum sine consensu patris.* Vide 2-2, q. 104, art. 5, in corp. Ex quibus verbis infertur primò, vota personalia à filiofamiliâs post annos pubertatis emissa, et etiam mixta quæ per se primò respiciunt personam, ut votum castitatis, religionis, etc., non posse à patre irritari, quia in rebus quæ pertinent ad electionem statûs, filius non est subjectus parentibus. Hinc filiifamiliâs, non consentientibus, imò invitis parentibus, matrimonia post pubertatem contrahentes, quamvis graviter peccent, ea tamen validè ineunt; seu hæc matrimonia sunt quidem illicita, divinis humanisque legibus prohibita, et punitione digna: non tamen invalida, prout declarat concil. Trident. sess. 24, cap. 1 de Reformat. matrimonii, hisce verbis: *Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia libero consensu contrahentium facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiù Ecclesia ea irrita non fecit: et proindè jure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera et rata esse negant, quique falsò affirmant matrimonia à filiisfamiliâs sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.* Idem colligitur ex responsis Nicolai papæ I, ad consulta Bulgarorum c. 3, et ex Innocentio papâ III, de Sponsal. cap. *Cùm adhuc*, cap. *Tuæ fraternitati*, c. *Tua nos*. Et ex Alexandro III, cap. *Cùm olim*, cod. tit., magisque explicabi-

tur infra in 4 præcepto. Item filius post annum 14, et filia post 12 completum, possunt votum castitatis et religionis etiam invito patre licitè validèque emittere. Nec pater illud irritandi jus habet. Item concilium Trident. sess. 25, de Regular., cap. 15, decernit non valere professionem nec vota solemnia religionis ante annum decimum sextum completum. Unde, si quis ante illud tempus emittat ea vota, nulla erunt. Si tamen filius aut filia etiam invito patre post adeptum et completum decimum sextum ætatis suæ annum, velit emittere professionem religiosam transacto probationis anno integro, verè profitetur ac emittit vota solemnia indissolubilia.

Porrò votum solemne religionis ante prædictam ætatem emissum, proindeque invalidum, non habet vim voti simplicis : ideòque sic professus non tenetur ex vi illius voti ad religionem et continentiam, ut probat Cajetanus 2-2, q. 88, art. 9, et declaravit concilium Trident. loco citato. Item de Regular. in 6, cap. *Is qui*. Et cap. *Non solùm*, habetur quòd talis antè legitimam ætatem professus, potest liberè redire ad seculum ; quod Ecclesia non diceret, inquit Cajetanus, si iste quantum in ipso est, teneretur ad religionem aut continentiam. Vota tamen personalia et mixta filiorum puberum, quæ patriæ potestati præjudicant, et grave ac alicujus momenti afferunt præjudicium, pater irritare potest ; ut si filiusfamiliâs voveret jejunia extraordinaria, quæ periculum morbi ipsi afferrent, vel si tot preces et exercitia spiritualia voveret, quæ forent impedimenta paterno obsequio, aut studio cui ex præcepto patris vacat ; quia hæc vota juri, potestati et domesticæ gubernationi nocent, cùm ejus officium sit curare ut filius studio aut alteri operi ad vitam transigendum necessariò incumbat : tum quia cùm istis votis lædatur jus paternum, censentur illicita ex parte materiæ. Idem dicendum quando filius vovit principaliter longam peregrinationem, quam sine sumptibus exequi non valet, si tale votum esset notabiliter præjudiciale gubernationi domûs et patriæ potestati ; quia tamen sumptus sunt quid accessorium, quod proinde sequitur naturam principalis, nempe peregrinationis, multi doctores concedunt istum filium posse saltem suspendere executionem hujus voti usque ad tempus quo fuerit emancipatus : aut consulunt ad omnem scrupulum amovendum securius esse petere dispensationem à prælato, quàm à patre irritari.

Colligitur secundò ex verbis D. Thomæ supra relatis, omnia vota realia à filio post pubertatem emissa usque ad vigesimum quintum annum completum, aut donec fuerit emancipatus, seu extra patriam potestatem constitutus, posse à patre irritari ; quia hæc irritatio non fundatur in defectu judicii ad vovendum, sed in defectu materiæ propter subjectionem. Ergo ex duratione subjectionis, et non ex ætate pendet duratio potestatis patriæ ad irritandum filiorum puberum vota realia ; toto autem hoc tempore filii sunt sub curâ parentum in iis quæ pertinent ad dispensationem bonorum, ita ut sine parentum licentiâ nihil de bonis suis dispensare valeant, nisi sint castrensia, aut quasi castrensia, id est, in bello vel in officio publico acquisita, *ff. de Minoribus* 25 *annorum*. Ergo parentes vota adolescentum realia, seu ad quorum impletionem requiruntur sumptus, v. g., dare eleemosynam, peregrinari, etc., irritare possunt, dummodò etiam non sint personalia principaliter, solùmque realia accessoriè ; ut si pubes profiteatur in religione successionis capace, eo ipso dat jus monasterio ad bona sua, non possunt pater et tutor istud dominium impedire eaque bona retrahere.

§ 2. *De votis conjugatorum.*

Divus Thomas, in 4 Sent., dist. 38, q. 1, art. 1, q. 3, ad 4, ait quòd *in his in quibus uxor viro tenetur, et converso, neuter vovere potest sine mutuo consensu, sicut patet de voto continentiæ ; sed quia in dispensatione domûs, et regimine vitæ mulier est subjecta viro, et non è converso ; ideò vir potest in talibus vovere sine consensu uxoris : sed non è converso*. Et in eodem lib., dist. 32, q. 1, art. 4, ad 2, ait quòd *alter conjugum dissentiens voto alterius non peccat, quia non dissentit ut bonum illius impediat, sed ne sibi præjudicium generetur*.

Ex quibus D. Thomæ verbis colligitur primò quòd vir et uxor quantùm ad votum castitatis ad paria judicantur, ut habetur causâ 32, q. 1, can. *Si quis*, et docet D. Anton. p. 3, tit. 1, cap. 22, § 2, ubi refert DD. Raymundum, et Albertum Magnum, ac tenent communiter auctores. Unde nequit unus conjux sine licentiâ alterius vovere aliquid quod directè vel indirectè tendat in præjudicium statûs matrimonii postquàm fuit consummatum. Ut enim ait D. Thomas, 2-2, q. 88, art. 8, votum est tantùm de illis rebus quæ nostræ subjacent potestati ; non autem de illis in quibus aliquis est alteri subjectus. Cùm igitur conjux non habeat corporis potestatem quantùm ad illum actum, sed in alium transtulerit, huic juri nequit præjudicium afferre per votum castitatis et aliarum rerum, quibus conjugale debitum aut omninò, aut non ita commodè reddi posse impeditur : non enim potest alienum vovere invito illius domino. Hinc quando matrimonium est ratum, sed non consummatum, si tunc conjux emittat votum simplex religionis aut assumendi ordinem sacrum, est validum, et obligat ad sui impletionem ; ita ut primâ vice consummans matrimonium lethaliter peccet, sive petendo debitum sive reddendo. Verùm postea licebit ei petere et reddere, nisi votum simplex castitatis emisisset, quia tunc non licet petere debitum, sed tantùm reddere. Soluto tamen matrimonio, aut facto divortio ratione adulterii, tenetur votum adimplere, prout ostensum est supra art. 2, § 2, vide ibi.

Si verò conjux absque licentiâ alterius hujusmodi vota emittat religionis et ordinis sacri post consummatum matrimonium, cum animo tunc implendi, et pro tunc se obligandi, in isto casu votum est invalidum ob rationem mox adductam : secùs si votum emittat

pro tempore soluti matrimonii aut divortii facti : quia tunc votum est de re omninò licitâ et sanctâ, implendâ tempore quo cessabit omne impedimentum. Idem dicendum si conjux emittat tale votum absolutè et simpliciter, nullum in suâ mente ac intentione præfiniendo tempus ; nempe quòd istud votum religionis aut ordinis sacri valebit pro tempore soluti matrimonii, quia non est præsumendum illicitè ac perperàm hoc votum emitti, quando de oppositâ intentione voventis non constat, ne delictum præsumatur, *ff. Pro socio l. merito.* Ergo cùm licitè fieri nequeat nisi pro tempore soluti matrimonii, concludendum est voventem se ad hoc obligare voluisse. Quòd si emittat votum simplex castitatis, valet et obligat ad non petendum debitum ; tenetur tamen conjux alteri petenti reddere ; eoque soluto matrimonio obligatur ad non ineundum aliud matrimonium absque dispensatione, et ad abstinendum à quovis actu venereo præter redditionem debiti : talisque actus erit sacrilegium, utpotè contra votum. Non potest tamen conjux absque licentiâ alterius vovere tunc castitatem cum animo nec petendi nec reddendi debitum ; imò est lethale peccatum, cùm promittatur Deo res illicita moraliter contra justitiam. Hinc multi docent votum non petendi debitum ab uno conjuge absque alterius licentiâ emissum, validum esse, eumque sub mortali ad non petendum obligare ; quia conjux ex lege matrimonii non tenetur debitum petere, sed tantùm reddere, causâ 33, q. 5, cap. *Dicat.* Item quia cùm non petere sit liberum ac opus virtutis, potest esse materia voti : aliunde verò id non est in præjudicium alterius, sed solius voventis, cui renuntiare potest. Tandem si hoc redundet in aliquale alterius conjugis gravamen, illud subire tenetur, cùm conjux vovens utatur jure suo. Addit Sanchez quòd ad huic gravamini occurrendum, quoties iste vovens sentit in conjuge appetitum coitûs, aut fornicationis periculum, potest petere debitum pro eo, quia tunc petere ut mos geratur alteri conjugi, est potiùs illi reddere tunc interpretativè petenti, ut docet D. Thomas in 4, dist. 38, q. 1, art. 3, q. 2, ad 4. Alii verò contrarium docent, quia scilicet nimirùm foret matrimonium onerosum alteri conjugi quem semper oporteret petere ac verecundiam in petendo subire. Unde tanquàm illi præjudiciale ab ipso irritari potest : ita D. Thomas in 4 Sent., dist. 32, art. 4, ad 3. Hancque sententiam probabiliorem existimo in casu quo vir tale votum emitteret. Nam contra naturalem inulierum verecundiam, uxor semper cogeretur petere debitum, indeque nimiùm quàm par sit gravaretur : ideòque ob istud notabile proprium præjudicium, videtur eam tale viri votum irritare posse. Idque colligitur ex D. Thomâ in additionibus ad 3 part., q. 64, art. 5, ad 1 et 2 argum., ubi dicit *ex hoc solùm inferri posse virum et uxorem in petendo et reddendo debitum non esse æquales æqualitate quantitatis, non verò æqualitate proportionis. Ex hoc enim quòd vir nobiliorem partem habeat in actu conjugali, naturaliter habet quòd non ita erubescat petere debitum, sicut uxor. Et inde est, quòd uxor ita non tenetur reddere debitum non petenti viro, sicut vir uxori qui tenetur ipsi reddere, etiamsi expressè verbis non petat, solùmque expressa signa, appareant voluntatis illius. Hinc quamvis uxori non sit concessum vota omnia viri irritare, potest tamen omnia et sola quæ ipsi præjudicant quoad moderatam debiti redditionem, mutuamque cohabitationem, quia quantùm ad hoc uxor acquisivit potestatem in corpus viri, ut habetur 1 ad Corinth. 7. Consequenter, si vir absque uxoris licentiâ eas preces aut abstinentias ac vigilias voveat quæ ejus corpus ita debilitent ut fiat impotens reddendi moderatè debitum, possunt talia vota quoad excessum uxori præjudicantem, ab eâdem irritari.*

Quando votum castitatis post matrimonium consummatum fuit emissum ab uno conjuge cum consensu et licentiâ alterius, aliqui dicunt conjugem post eam licentiam datam non posse ampliùs exigere debitum, quia videtur juri suo renuntiâsse, perinde ac si dedisset licentiam ingrediendi religionem ac profitendi ; aliàs prædicta licentia foret inutilis. Alii verò asserunt quòd si nihil aliud specificetur, hujusmodi votum nullatenùs officit juri concedentis licentiam, sed subintelligendam esse hanc tacitam conditionem, nempe ut vovens se obliget quidem ex parte suâ ad continentiam, sed absque conjugis præjudicio, ita ut petere nequeat, tamen reddere teneatur ; ea quippe videtur esse alterius conjugis intentio, dùm de contrariâ non constat ; addunt nihilominùs quòd si non coactus nec ignarus expressam concesserit conjugi licentiam vovendi omnimodam castitatem, et etiam non reddendi debitum, adhuc potest validè quoad hoc votum irritare ; verùm mortaliter peccat, si absque justâ causâ faciat : secùs dicendum si justa causa subsit, nempè si sit persona juvenis et in periculo incontinentiæ versetur : factâ autem hâc irritatione, non est ampliùs culpa in petendo debito ; et alter conjux tenetur reddere quia cessavit obligatio voti, cùm alter petendo censeatur illud annullare. Quòd autem absque justâ etiam causâ validè, quamvis illicitè et cum peccato possit istud votum quoad redditionem debiti irritare, inde colligitur quòd per eam licentiam non abdicavit à se jus justitiæ quod habet in corpus conjugis, sicque nonnisi rem suam petit, licet modo indebito : conjux tamen vovens tenetur non petere, ac soluto matrimonio à secundis nuptiis abstinere, et ad cæteros castitatis actus integrè obligatur ex hoc voto. An verò possit et teneatur huic petenti cum peccato debitum etiam reddere, alii negant, quia putant hujusmodi revocationem licentiæ ac irritationem voti esse nullam. Item quia reddendo consentiret et cooperaretur alterius peccato. Tandem quia D. Thomas, 2-2, q. 62, art. 5, ad 1, docet non esse restituendum depositum aut solvendum debitum quando probabiliter apparet hanc redditionem domino petenti fore nocivam.

Alii affirmant, quia hæc licentia non derogat juri petendi quod habet conjux qui non vovit, et consequenter habet jus ut ipsi debitum reddatur, nec inducit aliquod pactum justitiæ per quod vovens abdicet à se illud jus justitiæ, sed tantùm facit ut conjux vovens obligetur ex virtute religionis ad non petendum ; non

verò quòd non teneatur ex justitiâ ad reddendum alteri quod suum est referendo hanc debiti redditionem ad bonum honestum, scilicet ad fidem promissam in matrimonio et justitiam servandam. Nec refert quòd alter conjux petendo peccet. Nam et quando petit solius delectationis gratiâ, peccat venialiter; et tamen reddens nullo modo peccat : dùm enim opus non est de se malum, imò est debitum, solùmque efficitur malum ex fine aut intentione malâ petentis, aut ex aliâ circumstantiâ extrinsecâ operantis, tunc illud reddens non censetur consentire nec cooperari peccato illius; quia non cooperatur propter eumdem finem, sed alium honestum habet. Igitur in casu proposito, quamvis conjux vovens alterum petentem corrigere ac precibus avertere debeat, si existimet se proficere posse, ad hoc præstandum charitate impellente; si tamen adhuc urgeat ac à petitione desistere nolit, potest tunc, imò debet reddere debitum, cùm ad id ex justitiâ teneatur. Tandem quando uterque conjux communi consensu et voluntate ambo castitatem voverunt, adeò tenentur illud votum servare, ut si ante obtentam dispensationem coeant, sacrilegium committant; tunc enim neuter absque peccato mortali petere debitum aut reddere potest; quia uterque renuntiavit juri suo quod habebat in corpus alterius, propter quod poterat ejus votum castitatis irritare, liberatque hoc ipso alium à servitute et obligatione reddendi debitum, ac se privat jure petendi, sicque alter non tenetur, imò neque potest licitè reddere. Et rursùs voto castitatis obligatur continere, nec potest absque sacrilegio cum aliâ fornicari; quòd si copulam extra matrimonium habeat, alter conjux non eximitur propterea à voto, quia obligatio unius ab alterius quidem obligatione pendet, non tamen ab observantiâ voti alterius. Caus. 33, quæst. 5, cap. *Quod Deo.* Quamvis autem per tale votum conjuges absolvantur à debiti conjugalis usu, minimè tamen à mutuâ cohabitatione aliisque obsequiis, quia illa non connectuntur necessariò nec dependent à debiti obligatione. Verùm non tenentur, nec debent in eodem lecto simul recumbere, ob probabile periculum incontinentiæ. Quòd si post mutuum illud castitatis votum sibi remittant illam juris renuntiationem in corpus suum, sibique exigendi et reddendi debitum conferant potestatem; erunt quidem sacrilegi voti transgressores; verùm remissio tenebit et erit valida, quamvis illicita; sicut et qui vovit de non vendendo equum, si postea vendat, tenet venditio, licet sit sacrilega et peccaminosa. Unde isti conjuges postea tenebuntur reddere debitum alteri, tanquàm ad pristinam servitutem redacti : neuter tamen poterit sine peccato petere obstante voto, nisi priùs dispensationem obtineant. Observandum quòd si conjugati verè non emiserint votum continentiæ, sed solummodò pactum inter se fecerint, proposuerint, aut renuntiaverint simpliciter de non petendo debito, tunc licitè possunt non continere ac redire ad usum matrimonii, sibi invicem remittentes ac dissolventes istud pactum, propter periculum incontinentiæ : imò si adsit tale periculum, per Ecclesiam cogendi sunt ad redeundum in pristinum statum, quia tunc ista conventio censetur temeraria et periculosa.

Colligitur secundò ex verbis D. Thomæ supra relatis quòd vir et uxor in directione ac gubernatione domûs et familiæ non sunt pares. Nam vir est caput mulieris, quæ proinde est ipsi subjecta in dispensatione domûs ac regimine vitæ : ideòque maritus vota multa uxoris circa hujusmodi irritare potest, quæ è converso si essent à marito facta, uxor irritare non posset, nisi aliunde actui conjugali afferrent præjudicium, prout jam dictum est. Sic vir absque consensu mulieris potest vovere eleemosynas, peregrinationes non multùm longas, aliqua jejunia, domicilium ad loca pia transferre, et similia quæ uxor nequit irritare, nisi forent præjudicialia debito reddendo : si tamen eadem vota ab uxore emittantur, vir ea potest irritare, non solùm quando sunt in præjudicium actûs matrimonialis, ut nimiæ abstinentiæ, gestatio habitûs religiosi, et alia per quæ matrimonium reddi potest odiosum, in quo vir et uxor sunt paris conditionis; sed etiam quando sunt in præjudicium domûs et familiæ, ut largæ eleemosynæ, vigiliæ extra domum, peregrinationes, auditio plurium Missarum in unâ die feriali, aliaque similia vota ab uxore facta, sive ante, sive post matrimonium. Vir enim irritare aut meliùs suspendere potest vota uxoris ante matrimonium emissa, ac eorum executionem impedire pro tempore constantis matrimonii; ita tamen ut eo dissoluto reviviscant. Caus. 33, q. 5, cap. *Noluit.* Quamvis enim actus liber, quo mulier ante matrimonium vovit, non fuerit viro subjectus, et sit omninò præteritus, materia tamen illa voto promissa, est jam planè viro subjecta, quatenùs potest in præjudicium illius redundare.

Quidam auctores docent maritum omnia prorsùs uxoris vota inito matrimonio emissa, et pro tunc implenda irritare posse, nullo excepto, etiam vota non mentiendi et servandi præcepta; idque probari potest ex D. Thomâ, 2-2, q. 88, art. 8, ad 3, ubi comparat uxorem religioso in vovendo, dicens quia nullum tempus est exceptum in quo prælatus non possit religiosum circa aliquid occupare : nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu prælati, sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris, nec uxoris, nisi de consensu viri. Ergo sicut prælatus habet dominium voluntatis subditi, et potest in universum ejus vota irritare, ita et maritus respectu uxoris; cùm enim mulier sit levis, imprudens, et facilis in verbis ac promissis, ideò Deus subdidit ejus voluntatem viro suo in votis emittendis. Numerorum cap. 30, caus. 33, q. 5, can. *Noluit.* Et can. *Manifestum.* Et can. *Fin.* Nullumque est tempus quo non possit vir uxorem ordinare in bonam gubernationem domûs et familiæ. Tandem quamvis uxor non sit subjecta viro quoad materiam præceptorum divinorum, tamen subdita est quoad novam illam obligationem servandi ex voto, quam sibi imponit.

Dicendum tamen videtur virum posse duntaxat irritare uxoris vota sine ejus licentiâ emissa quæ sunt

in præjudicium domûs, familiæ et actûs matrimonialis; quia tantùm quoad ea uxor est viro subdita. Nam in votis solummodò potest subdi viro ratione materiæ præjudicialis, non autem quoad voluntatem se voto obligandi absque viri præjudicio, quia matrimonium per se primò et ultimatè ordinatur ad bonum prolis et familiæ. Ergo propter illud tantùm subditur viro, qui proinde non est caput ejus spirituale, sicut superior respectu religiosi, sed politicum, in ordine ad communitatem monasticam. Idque colligitur ex verbis D. Thomæ in initio hujus parag. relatis, quibus indicat solummodò uxorem teneri viro in dispensatione domûs et familiæ; et etiam 2-2, q. 104, art. 5. Nec in loco pro primâ sententiâ adducto S. doctor intendit facere comparationem æqualitatis, sed tantùm proportionis inter uxorem et religiosum quoad vota. Potest igitur uxor absque mariti licentiâ, aliqua vota facere, ut recitandi aliquas preces, largiendi eleemosynas ex bonis quorum habet dominium et liberam administrationem, non mentiendi, etc. Quæ vir per se loquendo non potest irritare: non enim est dominus materiæ voti nec voluntatis uxoris voventis, nisi quoad illa quæ sunt in suum præjudicium.

§ 3. *De votis Religiosorum.*

D. Thomas, 2-2, q. 88, art. 8, ad 3, ait quòd *religiosus subditus est prælato, quantùm ad suas operationes secundùm professionem regulæ. Et ideò, etiamsi aliquis ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur à prælato, quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo prælatus non possit eum circa aliquid occupare, nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu prælati.*

Ubi S. doctor duo dicit: primùm directè respondet objectioni sibi factæ, nempe quòd religiosi possunt aliqua facere absque licentiâ prælatorum, puta dicere aliquos psalmos. Ergo multò magis promittere, eò quòd majus sit facere, quàm promittere. Cui argumento respondet S. doctor, quòd etsi ad horam, etc. Secundò statuit istud principium statim in initio, nempè quòd religiosus subditus est prælato quantùm ad suas operationes, secundùm professionem regulæ, quâ abdicavit à se dominium suæ personæ, voluntatis, operationum et rerum; quod transtulit in prælatum è cujus nutu dependet; ita ut non sit ampliùs sui juris nec habeat proprium velle aut proprium nolle, sitque quasi mortuus civiliter et spiritualiter mundo. E quibus rectè infert istam conclusionem nempè quòd: *Nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu prælati*, qui gerit vices Dei. Cajetanus hìc, Sylvester, v. *Votum* 3, q. 3, et alii volunt D. Thomam loqui tantùm de voto propriè sumpto, quod scilicet est de meliori bono seu de opere consilii et supererogationis. Potest enim prælatus religioso suo subdito quodlibet supererogationis opus, præter transitum ad arctiorem religionem, inhibere, quia istæ operationes possunt ordinari ad ea quæ sunt regulæ, in quibus religiosus directè subditur prælato suo; sic et omissiones supererogationis, saltem indirectè et reductivè ad regulam ordinari possunt. Cùm igitur omne votum habeat pro materiâ operationes aut omissiones ipsius religiosi, consequens est ut religiosus non sit dominus materiæ voto promissæ, cùm religiosus sit subditus prælato in omnibus operationibus exercendis et omittendis, quæ non sunt de necessitate salutis aut peccata, excepto exercitio excedente ea quæ sunt regulæ, aut transitu ad arctiorem religionem vel statum. Quando religiosus vovet facere ea quæ sunt statuta in regulâ, ut jejunare in feriâ sextâ, silentium tenere, etc., tale votum est de re supererogationis, quando fit de his quæ sunt dispensabilia à prælato; quia est de his quæ sunt religioso ex dispensatione licita, et ad quorum oppositа potest cogi à prælato, ut quòd cœnet in aliquâ feriâ sextâ, etc. Tunc enim prælatus hanc cœnam de illicitâ secundùm constitutionem, facit licitam per dispensationem; et oppositum his observantiis est quandoque opportunum ad ea quæ sunt religionis, et propterea commissa est prælatis auctoritas dispensandi. Neque istud est aliquid præcipere contra aut præter regulam, sed secundùm regulam, quæ dat illis auctoritatem dispensandi, factâque dispensatione regula non obligat quantùm ad istud opus. Quando verò votum religiosi esset de eo ad quod quis divinâ lege obligatur sub mortali, ut non furandi, non occidendi: vel sub veniali, non dicendi mendacium officiosum, aut verbum otiosum, etc., tale votum est firmum, non minùs quàm si à secularibus fieret, quia non est de his quæ subsunt potestati prælati directè vel reductivè, nec quoad qualitatem; ut scilicet de illicitis possit facere licita; nec quoad exercitationem, ut scilicet illas operationes vel earum omissiones à subdito exequendas præcipere valeat. Unde hujusmodi vota irritare nequit; sed potest prælatus ea commutare nomine Dei: et quandoque sunt ita indiscreta ut vovens puniri mereretur pro eo quòd tanto periculo se exponit peccandi mortaliter. Nec oportuit D. Thomam hæc vota speciali liter excipere, quia, ut sæpè dictum est, non sunt nisi largè et impropriè vota.

Non desunt tamen alii contrarium docentes quia licet prælatus non sit absolutè dominus materiæ præceptorum, quatenùs subditus ad eam obligatur præcepto divino et naturali: benè tamen quatenùs subditus novo vinculo obligari vel non obligari potest, per obligationem peculiarem virtutis religionis ortam ex voto, quæ cùm introducta sit tantùm ex subditi voluntate, cujus dominium habet prælatus, consequenter illud votum irritare potest absque suo consensu emissum, aliaque omnia vota regulariter loquendo, exceptis substantialibus religionis, nempe tribus solemnibus; item excepto voto transeundi ad arctiorem religionem, quia in cap. *Licet de regularibus*, jus canonicum illud à potestate prælatorum eximit, concedendo monachis liberam hujus transitûs facultatem, petito saltem, licet non obtento, superioris consensu. Vide D. Thom. q. 189, art. 8. Ratio est, quia cùm voluntas religiosorum plenè quoad omnia alia vota sit subjecta, ita ut jure possit prohibere illis ne novis se votorum vinculis obstringant, semperque censeantur conditionata

vatione talis subjectionis, meritò poterit irritare vota illa, liberà obligatione novâ factâ : sicque universaliter verificantur verba hæc D. Thomæ : *Nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu prælati.* Nec propterea peccant religiosi voventes, cùm non faciant aliquid quod de jure facere non possint. Ut enim ait D. Thomas, q. 88, art. 8, ad 4, licet votum eorum qui sunt aliorum potestati subditi, non sit firmum sine consensu eorum quibus subjiciuntur, non tamen peccant vovendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet si suis superioribus placuerit, vel non renitantur.

An autem vota religiosi sine superioris consensu emissa, sint etiam valida, ita ut interim ipsum obligent, donec fuerint à prælato irritata, aut ad hoc sit necessaria ejus confirmatio et ratificatio, sub lite est. Sylvester, v. *Votum* 3, q. 3, refert duas sententias. Quidam enim negant illud votum tenere, et religiosum non obligari volunt ad illius impletionem, eò quòd consideratâ humanâ fragilitate et religionis onere, nulla obligatio addi potest absque periculo præjudicii observantiæ eorum ad quæ tenetur ex vi suæ professionis, et sine periculo reddendi se onerosum aliquando prælato suo et aliis fratribus cum quibus vivit, propter sollicitudines et singularitates istorum voventium; quod Ecclesia considerans et simul arctitudinem professionis religiosæ, quæ tanta est, ut omnia alia vota in votum professionis commutari possint, voluit auctoritate Dei, nullum aliud posse superaddi, propter vitandum periculum transgressionis, ut colligitur ex causâ 33, q. 5, can. *Noluit*, et causâ 20, q. 5, can. *Monacho*. Ergo religiosus quantùm est in se non obligatur ad impletionem voti à se emissi absque assensu superioris, utpote quod est ipso jure nullum. Alii verò affirmant votum esse validum, et voventem quantùm est in se ad illius impletionem teneri, quousque à prælato revocetur : tum quia in illo canone *Monacho*, cui innituntur adversarii, sic habetur : *Monacho non licet vota vovere sine consensu abbatis. Si autem voverit, frangendum erit.* Quasi ipso jure non fractum ac nullum : tum quia D. Thomas dicit tantùm, hujusmodi votum non esse firmum, quia scilicet irritari potest; non tamen propterea sequitur esse de facto irritum et nullum : tum denique quia in hujusmodi votis subintelligitur tacitè ista conditio : si superior non contradicat. Ergo valent quousque renitatur prælatus.

Respondeo tamen ex dictis supra, art. 3, quòd si votum fuerit emissum de materiâ prohibitâ à prælato in generali aut in particulari, vel de materiâ præjudiciali regulæ et constitutionibus, non valet, nec vovens ante consensum affirmativum prælati tollentis prohibitionem, aut dispensantis, potest illud implere. Et in hoc sensu vera est prima sententia. Quando verò non est de re probibitâ aut præjudiciali, tunc ante prælati consensum est validum et obligatorium, quamdiù prælatus non irritaverit aut dispensaverit, quia ista materia est in se licita, et subintelligitur conditio negativa, nempe: si prælatus non contradicat, me obligo ac promitto Deo dicere septem psalmos, aut jejunare feriâ tertiâ, etc. Proindeque hujusmodi votum obligat, quousque accedat prælati prohibitio aut irritatio : liberumque est religioso tale votum manifestare aut celare prælato, si commodè illud implere valeat. Et in isto sensu vera est secunda sententia.

Prælatus irritare potest vota quæ religiosus professus ante religionis ingressum emiserat potiori jure quàm maritus ea vota uxoris irritare valeat, cùm religiosus plus subdatur prælato, quàm uxor viro. Adde irritationem non esse tunc necessariam, cùm omnia vota juris auctoritate cessent et commutentur in vota solemnia professionis religiosæ, ut habetur de voto ac voti redempt., cap. *Scripturæ*. Et probat Sylv., v. *Votum* 4, q. 7, v. *Tertium*.

Superior nedùm irritare potest religiosi vota in religione exequenda, sed etiam explenda pro alio tempore quo erunt sui juris, ut quando erunt episcopi. Ratio est quia licet non possit votum ex parte materiæ irritari, benè tamen ex parte voventis propter subjectionem voluntatis, quâ fuit emissum, prout dictum est § 1, de votis impuberum exequendis tempore pubertatis, ut probat Sylvester loco citato, q. 2, vers. 5.

Superior qui concessit licentiam vovendi suo religioso, si ante votum emissum illam revocet, religiosus nequit validè vovere. Et non solùm ante, sed etiam post votum emissum superior illam revocare potest : prudentiâ tamen et judicio uti debet, considerando an utilius ac decentius sit relinquere votum intactum, aut illud irritare, in re tanti momenti cum justâ causâ procedendo, ac rationabiliter jus suum ac jurisdictionem exercendo : aliàs graviter peccat, quia est infidelis Deo in re gravi. Ipse tamen subditus manet liber à vinculo voti, quia etiam post concessam eam licentiam religiosus remanet prælato subjectus sicut antea; et superior retinet dominium suum nec non et potestatem votum irritandi, ut docent Cajetanus in utràque Summâ; Sylvester, v. *Votum* 4, q. 3, v. 6; Sotus lib. 7 de Just. q. 3, art. 4, ut supra ostendimus art. 2.

Etiamsi abbatissæ ac monialium prælatæ careant jurisdictione spirituali, possunt tamen religiosarum vota specialia absque illarum assensu emissa irritare, cùm supra earum voluntatem majorem habeant potestatem dominativam, quàm parentes et maritus supra filium et uxorem.

Vota novitiorum qui nondùm professionem emiserunt, nequeunt irritare prælati religionum, cum tales novitii sint sui juris, nondùmque habeant subjectionem, in quâ fundatur hæc irritatio; possunt tamen illa suspendere quatenùs convenienti regimini et observantiæ regulari officiunt. Imò juxta aliquos omnia novitii vota ante professionem emissa, sunt ipso jure suspensa, cùm longè tunc melius sit opera religionis implere, quàm votum cum illis incompossibile. Quòd si novitius dimittat habitum, tunc hujusmodi vota

rum obligatio reviviscit, et tenetur illa exequi. Si verò professionem emiserit, omninò cessant ea vota personalia, et jure communi in solemnia religionis vota commutantur, ut probat D. Thomas, 2-2, q. 88, art. 12, ad 1. Vota autem realia novitiorum, regulariter loquendo, non possunt à superiore suspendi, quia ordinariè observantiam regularem non impediunt : possunt tamen sicut et personalia in opera religionis commutari, nisi fuerint facta in favorem alicujus tertii qui jus in rem promissam et acceptatam acquisivit. Cùm autem isti novitii possint egredi, si in noviciatu contingat aliqua vota ipsis commutari, talis commutatio fieri debet in aliqua opera quæ in seculo exercere valeant, ex hypothesi quòd egrediantur : auctores circa hæc afferri solent in tract. de Just. et Leg.

Quæres an religiosus ritè professus qui postea, ob mores depravatos et incorrigibilitatem, expellitur à religione, teneatur adhuc ad vota essentialia professionis, ac præcepta religionis observanda?

Resp. religiosum professum per sententiam definitivam in perpetuum è monasterio expulsum, non teneri ad obedientiam illi superiori præstandam, cùm desinat esse religiosus illius ordinis : tenetur tamen vitam et mores emendare, esse in præparatione animi redeundi ad religionem et obedientiam, si religiosi eum admittere velint. Iterùm si fuerit in sacris in seculo remanere potest ac vivere in habitu clericali sub obedientiâ episcopi. Item neque ad votum paupertatis strictè tenetur, cùm ad vitam necessaria debeat sibi comparare : ita tamen ut nullâ ratione possit divitias accumulare, aut testamentum condere, sed bona quæcumque acquirit, ad romanum pontificem vel ad Ecclesiam pertineant, instar bonorum illorum quæ vacantia dicuntur; quia vota obedientiæ et paupertatis tenetur servare meliori modo quo potest, aliàs mortaliter peccat; si tamen non fuerit in sacris, non tenetur officium recitare. Jejunia verò aliasque observantias religionis non tenetur implere, quia ad ea solùm tenebatur ratione religionis, à quâ tamen fuit exclusus. Ad votum solemne castitatis servandum in seculo manens, omninò obligatur : ita ut sit prorsùs inhabilis ad matrimonium contrahendum, etiamsi non sit in sacris, et si committit luxuriæ peccatum, sacrilegium quoque committet. Circa hæc vide Navarrum de regularibus consil. 51. Azorium 1 p. Institut., lib. 12, cap. 16, dub. 6 et 9. Sayrum in Clavi regiâ lib. 6, cap. 9, num. 23.

§ 4. *De votis servorum.*

D. Thomas in hâc quæstione 88, art. 8, ad 2, ait quòd ex quo homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis quantùm ad ea quæ pertinent ad suam personam; puta, quòd obliget se religioni per votum, vel quòd matrimonium contrahat. *Servus autem quia est in potestate domini etiam quantum ad personales operationes, non potest se voto obligare ad religionem, per quam ab obsequio domini sui abstraheretur.* Hujus rationem reddit S. Doctor, 2-2, q. 189, art. 6, ad 2, dicens quòd *quia servitus est in pœnam peccati inducta, ideò per servitutem aliquid adimitur homini, quod aliàs ei competeret, ne scilicet liberè de suâ personâ possit disponere; servus enim id quod est, domini est. Sed filius non patitur detrimentum ex hoc quòd subjectus est patri, quin possit de suâ personâ liberè disponere, transferendo se ad obsequium Dei, quod maximè pertinet ad hominis bonum.* Et q. 104, art. 5, in fine corp., explicans in quo servus sit domino subjectus, ait : *In his quæ pertinent ad dispositionem actuum et rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori obedire secundùm rationem superioritatis, sicut miles duci exercitûs in his quæ pertinent ad bellum, servus domino in his quæ pertinent ad servilia opera exequenda; filius patri in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ et curam domesticam. Et sic de aliis.* — Ex quibus deducitur hæc regula generalis, quòd ea quæ hactenùs dicta sunt à nobis de votis subditorum, intelligenda sunt quantùm ad illa in quibus sunt subditi : ita quòd si aliqua sint in quibus non sunt subditi, de illis possint vota facere absolutè valida : secùs si in illâ re sint subjecti, quia tunc vovent de alieno, id est, de eo quod sine alterius licentiâ dari aut fieri nequit. Hinc fit dominum ea tantùm servorum vota irritare posse, quæ sunt sibi præjudicialia, seu per quæ subtraheretur ab ejus obsequio, ut votum religionis capescendæ, de longâ peregrinatione faciendâ, de nimiâ abstinentiâ et jejunio quibus debilitaretur ac ad serviendum fieret ineptus. Et sic de aliis similibus quæ obsequio debito præjudicant et possunt esse impedimento : secùs vero illa vota quæ nullum domino præjudicium afferunt, nec ejus obsequium impediunt. Unde potest servus invito domino vovere castitatem, aliquas preces et abstinentias moderatas, item observantiam præceptorum naturalium ac divinorum, nec dominus talia vota etiam supererogationis irritare potest. Ratio est quia potestas domino competit ratione servitutis debitæ : quare solummodò extenditur ad ea vota irritanda quæ minuunt aut defraudant servitium : secùs verò ad ea quæ sine præjudicio obsequiorum impleri possunt, cùm in his non sit subjectus domino, sed existat sui juris; non enim dominus est superior quoad voluntatem servi simpliciter, sed tantùm ratione servitutis ei debitæ, et hæc doctrina procedit non solùm de voto emisso tempore servitutis, sed etiam de eo quod fecit antequàm foret servus : si enim obsequiis præjudicium afferat, potest quidem à domino irritari : cessante nihilominùs statu subjectionis reviviscit, prout dictum est de voto uxoris; quia scilicet post adeptam libertatem, adimpletio illius nullatenùs domino præjudicium affert. Vota à servo tempore servitutis emissa, quæ tunc non fuerunt à domino irrita, ab eodem postea quando libertatem adeptus ille fuit, irritari nequeunt, quantumvis durante servitute non fuerint ab ipso confirmata. Ratio est quia jam cessavit domini superioritas et præjudicium, proindeque non subsistit ampliùs facultas et ratio irritandi

vota servi in domino. — Dominus non potest irritare vota quibus servus promisit se aliquid adimpleturum tempore quo erit sui juris, quia tunc nullo modo præjudicant domino. Non potest tamen paterfamiliàs vota famulorum et mercenariorum propriè irritare, quia cùm mancipia non sint, illius dominativæ potestati non subduntur. Poterit tamen impletionem votorum obsequio sibi debito præjudicantium, usque ad terminum famulatûs suspendere, ut docent Sotus, Suarez, Sanchez, Bonacina et alii quos refert et sequitur Candidus art. 13 de Votis, in fine.

Articulus IV.

De dispensatione et commutatione votorum.

In hujus secundæ quæstionis decursu jam attulimus varios modos quibus aliquis ab obligatione voti impediri aut liberari possit, nempe vel ex parte materiæ, vel ex parte intentionis voventis, vel ex defectu libertatis et deliberationis ad vovendum requisitæ.

Item cessatione votum tolli ostensum est, quando scilicet quis ob aliquam causam, aut usque ad certum tempus votum emisit: v. g., vovit aliquis de non intrandâ aliquâ domo ob periculum quod animæ suæ imminet ex habitatione mulieris impudicæ, eâ recedente aut mortuâ, cessat tale votum. Item aliquis vovit singulis feriis sextis per unum duntaxat annum jejunare, expleto illo anno, votum cessat. Et sic de aliis similibus, quia non obligat votum ultra intentionem voventis. Item quia votum est particularis quædam lex: in eo sicut in lege, locum habere potest epiikia, seu interpretatio et declaratio quædam illius deobligationis in isto casu particulari, utpotè quia tunc ejus adimpletio foret illicita, juri naturali et rectæ rationi contraria; v. g., quis vovit non comedere carnes, et in eum locum devenit, ut non inveniat alium cibum, ita ut nisi carnes comedat, fame est periturus. In hoc casu votum non obligare ipsa æquitas et ratio naturalis dictat: eâ tamen necessitate transactâ, manet iste voto adstrictus sicut antea. Item irritatione votum reddi nullum ac invalidum, per totum articulum tertium præcedentem demonstravimus, ostendentes omnes illos qui habent potestatem dominativam in eos qui vota emiserunt, illa irritare posse, proindeque hanc potestatem non esse spiritualem et ecclesiasticam, sed duntaxat civilem et politicam; nec ex jure ecclesiastico, sed naturali descendere. Et per illud, irritatio differt à dispensatione et commutatione votorum: debet enim potestatem ecclesiasticam et spiritualem, seu jurisdictionem in eos qui vota emiserunt habere omnis qui dispensat aut commutat ea. Hinc fit parentes, maritos, dominos posse quidem irritare vota filiorum, uxorum et servorum; non tamen dispensare nec commutare; et è contra summum pontificem et episcopos fidelium vota commutare ac dispensare posse, sed non irritare, defectu scilicet potestatis dominativæ in illos. Prælati verò religionum cùm gaudeant utrâque potestate, dominativâ scilicet et spirituali in suos religiosos, illorum vota irritare et commutare ac dispensare valent, quod etiam summo pontifici competit, utpotè quia non minorem habet auctoritatem in religiosos quàm ipsorum prælati, et censetur esse supremus omnium ordinum prælatus generalis. Differt adhuc irritatio à dispensatione, quòd dispensatio requirit causam, secùs irritatio.

D. Thomas, 2-2, qu. 88, art. 10, docet *eodem modo ratiocinandum esse de dispensatione voti ac de dispensatione legis. Lex autem ponitur respiciendo ad id quod est ut in pluribus bonum. Sed quia contingit hujusmodi in aliquo casu non esse bonum, oportuit per aliquem determinari in illo particulari casu legem non esse servandam Et hoc propriè est dispensare in lege: nam dispensatio videtur importare quamdam commensuratam distributionem, vel applicationem communis alicujus ad ea quæ sub ipso continentur; per quem modum dicitur aliquis dispensare cibum familiæ. Similiter autem ille qui vovet, quodammodò sibi statuit legem, obligans se ad aliquid quod est secundùm se, et ut in pluribus bonum: potest autem contingere quòd in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum; quod est contra rationem ejus quod cadit sub voto. Et ideò necesse est quòd determinetur in tali casu votum non esse servandum. Et si quidem determinetur absolutè aliquod votum non esse servandum, dicitur esse dispensatio voti. Si autem pro hoc quod servandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Unde minus est votum commutare, quàm in voto dispensare: utrumque tamen in potestate Ecclesiæ consistit.* Hactenùs D. Thomas. — Sicut igitur dùm quis beneficio et favore principis ab aliquâ lege solvitur et eximitur, ab eâ dicitur solutus et dispensatus: ita, dùm quis ecclesiasticâ potestate à voti vinculo solvitur illiusque obligatione liberatur, dicitur in voto dispensatus. Unde dispensatio ista definiri potest ablatio vinculi et condonatio obligationis voti, nomine Dei facta à gerente vices illius: est actus jurisdictionis spiritualis, non verò ordinis. Unde episcopus nominatus, electus et à summo pontifice confirmatus, etiam nondùm ordinatus nec consecratus episcopus, habet istam dispensandi potestatem.

Esse in Ecclesiâ Dei hanc potestatem dispensandi in votis, colligitur ex illo Matth. 16: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Hæc enim verba, et similia quæ habentur Matth. 18, doctores communiter intelligunt de solutione cujuscumque vinculi ad salutem spiritualem animarum rectamque Ecclesiæ gubernationem conducente, proindeque de dissolutione votorum; cùm per eorum dispensationem, animarum saluti rectæque gubernationi provideatur, prout optimè declarat Innocentius papa I, q. 7, can. *Dispensationes.* Et colligitur ex immemoriali Ecclesiæ consuetudine. Ratio est, quia ista dispensatio se extendit tantùm ad materiam voti, hoc nimirùm sensu, ut id quod sub voto cadebat, seu quod erat materia voti, per absolutionem non sit ampliùs materia illius:

ideòque dispensatio, absolutio et relaxatio non cadunt supra votum, cùm ejus observatio sit de jure naturali et divino, sed supra ejus materiam, quæ secundùm aliquam causam et eventum particularem hîc et nunc potest esse nociva, inhonesta et inutilis, proindeque inepta et indebita. Unde penès Ecclesiæ prælatos relicta fuit potestas dispensandi, tanquàm ad bonum regimen necessaria, quatenùs post causæ particularis occurrentis diligens examen, tandem judicarent in dubiis an æquum foret hujusmodi voti obligationem in casibus particularibus remittere, et materiam quæ voto subjecta erat, ex causâ subtrahere per absolutionem et dispensationem, prout supra dictum est de relaxatione juramenti. D. Thomas loco mox citato. Adde quòd unusquisque potest cedere rebus in suum obsequium promissis, atque sibi debitum ex vi talis promissionis remittere per se vel per alium ejus vices gerentem, qui nomine ipsius illud relaxet. Cùm ergo Ecclesiæ prælati vices Dei gerant, possunt per dispensationem voti obligationem nomine illius, et potestate ab ipso acceptâ remittere ob justam et rationabilem causam, modo jam explicato. Ex D. Thomâ ibidem, art. 12, in corp. et ad 2. Nec id est verè ac propriè dispensare in jure naturali et præcepto divino, ut ostendit D. Thomas articulo 10, citato, ad 2; sicut enim ex jure naturali et præcepto divino tenemur implere votum, ita etiam tenemur ex eisdem obedire superiorum legi et mandato, et tamen dùm dispensatur in aliquâ lege humanâ, non fit ut legi humanæ non obediatur, quod est contra jus naturæ et præceptum divinum : sed fit ut quod erat lex, non sit lex in hoc casu ; ita etiam auctoritate superioris dispensantis fit, ut hoc quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu id non esse materiam congruam voti ; et ideò dùm prælatus Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in præcepto juris naturalis et divini, sed determinat et explicat id quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumspicere ; seu non facit ut stante voto liceat ei contrariari, sed solùm tollit ejus vim et obligationem, judicando et determinando, ut quod ante dispensationem erat votum et obligabat, non sit ampliùs votum et careat vi obligandi.

Ad validam voti dispensationem duo requiruntur : Primum, auctoritas prælati, eò quòd sit actus jurisdictionis ; ut enim ait D. Thomas art. 12, in corpore, votum est promissio Deo facta de aliquo quod sit Deo acceptum. Quid autem in aliquâ promissione acceptum sit ei cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio. Prælatus autem in Ecclesiâ gerit vicem Dei ; et ideò in commutatione vel dispensatione votorum, requiritur prælati auctoritas, qui in personâ Dei determinat quid sit acceptum, juxta illud 2 ad Corinth. 2 : *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in personâ Christi.* Et signanter dicit, *propter vos :* quia omnis dispensatio petita à prælato, debet fieri ad honorem Christi in cujus personâ dispensat, vel ad utilitatem Ecclesiæ quæ est ejus corpus. Hactenùs S. doctor ; et ibidem in argum. *Sed contra*, ait quòd sicut ad dispensandam in præcepto legis requiritur superioris auctoritas, ita etiam in dispensatione voti. Id tamen non impedit quin possit quandoque aliquis propriâ auctoritate votum suum commutare in melius, ut explicabitur infra. Secundum est justa et rationabilis causa, ut colligitur ex D. Thomâ art. citato ad 2, ubi refellit quosdam auctores dicentes quòd ideò prælati possunt in votis pro libito dispensare, quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas prælati et superioris ; sicut ob hoc pater et dominus possunt vota filiorum et servorum pro libito absque causâ annullare, ut jam ostensum est. Ostenditque S. doctor hanc opinionem falso inniti fundamento : *Quia cùm potestas prælati spiritualis, qui non est dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, et non in destructionem, ut patet ex 2 ad Corinth. 10, sicut prælatus non potest imperare ea quæ secundùm se Deo displicent, scilicet peccata, ita non potest prohibere ea quæ secundùm se Deo placent, scilicet virtutis opera : et ideò potest homo absolutè ea vovere. Ad prælatum tamen pertinet dijudicare quid sit magis virtuosum, et Deo magis acceptum. Et ideò in manifestis dispensatio prælati non excusaret à culpâ, puta si prælatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu religionis, nullâ apparente causâ obstante. Si autem esset causa apparens per quam saltem in dubium verteretur, posset stare judicio prælati dispensantis vel commutantis ; non tamen judicio proprio, quia ipse non gerit vicem Dei, nisi fortè in casu in quo id quod vovit esset manifestè illicitum, et non posset opportunè ad superiorem recurrere.* Hactenùs S. doct. Quamvis igitur vota subditorum absque causâ irritari possint ab iis qui habent potestatem dominativam super illos, aut quia sunt de materiâ illis subjectâ, aut quia voluntas personæ voventis est omninò illis subdita, et censentur quasi una persona, non tamen ab iis qui solam jurisdictionem spiritualem habent, utpotè in ædificationem et non in destructionem ipsis concessam ; alioquin Deus non consentit in dispensationem, sicque nedùm est illicita, sed etiam invalida et nulla, neque sic dispensatus in conscientiâ tutus manet.

Quænam autem sint justæ ac legitimæ causæ ad votorum dispensationem et commutationem, id pendet ex variis circumstantiis ac prudentum et proborum judicio, attentis omnibus attendendis ; maximè his tribus, juxta cap. *Magnæ de voto*, nempè : quid liceat secundùm æquitatem, quid deceat secundùm honestatem, et quid expediat secundùm utilitatem. Inde auctores istas causas generales assignant, quas desumunt, primò ex parte materiæ, puta si executio voti efficitur impossibilis aut inutilis, aut illicita, aut majoris boni impeditiva, etc. Secundò ex parte voventis, puta ob ejus infirmitatem, debilitatem ad votum adimplendum : v. g., quis vovit imprudenter longum jejunium in pane et aquâ, aut longam peregrinationem pedestrem, et similia, quæ postea verâ complexionis debilitate aut aliâ indispositione vel accidenti superveniente, nonnisi cum valdè arduâ difficultate exequi

valet. Habet iste justam petendæ et obtinendæ dispensationis causam : secùs dicendum, si difficultas solùm ex pravâ dispositione et molestiâ voventis procedat. Cum quo tamen stat quòd si adsit probabile periculum frequenter transgrediendi votum et peccandi ob statum voventis, sive ex fragilitate animi aut corporis, tunc intervenit legitima causa dispensandi vel commutandi ejus vota. Ut si quis simplex votum castitatis emiserit, et ob frequentes fortissimasque tentationes carnis quas patitur, continere non valeat, sæpèque votum violet ; habet justam causam petendi et obtinendi voti dispensationem ; ipsique melius est nubere quàm uri. Tertiò ex modo faciendi votum, puta si imprudenter, ex levitate, aut metu, vel in tenerâ ætate emissum fuerit, etc.

Positâ justâ et sufficienti causâ, potest prælatus, vel alius habens potestatem delegatam simpliciter dispensare ; tutius tamen est uti commutatione, quia sæpè evenit ut non occurrat causa sufficiens ad totam voti obligationem tollendam, sed tantùm ad eam commutandam in aliam leviorem ; idque prudentis superioris judicio expendendum relinquitur. Qui tamen petit dispensationem, caveat ne veritatem occultet quoad substantialia voti, vel quoad causam requisitam ad dispensationem obtinendam ; quia tunc dispensatio foret invalida, eò quòd ad ejus valorem requiratur vera notitia voti ex parte dispensantis : cùm enim dispensatio sit actus humanus, debet procedere ex causæ cognitione, ex deliberatione, et veritate niti, ex Trident. sess. 25 de Reform. cap. 18. Qui semel legitimè fuit dispensatus, non adimplendo votum, nullatenùs censetur infidelis ; quia, ut ait D. Thomas art. 10, ad 3, *ad fidelitatem Deo debitam non pertinet quòd homo faciat id quod est malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum, ad quod tendit voti dispensatio : et ideò dispensatio voti non est contra fidelitatem Deo debitam.*

Plura circa dispensationem in lege attulimus tract. de Justitiâ, de legibus, quæ dispensationi in voto proportionaliter sunt applicanda, cùm sit quædam privata lex. Nunc agendum superest de personis quibus competit facultas dispensandi in votis.

§ 1. *Utrùm summus Pontifex ex legitimâ causâ possi in omnibus votis etiam solemnibus Religionis dispen sare* (1).

Certum est papam in omnibus votis simplicibus, imò et in voto solemni continentiæ ordinibus sacris annexo, cum causâ dispensare posse ; ut enim ait D. Thomas art. 12, ad 3 : *Cùm gerat plenariè vicem Christi in totâ Ecclesiâ, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis.* Quibus ultimis verbis supponit aliqua esse vota omninò indispensabilia, nempe solemne continentiæ in professione religiosâ, prout statuerat articulo 2, immediatè præcedenti. Et de hoc præsentem movemus quæstionem.

Supponendo priùs ex jam dictis art. 1, §. 4, duplicem esse voti professionis religiosæ solemnitatem, unam substantialem et essentialem, consistentem in traditione suî ipsius factâ in manu superioris ad servandum illa quæ promittuntur, et in acceptatione quam superior facit nomine Dei, ita ut ex tunc religiosus fiat totaliter consecratus et mancipatus Deo ad castè sine proprietate propriàque voluntate vivendum, quasi mortuus civiliter mundo ; aliam verò cæremonialem et accidentalem quæ consistit in quibusdam cæremoniis, benedictionibus et modis per quos ex statuto Ecclesiæ fit illa traditio et acceptatio. His positis : Dico super votum solemne professionis religiosæ ritè emissum, nullam prorsùs cadere Ecclesiæ dispensationem. Ita expressè D. Thomas, 2-2, q. 88 art. 11, ubi grandævus in suo ultimo testamento retractat quod junior in 4 sent., dist. 38, q. 1, art. 4, ad 3, et ad Anibaldum eâdem dist., art. 2, opinatus fuerat. Hìc enim rejectis aliis opinionibus, imò solven rationes quas in prædictis locis adduxerat ad probandum contrarium, evidentissimè solidissimèque nostram stabilivit conclusionem, quam adeò veram censuit, ut contra sibi innatam solitamque modestiam ac in reprehendendo parcitatem, veritus non fuerit dicere eos qui sentirent religiosum posse auctoritate papæ fieri non religiosum, *ignoranter* id asseruisse. Ex quâ reprehensione patet, quàm seriò et mordicùs S. Doctor hanc tenuerit sententiam.

Eamque probat primò auctoritate Innocentii papæ III, de statu Monach. cap. *Cùm ad monasterium*, ubi ait : *Quòd abdicatio proprietatis sicut etiam custodia castitatis, adeò annexa est regulæ monachi, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere.* Ridiculum autem ac puerile est hanc decretalem interpretari in sensu composito, seu quòd stante monachatu nequeat Pontifex religiosum dispensare à custodiâ castitatis, benè tamen in sensu diviso, seu destruendo monachatum, et religiosum reddendo non religiosum. Nam in isto sensu nulla poterat esse difficultas, nec ullam admisisset pontifex differentiam inter votum simplex et solemne, quia etiam in voto simplici castitatis nequit papa dispensare ab ejus custodiâ in sensu composito, quamdiù scilicet illud votum manet in suo robore ; id enim foret dispensare in lege naturali et præcepto divino, quod nulli humanæ potestati competit. Probat secundò S. doctor ratione efficacissimâ. In hâc decretali apertè dicitur quòd castitas adeò est annexa professioni religiosæ, ut contra eam nec summus pontifex indulgere possit, quia nimirùm de-

(1) Solutio hujus quæstionis pendet ab eâ quam supra expendimus circa naturam voti solemnis ; si enim hæc solemnitas et ejus discrimen à voto simplici pendeat à solâ lege ecclesiasticâ, ut multò probabilius nobis visum est, concludendum erit S. Pontificem posse ab eo voto sicut ab aliis dispensare, quùm fatentibus omnibus possit dispensare à jure positivo ecclesiastico. Hæc sententia multùm confirmatur praxi Sedis apostolicæ, quæ interdùm, sed præsertim postremis his temporibus, post perturbationem Galliarum, multas dedit dispensationes religiosis et monialibus, ut nemo ignorat. (Edit.)

bitum continentiæ est de substantiâ et essentiâ statûs religionis per quem homo abrenuntiat seculo, totaliter Dei servitio mancipatus; quod non potest simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris et prolis et familiæ et rerum quæ ad hoc requiruntur. Unde Apostolus dicit 1 ad Corinth. 7, quòd qui est cum uxore, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, et divisus est: inde nomen monachi ab unitate sumitur per oppositum ad divisionem prædictam; indèque votum solemne religionis ex naturâ suâ jure divino dirimit matrimonium subsequens, redditque religiosum professum jure naturæ et divino prorsùs inhabilem ad matrimonium, aut ad faciendum validè et licitè ea opera quæ contrariantur illis quæ vovit. Cùm enim per votum castitatis tradiderit Deo corpus suum ad illi castè serviendum, nequit illud alteri tradere ad actum contrarium; quia jure naturali et divino nemo potest alteri dare quod ampliùs suum non est: aliàs irrita prorsùs est talis donatio. Nec est simile de voto et debito continentiæ ordini sacro annexo: non enim essentialiter, sed tantùm lege ecclesiasticâ illi adjungitur, sicque jure tantùm humano dirimit matrimonium, sicut facit consanguinitas. Græci siquidem sine illo voto sunt veri sacerdotes; et licet indecentissimum foret papam cum sacerdotibus occidentalibus dispensare, dispensatio tamen valeret, essentque adhuc veri sacerdotes. Atverò votum continentiæ est de intrinsecâ et essentiali ratione statûs religiosi, ita ut eo sublato non esset religio, nec religiosus; proindeque nequit per Ecclesiam dispensari, quòd religiosus professus talis remanens, matrimonium validè et licitè inire valeat accedente quâcumque causâ et necessitate, eò quòd professio religiosa cum matrimonio stare ac compati nequeat jure naturali et divino.

Atqui per quamcumque potestatem ecclesiasticam nequit effici ut qui semel ritè solemniter professus est religionem, non sit ampliùs religiosus professus, licet quidam juristæ ignoranter contrarium dicant. Non enim potest facere aliquis Ecclesiæ prælatus ut id quod est consecratum Domino et sanctificatum, consecrationem et sanctificationem amittat, quamdiù durat subjectum sanctificatum ut constat Levitici ultimo: *Animal, quod immolari potest, si quis voverit, sanctum erit, et mutari non poterit.* Quia ex hoc ipso quòd vovebatur, sanctum reputabatur, quasi divino cultui mancipatum; idcò ob hanc rationem non poterat commutari; idem patet in rebus inanimatis: nam calix consecratus retinet consecrationem, nec potest prælatus efficere quòd desinat esse consecratus, si maneat integer. Unde multò minùs potest facere aliquis prælatus ut homo consecratus, quamdiù vivit, consecratus esse desistat, puta quòd ille qui est sacerdos non sit sacerdos, licet possit ob aliquam causam executionem ordinis inhibere. Homo autem per professionem religiosam consecratur et se devovet Deo, totaliter se illi tradit ac sub speciali ejus dominio se mancipat. Ergo quamdiù vivit nequit ab illo Dei dominio subtrahi, nec veluti manumitti per quamcumque ecclesiasticam potestatem, neque amittere illam consecrationem et dedicationem Deo in quâ solemnitas voti professionis religiosæ consistit, ut dictum est supra: maximè cùm hujus potestatis nullum in Scripturâ nec in traditione fundamentum habeamus, sed potiùs contrarium ex illo Levitici loco colligatur; quæ lex de immolandis victimis, licet fuerit cæremonialis, ex eâ tamen parte quâ præcipiebat ne id quod semel erat Deo consecratum in alios usus profanos converteretur, præceptum naturale et divinum involvebat. Quare sicut papa non potest facere ut qui se uni per verum matrimonium legitimè tradidit uxori, ab illâ semovcatur quantùm ad vinculum, ita multò minùs spiritualis matrimonii vinculum, quo homo per professionem religiosam sese verè tradidit ac mancipavit Deo ac in illum statum se consecravit, amovere et destruere potest. In summâ, vis hujus rationis D. Thomæ consistit in hoc quòd si Ecclesia in hujusmodi voto dispensaret, aut de religioso faceret non religiosum, aut religiosum uxoratum et incontinentem: utrumque autem repugnat juri naturæ et præcepto divino. Ergo votum solemne religionis est ab Ecclesiâ omninò indispensabile.

Objiciunt primò adversarii. Una ratio dispensandi in voto est, si sit impeditivum melioris boni. Sed tale votum potest esse impeditivum melioris boni, nam bonum commune est divinius quàm bonum unius; potest autem per continentiam alicujus impediri bonum totius multitudinis, puta per contractum matrimonii aliquarum personarum religiosarum, regnorum pax aut conversio ad fidem procurari. Ergo, etc.

Respondet D. Thomas in hoc art. 11, ad 1, *quòd periculis rerum humanarum est obviandum per res humanas, non autem per hoc quòd res divinæ convertantur in usum humanum; professi autem religionem mortui sunt mundo, et vivunt Deo: unde non sunt revocandi ad vitam humanam occasione cujuscumque eventûs.* Quare causa dispensandi in voto, quod est mera promissio facta Deo, est quidem dùm majoris boni est impeditivum; quia tunc est per Ecclesiam dispensabile: secùs dicendum de voto includente perfectam, omnimodam et perpetuam sui dedicationem et traditionem Deo ad castè vivendum, etc. Tunc enim censetur esse omninò indissolubile, perinde ac matrimonium ratum et consummatum. Quando autem aliquid est omninò indispensabile ex naturâ suâ, nulla potest suboriri et subesse causa dispensabilitatis. Item negari potest, majus bonum ex hâc dispensatione provenire in casibus prædictis: non enim debemus respicere ad bonum castitatis, nec quòd iste eam servet, sed ad jus naturale et divinum quod violaretur per hanc dispensationem, ob rationem allatam. Idque satis innuit D. Thomas hìc ad 2, dicens, *quòd in voto continentiæ per professionem solemnizato non possit dispensari; hoc non est in quantum est actus castitatis, sed in quantum incipit ad latriam pertinere per professionem religiosam,* seu in quantum per eam religiosus est consecratus, dedicatus et mancipatus Deo ad castè vivendum,

proindeque nequit ab eo auferri ac manumitti per humanam potestatem absque violatione juris naturalis et divini, et alteri per matrimonium tradi; sicut unus conjugum post matrimonium ratum et consummatum, nequit ab alio auferri quoad vinculum, ejusque corpus alteri tradi per humanam potestatem, et ob quamcumque causam, etiam ob boni communis promotionem; quia id esset contra naturam indissolubilem matrimonii, et contra istud præceptum divinum Marci 10: *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* voti autem solemnis vinculum fortius est quàm matrimonii, cùm ipsum dirimat.

Objic. secundò: Solemnitas voti est tantùm de jure positivo ecclesiastico, ut definitivit Bonifacius papa VIII, cap. unico de voto et voti redemptione. Ergo potest auctoritate pontificiâ auferri.

Resp. solemnitatem accidentalem et cæremonialem esse quidem de jure ecclesiastico: secùs substantialem et essentialem. Deinde dato quòd solemnitas voti solùm foret de jure ecclesiastico, vinculum tamen et obligatio inde inducta est de jure divino. Sicut donatio est quidem ex liberâ donantis voluntate; acceptatâ tamen ab alio factâque rei traditione, obligat jure naturæ, nec ampliùs subjacet libertati donantis illam rescindere. Item consecratio calicis ex constitutione Ecclesiæ: ubi tamen est ritè facta, eam removere nequit, quamdiù manet integer. Item quòd aliquis sit rex aut superior pendet à voluntate et dispositione humanâ: de jure tamen naturæ est quòd subditi teneantur illi obedire, et sic de aliis. Quemadmodùm igitur Ecclesia potest quidem efficere ut matrimonium quod antea erat verum et legitimum, non sit ampliùs tale, apponendo aliquas conditiones, sine quibus non est validum, ut patet in matrimoniis clandestinis, quæ post Tridentinum non sunt valida; inde tamen colligi nequit, quòd substantia et essentia matrimonii ab Ecclesiâ dependeat: ita, quamvis votum solemne religionis ab Ecclesiâ dependeat quantùm ad aliquas conditiones, puta quòd fiat in tali ætate, in religione approbatâ, in manibus talis superioris, etc., ita ut sine illis professio non sit valida, inde tamen non sequitur quòd substantia hujusmodi votorum solemnium, non sit de jure divino, proindeque ab Ecclesiâ independens. Unde ritè emissa, sunt indispensabilia, non secùs ac matrimonium legitimè contractum est omninò indissolubile per humanam potestatem. Hinc et Matthæus potiùs subiit martyrium, quàm consentire quòd Hyphigenia filia regis Æthiopiæ, nuberet Hyrtaco, contra votum solemne castitatis quod ipso hortante jam emiserat illa, et ab eo fuerat acceptatum.

Objic. tertiò plura facta. Constat enim ex variis historiis aliquando pontifices dispensâsse cum aliquibus religiosis professis ut nuberent.

Resp. Sylvester, v. *Votum*, 4, num. 5, in fine, pontifices id fecisse non de jure, sed de plenitudine potestatis. Subditque hæc verba: *Ego etiam vidi pontificem majora facientem cum scandalo totius Christianitatis. Unde aliud est facere de facto, aliud determinare quòd ita possit fieri de jure. Aliàs dicendum foret, quòd posset etiam sine causâ validè dispensare, etsi non licitè.* Respondent alii, pontifices in his dispensationibus secutos fuisse opinionem, quæ apud canonistas probabilior reputabatur. Respondeo aut fabulosas, vel saltem valdè dubias esse illas historias, ut ostendunt nostri theologi: aut si aliquæ veræ sint, eas licentias quoad hoc non fuisse dispensationes, sed declarationes nullitatis professionum hujusmodi monachorum, propter defectum consensûs, vel alterius conditionis.

Objic. quartò. In voto solemni paupertatis et obedientiæ potest ab Ecclesiâ dispensari, ut patet in religiosis professis qui ad episcopatum assumuntur. Ergo etiam in voto solemni continentiæ potest Ecclesia dispensare.

Resp D. Thomas hìc ad 4, quòd *religiosus qui sit episcopus, sicut non absolvitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis: quia nihil debet habere tanquàm proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ! Similiter etiam non absolvitur à voto obedientiæ, sed per accidens obdiere non tenetur, si superiorem non habeat; sicut nec abbas monasterii, qui tamen non est à voto obedientiæ absolutus.* Vide etiam 2-2, quæst. 186, art. 8, ad 3.

Objic. quintò. Sicut votum abstinentiæ observatum, potest vergere in periculum personæ, ita etiam observatio voti continentiæ. Sed in voto abstinentiæ, si vergat in corporale periculum voventis, potest fieri dispensatio. Ergo pari ratione in voto continentiæ potest dispensari.

Respondet D. Thomas hìc ad 3, quòd *cibus directè ordinatur ad conservationem personæ, et ideò abstinentia cibi directè potest vergere in periculum personæ. Unde ex hâc ratione votum abstinentiæ accipit dispensationem. Sed coitus non ordinatur directè ad conservationem personæ, sed ad conservationem speciei; unde nec directè abstinentia coitûs per continentium vergit in periculum personæ. Sed si per accidens ex eâ periculum aliquod personale accidat, potest aliter subveniri, scilicet per abstinentiam vel alia corporalia remedia,* etc.

Remanet igitur intacta D. Thomæ doctrina solida, nempe quòd nulli hominum potestati subjacet religiosum ritè professum, efficere non professum; quâ professione stante redditur omninò ad matrimonium inhabilis ipso jure naturali et divino, in quo Ecclesia nequit dispensare. Neque potest sacerdotem secularem reddere non sacerdotem, sed tantùm in hoc dispensare, quòd remanens sacerdos matrimonium contrahere valeat, eò quòd solùm jure ecclesiastico, continentia sit illi annexa.

§ 2. *Utrùm episcopi valeant dispensare in votis.*

Postquàm D. Thomas, art. 12, ad 3, determinavit summum pontificem habere plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis, statim subdit: *Aliis autem inferioribus prælatis committitur dispensatio in votis quæ communiter fiunt, et indigent fre-*

quenti dispensatione, ut habeant de facili homines ad quem recurrant : sicut sunt *vota peregrinationum et jejuniorum et aliorum ejusmodi. Vota verò majora, puta continentiæ et terræ sanctæ reservantur summo pontifici.*

Hæc duo tantùm vota pontifici reservata assignat D. Thomas, quia, inquit Sotus lib. 7 de Just., quæst. 4, art. 3, forsan alia non erant excepta suo tempore; nunc tamen jure novo, et ex consuetudine receptâ, hæc etiam tria summo pontifici reservantur, nempè votum ingrediendi religionem (1); peregrinationis romanæ ad limina Apostolorum Petri et Pauli, et peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum : et ita de facto servatur. Docent tamen auctores, episcopos ex justâ et rationabili causâ suos subditos dispensare posse in voto castitatis, quando non est absolutum, sed ad aliquam circumstantiam restrictum, ut si non fuerit perpetuum, sed ad tempus, puta ad annum, vel ad quinquennium, aut decennium; quia votum reservatum pontifici, est perpetuæ continentiæ aut castitatis : odiosa verò, ut cohibitiones et exceptiones, sunt restringenda prout sonant. Idem dicendum quando quis vovit certam continentiam servare, puta non committere adulterium aut aliud determinatum libidinis genus : potest enim episcopus in eo dispensare. Item quando votum continentiæ non est præcipuè intentum, sed in aliâ re præcipuè intentâ inclusum, ut si quis voverit sacrum ordinem susciperę, cui utique annectitur continentiæ votum, aut si quis promiserit non mire matrimonium, in quo voto castitas omnimodè non continetur; potest episcopus in his dispensare, quia non est votum simpliciter castitatis; unde nec violatur votum si postea iste fornicetur quia votum est solùm de non nubendo; et qui vovet sacros ordines, non vovet castitatem præsentem, sed tantùm ad eam obligatur postquàm ordinatus fuerit. Similiter episcopus dispensare potest cum eo qui vovit ingredi arctiorem religionem, v. g., Carthusianorum, ut suscipiat mitiorem : ratio est quia id non est dispensare in voto religionis, cùm iste semper religioni capes endæ obligatus maneat; sed tantùm in modo, circumstantiâ et qualitate illius, seu in arctiori vinculo.

Præterea potest episcopus dispensare in votis istis conditionaliter factis sub conditione de futuro, dummodò conditio nondùm sit impleta; ut si quis voverit limina Apostolorum visitare, si rem amissam recuperaverit. Ratio est quia vota papæ reservata decet esso absoluta et perfecta ad vitanda animarum pericula et laqueos, et non extendenda ad rem odiosam, qualis est reservatio. Hujusmodi autem vota nondùm adimpletâ conditione, non sunt perfecta, cùm adhùc non obligent. Ergo non censentur reservata. Idem dicendum de voto pœnali, v. g. : Voveo me non lusurum taxillis sub pœnâ ingrediendi religionem, cùm hujusmodi vota ante incursam pœnam non obligent, nec antea sint vota religionis, sed non ludendi taxillis, super quibus episcopus potest dispensare. Verùm si conditio jam fuerit adimpleta, tunc votum transit in absolutum, et per se loquendo solus pontifex dispensare potest. Id tamen plures limitant in casu quo votum conditionale non sit pœnale; existimant enim episcopum post incursam pœnam adhuc posse in eo dispensare, quia, ut supra dictum est, in istis casibus non est votum religionis capescendæ, sed non ludendi taxillis; nec ex devotione religionis procedit, sed apponitur ex odio et pœnâ, ut sic iste deterreatur à ludo. Cùm igitur impositio illius pœnæ sit odiosa et pœnalis, est restringenda; alii tamen graves auctores contrarium docent. Insuper si votum circa reservatam materiam, non sit principale, sed accessorium, episcopus dispensando in principali potest et in accessorio dispensare, v. g., dispensando in voto suscipiendi sacros ordines, censetur hoc ipso dispensare in voto continentiæ perpetuæ illis annexo. Item si quis voveat non ludere sub pœnâ ingrediendi religionem, episcopus illum dispensando à voto non ludendi, dispensabit etiam à voto religionis; quia sublato principali, aufertur accessorium. Secùs dicendum quando principale est reservatum : v. g., si quis voveat castitatem perpetuam, quam si violet, voto se obligat ad jejunium in pane et aquâ, episcopus poterit quidem dispensare in eo jejunio, sed non in voto castitatis. Item episcopus potest dispensare in his votis quando dubitatur an sint obligatoria, et an sint reservata; ut si dubium sit an sufficiens intervenerit deliberatio. Nam casus reservati non sunt dubii sed certi; et in dubiis odia sunt restringenda. A fortiori si quis probabiliter dubitet an tale votum emiserit. Tunc enim nulla subest obligatio, neque opus est dispensatione; quia in dubiis melior est conditio possidentis; et nemo in re dubiâ privandus est sibi naturali et ingenitâ libertate. Item potest episcopus dispensare in votis reservatis, si per metum gravem emissa fuerint. Tum quia reservatio, cùm sit odiosa, non videtur ad hæc vota extendenda : tum quia credibile probabiliter est papam ob imperfectionem consensûs et injuriam illatam ea non sibi reservare. In

(1) In Galliis votum ingrediendi religionem monialium non est reservatum S. P. ut declaravit S. Cong. Pœnit. in responso directo ad DD. Bouvier episcopum Cenomanensem, anno 1856 : *Votum mulieris*, ait S. C., *cujus intentio respexerit ad monasteria prout nunc in Galliis existunt, non est reservatum; quia scilicet monasteria eadem à Sede Apostolicâ attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquàm ordines verè et propriè religiosi, sed uti piissimarum familiæ feminarum æstimantur.* Ibidem S. Cong. declarat suam decisionem spectare solummodò ad moniales. Circumstantiæ illæ peculiares ad quas alluditur in responsione Pœnitentiariæ, videntur esse modus quo moniales vovent paupertatem juxta leges civiles apud nos vigentes, attentâ disciplinâ præsentis Ecclesiæ. Ad rationem ordinis religiosi requiritur solemnitas trium votorum, castitatis, obedientiæ et paupertatis, adeò ut unum ab altero sejungi nequeat; votum autem paupertatis, ut sit solemne, debet à professo excludere dominium; porrò moniales apud nos ita paupertatem vovent ut nihilominùs servent dominium bonorum; unde concluditur, illarum professionem non gaudere privilegiis nec habere naturam professionis solemnis. De eo puncto alibi fusiùs fortassis disseremus. (Edit.)

omnibus casibus supradictis absoluta perpetuæ validitatis dispensatio conceditur ab episcopis, ita ut hæc vota non reviviscant.

Tandem possunt episcopi in his votis dispensare, ut potiùs suspendere executionem, quando periculum est in morâ, nempe quia expectando dispensationem papæ, imminet grave periculum offensæ Dei, aut magni scandali, vel damni tertiæ personæ, aut alterius notabilis inconvenientis. Verùm tunc non perimunt votum, sed tantùm suspendunt ejus obligationem. In his enim et similibus angustiis, non censetur pontifex invitus, cùm non in perniciem, sed in utilitatem animarum ordinetur reservatio. Hinc qui absolutum perpetuæ castitatis votum transgressus fuit, dùm se matrimonio alligavit, si adsit periculum incontinentiæ, potest ab episcopo dispensari circa debiti conjugalis petitionem. Idem dicendum si conjuges sint ita pauperes ut non habeant unde dispensationem papalem obtinere valeant: tenetur tamen iste mortuo altero conjuge, votum castitatis servare. Verùm quamvis auctores communiter asserant posse episcopum hoc modo dispensare, tutius existimo ut iste conjugatus petat dispensationem à papâ, vel per se, vel per alium, si commodè fieri possit. In cæteris autem votis quæ papa non sibi reservat nec prohibet, possunt episcopi suos diœcesanos dispensare, nisi in alicujus tertii gratiam fuerint emissa et ab eodem acceptata; ut si quis voverit tali pauperi vel xenodochio, vel Ecclesiæ largiri eleemosynam; quia in isto casu ille tertius privaretur jure suo quod habet in re per acceptationem et stipulationem, sicque fieret ipsi injuria. Porrò illi censentur alicujus episcopi subditi, ut ab eo possint petere et obtinere votorum dispensationem, qui habent domicilium in illius diœcesi; qui, etsi tunc in aliâ diœcesi reperiantur, possunt ab episcopo proprii loci dispensationem votorum petere, dummodò illud domicilium omninò non deseruerint, sed sint post aliquos menses redituri; quia actus jurisdictionis voluntariæ potest extra propriam diœcesim exerceri. Item illi censentur subditi, qui, licet non habeant domicilium in illâ diœcesi, incœperunt tamen ibi habitare, cum intentione majori anni parte commorandi: secùs dicendum si per illam diœcesim solummodò transeant, nisi sint vagi: hi enim contrahunt diœcesim in eo loco in quo pro tempore reperiuntur, et ab episcopo possunt in votis dispensari. Hoc privilegio dispensandi in votis gaudet capitulum sede vacante, cùm tunc succedat in locum episcopi, habeatque jurisdictionem etiam fori externi. Parochi et alii sacerdotes seculares non possunt in votis dispensare, nisi speciale ad hoc privilegium habeant, quia non sunt prælati, nec habent jurisdictionem fori externi.

Quod diximus de episcopo intelligendum est à pari de archiepiscopo respectu suæ diœcesis, etiam nondùm recepto pallio: per confirmationem enim recipit ea quæ sunt jurisdictionis, qualis est potestas dispensandi. In votis tamen subditorum suffraganei sui dispensare nequit. Nam licet in foro contentioso sit judex appellationis respectu illorum, quia tamen earum cura animarum ordinaria illi non incumbit, nec habet jurisdictionem ordinariam nisi in suâ diœcesi: ideò non potest suffraganei subditos in votis dispensare. Imò nec in suâ visitatione, esto possit confessiones illorum audire, à peccatis absolvere et indulgentias largiri, eò quòd id specialiter in jure illi conceditur, non aliud. Quidam tamen volunt quòd dùm adest justa causa dispensandi, et episcopus malitiosè ac injustè dispensare renuit, potest archiepiscopus et metropolitanus, per appellationem imploratus, dispensare cum subdito illius: censetur autem justa causa adesse, quando grave bonum publicum aut privatum voventis, judicio prudentum, talem dispensationem exigit. Prælati possunt seipsos ex justâ causâ dispensare in votis in quibus possunt subditos, prout indicat D. Thomas 2-2, q. 185, art. 8; hic enim actus jurisdictionis in seipsum, non est jurisdictionis contentiosæ, nec ex se sacramentalis, ideò jure naturæ non repugnat exerceri in seipsum, eò quòd idem secundùm diversas rationes possit esse agens et patiens. Tutius tamen est ut facultatem hanc secum dispensandi confessario committat, cùm sit actus delegabilis. Docent tamen aliqui quòd in isto confessarius non accipit jurisdictionem ab episcopo, sed à superiore mediante electione episcopi factâ de tali personâ ad secum dispensandum, quia supponunt eam non habere: sicut pontifex eligendo sibi confessarium, non constituit illum judicem supra se, nec tribuit illi facultatem absolvendi à peccatis, sed seipsum constituit materiam potestatis quam sacerdos à Christo in ordinatione accepit, quamque supra papam exercere potest eo ipso, quòd papa seipsum materiam ejus potestati subjectam esse velit et constituat. Ita Sayrus in Clavi regiâ lib. 6, cap. 11. num. 110.

§ 3. *De commutatione votorum, quomodò sit facienda.*

Commutare votum, nihil aliud est, quàm materiam voti in aliam mutare, ut jejunium in orationem, peregrinationem in eleemosynam; et tunc dicitur redemptio voti, quando votum transmutatur in pecuniam aut aliquid pretio æstimabile. Per commutationem non tollitur voti vinculum, prout fit per dispensationem, sed sola voti materia transmutatur in aliam eodem vinculo manente: ita ut vovens ex obligatione prioris voti, et non ex præcepto commutantis teneatur ad exequendum illud in quod votum commutatum fuit postquàm illud acceptavit; et implendo faciat actum latriæ, sicque omittendo peccet contra religionem, id est, contra fidelitatem seu promissionem Deo factam, vel saltem si non observet primum votum: tenetur enim unum vel alterum observare.

Commutatio regulariter loquendo requirit auctoritatem Ecclesiæ, ut ostendit D. Thomas hic, art. 12, quia ad prælatos Ecclesiæ vicem Dei gerentes spectat declarare quid sit illi gratum et acceptum. Item requiritur justa causa ad hoc ut votum commutetur in ali-

quid minus, aut in rem de cujus æqualitate dubitatur: quia eo ipso quòd materia subrogata non est melior neque evidenter et manifestè æqualis, magis consentaneum est fidelitati Deo debitæ, solvere materiam promissam et per se debitam, quando nulla subest legitima causa aliter disponendi. Porrò justa causa commutandi est difficultas maxima in voto persolvendo, repugnantia parentum vel mariti, utilitas et impedimenta voventis, etc. Idem dicendum quando commutatio fit in æquale bonum, quia indiget auctoritate prælati, cujus usus non potest esse ad libitum, sed debet esse rationi consentaneus, proindeque aliquam requirit causam. Adde quòd habet tunc admixtam aliquam dispensationem, quæ semper legitimam exigit causam. Unde commutatio sicut et dispensatio invalida est, et superior sine ullâ justâ causâ votum commutans in æquale, peccat venialiter. Quòd si in rem longè minorem commutet absque causâ, videtur etiam mortaliter peccare, saltem si non obliget voventem ad supplendum aliundè quod requiritur, ut nova voti materia æqualitatem contrahat cum antiquâ; quia sic in re gravi manifestè abutitur auctoritate. Quidam tamen volunt confessarios, tempore jubilæi, posse in vi illius commutare vota pœnitentis commutationem petentis etiam nullam assignando causam. Quia quando potestas commutandi vota non delegatur simpliciter, sed cum aliquo onere ob bonum commune, prout fit per jubilæum, nullâ aliâ opus est causâ ad commutationem votorum, quàm voluntas præstandi opera injuncta, et lucrandi jubilæum. Nam pontifex eam ob causam talem facultatem concedit. Verùm præterquàm quòd non constat, an ea sit mens pontificis, adhuc ista commutatio vix in praxi locum habere potest, cùm pœnitens non postulet votorum commutationem, nisi ad eam petendam ex aliquâ causâ moveatur. Igitur privilegium ac jubilæum operatur quidem ut vota commutari possint in aliquid minus, vel parùm minus. Verumtamen debet adesse aliqua causa, eamque esse papæ intentionem dicit Lopez, 1 p. Institutionum cap. 47. Addit Sayrus quòd, cùm voti commutatio sit res admodùm difficilis et periculosa, requirit maximum judicium et discretionem, et hæc præ oculis habenda ac consideranda assignat:

Primò, ut quantùm fieri potest conetur commutans servare æqualitatem et proportionem, ita ut commutatio fiat in bonum æquale. Quia commutare ex usu communi idem est ac in æquale mutare: quæ tamen æqualitas non consistit in puncto indivisibili, nec scrupulosè metienda est, sed ad boni viri arbitrium cessante fraude et latâ culpâ metienda. Unde sufficit quòd habens potestatem delegatam commutandi vota, in hâc re, bonâ fide procedat, nec requiritur quòd materia subrogata sit alteri physicè æqualis, sed moraliter, ita ut juxta prudentis arbitrium æquivaleat, seu æquè ad Dei gloriam conducat. Plerùmque etiam magis expedit ut vota commutentur in similia, v. g., votum personale itinerandi, in onus personale gestandi cilicium; votum reale ædificandi ecclesiam, in alias fundationes pias, et votum mixtum peregrinandi, in opera tum personalia, ut jejunandi, tum realia, ut dandi aliquas eleemosynas, habitâ ratione non solùm laboris quem peregrinaturus subiisset, sed etiam expensarum quas fecisset peregrinando, quia hæc omnia cadunt sub voto. Et sic de similibus. Ratio est, quoniam hoc magis consentaneum est intentioni ipsius voventis, quæ non minùs quàm materiæ promissæ æqualitas, quantùm commodè fieri potest, servari debet. Cum quo tamen stat, quòd interdum liceat hanc similitudinem non servare, adeòque votum personale, in onus reale commutare, et votum reale in onus personale, v. g., jejunium in eleemosynas, et vice versâ. Quia in commutatione similitudo materiæ, non tam physicè quàm moraliter spectari debet, habito respectu ad Dei gloriam et voventis utilitatem.

Secundò, oportet considerare quid deceat, ne scilicet ex tali commutatione scandalum aliquod consequatur. Item quid expediat, et quoad ipsum voventem, et quoad proximum.

Tertiò, consideranda est qualitas et conditio voventis, ætas, infirmitas, robur corporis, officium, status, inopia. Item attendenda sunt verba Bullæ, quia privilegia juxta illorum tenorem sunt interpretanda: et quando in virtute alicujus jubilæi conceditur facultas commutandi vota in certam eleemosynam aut aliud opus pium, in id solùm commutari potest; et cui datur facultas votum commutandi, non potest virtute illius commutare, vel relaxare pœnas ob violatum votum contractas, juxta Navarrum tom. 1 Consil. Postquàm votum alicujus etiam ritè et ex juxtâ causâ commutatum fuit, iste adhuc potest si velit votum primum servare, juxta Sayrum, Azorium et alios; quia prior obligatio non est penitùs extincta, sed in aliam commutata, cum hâc tacitâ conditione ut vel prius votum, vel id in quod commutatum est, persolvat, prout ei utilius et commodius visum fuerit: eò quòd tota commutatio fiat ipsius voventis gratiâ, ita ut talis privilegio uti possit, aut non uti, sicut illi placuerit.

Quando commutatio non fit in aliquid evidenter melius, auctoritatem commutandi habent ii qui dispensandi habent facultatem, sive ordinariam, sive delegatam. Et sicut in votis papæ reservatis dispensare nequeunt, ita nec illa commutare: quicumque enim potest dispensare in votis, eadem commutare potest; et non è converso, quia illi cui datur majus, dætur et minus in eodem genere; et non vice versâ: majus autem est dispensare in voto, quàm commutare, cùm per primum aboleatur ac omninò tollatur obligatio: secùs verò per secundum. Qui tempore jubilæi non petit dispensationem vel commutationem voti, quo obstrictus est, potest, juxta aliquos auctores, eam transacto jubilæo obtinere ab eodem confessario, vel ab alio ex approbatis ab ordinario, dummodò opera præscripta servaverit; quia eo ipso acquisivit jus ut posset talem commutationem obtinere transacto jubilæo, etiamsi voluntariè, et à fortiori si ex oblivione, tempore jubilæi eam non petierit. Sicut licet opera

præscripta ad tempus jubilæi sint determinata, nihilominùs privilegium quoad absolutionem à reservatis non est limitatum ad tale tempus : ita ut pœnitens, qui lucratus est jubilæum, acquisierit jus ut postea à quovis sacerdote approbato absolvi possit à peccatis reservatis quæ in confessione jubilæi tempore factâ, ex oblivione prætermisit. Alii contrarium docent, quia facultas absolvendi à peccatis, dispensandi et commutandi vota, est alligata illi tempori quindecim dierum : sicque transacto jubilæi tempore confessarius jurisdictione caret. Ideò autem pœnitentem postea absolvere potest à reservatis omissis, quia supponitur eum tempore jubilæi validam fecisse confessionem et generalem à peccatis obtinuisse absolutionem : atverò vovens tempore jubilæi non obtinuit dispensationem generalem, ac commutationem votorum, sicque est dispar ratio. Verùm hujus casûs resolutio pendet ex mente et intentione pontificis, quæ ex tenore Bullæ venari debet : ideòque verba illius attentè sunt ponderanda et consideranda, ac inspiciendum quid in hoc patiatur usus sive consuetudo. Auctores tamen utriusque sententiæ concedunt, eum qui vi jubilæi habet facultatem dispensandi in votis aut commutandi, posse voti dispensationem, vel commutationem in aliud tempus differre ex rationabili causâ, dummodò vovens lucratus fuerit jubilæum; quia cùm tempore statuto causa incœpta fuerit, potest alio tempore terminari, ac jurisdictio ad eam perficiendam tunc extendi. Addunt quoque, quòd si pœnitens in jubilæo à confessario petat ut plura et omnia ejus vota commutet, de quorum numero non recordatur expressè, recordatur tamen esse talis objecti, tunc confessarius potest illi dicere : Pro omnibus tuis votis facies hoc vel illud. Et tunc adeò valida erit hæc commutatio, ut si postea pœnitens recordetur expressè et distinctè de numero votorum, aliâ commutatione non indigeat, dummodò prior commutatio cum maturo ac prudenti judicio facta fuerit. Ratio hujus est, quia tunc adest justa causa ex parte voventis, et jurisdictio apud commutatam.

Votum jam commutatum potest iterùm ab habente facultatem commutari ex justâ et rationabili causâ, quia cùm hæc facultas sit absoluta, ut suppono, non est limitata ad unam vicem. Imò Sylvester, Corduba, Sayrus, Candidus, et alii docent quòd, si vota reservata, puta religionis et castitatis perpetuæ, commutata fuerint à summo pontifice in materiam non reservatam, puta ad confitendum quolibet mense, aut in alia pietatis opera; potest hæc materia non reservata commutari in aliam ab episcopo et à confessario vi jubilæi, eò quòd sublata semel materia reservata et translata in non reservatam, subest facultati episcopi aut confessarii : sicut peccatum excommunicatione papali affectum, desinit esse reservatum, remotâ excommunicatione.

Quæres an aliquis absque facultate episcopi vel confessarii, auctoritate propriâ votum suum commutare valeat? — Resp. 1° quòd dùm votum evidenter in id quod melius est, commutatur, seu quòd hic et nunc spectatis omnibus circumstantiis est Deo gratius, et voventi ad voti sui finem accommodatius, tunc non est opus prælati auctoritate, ut colligitur tit. 2 *de Jurejur.* cap. *Pervenit, et de Voto ac voti Redemp.*, cap. *Script.* et cap. *Sanè de Regular.*, Ratio est, quia votum obligat eò quòd sit promissio de re Deo gratâ. Ergo quisquis offert Deo rem evidenter illi gratiorem, voto satisfacit. Ideò enim D. Thomas hic art. 12, docet necessariam esse superioris auctoritatem, ut scilicet definiat et determinet in personâ Dei, cujus vices gerit, quid sit Deo acceptum, an illud, vel istud. Ergo quoties evidenter constat melius esse illud in quod fit commutatio, auctoritas prælati non est necessaria.

Resp. 2° quòd ad commutandum votum in aliud minus bonum, semper necessaria est prælati auctoritas, quia tunc intervenit dispensatio admixta cum commutatione, cùm non extinguatur totum votum, sed pars : ad dispensationem autem requiritur justa causa et prælati auctoritas, ut supra ostensum est. Imò etiam ad commutandum votum in aliquid aliud quod est evidenter æquale bonum, requiri prælati auctoritatem docent Cajetanus, Sotus, Corduba, Sayrus, et alii graves auctores : v. g., qui vovit ingredi unam religionem, non potest propriâ auctoritate id commutare in ingressum alterius religionis æqualis; aut qui vovit tradere hunc filium religioni, nequit absque auctoritate prælati offerre alium æquè idoneum, quia cùm hoc non sit melius bonum, nec Deo acceptius, nulla subest ratio cur à priori promissione propter illud recedere liceat propriâ voluntate. Quidam tamen id limitant in voto reali de re aliquâ usu consumptibili, quæ facilè in aliam mutari solet : ita ut vovens unam, possit per se loquendo tradere aliam pretii æqualis, v. g., vinum pro tritico. Quia nimirùm ista moraliter idem reputantur, quamvis physicè sint distincta. Quod intelligendum est, nisi ex speciali causâ requiratur species promissa, puta quia promissario reputatur magis commoda. Non est tamen licitum dare pecuniam æquivalentem pro domo, pro calice, aut vice versâ; tùm quia inter ista non est facilis transmutatio, tùm quia fieri potest ut res promissa in specie sit utilior promissario.

QUÆSTIO TERTIA.

DE BLASPHEMIA.

Blasphemia, ut sic, importat maledictionem sive execrationem alicujus boni præsertim excellentis, ut notat Bannes ex D. Hieronymo super cap. 4 Epist. ad Ephesios. Et cap. 3 Epist. ad Titum. Unde extenditur etiam ad homines in aliquâ excellentiâ constitutos. Verùmtamen ex usu communi fidelium, sumitur duntaxat pro maledictione quâ quis derogat et conviciatur divinæ excellentiæ et bonitati; cujus rationem reddit D. Augustinus libro 2 de Moribus Manichæorum dicens : *Quamvis blasphemia inter homines dici*

possit, quorum dignitati derogatur, tamen quia de aliorum bonitate dubitari potest, divina verò bonitas indubitabilis est : ideò blasphemia erga Deum tantùm communiter usurpatur. Et de hâc solummodò strictè sumptâ erit sermo in præsenti.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid et quotuplex sit blasphemia.

Etsi peccatum blasphemiæ confessioni fidei opponatur et quodam modo ad infidelitatem pertineat, quatenùs scilicet importat quamdam derogationem excellentiæ et bonitatis divinæ, asserendo de eo quod ei non convenit, vel negando quod ipsi competit, prout ostendit D. Thomas, 2-2, q. 13, art. 1, formaliter tamen et per se primò blasphemia magis contrariatur religioni, quàm confessioni fidei. Quia cùm sit peccatum honori et laudi Dei contrarium, opponitur necessariò illi virtuti ad quam spectat colere et laudare Deum, qualis est religio. Vel, ut ait Bannes, confessio fidei sumi potest dupliciter. Uno modo prout est simplex assertio fidei. Altero modo ut est quædam laus divina et honor : infidelitas contrariatur confessioni fidei priori modo sumptæ : blasphemia verò illi opponitur posteriori modo acceptæ. Vel dicitur opponi confessioni fidei eò quòd magnam habeat similitudinem et affinitatem cum infidelitate, hoc ipso quòd similiter versatur circa aliquid falsum de Deo, saltem ex intentione blasphemantis, qui intendit aliquam imperfectionem Deo impingere, ac contemptibilem reddere, cùm tamen nihil imperfectum et contemptibile habere possit. Vel tandem eò quòd blasphemia oriri possit, et quandoque oriatur ex infidelitate, habeatque malitiam hæresis aut odii Dei annexam. Etenim blasphemia potest esse cum fide, et sine fide, quia contingit utroque modo dicere quòd Deus non potest facere hoc vel illud. Idque non solùm verbo exteriori, ut patet, sed etiam interiori. Nam quis credens Deum esse omnipotentem, potest velle dicere secum quòd Deus non potest, et delectari de hoc mendacio, ut illi injuriam faciat; quamvis non possit tali opposito assentiri, et absque falsâ opinione exercendo solam detestationem voluntatis, ut communiter fit à Christianis blasphemis. Unde blasphemia non propriè consistit in ipso assensu vel asseveratione falsi, sicut infidelitas; sed tantùm in locutione falsâ de Deo, quæ longè differt ab assensu falsi, cùm possit quis etiam deliberatè velle dicere et significare aliquid falsi, etiamsi nihil falsi ipse sentiat aut asseveret : et in hoc sensu exponendus est D. Thomas loco citato. Ex quibus natura, aut potiùs malitia blasphemiæ facilè colligitur. Est enim : *Locutio falsa contra Deum per modum convicii.* Cujus definitionis partes sigillatim explicantur claritatis gratiâ.

Dicitur inprimis *locutio contra Deum*, ut distinguatur ab infidelitate, quæ requirit assensum mentis. Non enim omnis locutio est assensus aut cum assensu, cùm aliquando contingat ut tam intùs in corde, quàm etiam in voce dicamus et significemus ea quibus non assentimur.

Dicitur *falsa :* nam blasphemia semper aliquid falsi continet, eò quòd consistit in dicendo aliquid de Deo quod ipsi non convenit, puta esse injustum, crudelem, mendacem, etc. Vel auferendo et negando aliquid quod habet, non esse bonum, providum, omnipotentem, etc. Vel quando creaturis aliquid proprium Deo attribuitur, ut qui dicit, fato omnia regi : vel Deo aut sanctis injuriam irrogando, ut maledicendo Deum, mala ipsi imprecando, nominando irreverenter caput, ventrem, mortem Dei, Christi, et sanctorum. Vel enim membra quæ non habent nominantur; et sic intervenit aperta falsitas; vel quæ habent, et sic etiam aliquid falsi continetur ex intentione dicentis et modo dicendi irrisorio, et contumelioso, quia ut quid vituperabile dicuntur in actu exercito; cùm tamen nec Christus nec sancti habeant aliquid vituperabile. Ut enim notat Bannes, contingit quòd aliqua locutio sit blasphema quantumvis secundùm se vera existat : quia ex intentione loquentis et intendentis tribuere Deo aliquam imperfectionem, efficitur falsa : sicut accidit aliquem esse mendacem dicendo verum, qui dicit illud materialiter, et non ex intentione suâ : nam de ratione mendacii formalis, non est veritas speculativa et in se, sed ex intentione dicentis. Adde ex Cajetano quòd licet hujusmodi blasphemi, non dicant in actu signato Christum et sanctos habere aliquid vituperabile : satis tamen hoc significant in exercito ex modo dicendi, ignominiosè enuntiando. Neque cum solo vocabulo significativo enuntiatur, sed etiam nutu aliisque signis. In blasphemiâ autem optativâ et imperativâ, falsitas non consistit in enuntiatione ejus quod est aut non est, sed in affectu, nempe ut sit quod non potest vel decet esse. Qui enim optat Deum non esse beatum, aut esse maledictum, aut alia hujusmodi, non dicit Deum sic esse aut non esse, sed ut sit vel non sit, quod esse non potest aut debet. Quamvis igitur ratio blasphemiæ non semper exigat falsitatem enuntiativè, illam tamen petit ex modo loquendi, quatenùs significatur in actu exercito id inesse Christo vel sanctis tanquàm aliquid contumeliosum; vel quatenùs blasphemans ex modo procedendi optat et imprecatur eam imperfectionem Deo repugnantem. Tandem cùm blasphemia sit contumelia contra Deum prolata, nihilque per modum veri significatum, possit in contumeliam Dei cedere : inde manifestè sequitur blasphemiam esse locutionem falsam contra Deum.

Tandem additur *per modum convicii*, quia, ut ait D. Thomas, nomen blasphemiæ importat derogationem excellentis alicujus bonitatis et præcipuè divinæ; per quod differt ab infidelitate, de cujus ratione non est derogare honori divino; quin potiùs hæreticus putat obsequium se præstare Deo : blasphemus autem, saltem in actu exercito tribuens Deo aliquam imperfe ctionem, aut negans perfectionem, virtualiter censetur velle ejus honori derogare, ipsique injuriam et contumeliam inferre, etiamsi nihil mali Deo imprecetur aut optet. Nam in cap. *Statuimus*, titul. de Maledicis, maledictus appellatur blasphemus : ibidemque maledicus dicitur non solùm imprecator mali, sed etiam

enuntiator mali, ut detractor; et consequenter etiam ibi reputatur blasphemus quicumque dicens malum de Deo vel de sanctis enuntiativè, advertens aut advertere debens verbum esse contumeliosum, ac in Dei vel sanctorum injuriam cedere. Unde de ratione blasphemiæ est quòd verbum prolatum indirectè saltem redundet in derogationem divinæ bonitatis et honoris Dei vel sanctorum.

An verò requiratur ad rationem veræ et propriæ blasphemiæ, quòd blasphemus habeat de facto voluntatem derogandi divinæ majestati ac conviciandi, quidam affirmant. Idque probant ex D. Thomâ, q. 13, art. 3, ad 3, ubi dicit quòd blasphemus intendit nocumentum inferre honori divino. Ubi Bannes ait, quòd cùm D. Thomas dicit detestationem voluntatis esse de ratione blasphemiæ, non accipit detestationem pro formali odio divinæ bonitatis, quod opponitur directè charitati; sed sufficit quòd talis detestatio sit alicujus excellentiæ divinæ, ut honoris, divinæ justitiæ. Hinc probat D. Thomas, art. 4, in damnatis interiorem cordis blasphemiam et post resurrectionem etiam vocalem, esse talem divinæ justitiæ detestationem. Hinc etiam infideles dicentes falsa de Deo, ideò non sunt propriè blasphemi, quia ea proferunt judicantes esse vera, et non ex pravo affectu ac detestatione divinæ excellentiæ. Alii verò negant, quia rarissimè homines committerent peccata blasphemiæ, cùm ex passione iræ aut consuetudine, aut virilis et generosi animi affectatione, et non ex intentione conviciandi ac derogandi divinæ bonitati, hujusmodi verba ordinariè procedant. Hinc Cajetanus, q. 13, art. 3, ad 3, rectè colligit ex D. Thomæ litterâ, quòd licet omnis blasphemia, in quantum est voluntaria, sit à voluntate pravâ, non tamen omnis blasphemia est cum voluntate affectâ ad derogandum divinæ bonitati, sed aliquâ tantùm. Sicut omne credere est voluntarium, non tamen omne credere est à voluntate affectâ charitate: ut enim ait D. Thomas, ista detestatio affectûs, se habet ad blasphemiam, sicut charitas ad fidem. Sicut ergo fides habet suam speciem et potest esse sine charitate, licet sit informis: ita et vera blasphemia sine aliquo odio et detestatione Dei; seu, ut ait D. Thomas, secundùm intellectum tantùm, et non secundùm affectum detestandi Deum, sed ex iracundiâ aliâve passione, habetque propriam speciem et malitiam blasphemiæ intrinsecam: solâ enim perfectione extrinsecâ caret, quam habet dùm procedit ex odio Dei; quia tunc est perfecta ac formata, sicut fides affecta charitate. Subdit autem Bannes, art. 3, ad 3, quòd sicut fides intrinsecè in propriâ specie perficitur ex piâ affectione voluntatis, quæ quidem voluntas pia est magis perfecta cum charitate quàm sine charitate, ita etiam blasphemia perfecta requirit detestationem voluntatis; quæ detestatio major est, quando est cum odio divinæ bonitatis secundùm se. Cæterùm sicut pia illa motio fidei potest esse sine charitate, ita potest esse detestatio Dei, sine odio expresso divinæ bonitatis. Hæc Bannes. Unde juxta ipsum sufficit et requiritur ad veram blasphemiæ rationem detestatio aliqua saltem indirecta et virtualis alicujus excellentiæ divinæ, ut honoris, vel justitiæ, vel providentiæ Dei, modo jam explicato. Hoc ipso enim quòd quis sciens et prudens vult seriò usurpare hujusmodi verba advertens eorum sensum in Dei contemptum et convicium redundare, eo ipso vult injuriam et contumeliam ipsi inferre ac ejus excellentiæ derogare; quod sine illius detestatione fieri non posse videtur, ita ut hæc detestatio sit blasphemandi causa. Porrò blasphemia non exigit locutionem externam, sed sufficit interna, quâ quis in mente aut corde judicat et dicit Deum non esse, aut esse quod est aut non est. Unde dividitur in blasphemiam cordis et oris. Rursùs blasphemiæ aliæ sunt hæreticales, quæ scilicet continent et significant errorem contra fidem, seu quando per modum indicativi modi asseritur aliquid articulis fidei contrarium, v. g.: Deus est injustus. Aut dicitur: Renego Deum, Crucem, Chrisma, aut B. Virginis puritatem, etc. Et in his casibus, si adsit assensus cum pertinaciâ, nedùm intervenit peccatum blasphemiæ, sed etiam hæresis.

Aliæ sunt blasphemiæ simplices, quæ scilicet ex se directè non continent falsitatem contra veritatem fidei, licet fortè aliquando ex modo dicendi et in actu exercito significent errorem fidei oppositum. Tales sunt illæ quæ per modos optandi, imperandi aut imprecandi proferuntur, ut maledictus sit Deus, displiceat Deo vel invito Deo, vel ah! mors Dei, vel per caput et sanguinem Dei, etc. Talis etiam blasphemia est quâ quis per modum contumeliæ et irrisionis nominat Christi aut sanctorum membra pudenda. Docet tamen Cajetanus in Summâ, quòd dicere ad Sanguinem Dei, vel ad Corpus Dei, sive invocando per modum injuriantis, sive resonando in rixâ aut turbatione contra aliquem, non est blasphemia: quoniam postquàm Verbum caro factum est, Deus habet corpus et sanguinem; et non dicitur per modum injuriantis, quamvis irreverenter, dùm secundo modo profertur, propterea hoc secundo modo est quidem peccatum grave, sed non mortale, eò quòd non sit contra Deum, sed præter Deum, et tantò gravius est, quantò frequentius. Hæc Cajetanus. Quod tamen videtur esse limitandum, dummodò non dicatur ex indignatione contra Deum, aut per modum vituperii et contemptûs, aut de Deo ut Deus est. Ut si aliquis ex irâ contra hominem, dicat ipsi: Per Deum, aut per Corpus et Sanguinem Dei, per crucem Christi, etc., pœnas dabis. Non est blasphemia, sed juramentum, quia hæc non dicit per modum irreventiæ aut convicii contra Deum. Hinc etiam non committitur blasphemia, dùm dicitur, *coram Deo* vel, in conspectu Dei, dummodò hæc verba proferantur absque animo dicendi convicium contra Deum, quia de se ac ex usu communi, nullam continent injuriam contra Deum, nihilque ipsi tribuunt, nec aliquid ab eo auferunt per contumeliam. Unde potiùs continent juramentum. Hinc non est blasphemia dicere: Hoc ita verum est sicut verum est Deum existere, aut sicut Evangelium, etc. Si hæc verba proferens solùm intendat significare quamdam similitudinem tantùm et analogiam, nempè id esse suo modo

verum, sicut verum est Deum existere : est enim hyperbolica quædam locutio, quâ exaggeratur illius dicti veritas. Sunt tamen homines arcendi ab hujusmodi locationibus : tum quia continent juramentum ; tum quia nomen Dei non est passim irreverenter usurpandum. Si verò animus proferentis sit veritatem illam humanam coæquare divinæ quoad certitudinem et firmitatem, tunc verba sunt blasphema, utpotè falsa et injuriosa Deo.

Insuper blasphemia est, contumeliis afficere sanctos prout habent ordinem ad Deum, affirmando vel negando. Quia sicut Deus laudatur in sanctis suis, quatenùs multa bona in eis et per eos operatur : ita dùm eos spernimus, maledicimus eorum sanctitatem, et miracula calumniamur ; Deum in sanctis suis inhonoramus et blasphemamus. Advertunt tamen auctores non committi blasphemiam dùm aliquid vile quod habuerunt antequàm sancti essent narratur, v. g. : Quòd iste sanctus fuerit eunuchus, aut vilissimæ conditionis ; dummodò hæc et similia non proferantur ad minuendam ejus sanctitatem ; seu modò proferantur de eo ut homo est, et non quatenùs sanctus est, nec redundent ad ejus infamiam hìc et nunc in istis circumstantiis et ex modo dicendi irrisorio. Pari modo blasphemaret, si quis per contumeliam aut maledictionem dehonoraret res sacras quatenùs sunt divinitùs institutæ, puta sacramenta ; ita quòd expressè aut tacitè judicio prudentûm gloriæ divinæ detrahere vellet, significando eas continere aliquid falsi et contemptibilis. Tandem blasphemare censendi sunt qui creaturis maledicunt, reduplicativè, quatenùs sunt creaturæ Dei, et opera manuum ejus : secùs si solùm intendant maledicere quatenùs malum ipsis inferunt, puta si offendens in lapidem, ipsi maledicat,

Blasphemia habet quidem diversos gradus. Gravior enim est contra Deum quàm contra B. Virginem ; et hæc gravior quàm contra sanctos. Rursùs gravior est quæ ex odio et ex affectu detestativo Dei aut sanctorum procedit, quàm quæ ex passione extraneâ, aut malâ consuetudine : quasi non sit animi generosi, qui loquitur sine blasphemiâ, ut videtur apud multos præsertim milites inolevisse. Tandem longè major Deo vel sanctis irrogatur injuria per aliqua verba, quàm per alia. Verùmtamen omnes blasphemiæ intra rationem et limites blasphemiæ consideratæ, sunt ejusdem speciei, sicut juramenta per Deum non differunt à juramentis per sanctos, quia, ut ait Cajetanus, 2-2, q. 13, art. 1, ad 3, blasphemia propriè loquendo non habet plures species. Item quia hoc peccatum Religioni opponitur, quæ est una, sive Deo, sive sanctis propter ipsum Deum cultus exhibeatur : ita maledicere Deum vel in seipso vel in sanctis suis est ejusdem speciei peccatum : etenim hoc ipso quòd ita detrahitur de honore ipsorum ; aliquid etiam derogatur gloriæ Dei, cujus munere et gratiâ suam cœlites consecuti sunt dignitatem. Hinc concludit Cajetanus quòd confessarius non tenetur inquirere varietatem blasphemiarum in Deum et in sanctos, quasi habeant diversitatem specificam, sed tantùm ut judicet de majori gravitate ; nedum enim differunt quantùm ad peccati gravitatem ; ita ut hæc qualitas et circumstantia blasphemiæ sit necessariò in confessione explicanda : sicut in peccato furti explicanda est quantitas materiæ, non solùm propter restitutionem faciendam, sed etiam ad declarandam peccati gravitatem, quamvis de facto non furatus fuerit, sed voluerit furari, ut rectè ait Bannes, supra hunc primum D. Thomæ articulum ; quia non solùm est circumstantia peccati, sed aliquid spectans ad objectum, et ad constitutionem actûs in suo esse individuali. Unde non tantùm declarandum est objectum, sed etiam qualitas illius, eò quòd per aliqua verba major irrogetur injuria, quàm per alia ; diversitas enim judicii notabilis confessarii, hìc et nunc consurgit ex qualitate blasphemiæ. Insuper si fuerit blasphemia hæreticalis, debet explicari quænam fuerit : et de his cognoscunt inquisitores ; à fortiori explicanda est in confessione blasphemia, quæ alterius speciei malitiam habet adjunctam, ut si ex odio Dei procedat, vel contineat errorem directè contra fidem, et sit hæreticalis, ut de se patet.

Articulus II.

Utrùm blasphemia semper sit peccatum mortale

Dico blasphemiam esse peccatum mortale ex genere suo, solùmque posse esse veniale in individuo ex inadvertentiâ, indeliberatione et subreptione ac lapsu linguæ, propter scilicet imperfectionem actûs : id enim commune est omnibus peccatis etiam gravissimis, quòd scilicet hìc et nunc in individuo possint esse tantùm venialia ob non plenam libertatem, et propter imperfectionem actûs indeliberati : itaque nunquàm à mortali quis excusatur, si sit mentis compos, nisi propter inadvertentiam, id est, si ex lapsu linguæ protulit verbum blasphemum, non advertendo sensum verborum : ita quòd si advertisset, certus est quòd non dixisset. Tunc enim fuit blasphemia, non formaliter, sed materialiter tantùm. Unde blasphemia formaliter sumpta semper est peccatum mortale in quâcumque materiâ, utpote quæ non admittit parvitatem ab eo excusantem. Ita expressè D. Thomas, 2-2, q. 13, art. 2, et cum eo communiter auctores.

Probat primò D. Thomas in argumento Sed contra : *Pœna mortis non infertur nisi pro peccato mortali. Sed Dominus illam tulit pro blasphemis : dicitur enim Levit. 24 : « Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur, « lapidibus opprimet eum omnis multitudo. » Ergo blasphemia est peccatum mortale.*

Probat insuper D. Thomas in corp. hâc ratione : *Peccatum mortale est per quod homo separatur à primo principio spiritualis vitæ, quod est charitas. Unde quæcumque charitati repugnant, ex suo genere sunt peccata mortalia. Atqui blasphemia secundùm genus suum repugnat charitati divinæ, quia derogat divinæ bonitati, quæ est objectum charitatis. Ergo est peccatum mortale ex genere suo.*

Probat adhuc in solutione ad 2 argum. : *Quod opponitur præceptis Decalogi, est peccatum mortale ex genere suo. Atqui blasphemia opponitur alicui præcepto Decalogi, cùm enim blasphemia opponatur confessioni*

fidei eo modo quo dictum est, ejus prohibitio reducitur ad prohibitionem infidelitatis, quod intelligitur in eo quod dicitur « Ego sum Dominus Deus tuus », etc.; vel prohibetur per id quod dicitur : « Non assumes nomen « Dei in vanum. » Magis enim in vanum assumit nomen Dei, qui aliquod falsum de Deo asserit, quàm qui per nomen Dei aliquod falsum confirmat. Et art. 3, ad 2. ait S. doctor quòd *super illud ad Ephesios 41 : « Blasphemia tollatur à vobis; » Glossa dicit : Pejus est blasphemia, quàm pejerare; qui enim pejerat, non dicit aut sentit aliquid falsum de Deo, sicut blasphemus, sed Deum adhibet testem falsitatis, non tanquàm æstimans Deum esse falsum testem, sed tanquàm sperans quòd Deus super hoc non testificetur per aliquod evidens signum* Hæc D. Thomas. Ergo ex S. doctore blasphemia opponitur primo vel secundo Decalogi præcepto; sicque est de se intrinsecè mala et peccatum mortale ex genere suo; et est quid pejus, magisque opponitur secundo præcepto quàm perjurium : nullum autem perjurium assertorium potest esse solùm veniale ex parvitate materiæ, sed tantùm ex indeliberatione, ut supra ostensum est. Ergo nec blasphemia, etc.

Probat denique S. doctor, art. 3, ad primum, ubi ostendit blasphemiam esse maximum peccatum, ac omne aliud illi comparatum levius esse, ac gravius homicidio, quod primum locum tenet inter peccata contra proximum; quia ex objecto blasphemia directè contra Deum tendit, sicque præponderet homicidio, quod est peccatum in proximum. Item quia etsi ex parte nocumenti homicidium præponderet, verùmtamen cùm in gravitate culpæ magis attendatur intentio voluntatis perversæ, quàm effectus operis, et blasphemus intendat nocumentum inferre honori divino, ideò simpliciter loquendo graviùs peccat quàm homicida. Atqui homicidium est intrinsecè malum ac ex genere suo mortale; et ut rectè ait Bannes, nullum homicidium potest esse veniale ratione materiæ, ob scilicet ejus parvitatem, quæ nulla datur, etiamsi occidatur fœtus in ventre matris, aut impediatur conceptio, eò quia vita hominis, quæ in fœtu erat in potentiâ, est res gravissima. Ergo à fortiori nulla blasphemia potest esse solùm veniale peccatum ex parvitate materiæ, cùm Dei contumelia ac derogatio ipsius excellentiæ sit res adhuc longè gravissima.

Restat igitur ut si blasphemia possit esse quandoque venialis, id tantùm oriatur ex hoc quòd possit absque deliberatione ex subreptione procedere. Idque dupliciter contingere posse docet D. Thomas hîc, art. 2, ad 3, *uno modo, quòd aliquis non advertat hoc quod dicit esse blasphemiam; quod contingere potest, dùm aliquis subitò ex aliquâ passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat : et tunc est peccatum veniale, et non habet propriè rationem blasphemiæ. Alio modo quando advertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum, et tunc non excusatur à peccato mortali, sicut nec ille qui ex subito motu iræ occidit juxta se sedentem.* Hæc D. Thomas. Ubi igitur iracundia vel passio, vel perturbatio non est talis ac tanta, ut rationis judicium et deliberationem antevertat, nec omninò impediat quin homo advertat aut advertere possit se blasphemare, cognoscens sensum verborum quæ profert, profectò non excusatur à blasphemiâ formali et mortali, nam etiam cum passione movetur malo animo. Unde nisi ignorantia aut inadvertentia cum passione hos motus excuset, passio sola eos excusare nequit. Porrò non est opus longo tempore ad deliberandum ac advertendum, sed in momento temporis potest esse sufficiens judicium rationis, atque deliberatio, quæ requiritur ad meritum vel demeritum.

Quòd si indeliberatio non proveniat ex subitâ passione, sed ex pravo habitu, quatenùs homo consuetudine blasphemandi affectus, non considerat nec advertit verbum quod profert esse blasphemiam, quidam volunt non esse lethale peccatum, quando indeliberatio est causa dicendi, id est, quando iste homo hoc verbum non protulisset, si advertisset esse blasphemiam. Imò etiamsi foret ita dispositus habitualiter ut si adverteret adhuc blasphemaret, adhuc non esset novum peccatum mortale, quia illa blasphemia non esset in se voluntaria, ut patet à simili in peccatis ebriorum ante ebrietatem prævisis, quæ dùm fiunt, non habent novam malitiam formalem, sed tota malitia est in causâ. Nec ad peccatum sufficit habitualis dispositio et proclivitas ad peccandum, sed requiritur actualis dispositio. Nam juxta D. August. non imputat nobis Deus quid faceremus, si hoc vel illud occurreret, sed tantùm quod actu facimus : alioquin homines luxuriæ aut avaritiæ dediti, qui oblatâ opportunitate solent his peccatis consensum præbere, semper actualiter peccarent ex illâ pravâ dispositione habituali.

Alii verò rectiùs id limitant, quando homo assuetus blasphemare, dolet de hoc malo habitu contracto, studetque, laborat et conatur illum à se repellere ac extirpare. Tunc enim potest probabiliter præsumi illam inadvertentiam procedere à subitâ passione à quâ impeditus fuit ne consideraret talia verba continere blasphemiam; neque ea protulisset, si id advertisset : tunc enim ob indeliberationem excusatur à peccato mortali. Secùs dicendum quando nullatenùs se emendare curat : quoties enim blasphemans ex habitu advertit ad illam pravam consuetudinem illamque evellere non conatur, toties mortaliter peccat, quia voluntariè persistit in morali periculo et occasione proximâ blasphemandi, illo pravo habitu inclinante ad blasphemias. Qui autem voluntariè persistit in morali periculo et in proximâ occasione peccandi mortaliter, peccat mortaliter, et dicitur esse in statu peccati. In hoc igitur casu indeliberatio non excusat, quia scilicet procedit ex pravâ consuetudine, concomitante quodam propriæ salutis contemptu, vel latâ negligentiâ, quâ iste homo non curat vitare peccata, maloque movetur animo : sicque tunc illæ blasphemiæ sunt lethales, saltem in suâ causâ culpabili voluntariè neglectâ, sicut de peccatis hominis ebrii antea prævisis dici solet.

Qui assuetus est blasphemare, nec tamen se emendaverit, etiamsi in præteritis confessionibus emendationem promiserit, non est absolvendus statim, sed

confessarius ad tempus debet absolutionem differre, eique proponere varia remedia ad hoc immane vitium extirpandum, ut interim hanc pravam consuetudinem aliquà ex parte deponat. Quòd si postea se corrigere non curaverit, nec aliqua emendatio in ipso apparcat, non est absolvendus, cùm ad hoc non sit dispositus. Quousque igitur aliqua vera signa voluntatis efficacis se emendandi dederit, ac de facto ex parte se emendaverit, absolutio videtur differenda, regulariter loquendo.

Alii verò qui non sunt assueti, sed semel aut iterùm blasphemârunt, si doloris et detestationis hujus peccati dederint signa, et firmum emendandi se, et cavendi in posterum concipiant propositum, absolvi poterunt, impositâ salutari et debitâ pœnitentiâ quæ, juxta decretum concilii Lateran., sess. 9, § *Ad abolendum*, debet esse gravissima pro arbitrio confessarii rigidi et austeri : quamvis auctores velint hujusmodi decreta non esse moribus utentium comprobata. Unde satis erit, si sacerdos blasphemiæ crimen, quàm immane sit et quibus pœnis jure divino, canonico et civili, sit plectendum, ostendat pœnitenti, ac exaggeret : ipsique pœnitentiam quam prudenter spectatis circumstantiis proportionatam et salutarem judicaverit, imponat. Non loquimur autem de blasphemiis hæreticalibus : ad inquisitores enim pertinet de illis cognoscere.

Articulus III.

Utrùm peccatum blasphemiæ sit maximum.

Blasphemiæ impietatem, malitiam, et gravitatem pro modulo nostro rudi brevique penicillo delineare tentabo. Nam adcò immane flagitium ac horribile monstrum nativis expingere coloribus, mortalium excedit vires et ingenia, cùm divinæ majestatis honorem hujusmodi convicio directè læsum æquâ lance librare, nemini detur. Doctor noster Angelicus duobus articulis ultimis quæst. 13 ex 2-2, tanti mali horrorem conatur ingerere, ostendens esse peccatum maximum, ac damnatis familiare. Primùm probat tum auctoritate Glossæ in illud Isaiæ 18 : *Ad populum terribilem*, etc., ubi dicit quòd *omne peccatum, blasphemiæ comparatum, levius est.* Tum hâc ratione, Quia *blasphemia opponitur confessioni fidei, et ideò habet in se gravitatem infidelitatis, et aggravatur peccatum, si superveniat detestatio voluntatis : et adhuc magis si prorumpat in verba : sicut et laus Dei augetur per dilectionem et confessionem. Unde cùm infidelitas sit maximum peccatum secundùm genus suum, consequens est quòd etiam blasphemia sit peccatum maximum ad idem genus pertinens, et ipsam aggravans.*

Secundum quoque probat tum auctoritate Apocalypsis 16 : *Æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Domini habentis potestatem super has plagas* : ubi dicit Glossa, quòd in inferno positi, quamvis sciant se pro meritis puniri, dolebunt tamen quòd Deus tantam potentiam habeat, quòd plagas inferat. Id autem esset blasphemia in præsenti ; ergo et in futuro. Tum hâc ratione : ad rationem blasphemiæ pertinet detestatio divinæ bonitatis. Illi autem qui sunt in inferno retinebunt perversam voluntatem aversam à Dei justitiâ in hoc quòd diligunt ea pro quibus puniuntur ; et vellent eis uti, si possent ; et odiunt pœnas, quæ pro hujusmodi peccatis infliguntur. Dolent tamen etiam de peccatis quæ commiserunt, non quia ipsa odiant, sed quia pro eis puniuntur. Sic ergo talis detestatio divinæ justitiæ, est in eis interior cordis blasphemia. Et credibile est, quòd post resurrectionem erit in eis etiam vocalis blasphemia, sicut in sanctis vocalis laus Dei. Hactenùs D. Thomas. Igitur damnati respicientes Deum ut prohibentem culpas, et inferentem pœnam propter illas, consequenter ipsum odio habent, ejusque justitiam detestantur, indeque prorumpunt in blasphemias.

Ex hâc angelicâ doctrinâ facile est blasphemiæ gravitatem venari. Sicut enim virtutes theologicæ sunt maximæ ac perfectissimæ virtutes, eò quòd immediatè ac directè tendant in Deum ut est in se, tanquàm in proprium objectum : sic peccata quæ illis opponuntur, nempè infidelitas, desperatio, et odium Dei, sunt maxima peccata, proindeque et alia flagitia, quæ magnam cum istis habent affinitatem, et ad ea reducuntur. Atqui blasphemia opponitur confessioni fidei, quatenùs ex illâ confessione redundat quædam laus Dei, magnamque habet cum infidelitate similitudinem, et persæpè oritur ex desperatione, detestatione et odio Dei, nullamque habet excusationem nec rationem, et meretur extrema supplicia tum in hâc, tum in aliâ vitâ. Has deformitates tribus paragraphis sequentibus ostensuri sumus, indeque concludemus esse maximum peccatum.

§ 1. — Inprimis blasphemiam in corde aut ore viri Christiani, indicium esse fidei jam emortuæ, cujus rationem funebrem conficit, aut saltem languentis citòque perituræ, certo certius esse debet. Dùm enim Scriptura, Levitici 24, loquitur de blasphemo quodam, præponit hanc præfatiunculam : *Ecce egressus filius mulieris Israelitidis*, etc., quem locum interpretatur Origenes de egressu et apostasiâ à fide, quasi hoc ipso quòd quis blasphemat, infidelem redoleat. Item 2 Esdræ 9, v. 18, idololatria adorantium conflatilem vitulum, magna appellatur blasphemia ; ex quo enim dixerunt Israelitæ : *Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto*, fecerunt blasphemias magnas, et infideles pariter ac blasphemi evaserunt. Item conqueritur Deus Jeremiæ 9, v. 3, quòd Israelitæ extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis, murmurando scilicet ac blasphemando. Et statim subdit : *Egressi sunt et me non cognoverunt*, fidem abnegantes.

Item sancti Patres disertè pronuntiant Christianum blasphemiis assuetum, facilè in hæresim, infidelitatem et atheismum labi. Tertullianus, lib. 13 de Pudicit., ait : *Cæterùm ethnici et hæretici quotidiè ex blasphemiâ emergunt.* S. Gaudentius, præfatione in Exodum, ait : *Verus Dei cultor ille est cujus fides inter adversa non deficit, cujus lingua benedicere nomen Domini Dei sui in omni angustiarum tempore, in omni tribulationum plagâ non deficit.* Proindeque ille non est verus Dei cultor, sed infidelis, cujus lingua nomen Dei discerpit

blasphemando. D. Damascenus in Parall., cap. 59, ait : *Qui peccat, legem Dei violat : at qui blasphemat, adversùs divinum numen, impietatem admittit.* Origenes, homiliâ 14 in Leviticum, exponens verba supra aliata de blasphemo qui egressus, etc., ait : *Exiit à veritate, exiit à timore Dei, à charitate, à fide.* D. Chrysostomus, homil. 19 in cap. 7 Matth., ait, quòd qui turpiter blasphemiis ululat contra Deum, non est ovis, sed lupus pelle ovinâ coopertus, quomodò Scriptura hæreticos adumbrat; ex voce enim dignoscuntur lupi et ab ovibus secernuntur.

Idem colligitur ex variis modis derogandi divinæ bonitati per blasphemiam, quos assignat D. Thomas in hâc q. 13, art. 1. Vel enim Deo tribuitur quod ei non convenit : quomodò blasphemârunt Manichæi, Deum auctorem peccati proclamantes : Judæi, Christi miracula in Beelzebuth facta calumniantes. Vel cùm removetur à Deo, quod illi essentialiter convenit. Sic blasphemârunt Sabelliani, personarum distinctionem confundentes; Ariani, Filio consubstantialitatem cum Patre denegantes; Macedoniani, Spiritui sancto divinitatem eripientes. Vel cùm creaturæ tribuitur quod est Dei proprium, ut Basilides et Menander, mundum istum inferiorem ab angelis creatum somniantes; sic impii, mundum fato regi asserentes; sic etiam magi, qui in virtute diaboli miracula operari præsumunt. Vel tandem cùm membra Christi, Deiparæ, aut sanctorum seriò nominantur tanquàm contemptibilia, cùm tamen nihil contemptibile habeant, sed sint omni veneratione digna. Blasphemia igitur est locutio falsa contra Deum aut sanctos; et homo blasphemans dicit, quod infidelis aut hæreticus sentit, et credit de Deo. Sicque in actu exercito significat aliquid Deo repugnans ac injuriosum, confessioni fidei, modo jam explicato, contrarium, proindeque ad infidelitatem reductivè pertinens. Ut enim ait Cajetanus hîc, art. 2, quamvis Christianus blasphemans non sentiat verum esse quod dicit, dicendo tamen induit personam sentientis sic esse ut dicit : dicit enim tanquàm si crederet sic esse, aut sic possibile esse, prout diversimodè dicit. Unde D. Thomas rectè asserit blasphemiam habere gravitatem infidelitatis; cadunt enim super materiam eamdem indebitam, quæ est objectum utriusque.

Et ibidem docet quòd blasphemia, quæ est cum cognitione ejus quod blasphematur, gravius est peccatum, cæteris paribus, quàm illa quæ est cum ignorantiâ; quia scilicet plus habet de malitiâ in intentione suâ, cùm habeat plus de voluntario circa illud objectum. Unde est blasphemia perfectior et completa ex utrâque parte, nempe tam ex parte rei blasphematæ, quàm ex parte blasphemantis; id est, et secundùm se, et secundùm blasphemantem. Qui verò non credit in Deum, committit blasphemiam tantùm secundùm se et ex parte Dei blasphemati, ac per hoc blasphemia perfectior est sine infidelitate, quàm cum infidelitate. Idque confirmatur ex illo 2 Petri 2 : *Melius erat eis veritatem non cognoscere, quàm post agnitam retroire*, et multò magis injuriari.

Fidelis igitur blasphemans pejor est graviùsque peccat, quàm infidelis, quàm Turca, quàm Judæus, quàm hæreticus. Fateor equidem ea quæ de Deo isti dicunt, falsa esse; verùm sustineo, ex ignorantiâ et errore intellectûs ipsorum procedere. De Deo enim loquuntur prout sentiunt et credunt, eumque sermone depingunt ad modum quem habent in mente, *putantes* in hoc *obsequium se præstare Deo*, laudem et reverentiam, non convicium neque contumeliam rependere. Si quando Spiritus sanctus infusâ Evangelii luce, dignetur infidelitatis tenebras depellere, eosque ad fidem catholicam adducere, statim ac mutabunt opinionem, mutabunt et loquelam; quod corde credent, ore proferent; nec ampliùs falsa de Deo, nec injuriosa, sed vera et honorifica tantùm usurpabunt verba. Sicut modò sua colunt et venerantur idola interiùs exteriùsque, suos falsos deos, quos veros credunt, nunquàm conviciis ac maledictis impetunt pro quâcumque re : imò ipsorum gloriæ zelo perciti, si audirent aliquem contra fictitia hæc numina blasphemantem, sanguine proprio aut alieno parati essent istam eluere maculam. Hinc tyrannorum rabies et furor adversùs martyres, à quibus idola vilipendi et blasphemari reputabant, tanquàm fluvius inundans mundum christiano sanguine, crumpebat, ac in dies magis desæviebat. *Erubesce, Sidon, ait mare :* erubesce, ô Christiane, ô blaspheme, tuum verumque Deum tot conviciis ac maledictis quotidiè dehonorans, aliosque blasphemantes, frigidè sine ullâ cordis commotione absque zelo vindictæ audiens : imò et quandoque cum lætitiâ et exultatione auscultans. Non sic Turca Mahometem, quem tamen non Deum, sed duntaxat hominem credit prophetam, injuriosè tractat, sicut tu Creatorem tuum conviciis infamas? Hunc pronus in terram veneratur et adorat, solùmque benedicit et laudat, nec patietur ab aliquo maledictis impeti : statimque extremo afficeretur supplicio quisquis auderet verba blasphemiæ in hunc pseudoprophetam conjicere. Imò juxta D. Bernardinum Senensem, sermone 41, tantam habent pro Christo, quem excellentem prophetam virumque sanctissimum fuisse reputant, venerationem, ut in Alcorano statutum legatur quòd quicumque contra Christum blasphemârit, medius dividatur et abscindatur : quid non facerent, si Deum esse crederent ejusque profiterentur Religionem ut divinam?

Danielis 3, v. 96, idem ferè legimus à Nabuchodonosore statutum cùm vidisset tres pueros in fornacem conjectos, ope Dei quem ipsi colebant, illæsos evasisse. Tunc enim ait *Benedictus Deus eorum*, etc., subditque : *A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus et lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam, contra Deum Sidrac, Misac, et Abdenago, dispereat, et domus ejus vastetur*, etc. Rex igitur quamvis infidelis, nec isto miraculo conversus in verum Deum, adhuc tamen sub gravibus pœnis à quocumque etiam idololatrâ blasphemari vetat. Certò viri Ninivitæ, et infideles surgent in judicio adversùs generationem istam Christianorum blasphemantium, et condemnabunt eam.

Judæis fas non erat nomen Dei tetragrammaton

simpliciter etiam proferre, ob maximam quâ illud prosequebantur reverentiam; tantoque horrore, irâ et mœstitiâ afficiebantur audientes blasphemantem, ut statim vestimenta sua scinderent, prout colligitur ex cap. 26 Matth., v. 65. Imò nequidem ipsum proprium blasphemiæ non usurpare audebant, sed utebantur contrario benedicendi verbo. Sic enim in Scripturâ passim legitur : 3 Regum 21, v. 10 et v. 12. Et Job. 1, v. 11, ipsemet diabolus sic locutus est Deo : *Tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi*, pro blasphemaverit. Item ipsemet Job ibidem v. 5, dùm ejus filii vicissim conviviis se excipiebant, timens ne tunc laxarent linguam in aliquas blasphemias, pro ipsis diluculo sacrificia offerebat : *Dicebat enim, ne fortè peccaverint filii mei, et benedixerint Deo.* Hujus sanctissimi viri uxor suadere volens ne priùs animum exhalaret, quàm multis probris ac conviciis in Deum congestis suo dolori in vindictam satisfaceret, dicebat ei : *Benedic Deo, et morere*, cap. 2, v. 9. Apud Judæos mortis pœnâ afficiebatur blasphemus : et quidem totius populi manibus lapidabatur, ut legitur Levit. 24, v. 14, idque duplici potissimùm ratione statuit Dominus. Prima ut tanti flagitii gravitate et justâ punitione convincerentur Judæi, ex hoc quòd in eam totus simul populus paribus animis et manibus consentiret. Altera ad cunctorum emendationem, ut ne quis postea perpetraret et in se auderet admittere quod in alio acriter puniret, ut dicit Salvianus, lib. 3 de Providentiâ.

Posteriores Judæos profundè peccâsse fateor in Christum blasphemantes, tanquàm seductorem, seditiosum ac reum in crucis patibulo vitam exhalare rabidè procurantes. Quis enim tantum facinus non exhorrescat? omne scelus procul dubio superat hoc deicidium. Verùm, Apostolo teste 1 ad Corinth. 8 : *Si cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent*, eosque ob eam ignorantiam excusare conatur Christus moriens, dùm dicebat : *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* At Christianus sciens et volens conviciis impetit, et linguâ suâ auctorem vitæ iterùm crucifigit in semetipso. Ut enim ait Augustinus tract. 9 in Joannem : *Flagellatur Deus flagellis Judæorum, flagellatur blasphemiis Christianorum.* Et ut addit Lyranus in cap. 18 Matth., si tunc conspuitur salivis infidelium, ita nunc dehonoratur, illuditur, conspuitur opprobriis malorum fidelium, et colaphis, id est, blasphemiis eorum cæditur. Juxta D. Bernardinum Senensem serm. 41, lancea et gladius est lingua blasphemantis, scindens et discerpens Deum, si possit, in pluries partes.

Quem igitur Judæi ignorantes semel tantùm crucifixerunt Christum, multoties quotidiè Christianus blasphemans, de industriâ iterùm crucifigit in semetipso! Proh! horrendum et execrandum scelus. *Non enim minùs peccant qui blasphemant Christum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris*, ait August. in cap. 26 Matth. Imò longè graviùs peccare, evidenter colligitur ex Augustini verbis hâc comparatione illustratis. Grave scelus est alapâ aut fuste magistratum, prætorem, aut præsidentem ferire discurrentem per plateas aut per campos habitu communi indutum : talisque percussor gravi supplicio plectendus esset. At culpa longè gravior censeretur majorique pœnâ expianda, si percuteret purpuratum, infulatum, justitiæ chlamyde vestitum, pro tribunali, in curiâ, super lilia sedentem. Sic judæi immane quidem scelus perpetrârunt, Christum Dominum habitu ut hominem inventum mortalem, viatorem, quasi in incognito in terris deambulantem blasphemantes et crucifigentes. At blasphemi nunc exutum assumptis infirmitatibus, divinitatis gloriâ totum splendentem, impassibilem, immortalem, in cœlis regnantem, in dexterâ Patris sedentem, conviciis impetunt, rursùmque crucifigere tentant. Quid hâc impietate sceleratius? quid immanitate istâ crudelius? quid isto facinore execrabilius? de crucifixoribus non conquestus est Deus, etiam dùm ab eis horrenda pateretur et acciperet tormenta : mortem suam sibi gloriosam, nobisque proficuam considerabat, indeque lætabatur; eamque, ut decretum Patris impleretur, libenter acceptabat. At verò mortem sibi intentatam à blasphemis, tanquàm injuriosam, nocivam et detestabilem exhorret ac execratur, verbisque Isaiæ cap. 52 consequitur, dicens : *Jugiter totâ die nomen meum blasphematur.* Item per os Jeremiæ Threnorum 3, v. 12 : *Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam.* O bone Jesu, blasphemi lingua verè arcus est pravus, è quâ conviciorum tela vibrat et contorquet in caput, ventrem, sanguinem et corpus tuum assumptum, tanquàm in signum blasphemiis lancinatum. An non satis passus es à Judæis, à crucifixoribus, à quibus attritus fuisti tormentis, et opprobriis saturatus? Impii hæc nedùm iterare, refricare, innovare, sed et suis blasphemiis augere moliuntur, et super dolorem vulnerum tuorum, et confusionem ac infamiam opprobriorum addere immaniter tentant; perdito latroni non dissimiles, qui tecum in cruce pendens, tibi afflicto et morienti improperabat et conviciabatur, suisque blasphemiis in eàdem, imò majori damnatione erat, quâ perfidi Judæi.

§ 2. — Ad secundum accedo punctum, nempe quòd blasphemia opponatur spei et charitati virtutibus theologicis, et ad desperationem ac detestationem, odiumque Dei reducatur; aut ab his pestilentibus fontibus, ut in plurimùm oriatur, sitque blasphemus damnatis ac dæmonibus affinis, imò et pejor illi existat.

Prodiit enim quasi ex adipe iniquitas blasphemorum, transierunt in affectum cordis; nec sunt macie mali, seu, ut ait Augustinus, exiguitate quâdam necessitatis affecti, sed ex adipe malitiæ, quia nullâ necessitate, nullo motivo, solâque passione, impatientiâ et desperatione ad blasphemandum inducuntur. Superbum honoris altitudo ad ambitionem movet; epulonem cibi jucunditas ad gulam trahit; libidinosum carnis delectatio ad venereas voluptates accendit; furem pretium rerum alienarum, et quandoque necessitas, ad rapiendum impellit. Alii itaque peccatores aliquo motivo inducuntur, et quamdam speciem boni apparentis intendunt, quod absque Dei injuriâ liben-

tissimè obtinere vellent : non enim per se et primariè, sed duntaxat per accidens et secundariò Dei offensam intendunt. At blasphemator nullo simili incentivo movetur, neque nullam speciem boni etiam apparentis sibi præfigit, sed per se et primariò Dei injuriam et vituperium, saltem ex modo procedendi, respicit : indeque prorsùs inexcusabilis efficitur, ac indignus veniâ, juxtà illud Matth. 12 : *Spiritus blasphemiæ non remittetur*, id est, vix et nonnisi cum maximâ difficultate remissionem obtinebit. Ut enim exponit Cajetanus hîc, quidam blasphemant ex coactione et fragilitate, et hi peccant in Filium ; alii ex deceptione et errore, et hi peccant in Patrem ; alii ex solâ malignitate, et hæc est pessima species, ac contra Spiritum sanctum. Est autem et in hoc genere sceleratissimum, et in quo malitia crevit usque ad summum, quando quis in vituperiis Dei delectatur et gloriatur. Quid ergo videtur aliud spiritus blasphemiæ, quàm affectatio et desiderium vituperationis divinæ ? Eo ipso igitur quòd hoc malum nihil habet in se excusationis, non meretur habere excusationem remissionis.

Unde ibidem subditur : *Qui blasphemaverit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc seculo neque in futuro ;* quia scilicet fontem misericordiæ sibi claudit, dùm directè bonitati divinæ contrariatur et derogat. Fateor equidem omne peccatum in hoc mundo, quamdiù homo vivit, esse ei remissibile, tum ratione gratiæ ac meritorum Christi, quæ nullatenùs exhauriri possunt, tum ratione liberi arbitrii quo homo viator Dei gratiâ adjutus potest deserere malum, et consentire bono. Verùm spiritus blasphemiæ, ut plurimùm de viâ ordinariâ ex parte blasphemantis potest dici irremissibilis, tum quia, ut ait Cajetanus Matth. 12, blasphemus vix potest se humiliare ad veniam petendam, et ad bonum. Unde August. ait : Tanta labes est illius peccati, ut deprecandi humilitatem habere non possit. Sicut Judas cùm dixit : *Peccavi*, faciliùs desperans cucurrit ad laqueum, quàm humilitatis veniam petiit. Et forsan vix inveniet mediatorem ac intercessorem apud Deum, qui velit audeatque offensum ac iratum placare, et pro illo exorare, ad veniam obtinendam. Ut enim Heli dicebat filiis suis 1 Regum 2 : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Seu rarò invenitur qui accedere audeat intercessor : sicut in rebus humanis rarò invenitur qui in causâ perduellionis seu læsæ majestatis apud principem intercedat. Et ut ait D. Gregorius super hunc locum : *Cujus prece peccatum illud indulgetur, quod in ipsum indultorem commit itur?* Quis miserebitur tui, blasphemator, qui in Deum directè peccas ex certâ veluti quâdam malitiâ ? Audi, obdurate, Jeremiam sic lamentantem, cap. 15, v. 1 : *Quis miserebitur tui, Jerusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tuâ?* Quasi diceret, ait Origenes, hom. 10 : *Perduellionis rea es, ô Jerusalem ; ipsi quoque angeli pro te peccatores accedere non audent. Quis hominum pro te rogare non reformidet, ne tui tecum criminis particeps censeatur?*

Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis, ait D. Joannes Epist. 1, cap. ultimo. Tale peccatum juxta sanctos Patres, D. August. lib. 1 de Serm. Domini in monte. Tertullianum lib. de Pudicitiâ cap. 2. Cyrillum Alexand. lib. 4 in Levit. Chrysostomum in Psalm. 41. Rupertum lib. 2 in Num. cap. 1, nihilo differt à peccato in Deum, à peccato in Spiritum sanctum, à spiritu blasphemiæ, quia irrationabile videtur remitti, ratione obstinationis vel repugnantiæ, eò quòd excludat, contemnat, et abjiciat omnia quæ illud remittere valent. Sicut enim morbus est mortalis, quando tollit virtutem naturæ, inducit cibi fastidium, medici contemnit consilium, sic peccatum videtur esse ad mortem ac irremissibile contrariè, quod excludit, abjicit et contemnit ea per quæ fit peccati remissio. Talis videtur esse blasphemiæ spiritus, quo quis ex malitiâ, ex electione et ex habitu, sibi complacens in blasphemiâ, peccat in Spiritum sanctum : bonitati divinæ derogat, Dei misericordiam et gratiam contemnit, mentem excæcat, cor indurat, nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus. Currit adversùs Deum erecto collo, et pingui cervice armatus : et ut ait Glossa Lucæ 12, hic blasphemus exigentibus malis suis meritis, sicut nunquàm ad remissionem, ita nec ad pœnitentiam est perventurus : non enim meretur eam agere, ut recipiatur. In quo sensu Tertullianus lib. de Pudicit. cap. 13, ait, quòd *in isto et in futuro ævo, crimen irremissibile est blasphemia.* In terrâ incipit, per vitam blasphemantis continuatur, et in inferno durabit in æternum, etiam quoad actum.

Omnia quæ committit homo peccata lethalia dùm vivit nec ante mortem pœnitentiâ delet, illum quidem detrudunt ad tartara ; verùm in limine sistunt, et cum eo non ingrediuntur : in inferno quippe avaritia, luxuria, gula, aliaque similia vitia non exercentur. At blasphemia in terrâ habuit initium, et in inferno carebit fine. Sicut enim sancti in cœlo Deum continuò laudabunt per æternitatem non solùm mentaliter, sed etiam vocaliter, post resurrectionem, sic et damnati in inferno continuò Deum blasphemabunt. Et hæc erit eorum occupatio per totam æternitatem, velut canes rabidi contra Dominum ultorem scelerum oblatrantes, Apocalyp. 16, v. 10 : *Commanducaverunt linguas suas præ dolore, et blasphemaverunt Deum cœli, præ doloribus et vulneribus suis*, etc. Horribilia quæ patiuntur tormenta, desperatio consequendi salutem ac liberationem ab hujusmodi pœnis, odium quod in Deum illas inferentem concipiunt, et voluntas in malum obstinata detestans divinam justitiam, linguas damnatorum in continuas laxant blasphemias.

Audi, blaspheme, et ausculta. Qui vult profiteri aliquam artem, ejus tirocinium priùs exercet, et qui intendit habitare in aliquâ regione, hujus populi idioma addiscit. Post hanc vitam mortalem duæ erunt regiones habitandæ per totam æternitatem, nempe cœlum et infernus. Idioma et occupatio beatorum in cœlo erit Deum laudare et benedicere : è converso idioma, professio et exercitium damnatorum in inferno, erit

Deum in æternum maledicere et blasphemare. Posuit interim nos Deus in hoc mundo, ut discamus quam artem in alio velimus profiteri. Unde qui nunc assuefit divinis obsequiis et officiis, qui Deum laudat et benedicit, tirocinium professionis beatorum assumit addiscitque in terris, quod in æternum professurus est in cœlis : è contra verò qui nunc os blasphemiis assuefaciunt, Deumque conviciis impetere solent, tirocinium artis damnatorum ac dæmonum incipiunt, ad eam profitendam et exercendam in inferno per totam æternitatem, prout innuit Ezechiel, cap. 32, v. 27, dicens : *Descenderunt in infernum cum armis suis.* Lingua verbaque sunt gladius, pharetra, tela et arma, quibus blasphemantes contra Deum bella movent. Alii ex impietate et detestatione, quos gentiles denotârunt per gigantes armatos, ut Jovem de solio suo detruderent. Alii animo vanitatis, quasi blasphemia sit fortitudinis et magnanimitatis insigne. Alii ex passione et desperatione, dùm ipsis aliquid molestum occurrit ; cùm hujusmodi armis blasphemi descendunt ad tartara : *Et posuerunt gladios suos sub capitibus suis.* Hæc arma nunquàm deserent; sed etiam jacentes in flammis inextinguibilibus, Deum conviciis atque blasphemiis impetere non cessabunt.

Hæc erit pars, hæc sors blasphemorum : loquela enim manifestos eos facit cives ac domesticos Babyloniæ civitatis, cœlestisque Jerusalem penitùs extraneos et exules, utpote illis barbara et invisa laus divina, sicut et charitas : amor Dei ab ipsorum corde exulat, amor suî usque ad contemptum, detestationem et odium Dei solummodò regnat, eumque ut infensissimum hostem habent et tractant. Dùm enim aliquis inimicitias cum alio gerit, odio prosequitur illum, omnia ejus facta et dicta in malam partem interpretatur, injuriosa de ipso verba profert, ut aliis ridiculum ac despicabilem reddat; quæcumque sibi adversa inscio auctore accidunt, ex ejus officinâ prodiisse autumat. Sic se gerunt tales impii erga Deum ; filii tenebrarum ex patre diabolo, patris sui desideria dehonorandi Creatorem implere volentes, damnatorum consortes, quidquid ipsis molestum et adversum evenit, Deum blasphemiis impetunt diabolo pejores.

Postquàm enim emanatâ lectâque sententiâ reus est condemnatus ad mortem, et ducitur ad supplicium, nullaque spes evadendi affulget ; si in querimonias ac injurias prorumpat, de hoc non multùm curant judices, neque moventur, sed patienter ferunt, tanquàm effectus excusabiles desperationis, tristitiæ, mortisque apprehensionis, quibus ratio hujus hominis concutitur ac perturbatur ; et adhuc magis excusant motus iræ, verbaque contumeliosa, si quæ proferat in actuali supplicio, dùm corpus ejus à carnifice dilaniatur aut comburitur, ob doloris excessum. Verùm si alius reus dùm examinandus sedet coram judicibus, solùmque instruitur processus, ante sententiam et condemnationem ausu temerario absque causâ et ratione, injuriosis ac contumeliosis verbis eos lacesseret, quænam foret ista dementia ? quisnam furor ? nullam sanè veniam ac excusationem mereretur, sed inevitabile, graviusque supplicium sibi accerseret. Pari modo non est mirum quòd dæmones et damnati blasphement : jacta est alea, emanataque sententia irrevocabilis, igne tartareo in æternum sunt cruciandi, nec sperant se posse evadere : et ideò tanquàm desperati feruntur ad omne quod eis perversa voluntas suggerit : nec Deus his blasphemiis movetur, sed eorum supplicio suam exaltat justitiam. Tu verò, ô homo viator, homo christianus et catholicus, qui nulla aut parva sentis incommoda, qui nondùm condemnatus es, nec flammis æternis applicatus, qui continuò multa bona à Deo recipis, recepturus majora si velis converti, qui habes sacramenta et locum pœnitentiæ, conviciis atque blasphemiis audes contra divinam majestatem insurgere, tuumque judicem continuis injuriis exacerbare, ejusque justitiam contra te armare ! Thesaurizas tibi iram in die vindictæ et revelationis justi judicii Dei.

Blasphemi ut plurimùm in puncto mortis desperantes, semetipsos tradunt impœnitentiæ, ac blasphemando, impiam in manibus dæmonum efflant animam. Testis est Julianus Apostata, qui in bello Persico divinitùs lanceâ inter costas percussus, sanguinem suum manu in cœlum jaculando dixit : *Exple iram tuam, Galilæe, vicisti, vicisti.* Testes alii innumeri, prout experientiâ comprobatur, necnon historiis quæ similibus scatent exemplis. Tunc enim vident Deum quasi pedem supra ipsos tenentem, manum elevatam ad feriendum habentem, pondus divinæ justitiæ sentire incipiunt, et jam prædamnatos se considerantes, descendunt cum armis suis seu blasphemiis ad tartara. Tunc illa convicia, quæ tanquàm futilia et levia floccifaciebant, apparent horribilia monstra, et peccata irremissibilia, ac desperatione horribili conturbati, ista Caïni verba usurpant : *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, Gen. 4, v. 13. Ut enim ait Tertull. lib. de Pudicitiâ, cap. 13 : *Illis venia negatur, qui de fide in blasphemiam impegerunt.* Et ex omnibus blasphematoribus, quos Scriptura refert, Sennacherib, Antiochum, Nicanorem, et similes, nullus legitur pœnitentiam egisse, quia, ut ait D. Bernard. Senensis, tom. 1, serm. 41 : *Blasphemus in puncto mortis non recordatur pœnitendi se propter ingratitudinem, et remanet damnatus eò quòd sit extra gratiam Dei : et in isto misero statu, sanctorum orationibus destitutus, inter salutis desperationem et infirmitatis anxietatem, misera ipsius anima comprehenditur à dæmonibus, et verificatur illud Threnorum, cap. 1 : « Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. » Dæmones enim apprehendunt blasphematoris animam quasi inter duos muros, scilicet peccatorum et infirmitatis Murus peccatorum arcet eam ab ingressu cœli : murus verò infirmitatis cogit illam ad egressum ex hoc mundo, sive à corpore. In hâc angustiâ comprehendunt eam dæmones, et in infernum demergunt.* Hæc Bernardinus.

§ 3. — Tertium superaddo punctum ad malitiam et gravitatem maximam peccati blasphemiæ adstruen-

dam : non enim satis est ostendisse illud ad infidelitatem reduci, et de Christiano facere infidelem, Turcam, et Judæum, eisque longè deteriorem. Nec sufficit probàsse illud includere desperationem, detestationem, ac odium Dei, et reddere blasphemum damnatis et dæmonibus similem : imò et istis pejorem : sed ulteriùs adstruendum est, hominem rationis usu denudare, ac in brutum transformare : imò et ipsis bestialiorem efficere.

Omne vitium est contra naturam hominis, ut probat D. Thomas, 1-2, q. 71, art. 2, dicens : Vitium contrariatur virtuti : virtus autem cujuscumque rei consistit in hoc quòd sit benè disposita secundùm convenientiam suæ naturæ. Unde oportet quòd in quàlibet re vitium dicatur ex hoc quòd est disposita contra id quod convenit suæ naturæ. Unde de hoc unaquæque res vituperatur : à vitio autem nomen vituperationis derivatum creditur, ut August. dicit, lib. 3, de libero Arbitrio. Subdit autem S. doctor : Sed considerandum est quòd natura uniuscujusque rei potissimè est forma, secundùm quam res speciem sortitur : homo autem in specie constituitur per animam rationalem, et ideò id quod est contra ordinem rationis propriè est contra naturam hominis in quantum est homo. Bonum autem hominis est secundùm rationem esse, et malum hominis est præter rationem esse, ut dicit Dionysius, cap. 4, de divin. Nominibus. Unde virtus humana, quæ facit hominem bonum et opus ipsius bonum reddit, in tantum est secundùm naturam hominis, in quantum convenit rationi. Vitium autem in tantum est contra naturam hominis, in quantum est contra ordinem rationis. Hæc D. Thomas. At blasphemiæ peccatum præ aliis maxime contra rationem, subindeque contra naturam hominis militat. Voluntas enim à ratione mota, fertur in bonum reale vel apparens, prout scilicet illud objectum præ se fert aliquam speciem boni utilis, aut delectabilis, aut honesti, eoque motivo inducitur. Sic avarus per fas et nefas perquirit divitias, tanquàm bonum utile ; libidinosus carnis delectationes amat, tanquàm bonum delectabile ; et superbus ambit honores ac dignitates, tanquàm bonum honestum ; blasphemator autem nullam speciem boni etiam apparentis intendit, nulloque simili motivo inducitur ad blasphemandum. Unde dicitur 2 Petri 2, v. 12 : *Velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem et in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione suâ peribunt.* Indeque nullum honorem, nullam voluptatem, neque utilitatem, sed infamiam, desperationem, cruciatus, calamitates, innumeraque incommoda percipit, ut breviter demonstro. Inprimis blasphemus de famâ et honore periclitatur apud Deum et homines, qui eum tanquàm monstrum horrent et fugiunt. Et sanè si in blasphemando esset aliquis honor, agazones, aurigæ, servi, plebeii, ebrii, furiosi, imò damnati et dæmones forent in summo honoris gradu constituti, cùm hanc artem optimè calleant, ac frequentiùs exerceant. Quod quàm sit absurdum et à veritate alienum, nemo non videt, indeque facilè colligitur blasphemiam esse quid inhonestum, vile, infame, nonnisi perditis, impiis, contemptibilibus homuncionibus, et damnatis, omnimodâ infamiâ laborantibus, proprium ac familiare scelus.

Quòd si dicas, blasphemare esse quoddam fortitudinis et magnanimitatis insigne, quasi non sit virilis animi, aut eloquentis sermonis, qui loquitur sine blasphemiâ, proh cæcitas ! proh dementia ! ubinam sumus ! quò devenimus, ut non in præclaris factis, sed in verbis contumeliosis promendis ac injuriosis contra Creatorem, animi generositatem ac robur statuamus ! O ubi estis fontes lacrymarum ! ô phrænesis ! ô deliramentum ! Quasi verò in signis ignaviæ et debilitatis, possit consistere fortitudinis et magnanimitatis insigne, verbis quippe nihil levius ac debilius. His armis utuntur mulieres et personæ ignavæ dùm altercantur : in minas ac convicia prorumpunt, nec maledicendi faciunt finem. Quis sanæ mentis ob hoc reputaret ac diceret esse fortes ac generosas ? Sic, ô impie blasphemator, tuam istis conviciis prodis ignaviam et debilitatem, dùm adversario resistere nequis, dùm impar viribus succumbis, arma mulierum sumis, verba scilicet injuriosa Deo et proximo ; et hoc ipso te victum, animo dejectum ac infirmum profiteris. Quibus personis formidabilem te reddere putas his blasphemiis ? sanè nonnisi solis pueris aut mulierculis ; quibus placere poteris his diabolicis locutionis tuæ ornamentis ? nulli sanè, nisi fortè impiis hominibus tui similibus : cæteri cum horrore tuas audient blasphemias, te contemnent, ac parvipendent. Et verificatur istud Dei oraculum 1 Regum 2, v. 30 : *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Vilescent, spernentur, et honore privabuntur.

Veræ magnanimitatis et fortitudinis symbolum exhibuerunt Christi martyres, intrepidi ad tyrannos accedebant, ad tribunalia sine timore duci, et in carceribus detineri patiebantur, horribilissima quæque tormenta constanter sustinebant, mortemque atrocissimam læti aspiciebant et recipiebant. Ab his potuissent facillimè se liberare abnegando Christum ; sed gloriosam mortem potiùs subire, quàm hâc probrosâ infidelitate fœdari elegerunt : qui verò è contra minis, terroribus et suppliciis succumbentes, fidem et Christum abnegabant, meritò tanquam debiles, ignavi, viles, infames reputabantur. Ergo in Dei abnegatione et blasphemiâ nequit consistere vera fortitudo et animi generositas, sed signum potiùs est dejecti animi, viribusque destituti.

Accipe nedùm à martyribus, sed et ab angelis, quàm vilis et inhonesta sit blasphemia. Refert apostolus Judas in suâ canonicâ, quòd cùm Michael archangelus, altercaretur de Moysis corpore cum diabolo disputans, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : *Imperet tibi Dominus.* D. Hieronymus hæc verba expendens, ad Titum 3, ait : *Merebatur quidem diabolus maledictum, sed per archangeli os blasphemia exire non debuit.* Inhonestum quippe, indecens suæque nobilitati repugnans judicavit cœlestis militiæ prin-

ceps, etiam diabolo maledicere. Quantò magis indecorum ac vituperabile erit maledicere Deo prout facere consueverunt blasphemi, viri sine honore! Nec etiam voluptatis motivo quis ducitur ad blasphemandum: blasphemi enim ultrò fatentur se ex passione, ex iracundiâ, ex impatientiâ et ex perturbato animo ordinariè in blasphemias prorumpere. Quænam autem potest inesse voluptas, ubi fel, amaritudo, furor et desperatio movent et excitant? instar canis rabidi excandescunt et oblatrant contra Deum. Et in hoc pejores se esse demonstrant, quòd canis contra dominum suum rabiem non convertit: hi verò contra Dominum et Creatorem omnium debacchantur et insurgunt: nec tantùm in bonis suis illum offendunt ac indirectè impetunt, sicut alii peccatores, sed etiam in cœlum ponunt os suum, divinæque majestati in seipsâ directè derogant, maledicunt, injuriantur, ac velut furiosi Titanes in solem tela vibrant. Si quis sagittam ejacularetur circa cor summi pontificis, quem tamen non vulneraret, impediente aliquâ laminâ quâ coopertus est, foret nihilominùs iste papicida, et ut talis puniretur, quia quantùm in se est interficere conatus est. Sic blasphemator reus est deicidii: ut enim ait D. Bernard. Senensis, *qui blasphemat, sagittam mittit contra Deum, quantùm est ex se intendens illum destruere, proindeque et cuncta quæ sunt in mundo destruere tentat, utpote quæ in nihilum hoc ipso redigerentur, si per impossibile destrueretur Deus. Quanta igitur est blasphematoris sævitia! quantus furor! quanta rabies! quis voluptatis sensus in isto corde felleo suboriri potest?*

Minùs adhuc utilitatis incentivo moventur homines ad blasphemandum: non enim Dei convicia ad comparandum divitias, corporis valetudinem, aliaque bona temporalia possunt esse media, minùsque ad spiritualia obtinenda. Hæc omnia sunt dona Dei; quibus vult, impertitur. Certum autem est quòd injuriis eum lacessere et exacerbare, nequit esse via ad tales largitiones assequendas. Sicut videmus homines laudibus et obsequiis captare benevolentiam eorum à quibus sperant recipere dona, ut his illecti liberalitatem exerceant; summoperè cavent ab iis quæ possent eorum animos alienare, et perfrictæ aut insanæ mentis censeretur homuncio, qui indigens alterius beneficiis, ipsum maledictionibus in facie et contumeliis oneraret, præsertim principem aut regem, putans his injuriis atrocibus se posse gratuitas et liberales ab eodem obtinere largitiones: dùm excitat iram, et gravissima meretur supplicia; dic, impie blasphemator, quomodò te gereres erga hominem tibi ingratum, cui largitus es bona, quem honoribus et benedictionibus semper prævenisti, summoque amoris affectu prosequeris, cui nunquàm tantillùm mali intulisti, si odium pro dilectione, maledictiones ac convicia pro benedictionibus, mala pro bonis tibi rependat, et in hoc ingrati animi vitio perseverare velit? an novis beneficiis et largitionibus ipsum cumulares? nequaquàm; sed potiùs datis spontares si posses. Dic, impie, si inermi ab hostibus invaso ensem, quo sè defenderet, mortemque vitaret, præbuisses, et interim contra te distringeret gladium et contorqueret, an non ea auferres arma? an non insanum ac furiosum hunc hominem inter inimicorum manus desereres, ut periret? Vitam, corpus, animam, bona et cuncta quæ habes tibi liberaliter largitus est Deus, nec cessat quotidiè te novis cumulare beneficiis; si tantillùm à benefaciendo et te sustinendo desisteret, in nihilum redactus esses. Dona hæc merentur gratiarum actiones, laudes et obsequia: et tamen continuis non desinis illum afficere contumeliis, injuriis et blasphemiis!

Linguam et loquelam homini impertiri voluit, ut ab eo benedictionibus repleretur, et labiorum vitulo laudisque sacrificio honoraretur ac coleretur: et tu, ô naturæ monstrum horribile, in Dei maledictiones et blasphemias hoc membrum laxas, eoque uteris tanquàm ense, tanquàm sagittâ ad feriendum Creatorem tuum! quomodò audes ab ipso petere et expectare bona? an non abscindenda maledicta tua lingua? an non privandus obtentis jam beneficiis? an non mereris vitam cum morte et damnatione æternâ commutare? Ingratitudo collata jam bona aufert, ulteriora ne dentur impedit, ingratumque pœnæ subjicit, D. Bernardo teste, serm. 52 in Cant. Est ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ: peremptoria res est ingratitudo, hostis animæ, inimica salutis; nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ; et ubi illa fuerit, jam gratia accessum non invenit, locum non habet. Quænam autem major ingratitudo, quàm beneficia nedùm non recognoscere, sed etiam despicere ac injuriis afficere benefactorem, ipsisque beneficiis uti ad offendendum ac lædendum benefactorem, prout faciunt blasphemi erga Deum, qui proinde non bona, sed mala ab eodem expectare debent?

Deus namque severè punit blasphemos in vitâ, in morte, et post mortem, ut constat de Nicanore, de Antiocho, de Sennacherib, de Ario, de Olympio, de Nestorio, de Juliano Apostatâ, cæterisque blasphemis, quos Deus horribili et improvisâ morte punivit, æternisque flammis cruciandos adjudicavit. Nec in privatum duntaxat ipsorum exitium, sed etiam in commune reipub. detrimentum blasphemiæ atrocitas, iræ Dei excitativa, redundat. Nam Justiniano imperatore teste, nunquàm Deus blasphemiam inultam sinit, sed peste, fame, terræ motu, aliisque gravioribus plagis immissis ulciscitur et punit. In Novellis, authenticâ 77. Item Nicolaus Boërius, decisione 301, refert quòd Galliarum rex Robertus, Hugonis Capeti filius, in civitate Aurelianensi ante crucifixi imaginem pro pace regni orans, audivit ab ipsâ imagine extirpandas esse blasphemias, si vellet pacâ frui. Hâc de causâ Deus blasphematores à populo lapidibus obrui jusserat, Levit. 24, ut scilicet hâc punitione averterent mala, quæ ex blasphemiâ communitati impendebant; omnesque concurrerent ad necem illius, qui Dei iram et plagas super omnes induxerat. Blasphemia enim, nisi vindicetur, suî enormitate videtur assistentes et vicinos adeòque totam regionem polluere, ac vindictæ

divinæ obnoxiam reddere ; quam ut averterent Judæi, Deo nocentem tanquàm hostiam piacularem tradebant, manus super caput illius imponentes, quasi hoc ritu reipsà precarentur Deum ut in reum omnem peccati pœnam devolveret, nec in regionem aut populum crimen admissum vindicaret. Cajetanus super hunc locum ait : *Utinam hodiè servaretur, quandò jam blasphemare licet impunè, non solùm in iracundiâ, ut iste litigando blasphemaverat, sed etiam colloquendo quietè : significanter enim describitur iste divinâ sententiâ lapidatus ob blasphemiam in jurgio, ut hinc intelligeremus multò magis puniendos, qui quieto animo blasphemant.* Hæc ille.

Cùm igitur peccatum blasphemiæ sit cunctis adeò exitiale et nocivum, mirum non est leges omnes divinas, civiles et canonicas, in blasphemos severè animadvertere. Paulus, ut refert 1 ad Timoth. 1, Hymenæum et Alexandrum tradidit Satanæ, ut discerent non blasphemare ; Moyses Pharaonem blasphemum demersit in mare Rubrum. In relatâ Justiniani authenticâ ultimo supplicio blasphemi tradi jubentur : variisque pœnis in diversis regnis adjudicantur. In nostro, Philippus Augustus à Deo Datus, edicto suo statuit, ut in lacum vel flumen mergerentur citra mortem. S. Ludovicus constituit, ut candenti ferro, aut laminâ eorum facies inureretur : neque quâvis supplicatione dimoveri potuit quin civis Parisiensis blasphemus hanc subiret pœnam, dicens eamdem se libenter perpessurum, si tam horrendum blasphemiæ scelus à suo regno posset hoc oris dedecore profligare. Alii reges Galli eodem zelo ducti, tam immane peccatum sub gravibus pœnis prohibuerunt. Item in jure canonico variæ statuuntur pœnæ contra blasphemos, in titulo de Maledicis, can. *Statuimus*, in Conc. Lateran. sub Leone X, sess. 9, § *Ad abolendam*. Item in constitutione Julii papæ III, quæ incipit : *In multis*, et in Bullâ B. Pii V quæ incipit : *Cùm primum Apostolatus*. Blasphemiæ hæreticales cognoscuntur et puniuntur à fidei inquisitoribus aut episcopis. Blasphemiæ verò non hæreticales sunt mixti fori : ideòque in illis datur locus prævention.

Verùm etsi hujusmodi leges non observentur, nec impii publicè blasphemantes tanti criminis in hoc sepœnas statutas luant, nemine audente et volente illos denuntiare, nec curantibus Dei honorem magistratibus, Deus tamen immane hoc scelus inultum non relinquit, ut constat exemplis adductis : et adhuc horrorem incutit aliud quod narrat D. Gregorius 4 Dialog., cap. 18, de puero quinquenni blasphemiis assueto. Cùm enim pater illius aliquando in sinu teneret, malignos ad se spiritus venisse conspiciens, clamare cœpit : Obsta, pater, contra Mauros homines qui me tollere volunt ; et blasphemans declinavit faciem, ut se ab eis in sinu patris absconderet. Tunc subitò dæmones in gehennam illum arripuerunt. Notat autem D. Gregorius, non sine peculiari Dei providentiâ hunc puerum jamjam morituram blasphemias iterâsse, *quatenus*, inquit, *reatum suum pater ejus agnosceret, qui parvuli animam negligens, non parvulum peccatorem gehennæ ignibus nutriisset, et ut ostenderet Deus vro quo reatu talibus eum tradidisset executoribus.* Quòd si pueri quinque annorum animam rapuerunt dæmones, quantò magis blasphematores adultos ?

Ex his liquidò constat blasphemos nullo motivo, nullâque ratione duci ad blasphemandum, sed solo passionis impetu ad id moveri, ut etiam patebit ex hoc discursu. Mentis inops, rationis usûs expers censendus est, quisquis viribus longissimè impar, debilis et infirmus, audet provocare, lacessere et aggredi heroem invictum, robustissimum gigantem, et infinitè se potentiorem. Sic furiosi ac insani reputantur Titanes qui contra solem jacula dirigebant. Item gigantes arma capessentes ut Jovem de solio detruderent. Ab hâc insaniâ nos avertit Christus, dùm ait, Lucæ 14, v. 31 : *Quis rex iturus committere bellum adversùs alium regem, non sedens priùs cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se ? Alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens, rogat ea quæ vacis sunt.* Hæc est insania et cæcitas blasphemi, qui cùm sit vilis homuncio, terra et pulvis Creatorem suum temerariè provocare non veretur, injuriis conviciisque in eum insurgendo qui solo flatu ad nihilum, ex quo extraxit eum, redigere posset, imò et suspendendo tantummodò suum concursum. Quæro à te, ô blasphemator, si in ore profundissimæ suspensus abyssi, tenereris ab aliquo, te retinente ac impediente ne caderes et contereris, certè non nisi demens ac furiosus injuriis et conviciis ipsum contra te exacerbares, sed precibus et omni submissione animi ipsum rogares ne te dimitteret, tanquàm insignem tuum benefactorem agnosceres ac laudibus efferres. An ignoras quòd suspensus manes subtùs inferni abyssum, et quòd Deus tenuissimo vitæ tuæ filo retinet te ac impedit ne in profundum demergaris, indeque deberes eum colere et rogare ut non te deserat, neque patiatur hujusmodi casum evenire ? Quis diabolicus furor, quænam cæca dementia mentem tuam invasit, ut eum audeas continuis impetere conviciis ? nec reformides quòd manum suam à tui conservatione extrahat, mortem immittat ac ad tartara detrudat ? O insensate ? malitia excæcavit cor tuum ; ratione non uteris, et nequidem hominis nomine dignus es.

Insania est manifesta, illum turpiter contemnere, qui nihil vitiosum et contemptibile habere potest, sed est omnibus perfectionibus dotatus ac infinitè excellentissimus in omni virtutum genere, nihilque boni ipsi deest. Contra rationem et humanitatem esse reputatur conviciis ac injuriis afficere personam in dignitate constitutam, quæ nos semper obsequiis et benedictionibus prævenit, sua omnia bona liberaliter largitur, omnibus indigentiis nostris abundè providet, nostra negotia tanquàm propria curat, parata et vitam pro salute nostrâ profundere, quæque nihil mali unquàm nobis intulit. Nescio an talis benefactor inter homines reperiri possit : unum scio Creatorem nostrum ac redemptorem, hæc et alia majora beneficentiæ insignia continuò erga omnes homines exercere. Cuncta quæ habes, ô blasphemator, Dei dona

sunt, et si hæc tibi parva videantur, paratus est conferre majora. Vitam pro te et sanguinem fudit, se totum dat tibi in cibum, hæreditatem pollicetur æternam, nihilque tibi mali contulit : et tu, ô ingratissime, retribuis mala pro bonis : non gratiarum actiones, sed contumelias ac convicia rependis ! Non sic generosus Christi martyr Polycarpus, qui tyranno minitanti mortem, ni vellet Deum abnegare et blasphemare, tunc hæc intrepidè respondit : *Quæ causa, quæ ratio abnegandi et maledicendi Deum, cùm mihi nihil unquàm mali fecerit, sed continuò sua conferat bona? occidi possum, tuaque sustinere tormenta sum paratus : verùm nunquàm adduci potero ad tantum benefactorem abnegandum.* Et tu, ô perfide, absque cogente tyranno, absque tormentorum metu, ex teipso, quietè, de industriâ, Deum insignem tuum benefactorem abnegas et maledicis? Nonne brutis irrationabilior existis? *Nam beneficia et feræ sentiunt, nec ullum tam immansuetum est animal, quod cura non mitiget et in amorem suî vertat.*

Seneca, lib. 1 de Beneficiis : *Ratione impensi beneficii ovis lupum fugiens sequitur pastorem. Canis in extraneos latrans, domino suo caudâ blanditur*, ait D. Thom., opusc. 64. Nunquàm contra ipsum insurgit, etiam dùm vapulat. Contra omnes alios homines altercantes, latratu morsibusque etiam cum periculo vitæ illum defendit ac tuetur, in recognitionem bucellæ panis quam ab eo accepit. Omitto alia exempla passim obvia brutorum : quædam videri possunt apud Granatensem, lib. 1 Ducis peccatorum, c. 2, § 3, ubi ex leonum, canum, et brutorum erga benefactores gratitudine, disertissimè stringit calamum contra ingratitudinem hominum erga Deum. Sed nullius major ingratitudo, quàm blasphematoris, qui nedùm obliviscitur beneficiorum, et liberalitatem Dei benefactoris non recognoscit, sed et illum corde aversatur, linguâ dehonorat ac contemnit, et acceptis largiùs donis, tanquàm armis contra largitorem crudeliter pugnat ! ô naturæ monstrum ! ô lingua viperea ! ô irrationale animal, ipsisque bestiis irrationabilius !

Dic, ô blasphemator, si quas hæc verba in Deum contumeliosa proferendi habeas causas et rationes. Narra si quid habes ut justificeris ; nullas certè afferre poteris, nisi solam impietatem, solam malitiam, solam passionem, solam cæcitatem et dementiam. Iracundiam forte allegabis, quæ ubi insurgit, linguam tuam in blasphemias laxat ? eam excitant filii et servi tui protervi, non obedientes et malè inservientes, uxor tua querula, impatiens, aspera, te exacerbando! inimici tui injuriis te afficientes, et malè tractantes ! ludus dùm non prosperè succedit ! ærumnæ hujus vitæ, quæ te tibimetipsi gravem ac molestum reddunt, etc.! Verùm, ô ridicula excusatio ! Ut quid enim Deum conviciis impetis, cùm non sit in causa cur sic effrenatè irascaris, nullumque tibi malum inferat? Iram malam nullatenùs approbat, sed tamquàm vitium capitale vetat et punit : ideòque duplici peccato reus existis, blasphemiæ scilicet, et iracundiæ, cujus motus deordinatos per rationem comprimere poteras et tenebaris, quæ tamen passioni miserè succumbit. Item Deus non vult nec facit quòd domestici tui non obediendo, iram tuam provocent, cùm filiis expressè jubeat ut honorent et ament parentes, severèque protervos puniat, mandet ut famuli obedient et fideliter inserviant heris ; ut uxor sit subdita viro quasi domino ; ut quisquis suos diligat inimicos, ut nemo maledicta et convicia in proximum conjiciat, ac contra illum irâ malâ excandescat, sicut habetur Matth. 5. Sine causâ igitur, sine ratione Deum blasphemas.

Hoc apologo aut parabolâ, ô blasphemator, tuâ insaniâ, tuâque irrationabilitate convinceris. Finge tibi marchionem aut patremfamiliâs, qui suis domesticis præcipit, ut honore et obsequiis se invicem præveniant, in charitate, in pace, sine jurgio vivant ; alàs se in delinquentem severe animadversurum promittit et jurat. Ecce interim contingit duos famulos suos discordes, verbis et percussionibus ad invicem altercare, unumque ex ipsis succumbere. Qui videns se victum, et viribus imparem ad conserendum cum alio, debacchatur contra herum suum, convicia et maledicta in facie ipsi exprobrat, et quibuscumque potest injuriis eum afficit. An non insanum, furiosum, et prorsùs irrationalem reputares hunc bardum et ignavum servum, qui cùm non habeat sufficientes vires ad resistendum conservo, temerariè audet injuriis impetere ac provocare potentissimum herum, qui nec verbis nec factis eum læsit ; etiamsi ex auctoritate juste posset facere absque servi injuriâ et injustitiâ ; qui jurgia prohibuit, qui sub suâ protectione cum reciperet ac contra alium defenderet, si humiliter ad suum tribunal recurriset ejusque opem implorâsset, etc.? Conclude, blasphemator, te pari insaniâ et irrationabilitate laborare, cùm simili modo erga Deum te geras, tuamque in hâc pictura nativam imaginem adumbratam habeas.

Ludo alearum incumbis, nec tibi prosperè succedit. An propterea Deum conviciis et maledictis afficiendi habes causam, qui ludos ad lucrum principaliter intentum assumptos, per se et per ministros suos prohibet ? Deus non te impellit nec trahit ad hujusmodi ludos, nec proinde censendus est causa jacturæ quam facis. Si non vis perdere, noli ludere, damnum tibi imputa, quod avertere et impedire potes, cessando à ludo. Dic, ô insane, an putas quòd Deus potest tibi procurare victoriam et lucrum, an non? ut quid eum conviciis impetis, si putes non esse in potestate illius causare lucrum neque damnum in ludo? Si credas, ut de facto res se habet, lucrum et damnum ex Dei voluntate ac ordinatione promanare, in hoc te insanum prodis, quòd medium omninò contrarium ad finem tuum obtinendum assumis : nempe injuriis ac conviciis contra Deum prolatis, ab eo obtinere vis, quòd in lucro ac victoriâ te præferat alteri colludenti ! ut quid Deus tibi potiùs favere debet quàm illi? Blasphemia estne via ad ejus bona obtinenda? putasne his conviciis Deum timore concutere, ut illo ductus votis tuis annuat volens nolens ? quid ferocius ? quid stolidius ? quid ridiculius excogitari potest !

Tandem, ut uno verbo dicam, sicut ira non absolvit

sicarium à reatu et à pœnâ homicidii, ita neque à crimine et à punitione blasphemiæ, quæ gravior est homicidio, ut supra ostensum est. Et quemadmodùm gravi supplicio plectendus esset, qui ex irâ regem terræ in facie conviciis ac contumeliis afficeret, neque ulla passionis haberetur ratio, imò reputaretur major regiæ majestatis contemptus, ita à fortiori qui ex irâ contra Deum blasphemiis insurgit.

Allegabit forsan blasphemus usum qui videtur apud multos inolevisse, quasi non censeatur virilis animi, nec eloquentis sermonis, qui loquitur absque blasphemiâ. Verùm apud quos invaluit maledictus iste usus? certè nonnisi apud insanos, apud perditos, apud reprobos filios Belial, filios fidei et Religionis christianæ desertores, ipsoque hominis nomine indignos, falsum honorem ambientes, generositate animi ac fortitudine prorsùs expertes, illam in verbis sonantibus et non in præclaris gestis constituentes, timidos ut lepores, debiles ut pueros, clamosos ut mulierculas. Quasi verò in proferendis verbis Deum dehonorantibus, honor hominis et Christiani possit consistere, ipsoque Dei contemptu ac maledictione, suas valeat ostentare vires. Quænam est hæc eloquentia? non Ciceroniana, sed diabolica, nomen Dei sanctum et terribile, in contemptum immiscere familiaribus sermonibus, extra propositum sine contextu et connexione, ut: *Abnego Deum; feci heri convivium invito Deo; opiparè fui exceptus; mors Dei; sanguis Dei; bonas perdices manducavi, etc.* Quænam sunt hujus orationis partes? quæ figuræ in rhetoricâ inauditæ? quis sensus his blasphemiis intercalatus? quis non ridet, aut potiùs non horret et detestatur insolentem, extravagantem, ridiculum, absurdum, insanum, et pessimum hunc eloquendi modum, solis agazonibus, aurigis, mulionibus, ebriis, furiosis et dementibus familiarem? quis talia audiens temperet à lacrymis?

Allegabit denique jam à se contractum blasphemandi habitum, os suum jurationi assuetum, indeque non posse à blasphemiâ se cohibere. Verùm hoc est atramento se lavare, ac dealbare velle, et criminosiorem se prodere. Signum quippe est hominem sic assuetum, non unâ aut alterâ vice duntaxat blasphemâsse, sed multoties Deum conviciis lacessisse, atque ex repetitis frequentatisque actibus talem habitum contraxisse; et ex hoc minùs excusabilem, magisque puniendum esse declaratur hoc discursu. Facilè enim indulgetur ei qui unâ aut alterâ vice peccat; sed si iterare velit malos suos actus, et in criminibus perseverare, nulla habetur excusationis ratio, nec indulgentiæ locum invenire meretur. Sic qui primâ vice furtum committit, mitiùs punitur, et forsan flagello emendabitur, ac liliatus liber dimittetur. Si verò postea continuet ac multiplicet graviora furta, tunc deprehensus suspendetur, quia nullam ampliùs meretur veniam. Quæro an legitima foret excusatio rei, qui convictus de falsâ monetâ cudendâ, aut de homicidio aut de furto, diceret coram judice: Ecce contraxi habitum occidendi, furandi, monetam adulterinam cudendi, non possum me ab his facinoribus continere? aut si quis de crimine perduellionis vel de blasphemiis contra regem prolatis accusatus, confiteretur se his assuetum esse, nec posse aliter facere? nonne indè aggravaretur crimen? nonne reus sine remissione condemnaretur, statimque puniretur? et tu, blasphemator, falsò reputas hanc assuetudinem tuum alleviare et excusare crimen? ô cæca dementia!

Dic, quomodò te gereres erga domesticum famulum tuum, quem carpis de ebrietate, de furtis domesticis, aliisque vitiis, si tibi fateretur habere consuetudinem se inebriandi, furandi bona tua et despoliandi domum, nec ab his se cohibere posse? An acceptares istam excusationem, et apud teipsum retineres? nequaquàm, sed puniendum judici traderes, aut saltem domo tuâ pelleres. Et tu vis quòd Deus continuis à te injuriis ac conviciis lacessitus, contra te non irascatur, non puniat, sed dissimulet, patiatur, et ignoscat per hoc quòd ex malâ consuetudine blasphemes, nec ab his conviciis te abstinere posse fatearis! ô stolidum caput!

Igitur resipisce, ô miser, à diaboli laqueis à quo captivus detineris. Redi ad meliorem frugem; os tuum divinis laudibus ac benedictionibus assuefac. In lacrymas et lamenta erumpe ad lavandas et expiandas tetras blasphemiæ maculas. Cor tuum dolore et compunctione scinde ac contere; quibuscumque poteris Dei benedictionibus, adorationibus, laudibus et obsequiis, ejus honorem à te læsum repara; veniam obnixè pete; divinam misericordiam incessanter implora cum rubore, confusione et humilitate maximâ. Beatissimam Virginem ac sanctos ut intercessores et patronos apud Deum interpella. Dole de præterito; cave de futuro. Pœnitentiam age continuam de peccatis tuis, occasiones blasphemandi fuge, ut ludum, tabernam, consortium malorum, etc. Impone tibi aliquam pœnam, quoties contigerit te jurare et blasphemare, ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo jurandi, inquit divus Augustinus, puta dentibus morde tuam linguam, vel cum eâ fac signum crucis in terrâ. Vel punge te acu in brachio, aut percute alapâ os tuum, aut da eleemosynam pauperi, aut jejuna, etc. Hanc aut similem tibi præscribe medicinam, et impone pœnitentiam præservativam tanquàm frenum quo à blasphemiæ peccato cohibere te possis. Non enim gravis et inveteratus morbus sine amarâ medicinâ, sine extractione sanguinis et venæ scissione, aut sine abstinentiâ ac temperato regimine curatur. Noli scandalizare proximum; cave ne artem blasphemandi addiscas filiis et familiæ tuæ; sed severè corrige, si scias blasphemare. Domum tuam ob blasphemias ibi resonantes inferno non dissimilem, in paradisum converte; resonent laudes Dei, et dic cum Prophetâ: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Observa salutare istud Christi monitum: *Sit sermo vester, est, est, non, non: quod autem amplius est, à malo est*, à diabolo, à maligno spiritu est, qui te participem gehennæ reddere tentat.

Exhortatio ad corrigendum blasphemos.

Noster Guillelmus Peraldus, tom. 2 de Peccatis lin-

guæ, cap. 1, sic ait : *Non solùm blasphemi culpabiles sunt apud Deum, sed etiam illi qui tolerant istud peccatum, cùm prohibere possint, ut parentes qui suos non corrigunt filios blasphemantes, et quandoque hâc de causâ eos perdunt, Deo ipsos de medio tollente,* ut patet exemplo jam allato ex divo Gregorio.

Similiter illi qui permittunt contumelias Deo fieri, et blasphemias proferri in domibus suis cùm prohibere possint. Nullus enim permitteret contumeliam et injuriam in domo suâ inferri alicui, quem sanctum crederet, ex quo prohibere valeret. Quantò magis tolerare non debet ut contumelia Creatori in domo suâ inferatur? vix possunt homines sustinere quòd coram ipsis dicatur convicium de patre aut domino terreno. Quomodò ergo possunt hæc sustinere de patre cœlesti, et omnium Domino? numquid foret culpabilis, qui domum suam daret in templum ad dæmoni sacrificandum ? nonne taberna in quâ luditur et blasphematur, templum est in quo dæmon honoratur et colitur, Deus verò blasphematur et spernitur ? quomodò ergo hæc sustineri possunt ?

Domini etiam culpabiles sunt qui in terris suis talia fieri permittunt, sicut reprehensibiles sunt qui in ditionibus suis idololatriam tolerant : blasphemia quippe videtur idololatriâ pejor in hoc quòd non solùm honorem Deo aufert, sed etiam contumeliam infert. Magna perversitas est principum, qui bona subditorum suorum accipiunt quando Deus hoc prohibet ; nolunt verò eos privare, quando possunt ad honorem Dei et salutem animarum accipere, pecuniariam scilicet pœnam meritoriè illis pro blasphemiâ imponendo. Non sunt etiam sine culpâ qui locant taxillos, chartas pictas, ac similia, et qui assistunt blasphemantibus, quasi velint de eorum fœtore habere ac in crimine participare, Judæis deteriores in hoc, quòd isti obturabant aures suas, auditâ blasphemiâ, et in signum doloris scindebant vestimenta sua. Et ut breviter dicam, in hoc distingui possunt filii Dei, à filiis diaboli, quòd filii Dei tolerare nequeant, quòd Pater cœlestis à blasphemantibus conviciis sagittetur ; filii verò diaboli de hoc minimè curant. Hactenùs Peraldus. Et statim in hujus confirmationem refert exemplum de quodam viro cujus uxor tres filios pepererat, quos suos esse ac legitimos maritus iste reputabat ; cui tamen uxor moriens testata est unum ex illis tantùm suum esse, ac mortua est, eo non indicato nec declarato. Postea iste pater condens suum testamentum, totam suam hæreditatem reliquit uni tantùm qui legitimus esset, relegatis aliis duobus. Cùmque post ejus mortem orta esset contentio inter filios de hæreditate adeundâ, dubium istud delatum est judici dirimendum, qui præcepit ut defuncti patris corpus alligaretur ad arborem, tanquàm signum contra quod hi filii sagittas emitterent ; ita ut qui directiùs attingeret cor patris, censeretur ejus filius legitimus, solusque hæreditate potiretur. Duo primi filii cœperunt tela in patrem vibrare, quod cernens tertius, et hanc patris offensam sustinere non valens, ultra modum contristatus, dixit aliis quòd hæreditatem acciperent, et quòd nollet hâc injuriosâ patris sagittatione illam disputare. Ex quo se verum ac legitimum filium probavit, et hæreditatem obtinere meruit. Sic se gerunt filii Dei in proposito, è contra verò spurii et filii Belial.

Graviter etiam delinquunt judices et magistratus qui honorem Dei parùm aut nihil curantes, blasphemiarum cursum pro virili posse nullatenùs compescunt, et in publicè blasphemantes, ut sui muneris est, severè non animadvertunt, non insistentes observationi et executioni legum Dei, Ecclesiæ ac principum, contra blasphemos latarum ; neque timore ac inflictione pœnarum debitarum homines ab hujusmodi flagitiis coercentes ; cùm tamen propriarum injuriarum implacabiles se exhibeant vindices, et honoris regiæ majestatis zelantissimi defensores : ita ut quisquis temerario ausu conviciis principem afficeret, debitâ pœnâ ab ipsis inviolabiliter plecterctur.

Confessarii pariter culpâ non vacant, si pœnitentem de blasphemiâ se accusantem non reprehendant ac corrigant, ostendendo ipsi quàm immane sit istud peccatum, exaggerando hujus flagitii gravitatem maximam, proponendo rationes adductas et alias quæ illum ad hujus vitii horrorem et odium concipiendum excitare possunt, referendo graves pœnas jure divino, ecclesiastico et civili constitutas ; infligendo illi ac imponendo severam pœnitentiam purgativam, necnon et alias medicinales ac præservativas, quibus tanquàm freno retineatur in posterum. Quòd si habitum blasphemandi contraxerit, suspendenda est absolutio, quousque apparuerit aliqua resipiscentia et emendatio. Qui enim antea promisit sæpiùs emendationem, et tamen à consueto peccato non destitit, præsumendus est quòd iterùm cadet, et quòd non sit rectè dispositus ad se corrigendum in posterum. Unde opus est hoc modo tentare ac probare an habeat verum firmumque se emendandi propositum. Cavcant igitur summoperè confessarii, ne in blasphemiis è christianorum cœtu eradicandis sint desides, suoque desint officio.

Addo et omnes fideles debere blasphemos corrigere. Nam ad hoc obligantur jure ecclesiastico, idque sub gravissimis pœnis, ut videri potest in concilio Lateran. sub Leone X, sess. 9, et in Bullis pontificum Julii III et B. Pii V, supra citatis. Verùm ultra quòd per non usum hujusmodi sanctiones fuerunt abrogatæ, ut sentiunt auctores, adhuc loquuntur de judiciali denuntiatione blasphemi faciendâ ab eo qui audit eum publicè blasphemantem. Unde loquendo de privatâ correctione, videtur quòd quis audiens blasphemantem, jure naturali tenetur acriter reprehendere si commodè possit, et inde aliqua spes emendationis appareat : illo siquidem jure tenetur unusquisque publicè peccantem arguere, dùm speratur ejus emendatio, ut sic pudefactus resipiscat. Quod maximè locum habet in crimine blasphemiæ, per quod omnium Creator et Dominus tam atrociter vilipenditur ac directè in se dehonoratur : cujus honoris zelo commotus D. Chrysost., homil. 1 ad populum, in fine, pro concionis mercede hanc à suis ovibus exigebat mercedem : « Unam, inquit, pe-

« tere volo retributionem pro concione hâc atque « sermone, ut in civitate blasphemantes mihi casti- « getis. » Et statim ad singulos auditores sermonem dirigens ait : « Si quempiam in foro blasphemantem « audieris, accede, increpa : et si verbera infligere « oporteat, ne recuses : ipsius faciem alapâ percute ; « contere os ipsius : percussione manum tuam sanc- « tifica. » Si de hoc præclaro facto coram judice accusatus fueris, vade erecto capite, audacter sustine te actum justitiæ ac Religionis exercuisse in perduellem et divinæ majestatis læsæ reum ; quod enim in divinam Religionem committitur, in omnium fertur injuriam.

Commune crimen est publica injuria, cuique licet accusare et punire volenti : si enim regem terræ blasphemantes punire oportet, multò magis Deum contumelia afficientes. Times forsan ne blasphemus sic objurgatus insurgat contra te, percutiat et occidat ? ô quanta pro te hæc erit gloria, quam à Deo accepisti, vitam pro honore illius profundere, sicque martyrii palmam obtinere ! Martyrium tibi hoc est. Non audisti quid Joannes fecerit ? tyrannum vidit nuptiarum leges subvertentem, et cum fiduciâ increpavit. Et sanè si cerneres amicum tuum circumdatum canibus furiosis aut hostibus insurgentibus ad dilaniandum ac occidendum, non sineres eum perire, si posses succurrere, verbis saltem non parceres ad clamandum, ad petendum auxilium, ad increpandum, etc. Ecce nomen Dei sanctum coram te scinditur à blasphemantibus, et nihil illis dicis ? forsan rides et lætaris ? aut saltem nullam inde commotionem sentis ? si audires aliquem, sorori aut uxori aut patri tuo convicia et contumelias inferentem, non remaneres immotus, insensibilis, et mutus ; sed continuò audacte ipsum increpares, omni respectu humano deposito. Audis blasphemantes in Deum Patrem tuum cœlestem, nec audes ipsos arguere, ita tibi vilescit Deus ? audi ipsum de te conquerentem Malach. 1, v. 6 : *Filius honorat patrem, et servus dominum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus ? et si dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Quòd si increpare non audeas, saltem benignè ipsum mone, et ostende quàm immaniter Deum tractet, et quòd sine tristitiâ et horrore nequis istas blasphemias audire. Quòd si id arduum ac difficile adhuc tibi appareat, saltem ejus maledictiones retunde Dei benedictionibus, et dùm verba ejus contumeliosa ac Dei convicia tuas aures offendunt, tunc de ore tuo formetur istud ac egrediatur resonans echo : *Sit nomen Domini benedictum*, etc.

EXPOSITIO
TERTII PRÆCEPTI DECALOGI :

Memento ut diem sabbati sanctifices.

Deo fidelitatem, reverentiam et famulatum debemus. Fidelitas consistit in hoc quòd alium non agnoscamus Dominum, nec ad creaturam deferamus ejus principatum, quod fit per idololatriam ac superstitionem. Reverentia verò postulat ut nihil ejus nomini injuriosum committatur. Famulatus tandem Deo debetur in memoriam et compensationem beneficiorum quæ ab ipso recipimus : remotis itaque impedimentis veræ Religionis, quæ sunt idololatria et irreverentia, redditâque fidelitate ac reverentiâ per primum et secundum præceptum, consequens fuit ut poneretur tertium præceptum de Sanctificatione sabbati, per quod homines in verâ Religione fundarentur, adunarentur, Deoque famulatum ac cultum debitum redderent : ad Religionem enim pertinet Deo cultum exhibere. Sicut autem Scriptura divina traditur nobis sub aliquibus corporalium rerum similitudinibus, ita cultus exterior Deo exhibetur per aliquod sensibile signum. Et quia ad interiorem cultum Domini, qui consistit in oratione et devotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritûs sancti instinctu, præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu secundùm aliquod sensibile signum (1).

(1) Theologi communiùs tradunt, observantiam diei Dominicæ in lege novâ non esse juris naturalis aut divini positivi, sed ex constitutione Ecclesiæ et consuetudine populi christiani. Hæc observatio multùm inservit ad solvendas multas quæstiones practicas, ut mox dicetur ; quapropter ei paulisper inhærendum, ut detegantur fundamenta quibus innitetur (V. Liguori l. 3, n. 265).

QUÆSTIO UNICA.

DE OPERIBUS QUÆ ISTO MANDATO PRÆCIPIUNTUR ET PROHIBENTUR.

Quia præcepta Decalogi sunt veluti quædam prima et communia legis principia, ideò in tertio mandato præcipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficii : quod pertinet ad omnes, scilicet ad repræsen-

Spectato solo jure naturali, valdè conveniens est ut homines diem unam identidem impendant cultui divino ; hoc tamen non est ab eo præceptum ; possumus enim aliquod tempus vitæ nostræ deputare ad vacandum divinis, in quantum expostulat nostrum erga Deum officium, licet non assignetur dies quædam præ cæteris, dies integra potiùs quàm illius pars, abstinentia ab opere servili vel aliquod opus aliud religionis... Si attendatur ad jus positivum, triplex potest assignari epocha ; sed in nullâ occurrit præceptum divinitùs impositum quod hucusque pervenerit et regat observantiam diei Dominicæ ; non *jus primordiale :* admodùm verisimile est Deum ab exordio mundi præscripsisse ut homines sabbatum servarent : hoc insinuat benedictio illa data diei septimo quæ narratur in Genesi, cap. 3, et modus quo postea inculcata fuit Judæis lex sabbati : *Memento ut diem sabbati sanctifices* ; hujusmodi locutio supponit hanc legem priùs extitisse et

tandum opus creationis, à quo requievisse dicitur Deus die septimâ : in cujus signum dies septima mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum Deo. Et ideò Exodi 20, præmisso præcepto de sanctificatione sabbati, assignatur ratio, quia sex diebus fecit cœlum et terram, et in septimâ die requievit. Hæc D. Thomas, 2-2, q. 122, art. 4.

Memento igitur, ut diem sabbati sanctifices, ut intelligamus rationem præcepti esse recordationem ; et non placere Deo quietem ab operibus die septimâ, nisi ratione memoriæ, nisi ratione interni cultûs. Exterior namque munditia ab operibus, nisi ab interno proveniat cultu, vana est. Unde scriptum est à Jeremiâ : *Deriserunt sabbata ejus.* Deridenda quippe est sola externa requies, utpotè jactura septimæ partis temporis. Ita Cajet. super cap. 20 Exodi.

Memento, etc. Quasi dicat Deus : Observa et celebra sabbatum velut sanctum, et à reliquis diebus separatum, quieti et recolendis creationis operibus aliisque Dei beneficiis dicatum, cujus finis ut te moneam, addidi verbum, *Memento*. Ut enim ait D. Thomas, art. 4 citato, ad 3, in observantiâ sabbati duo sunt consideranda ; quorum unum est sicut finis ; et hoc est ut homo vacet rebus divinis : quod significatur in hoc quod dicit : *Memento ut diem sabbati sanctifices ;* illa enim dicuntur sanctificari in lege, quæ divino cultui applicantur. Aliud autem est cessatio operum, quæ significatur cùm dicitur : *Septimâ die non facies omne opus, nempe servile*, ut exprimitur Levit. 23. Hæc ergo sanctificatio sabbati, quæ hîc directè præcipitur, erat vacatio ab omni opere servili, ut Judæi hoc modo colendo sabbatum profitebantur Deum Creatorem esse ac largitorem bonorum omnium ; ideò sabbatum appellatur, quia Domini quies fuit ; nam perfecit mundi officium sex diebus, dieque septimo cessavit ab opere creationis, quæ cessatio vocatur quies.

in memoriam revocari Judæis : huic persuasioni vim aliquam addit usus plurium populorum, præsertim in Oriente, qui diem septimam numini consecrant (vid. Godescard, *Fêtes mobiles, du dimanche, chap.* 1^er^). Quidquid sit de illâ institutione primitivâ, ad summum dici posset Deum velle ut unus dies de septem suo cultui dedicetur ; sed nihil inde colligere possumus quod modum hujus sanctificationis determinet... *Non jus Mosaicum ;* fuit enim abrogatum per mortem Christi et Evangelii promulgationem, unde dies olim sanctificanda in alteram immutata est, et multa nobis licent quæ tunc erant Judæis vetita, præsertim circa opera servilia..... Tandem *non jus novum à Christo datum :* nullibi reperimus in Evangelio aut in Traditione, Christum ordinâsse servari diem Dominicam per auditionem Missæ et abstinentiam à quibusdam operibus. Hoc multùm confirmatur praxi Ecclesiæ, quæ eximit ab obligatione servandi diem Dominicam modo assueto, multas ob causas quæ verisimiliter non sufficerent ad dispensandum à lege divinâ..... Concludamus igitur observantiam diei Dominicæ, saltem quoad modum seu ritum sanctificationis, fundari constitutione Ecclesiæ et consuetudine populi Christiani.

Hinc in ordine ad praxim colligemus 1° in præcepto diei Dominicæ, sicut in aliis legibus, duo esse secernenda, scilicet finem præcepti quem Ecclesia intendit, et præceptum ipsum seu modum ab eâ imperatum ad finem illum assequendum. Maximè convenit ut omnes, quantùm in se est, finem prosequantur ac proinde ut enitantur majorem dici partem dare piis religionis et charitatis exercitiis ; sed ad id tantùm strictè tenetur quod imperavit Ecclesia, et eatenùs sub eo respectu peccant, quatenùs aut omittunt quæ sunt præcepta, vel operibus vacant à quibus abstinere jubet Ecclesia. Juxta axioma communiter receptum apud theologos : *Finis per se non cadit sub præcepto ;* eodem sensu dicit D. Thomas : *Non idem est finis præcepti et id de quo præceptum datur*, 1-2, q. 100, art. 9, ad 2. Colligemus 2° attendendum esse ad consuetudinem legitimam locorum, quando determinare opus est an talis actio in specie sit prohibita vel licita die Dominicâ. Nec omnia opera liberalia licent, nec cuncta servilia sunt æquè prohibita, nec idem opus ubique gentium servile reputatur ; hoc pendet à moribus hominum qui sunt valdè diversi in locis variis ; unde cùm observantia Dominicæ et festorum legibus et consuetudinibus regatur, modificari simul eisdem causis potest : proinde necesse est ad illas attendere, et in dubio ad superiores recurretur.

Observat D. Thomas, art. 4 citato, ad 1, quòd præceptum de sanctificatione sabbati litteraliter intellectum, est partim morale, id est, secundùm rationem naturalem debitum : et partim cæremoniale, id est, debitum, quia statutum, quia lege positum. Morale quidem, quantùm ad hoc quòd homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis ; inest enim homini inclinatio naturalis, ad hoc quòd cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, et aliis hujusmodi : unde etiam spirituali refectioni, quâ mens hominis in Deo reficitur secundùm dictamen rationis, aliquod tempus deputat homo, nempe quòd aliquod tempus dedicetur Deo ad vacandum ejus cultui, ad commemorandum illius beneficia, præcipuè beneficium creationis recta ratio exigit : ad commemorandum, inquam, non solùm privatim, sed publicè ; non solùm cultu interno, sed aliquo exteriori signo, et sic habere aliquod tempus deputandum ad divinis vacandum, est præceptum naturale ac morale, et quantùm ad hoc ponitur inter præcepta Decalogi. Verùm in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est præceptum cæremoniale : seu quòd tempus dicandum divino cultui publico, sit quæque dies septima, aut alia dies ; quòd sit dies integer, aut pars diei ; quòd tot opera inhibeantur illâ die, cæremoniale est : posset enim rectâ ratione aliter statui ; et in quantum tale, non ponitur inter præcepta Decalogi. Ideò autem juxta Cajetanum super Exodum, Deus inseruit ore proprio aliquid juris positivi juri morali naturali, ad auctorandum alia jura positiva, quæ per Moysem promulgaturus erat ; nisi enim ipse Deus aliquod jus positivum promulgâsset, fortè populus suspicatus fuisset, quòd nihil juris positivi proficisceretur à Deo ; et non mandata Dei, sed mandata hominum existimâsset omnia jura positiva promulgata à Mose. Ob hanc etiam rationem quidam volunt huic soli præcepto Decalogi additum fuisse verbum, *Memento*, quia illi soli competit esse partim cæremoniale, et populus monendus erat quo potissimùm tempore determinato exhibere tenebatur Deo cultum exteriorem publicum : id enim lex naturæ non præscripsit, etsi dictet aliquod tempore ritu Religionis esse colendum

Deum. Hinc fit quòd cùm determinatio illa diei septimæ fuerit cæremonialis, potuerit ab Ecclesiâ mutari in alium hebdomadæ diem. Sic observantia diei Dominicæ in lege novâ succedit observantiæ diei sabbati, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, et populi christiani consuetudine, ut ait D. Thomas hîc, ad 4. Sicut enim morte Christi alia cæremonialia abolenda erant, ita etiam sabbatum, quâ parte cæremoniale erat, cessare debuit, ut umbræ cederent corpori, et cessarent imagines sub præsentiâ veritatis, ac antiqua observantia novo excluderetur sabbato. Judæi in memoriam creationis diem sabbati festum habebant : Christiani verò in memoriam novæ creationis factæ per gratiam Christi in ejus resurrectione, quâ in novitate vitæ ambulare edocentur, celebrant diem Dominicam, quia in eâ Christus resurrexit. Ita Innocentius papa III, de Consecrat., dist. 3, can. *Sabbato;* D. Thomas, opusc. de Decem præceptis, et 1-2, q. 103, art. 3, ad 4; Tertullianus in Apolog., cap. 16 et de Coronâ militis, c. 3 et lib. contra Judæos, cap. 4; D. Cyprianus, Epist. 33 et 59; Clemens Alexand., l. 2 et 7 Stromatum; D. August. Epist. 118 ad Januar. cap. 13, serm. 154 de Temp.; D. Leo papa, Epist. 79 ad Dioscorum; Origenes, homil. 7 in Exod.; Justinus Apolog. 2 ad Anton.; S. Clemens, l. 7 Constit. Apost., cap. 20 et 31. Ecclesia igitur à tempore Apostolorum primum ex septem hebdomadæ diebus ad divinum cultum consecrare voluit, quem et diem Dominicum appellavit, cujus mentionem fecit D. Joannes Apocalyps., cap. 1 v. 10, dicens : *Fui in spiritu in die Dominicâ.* Item D. Paulus 1 ad Corinth. 6, per unam sabbatorum, quæ est dies Dominica, ut S. Chrysostomus interpretatur, collectas fieri jubet, ut intelligamus, jam in Ecclesiâ diem Dominicum sanctum habitum esse, ut dicit Catechismus concilii Trident. p. 3, de 3 Decal. præcepto, § 12, ubi refert Patres jam à nobis adductos. Item § 25.

Docet autem D. Thomas, 2-2, q. 122, art. 4, quòd *nunc observatio diei Dominicæ non est figuralis, sicut fuit observatio sabbati in veteri lege : et ideò non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominicâ, sicut in die sabbati; sed quædam opera conceduntur in die Dominicâ, quæ in die sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, et alia hujusmodi; et etiam in quibusdam operibus prohibitis faciliùs propter necessitatem dispensatur in novâ quàm in veteri lege, quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet : opera autem secundùm se considerata pro loco et tempore immutari possunt.* Hactenùs D. Thomas.

Idem S. doctor, 1-2, q. 103, art. 3, ad 4, ostendit quòd sicut sabbatum, quod significabat primam creationem, mutatum fuit in diem Dominicum in quo commemoratur nova creatura, inchoata in resurrectione Christi, ita aliis solemnitatibus veteris legis, novæ solemnitates in lege gratiæ succedunt, quia beneficia illi populo exhibita, significant beneficia nobis concessa per Christum. Sic festo phase, succedit festum passionis et resurrectionis Christi, etc. Vide D. Thomam ibidem. Nec solùm hæc principaliora, sed et alia in honorem sanctorum festa instituere potuit ac de facto ritè statuit Ecclesia, ut fusè probant theologi. Cæterùm sicut in lege veteri non solùm sabbatum, sed et aliæ solemnitates erant in præcepto : ita etiam in novâ, non solùm Dominica dies, sed etiam alia festa ab Ecclesiâ instituta observanda sunt de præcepto, ita ut eadem opera in illis vetentur aut præscribantur, quæ in die Dominicâ præcipiuntur, aut prohibentur.

Summus pontifex et concilium generale jus habent instituendi dies festos observandos sub mortali in totâ Ecclesiâ et receptos abrogandi, eò quòd habeant supremam potestatem supra totam Ecclesiam, et auctoritatem condendi leges, et quia communiter non procedunt ad festa instituenda sine gravi et rationabili causâ, maturè priùs examinatâ, non requiritur ad hoc populorum consensus.

Episcopi novos dies festos sanctorum qui jam sunt canonizati vel saltem beatificati, non nisi in suis diœcesibus instituere possunt; non debent tamen id facere absque urgentissimâ causâ; imò si festa velint esse perpetua, requiritur cleri et populi consensus. Quia cùm semper non procedant cum tantâ deliberatione, et festorum multitudo redundet in præjudicium operariorum et pauperum, absque populi et cleri consensu, non debent festa multiplicare. An verò possint penitùs ac in perpetuum abrogare festa quæ à pontifice sunt jam instituta, ac de jure servantur, alii judicent : non nego tamen eos ex causâ rationabili posse pro aliquo tempore dispensare non solùm cum aliquo particulari, sed etiam cum toto populo, ut laborare valeant. Verùm existimo hos remanere obligatos ad audiendam Missam, si commodè possint. Non possunt domini seculares propriè loquendo sine episcopi licentiâ et consensu festa instituere; quia cultus diei festi, est actus Religionis, est res purè ecclesiastica, esto ob finem civilem, v. g., in signum lætitiæ pro partâ victoriâ possint subditis præcipere sub aliquâ pœnâ, ut tali die ab operibus servilibus abstineant. Tandem consuetudo universalis totius Ecclesiæ à pontifice scita et tolerata tacitè vel expressè approbata, cùm habeat vim legis, idem potest circa dies festos, quod circa alia præcepta humana, nempe vel festa abrogare, vel nova instituere. Communiter consuetudo invexit quòd obligatio colendi festum ac diem Dominicam incipit à mediâ nocte, et terminatur ad mediam noctem, sicque passim observari videmus : si tamen consuetudo et praxis recepta aliter se haberet, observanda esset; illa enim temporis duratio et extensio à consuetudine loci præscriptâ dependet. Imò Sayrus, lib. 7, cap. 3, num. 13, ait quòd si consuetudo communis alicujus loci esset incipere festum à vespere, et aliquæ artes propter suum exercitium haberent propriam consuetudinem illam servandi à mediâ nocte usque ad mediam noctem, ut sutoria et barbitonsoria, excusarentur vel dispensatione Eugenii papæ IV, ex S. Antonino, vel ratione consuetudinis propriæ omnium ferè illarum artium, ex Tabienâ, Sylvestro, Cajetano, Cosmo. Vel ut notat Navarrus, cùm festum communiter mero

romano incipit à mediâ nocte ad mediam noctem, ff. de feriis, l. *more romano*, non indigent barbitonsores tali dispensatione, ut per duas aut tres horas noctis in sabbato, et aliis diebus pro festis laborent, cùm absque tali privilegio usque ad mediam noctem tondere possint. Ubi autem contraria esset consuetudo, tunc illos dispensatio prædicta excusare poterit. Hactenùs Sayrus. Verùm de hoc infra acturi sumus.

Diem Dominicam festosque in honorem Dei consecratos violare, peccatum est sacrilegii, quia injuria fit tempori sacro, quantùm ad illud ad quod est sanctificatum : ideòque est ex genere suo mortale, nisi indeliberatio, aut parvitas materiæ, seu breve tempus, aut justa causa excusans faciat quòd non sit contra præceptum divinum, et quia tempus festivum sanctificatum est ad exteriorem cultum Deo exhibendum positivè vacando divinis, et negativè abstinendo ab omni opere servili, inde istud præceptum exprimitur primò affirmativè : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Secundò negativè : *Non facies omne ovus in eo*, nempe servile, ut exponitur Levit. 23. Idcircò peccatum violationis committitur, vel omittendo divina pro tunc præscripta, vel faciendo opera servilia aliaque per Ecclesiam adjuncta, *extra de feriis.* Et hæc sunt à nobis exponenda.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus operibus vacare teneantur fideles in diebus dominicis et festivis.

Non prohibuit Deus operari in sabbato, ut otiosi et desides illud sacrum tempus traducamus, sed ideò voluit ut à laboribus et operibus corporalibus cessaremus, quatenùs mens nostra faciliùs piis ac divinis operibus insisteret, remotis hujusmodi impedimentis, ac præscripto majestatis suæ exteriori cultui.

Ex communi omnium consensu, omnes fideles postquàm ad annos discretionis pervenerint, usumque et judicium rationis habuerint, diebus dominicis aliisque festivis tenentur ex præcepto, et sub peccato mortali vel celebrare, vel audire unam integram Missam, prout art. 6 ostensuri sumus; sola Missa est de præcepto : hortatur tamen Catechismus Concil., § 17, Christi fideles ut aliis piis operibus in festis vacando, ea sanctificent. *Itaque diem sabbati tunc plenè et perfectè celebramus, cùm pietatis et religionis officia Deo præstamus : hocque planè sabbatum est quod Isaias delicatum appellat, quoniam festi dies sunt veluti deliciæ Domini, et piorum hominum. Quare si religioso huic sanctoque sabbati cultui, misericordiæ adjunguntur opera, certè maxima sunt et multa præmia, quæ eodem capite nobis proponuntur.* Et ibidem § 35, mandat parochis ut diligenter doceant quibus operibus atque actionibus Christiani homines diebus festis exercere se debeant, nempe ut actus religionis eliciant, ut divina Ecclesiæ sacramenta, quæ ad salutem nostram instituta sunt ad animæ vulnerum curationem crebrò adhibeant, peccata sua sæpè sacerdotibus confiteantur, ut sacrum Eucharistiæ sacramentum crebrò recipiant, ut attentè diligenterque sacram concionem audiant, divinis laudibus et officiis intersint, sedulòque se exerceant in officiis ac operibus misericordiæ : ita ut diem sacram in colendo Deo transigant, utpotè illi dicatam; per hoc enim indicatur, eo tempore fideles divinis obsequiis se dedicare oportere. *Siquidem ille dies sanctus est, quòd tunc præcipuè sanctitatem et religionem homines colere debeant.*

An autem hoc præcepto præter cultum externum, teneamur adhuc ad purè internum, alii affirmant volentes, homines diebus festivis teneri aliquem bonum actum mentis erga Deum, ut actum ejus dilectionis elicere, aut si sint in peccato mortali, formare actum contritionis, ratio est quia cùm hoc præceptum sit affirmativum, pertinens ad Dei famulatum, exigit potiùs famulatum interiorem quàm exteriorem, utpotè nobiliorem et Deo gratiorem. Item quia jure divino aliqua sanctificatio in diebus festivis præcipitur, præter designationem et determinationem Missæ ab Ecclesiâ factam; sed non est alia commodior, quàm justificatio per actum dilectionis Dei. Ergo. Item Levit. 6 dicitur : *Sabbatum requietionis est, affligetis animas vestras.* Idem repetit Dominus ibidem, cap. 23. Unde in ipso Missæ introitu, præmittitur *confiteor* non solùm à celebrante, sed etiam à ministro inserviente ex parte Ecclesiæ et assistentium; per quod satis innuitur singulos audientes, teneri saltem generaliter dolere de peccatis commissis; aliàs si assistant Missæ sacrificio in diebus festis aut dominicis in peccato mortali, retinentes affectum ad illud, videntur esse indispositi et lethaliter peccare; ob scilicet Dei præceptum colendi et sanctificandi hos dies, ac nos ipsos consequenter : et Ecclesiæ institutionem, determinantis modum quo oporteat et diem festam et nos ipsos sanctificare audiendo scilicet Missam : quod sanè affectum ad peccatum mortale non compatitur, sed prærequirit actum pœnitentiæ et doloris, tanquàm dispositionem requisitam ad debitè assistendum sacrificio Missæ, ut oportet, ut Ecclesia intendit, et ad vacandum Deo. Ita docent Angelus in Summâ, v. *Feriæ*, num. 41; Petrus de Soto, lect. 13 de Pœnitent., et alii, citantque D. Thomam, divum Raymundum, divum Antoninum, divum Carolum Borromæum, idque videtur indicare Catechism. § 14, ubi ait : *Præterea fideles docendi sunt ex iis verbis, modum et rationem colligi posse; quâ in totâ hebdomadâ opus facere conveniat, ita scilicet ut diem festum semper spectemus, quo die cùm actionum et operum nostrorum Deo quasi reddenda sit ratio : ejusmodi opera efficiamus necesse est quæ neque Dei judicio repudientur, neque nobis, ut scriptum est, in singultum sint et in scrupulum cordis.*

Alii verò communiter oppositum docent, Probatque Cajetanus, 2-2, q. 122, art. 4, quia istud præceptum Decalogi non est de cultu interiori, sed tantùm exteriori, ut expressè docet D. Thomas in isto art. 4 ubi sic ait : *Et quia ad interiorem cultum, qui consistit in oratione et devotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritûs sancti instinctu, præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu, secundùm aliquod sensibile signum;* si ergo actus interior religionis non con-

tinctur sub hoc præcepto, multò minùs actus interiores aliarum virtutum, de quarum numero est contritio, utpotè actus pœnitentiæ. Idem dicendum de actu interioris dilectionis Dei, quia charitas est virtus distincta à Religione, ejusque præceptum non continetur in Decalogo, sed in principio omnium tanquàm finis eorum præfigitur : finis autem præcepti non continetur sub ipso præcepto. Ergo ad hos actus interiores jure divino homines in die festo minimè obligantur. Nec etiam jure ecclesiastico : tùm quia Ecclesia non se extendit directè ad Actus merè internos, tùm quia id quod Ecclesia præcipit, continetur in cap. *Missas*, de Consecrat., dist. 1, nempe abstinere ab opere servili, et audire Sacrum, sub quo indirectè comprehenditur actus interior, nempè velle audire sacrum cum decenti attentione et reverentiâ ad hoc ut sit actus humanus religiosus ; quæ absque speciali actu contritionis et dilectionis Dei impleri possunt. — Respondendum mihi videtur ad hanc quæstionem, quòd audiens Missam cum reverentiâ et attentione, etiamsi non sit in statu gratiæ, neque eliciat actum specialem contritionis, adhuc tamen satisfacit huic præcepto, nec proinde peccat contra illud, cùm præscripta à jure divino et à jure ecclesiastico adimpleat, Deoque exhibeat cultum exteriorem designatum ab Ecclesiâ, et eo modo, quo ab illâ præcipitur, ut probant rationes pro secundâ sententiâ adductæ, quam tenent D. Thomas, Cajetanus, Sotus, Lopez, Corduba, Navarrus, Sylvester, D. Antoninus, et alii.

Monendi sunt tamen homines, ut tunc memores beneficiorum Dei, præsertim redemptionis, actus dilectionis erga tantum benefactorem, necnon compunctionis ac contritionis pro offensis contra tam bonum patrem et dominum liberalem commissis, saltem dùm Missam audiunt in festis diebus exerceant, additis aliis sacrificiis internis orationis, devotionis, gratiarum actionis, actuum fidei, spei, charitatis, etc., et ad hoc summoperè hortandi ac excitandi sunt : tùm quia vix aliter possunt habere attentionem ad divina, quæ tamen est de præcepto auditionis Missæ ; tùm quia finis in quem Deus et Ecclesia festos dies ordinârunt, est ut in illis saltem homines vacent divinis, ac corpore et mente Deo serviant, exercendo actus religionis tùm internos, tùm externos ; ne sint minùs devoti quàm Judæi, qui in sabbato juge sacrificium duplicabant, ut legitur Num. 28, v. 9, quod significat, inquit D. Thomas opusc. de decem præceptis, quòd in sabbato debemus offerre sacrificium de omnibus quæ habemus. Unde primò debemus offerre animam dolendo de peccatis, Psal. 50 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Item orando pro beneficiis, Psal. 140 : *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Factus est enim dies festus ad habendam spiritualem lætitiam, quam facit oratio. Unde et tali die multiplicari debent preces. Item res tuas sacrificando per eleemosynas, ad Hebræos 13 : *Beneficientiæ et communionis nolite oblivisci*, etc. Item verba Dei legendo ac meditando, ut Judæi faciunt. Actor. 13 : *Voces prophetarum quæ per omne sabbatum lequntur.* Unde Christiani, quorum justitia debet esse perfectior, ad conciones et ad officium Ecclesiæ tali die convenire debent. Joann. 8 : *Quis ex Deo est, verba Dei audit.* Hactenùs D. Thomas opusc. de tertio præcepto, § ultimo : tum quia auditio illa Missæ ac festi sanctificatio non est meritoria homini existenti in mortali peccato, habenti affectum ad illud, nec elicienti actum contritionis aut compunctionis. Nam iniquorum dona non probat Altissimus, et victimæ impiorum sunt abominabiles Domino : ut quid tantorum meritorum perditio? Nonne satius esset audire et sequi sacri concilii Tridentini verba, sess. 22, cap. 2 : *Docet sancta Synodus sacrificium Missæ verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut, si cum vero corde, et rectâ fide, cum metu et reverentiâ contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.* Declarat insuper sancta Synodus quòd optaret Ecclesia ut omnes Missæ assistentes, essent in statu et dispositione communicandi realiter et de facto cum sacerdote celebrante, prout faciebant primi Christiani. Dicit insuper quòd Missæ in quibus solus sacerdos communicat sacramentaliter, *verè communes censeri debent, partim, quòd in eis populus spiritualiter communicet*, etc. ; qui autem retinet affectum ad mortale peccatum, nec elicit actum compunctionis et contritionis, verè non est in statu ac dispositione communicandi spiritualiter.

Quamvis igitur absolutè hoc non sit necessarium ad satisfaciendum saltem quoad substantiam præcepto sanctificandi diem festum et audiendi sacrum, ita ut qui omittit actum contritionis, non propterea peccet, qui videtur tamen requisitum ad dignè, meritoriè, et ut oportet implendum, ut scilicet obtineatur finis à Deo et ab Ecclesiâ intentus, in hujus præcepti impositione, et ut homo illius observationis fructu non privetur, nec se exponat periculo non attendendi divinis, prout tenetur dùm sacro assistit. Vide Cajetanum in Summâ v. *Contritio ;* finis tamen non cadit sub præcepto.

Quæres secundò utrùm isto præcepto obligentur homines ad non peccandum in die festo, ita ut tale peccatum contineat specialem malitiam contra religionem in confessione explicandum ? v. g., an qui die Dominico fornicatur, uno actu duplex committat peccatum, nempe contra castitatem, et aliud contra sanctificationem sabbati ?

Affirmant Alensis, Lyranus, Angelus, Major, Adrianus, B. Albertus Magnus, D. Bonaventura, D. Antoninus, Gerson, Scotus, Medina, Nider, Corduba, Abulensis, et alii. Quia scilicet tunc peccans facit injuriam tempori sacro, illudque contaminat, proindeque est sacrilegus, sicut et qui profanat templum, aut violat personam sacram. Ejusdem sententiæ videtur esse D. Thomas, opusc. 4 de decem præceptis in tertio præcepto § 2, ubi ait : *In festis debemus cavere culpam,*

Jeremiæ 7 : « *Custodite animas vestras et nolite portare pondera in die sabbati,* » *onus scilicet animæ vel pondus malum et peccatum. Psalm.* 37, *iniquitates sicut onus grave gravatæ sunt super me.* » *Item quia omne peccatum est opus servile, Joannis* 8 : « *Qui facit peccatum, servus est peccati.* » *Et ideò contra hoc præceptum facit, quisquis in sabbato peccat. Isaiæ* 1, *v.* 14. « *Sabbatum et festivitates vestras non feram,* » *quare ?* quia, « *iniqui sunt cœtus vestri,* » etc. Idem clariùs et fortiùs astruit S. doctor, 2-2, q. 122, art. 4, ad 3, ubi distinguit triplex opus servile. Primum quo homo servit peccato, juxta illud : *Qui facit peccatum servus est peccati*, et secundùm hoc omne opus peccati dicitur servile. Secunda servitus est quâ homo servit homini per opera corporalia. Tertia, est quâ homo servit Deo per opera latriæ. Et postea subddit S. doctor, quòd *opera quæ dicuntur servilia primo et secundo modo, contrariantur observantiæ sabbati, in quantum impediunt operationem hominis ad divina : et quia homo magis impeditur à rebus divinis per opus peccati, quàm per opus licitum, quamvis sit corporale, ideò magis contra hoc præceptum agit qui peccat die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit. Unde August. in lib. de decem Chordis, ait, quòd* « *meliùs faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quàm* « *si in theatro seditiosus existeret, et meliùs feminæ eorum die sabbati lanam facerent, quàm quòd totâ die* « *in neomentis suis impudicè saltarent.* » Hæc D. Thomas. Item Catechismus concilii loco citato § 31, postquàm ostendit omne servilis operis genus ex præcepto tunc esse vitandum, quia mentem nostram à divino cultu abstrahit, statim subdit : *Quò magis peccat à fidelibus sunt vitanda, quæ non solùm animum, à divinarum rerum studio avocant, sed nos à Dei amore prorsùs sejungunt.* Citatque D. August., tract. 3 in Joann. et in Psalm. 32, serm. 1, et in lib. de decem Chordis, cap. 3.

Quidam recentiores id limitant in casu quo fidelis eâ die Eucharistiam sumpserit : tunc enim si grave peccatum, v. g., fornicationem committat, tenetur hanc circumstantiam in confessione explicare : tùm ob gravem irreverentiam ac ingratitudinem, tùm quia defuit officio et obligationi vitandi occasiones, scurrilia, et vana, et assistere Christo hospiti sanctissimis exercitationibus, atque actionibus; tùm denique quia peccatum istud videtur habere specialem turpitudinem et repugnantiam cum hoc sacramento. Alii volunt esse circumstantiam temporis necessariò confitendam quando peccatum enorme committeretur in die maximè solemni, ut in Paraseeve, puta si comœdiæ et ludicra spectacula exercerentur : id enim esset res impia, gravis irreverentia, et contra Ecclesiæ prohibitionem. Negant verò Cajetanus in utrâque Summâ, Sotus, Sylvester, Navarrus et alii : tùm quia peccatum, non dicitur opus servile propriè, sed tantùm metaphoricè, unde non prohibetur hoc præcepto, licet contrarietur fini illius, abstrahendo et avocando mentem à divinis; imò magis impedit hominem à rebus divinis opus peccati, quàm opus servile de se licitum, ut ait D. Thomas; qui proindè intendit quòd opus peccati sit solùm contra fidem præcepti, non verò contra ejus substantiam : unde non sentit D. Thomas peccatum commissum in die festo, esse contra præceptum sanctificationis illius, quia finis præcepti non cadit sub illo præcepto. Item loco citato in responsione ad 1, exponens auctoritatem D. Ambrosii dicentis, quòd lex prohibet hominem in sabbato gravari peccatis, ait, quòd cessare à peccato pertinet ad sensum moralem, seu mysticum hujus præcepti. Item in 3 sent., dist. 37, q. 1, art. 5, q. 2, ad 2, expressè dicit quòd peccata mysticè dicuntur opera servilia, et non propriè. Nam nullus est servus suî ipsius, sicut nec justitia propriè esse potest in ordine ad seipsum.

Confirmatur ex Cajetano : Solus cultus exterior, puta audire Missam, et cessatio à servilibus op eribus cadit sub hoc præcepto. Ergo id solùm quod contrariatur directè exteriori cultui Dei, est contra hoc præceptum; hoc autem est opus servile propriè, non verò omne peccatum : clarè enim liquet, quòd sicut sanctitati sacerdotis non contrariatur quodlibet peccatum, sed illud tantùm quod contrarium est ei ad quod sanctificatus est, puta si percutiat seipsum, aut abutatur sacerdotio, et hujusmodi : ita sanctitati temporis deputati ad exteriorem cultum non contrariatur quodlibet peccatum, sed illud tantùm quod illum cultum adimit aut violat, et directè repugnat sanctificationi illius; ut si fiat aliquid non per se illicitum, sed in contemptum festi, et intentione illud violandi, si exerceatur opus servile, si Missa non audiatur, etc. — Respondeo igitur ad quæstionem, non omne peccatum in die festo commissum, induere malitiam sacrilegii; ideòque hujusmodi circumstantiam temporis sacri nequaquàm mutare speciem, neque ita notabiliter aggravare, ut sit necessariò detegenda ac explicanda in confessione. Ratio est, quia etsi peccare mortaliter in die festo, sit contra finem extrinsecum sanctificationis sabbati, et ex hoc aliquantulùm augeatur culpa, quia tamen non impedit cultum Dei externum qui cadit sub præcepto, nec illi contrariatur directè, neque est opus propriè servile, ideò non est transgressio festi, neque contra religionem. Ideò autem luxuria in personâ sacrâ induit malitiam sacrilegii, quia est contra votum. Item per effusionem voluntariam et peccaminosam seminis et sanguinis humani, ideò profanatur locus sacer, quia ex statuto ecclesiastico ita ordinatur, sicut et quando in eo committitur furtum, aut res sacræ furto subripiuntur, ob scilicet injuriam quæ illis infertur. Nihil autem tale extat, nempe nec votum, neque statutum ecclesiasticum, aut præceptum respectu temporis sacri. Ergo peccatum non erit sacrilegium, ex hoc præcisè quòd sit perpetratum in die festo; aliquantulùm tamen aggravatur per hoc quòd sit contra finem hujus præcepti, avertendo mentem nostram ab interiori Dei cultu, impediendo ne quiescat spiritualiter in Deo, et non vacet rebus divinis. Ut enim ait D. August., serm. 251 de Temp., ideò dies iste Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus et mundi illecebris abstinentes, tantùm divinis cultibus serviamus, dantes scilicet huic diei honorem et reverentiam. Hinc multùm re-

prehendendi sunt fideles, qui tunc nedùm divinis obsequiis non vacant, sed profana sodalitia, choreas, tripudia, theatralia exercent, tabernas et ludos frequentant, ebrietatibus, dissolutionibus et impudicitiis se immergunt, magisque Deum offendunt quàm in reliquis hebdomadæ diebus, quasi dies Dominica sit turpium actuum sentina, potiùsque dicata diabolo, quàm vero Deo. Unde Cyrillus Alexand., lib. 8 in cap. 5 Joannis, exclamat : *Idne est, ô Christiani, celebrare diem festum, indulgere ventri, et inconcessis voluptatibus habenas laxare, in irrisionem divini nominis et dici prævaricationem?* Et Tertullianus conqueritur quòd *occasio luxuriæ pietas deputatur*. Deus ipse hujusmodi festa detestans, ait Isai. 1 : *Calendas vestras et solemnitates odivit anima mea facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens*. Et Malach. 2 : *Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum stercus solemnitatum vestrarum*.

Notate verba hæc, *solemnitates vestras*, non meas; quasi sic Deus exprobrare velit : Solemnitates sunt vestræ, quia vestris voluptatibus consecrâsti et insumitis; non meæ, quia non mihi meoque cultui, sed potiùs offensæ ac contemptui dicatis, nec meam, sed vestram voluptatem, ac voluntatem perficitis; vestras ergo solemnitates ferre nequeo, eas abhorret anima mea tanquàm stercus fœtidum, amarulento peccatorum vestrorum fœtore conspurcatas; nec auditis vocem meam, quâ clamo : *Videte ut sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos*. Et iterùm : *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Sed potiùs tunc auditis vocem mundi, carnis et Satanæ ad vana, ad obscœna, ad impia illectantium, ita ut dies festi, non mihi, sed Veneri, Baccho, Adonidi, Satanæ dicati et consecrati videantur.

Certè eo modo quo dies festi nunc celebrantur, diceres potiùs dissolutionibus, ludis, voluptatibus, rixis, ebrietatibus, blasphemiis aliisque impietatibus esse dicatos, quàm divino cultui, pietati, et sanctitâti christianæ. Longè enim plura tunc committi peccata, quàm in cæteris omnibus hebdomadæ diebus collectim sumptis, experientiâ comprobatur. Idque provenit ex hoc quòd cùm plerique homines durante hebdomadâ laboriosis operibus, aut negotiis occupentur, non tantas habent peccandi occasiones : diebus autem dominicis aut festis, genio, ac otio vacant, quod multam malitiam docet et ingerit, multorumque scelerum occasio est, ac fomentum. Videmus namque plebeios ac mechanicos homines illis diebus indulgere ludis, comessationibus; indeque blasphemiis ac contentionibus; suaque prodigere necessaria sustentationi uxoris, ac familiæ, et quod per totam hebdomadam laborando lucrati sunt, paucis horis tunc deglutire.

Mulieres totum ferè tempus matutinum ornatui corporis insumunt ac superbæ vanitati dedicant. Postea ad ecclesiam accedunt, *pompaticè ingredientes domum Domini*. Non tam ut orationi ac cultui divino vacent, quàm ut videant, et videantur : reliquum verò diei cum juvenibus discurrunt, amatoriis conversationibus, quandoque et inhonestis ludis, aut choreis operam dant : *Præstaretque sæpiùs, Augustino teste, vel juvenes stivam aratri ducere, vel puellas lanam facere, et collum trahere, quàm in his ludis periculosè saltare*.

Concludimus hisce Cajetani verbis in Summâ : Quòd licet cum abstinentiâ à servilibus, solius Missæ cultus sufficiat in festo ad evitandum mortale peccatum, tenentur tamen fideles diem expendere in divinis laudibus, saltem eundo ad prædicationem et ad vesperas. Unde qui festos dies post Missam vanè consumunt ludendo, jocando, otiosèque vagando, aut venando, spectaculis intendendo, et hujusmodi : licet ex ipsis operibus, utpotè non servilibus, mortale non incurrant, ex omissione tamen divini cultûs, ad quem festa instituta sunt, graviter peccant (1), quia non reddunt quæ sunt Dei Deo; et quia quantùm est in se, ridiculo exponunt christiana festa, juxta illud : *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus*. Et hoc præcipuè tangit viros graves et majores et dominos : cæteri namque eos imitantur. Hæc Cajetanus v. *In festo licita*. In fine, et 2-2, q. 122, art. 4, in principio, ait, quòd Ecclesia quantùm ad tempus et opera, posset aliter determinare in observatione festorum. Subditque hæc verba : Et licet quoad opera præscripta nulla appareat necessaria mutatio, tamen quoad tempus multis videtur quòd oporteret festum esse solùm manè, et usque ad meridiem tantùm. Et hoc propter communiter accidentia; quia post prandium in festis communiter committuntur infinita peccata, quæ aliis diebus non fiunt, nec fierint, si liceret laborare, etc.

Heu miseria miseriarum, ut nequeat Deus integrum hebdomadæ diem sibi dicatum, totumque suo cultui mancipatum à Christianis obtinere! *Si enim jussisset*, inquit Catechismus romanus § 36, *nos quotidiè sibi religionis cultum tribuere, nonne pro suis erga nos beneficiis, quæ maxima et infinita sunt, omnis opera danda esset, ut prompto, alacrique animo, ejus dictò audientes essemus? nunc verò paucis ad ejus cultum institutis diebus, non est cur nos negligentes atque difficiles in ejus functione simus, quod sine gravissimâ culpâ præterire non possumus*.

(1) Non convenit inter theologos quale sit objectum totale legis de sanctificatione diei Dominicæ et festorum in quantum lex illa consideratur ut positiva; dubitant an habere debeamus reos peccati mortalis qui præter Missam nulli alteri religionis operi incumbunt, eo ipso solo *quòd omittant cultum divinum ad quem festu ordinata sunt*. Convenientissimum quidem est ut fideles diebus festivis verbum Dei audiant, vespertinis intersint officiis, actibus pietatis vacent, et meritò reprehensibiles sunt ii qui hos dies otio absumunt; verùm, quùm mihi in specie præceperit Ecclesia sub gravi, præter auditionem Missæ et cessationem ab operibus servilibus, multi docent theologi, illum de quo agitur non peccare mortaliter, *quatenùs legis positivæ transgressorem*, licet possit sub alio respectu se reum culpæ lethalis constituere, nimirùm aut ratione scandali, aut nimiâ salutis negligentiâ, aut quia non curat de iis addiscendis quæ scire deberet et tamen ignorat. Hinc illi theologi, ubi exponunt objectum præcepti de sanctificatione festorum, silent de obligatione ad quam alludere videtur Cajetanus, et solùm hortantur fideles ad pietatis exercitia. (Vide hanc quæstionem fusè discussam in appendice H ad calcem voluminis.)

ARTICULUS II.

An et quænam opera animæ sint prohibita in die festo.

Sola opera servilia inhibentur in die festo, prout colligitur ex cap. 23 Levit. *Opus autem servile*, inquit D. Thomas, 2-2, q. 122, art. 4, ad 3, *dicitur à servitute quâ homo servit homini : homo verò est alterius servus, non secundùm mentem, utpotè quæ libera manet, sed secundùm corpus. Et ideò opera servilia secundùm hoc dicuntur opera corporalia in quibus unus homo alteri servit : sicque nullius spiritualis actûs exercitium est contra observantiam sabbati, puta si quis doceat verbo vel scripto. Unde num.* 28 *dicit Glossa, quòd fabri et hujusmodi artifices otiantur in die sabbati : lector autem divinæ legis, vel doctor ab opere suo non desinit. Nec tamen contaminatur sabbatum : sicut sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt.* Hactenùs D. Thomas.

Nec obstat quòd interveniat opus corporale tanquàm spiritualis actûs exercitium, ut scribere ad docendum vel discendum, vel ad significandum alteri per litteras, consilium dare verbo vel scripto, legere in scholis non solùm theologiam, sed et philosophiam, et quamcumque aliam licitam scientiam, consilia et electiones facere, ac similia ; non enim per hoc desinunt esse mentis opera ; et cùm ad exteriorem materiam perficiendam non ordinentur, prout artium mechanicarum exercitia materiam perficiunt, puta lanam, linum, ferrum, lignum, etc., procul dubio licita sunt in die festo ; quoniam nihil horum est opus servile, nec inter prohibita ab Ecclesiâ computantur. Imò ex hoc capite excusari videntur qui diebus festis picturis inspiciendis vacant, non ut pingant, sed ut delineando discant. Et archimagistri qui designant in chartâ quomodò aliquid sit fabricandum, ad instruendum aliquid de futuro opere : hæc enim spiritualis potiùs est exercitatio, non operis mechanici, sed doctrinæ et disciplinæ. Ita Cajetanus in Summâ, v. *Festum*. Verùm id limitarem, quando intervenit rationabilis causa. Sic Romæ vidi multos pictores in festo corporis Christi delineantes in chartâ pulchras imagines, et præsertim in Vaticano picturas egregias textiles stromatum in exteriori deambulatorio toto illo die publicè expositas : idque licitè facere non est dubium ; quia cùm postea hujusmodi peristromata ex hoc loco publico amoveantur et occludantur, non suppeteret ipsis ampliùs facultas addiscendi, et talia extraordinaria opera retrahendi ac imitandi. Per se tamen loquendo non videntur excusari, qui in die festo designant, vel in chartis delineant, quæ postea sunt fabricaturi, quia opus pingendi de se est servile, nec conditionem servilitatis exuit ob intentionem addiscendi artem ; alioquin etiam liceret quamlibet artem mechanicam in die festo exercere ad eam addiscendam ; quod nullus dixit : non nego tamen quin liceat artis mechanicæ et servilis regulas addiscere, ac memoriæ mandare, quia id non est opus servile.

Idem Cajetanus supra locum D. Thomæ in initio adductum, hanc regulam assignat, nempe quòd *in proposito non sufficit quòd actus sint spirituales ex principio, sed etiam requiritur ut sint tales ex termino, seu quòd principaliter ordinentur, et per se terminentur ad aliquid spirituale : ita quòd actio à principio spirituali proveniens per corporale instrumentum ; ad hoc ut dicatur spiritualis, debeat per se ordinari ad spiritualem passionem inferendam, sicut actio doctrinæ ordinatur ad causandam disciplinam, quæ est opus spirituale : actiones verò, quæ per se ordinantur ad corporalem passionem inferendam, seu ad exteriorem materiam perficiendam, non computantur inter spirituales, quamvis sint à principio spirituali, ut patet de artibus mechanicis : ars enim est virtus intellectualis, ut ostenditur 6 Ethic. Quia tamen ordinantur ad perfectionem corporalium operum, ideò earum exercitationes non sunt actus spirituales.* Hinc infert quòd *sicut licitum est docere philosophiam et cæteras disciplinas, ita licitum est advocatis præstare patrocinium, quantùm est ex genere operis, quia ordinatur ad notitiam et persuasionem veritatis causæ : constat autem nôsse et persuadere, spirituale quid esse : ex prohibitione tamen Ecclesiæ actus iste spiritualis nequit licitè in die festo exerceri : benè potest advocatus dare operam studiis causâ litium, scribere quibus studuit, informare privatim judices, consilia dare, aliaque præstare quæ sine strepitu judicii fieri possunt et solent.*

Infert quoque, *civibus licitum esse ad consilia convenire et eligere ad officia diebus festivis, quoniam consiliari et eligere sunt opera animæ. Nec refert quòd tendant ac terminentur ad negotia temporalia. Hæc enim tantùm materialiter se habent ad electionem, quæ per se et formaliter est terminus consilii.* Infert adhuc, quòd *licet scribere non sit de genere suo actus servilis, sed communis liberis et servis, est prout est species quædam locutionis permanentis, sit actio libera : quando tamen non egreditur latitudinem corporalis operis, sicut mechanicum quoddam opus, ut pingere et statuam facere, tunc est opus servile. Hinc transcribere est illicitum in die festo, quoniam mechanicum, et corporalis operis limen non excedit.* Ita Cajetanus. Quidam id limitant in casu quo quis propter lucrum transcriberet libros, processûs instrumenta, etc., nisi esset pauper, aut nisi ex causâ curaret aliquid brevi tempore transcribi, aliàs non habiturus copiam scripturæ, quâ maximè indigeret. Alii distinguunt de actione transcribendi quæ fit ad inde eruendum sensum spiritualem, quo propria transcribentis aut alterius mens illustretur. Et de actione quâ quis uteretur exemplari ad illud tantùm materialiter imitandum quoad characterum efformationem. Et docent primam transcriptionem in die festo esse licitam, ne dùm si fiat gratis et ob recreationem, sed etiam si fiat ob lucrum temporale, quia nullum opus de se liberale, ob lucrum et finem operantis fit servile : hæc autem transcriptio, non secùs ac scriptio est actio mentalis ac spiritualis, et per accidens est quòd fiat intentione lucri. Secundam verò esse illicitam etiamsi fiat gratis, quia est operari mechanicè, perinde ac characteres depingere. Unde peccant transcribentes ac pingentes, nisi ex circumstantiis, ex benignâ Ecclesiæ permissione ac morali quâdam necessitate, ne homines totâ die otio vacent, excusentur

sequenti die suscipiat, et deferat; quoniam hoc non est nisi itinerari. Item licitum est tunc parare necessaria ad usum itineris, ut cibum, vestes, et alia quibus indiget ille qui defertur in lecticâ, v. g., quoniam ista sunt accessoria, ac per accidens fiunt propter iter : ideòque sunt licita eâdem ratione quâ iter est licitum. Ita Cajetanus supra locum D. Thomæ adductum in fine. Consuetum nihilominùs est, ut qui cum hujusmodi oneribus jam itineri se dedit, possit continuare vecturam, nec teneatur cum suo incommodo quiescere in locis ubi festa occurrunt. Unde à fortiori excusantur agazones et alii qui merces publicæ utilitatis causâ sine morâ transferunt. Igitur si muliones et agazones, ante diem festum, iter bonâ fide inchoaverint cum bestiis oneratis, excusantur à peccato, iter continuando diebus festivis, vel propter publicam utilitatem, vel certè propter grave damnum quod ipsi paterentur, si omnibus festis quiescere cogerentur. Consuetudo verò iter inchoandi diebus festis, aut potiùs abusus, facilè admitti nullo modo debet.

Bellum item, juxta Cajetanum in Summâ v. *Bellum*, exercere in diebus festivis absque necessitate, peccatum est, propter inquietudinem divertentem à sanctificatione festorum : non tamen est mortale peccatum, si auditio Missæ absque legitimâ causâ non omittatur, quia non est opus servile. Et simile est judicium de aliis diebus, quibus prohibitum est sacris canonibus præliari, scilicet in Adventu et Quadragesimâ, etc. *Extra de treugâ et pace*, can. *treuga*, si tamen ista jura subsisterent; nam abrogata esse dicuntur per non usum. Igitur bellum sive defensivum sive offensivum tunc honestari potest ob necessitatem. Excusari etiam videntur exercitationes militares quæ tempore pacis diebus festivis fieri solent : tum ob consuetudinem non reprobatam, tum quia sunt quædam veluti repræsentationes præliorum, et ordinantur ad instruendum milites circa disciplinam ac præliandi modum. Item Cajetanus supra art. D. Thomæ citatum in fine, ait quòd ludere cum globulis magnis vel parvis et hujusmodi, saltare, choreas ducere, pulsare instrumenta musica, aliaque similia per se et in rigore loquendo, si modico temporis spatio fierent cum debitis circumstantiis in die festo, licita essent, secluso scandalo, et absque pravâ intentione aliisque malis adjunctis, cùm vix possit homo otiosè absque delectatione integrum diem transire, ut dicitur lib. 9 Ethic.; sed quòd toto quasi die, vel magnâ festi parte hæc fiant, illicitum est, eò quòd contrarientur fini præcepti, nempe vacare divinis : impeditur enim homo propter hæc à vacatione rerum divinarum, ut patet; non tamen est peccatum mortale, quia non est contra id quod directè præcipitur hoc tertio mandato, aliud enim est id de quo datur præceptum, et aliud quod est finis præcepti, ut sæpè dictum est : aliunde tamen possunt esse peccatum mortale, ut si fiant cum scandalo, vel ex pravâ intentione, vel cum periculo peccandi, etc. Imò Corduba ait, omnes asserere, quòd est mortale ludere publicè pilâ vel aliis ludis in die Cœnæ Domini vel in Parasceve, ob scilicet magnitudinem irreverentiæ. Vide Sylvest. v. *Ludus*, q. 2, num. 7.

Consuetudo invaluit ut venatio non censeatur opus servile, ideòque moderatè illam exercere in die festo recreationis causâ post auditam Missam, non videtur esse contra istud præceptum; sed solùm quando impedit à debito cultu, ut si quis propter illam omittat Missam, aut servitores suos ad hanc occupando impediat audire Missam, et simile est judicium de aliis divinis quibus interesse debet, juxta doctrinam D. Ambrosii, dist. 96, cap. *An putatis*. Potest tamen esse contra finem præcepti, nempe divinis rebus vacare, si per totum diem cum magno strepitu et apparatu venatio exerceatur, cùm mentem à divinis abstrahat. Unde August., serm. 131 de Tempore, ait, quòd in diebus festivis nullus in venatione se occupet, et diabolico mancipetur officio circumagendo campos et sylvas, clamorem et cachinnum ore exultans, non gemitum nec orationis verba ex intimo pectore ad Deum proferens. Imò Sylvester, v. *Venatio*, ait, quòd si fiat causâ lucri, non est licita, nisi eo modo quo piscatio est licita in die festo, causâ scilicet lucri aliàs perituri, vel causâ famis, vel aliâ simili, episcopi vel proprii sacerdotis licentiâ accedente. Argum. ca. *Licet*, de feriis. Fortè quia consuetudo, aut superioris auctoritas id non permittit. Piscatio communiter reputatur opus servile, et à plebeiis ad quæstum ordinariè exercetur : ideòque non est licita in die festo, nisi fortè recreationis causâ, moderatè, per breve tempus et sine magno labore in flumine, et rarò per occasionem solùm exerceatur, ut si pisces hamo capiantur : consuetudo enim videtur id excusare. Imò ex jure communi licitum est diebus festivis piscari in flumine aut in mari certum genus piscium qui tantùm determinatâ anni parte certisque diebus adveniunt, et illicò pertranseunt, et nisi tunc capiantur, non apparent ampliùs, ut sunt alosæ, acipenseres, murenæ, salmones, thunni, et similes. Tenentur tamen piscatores tunc aliquam eleemosynam vicinioribus ecclesiis vel pauperibus elargiri, prout statuitur in ca. *Licet*, tit. de Feriis. Inde colligitur piscationem esse opus servile, sic enim non opus esset dispensatione, et exceptio firmat regulam in contrarium prout habetur in Reg. juris.

Articulus IV.

In quibus casibus opera servilia in die festo exerceri possint absque peccato.

Nonnullæ causæ ab auctoribus communiter assignantur et recipiuntur, quibus serviliter laborantes in die festo excusantur à peccato.

Prima est communis huic et aliis præceptis, nempe indeliberatio et ignorantia. Perspiciendum igitur est, si quis formaliter, hoc est, ex intentione, commiserit vel omiserit ut festum violaret, seu non curans quòd violet festum. Tunc enim est peccatum mortale ex genere suo, sive id quod committitur sit opus servile, sive ab Ecclesiâ prohibitum. Si verò non fuerit quidem intentio formalis et explicita violandi festum, ni-

hilominùs tam affectus fuit commissioni aut omissioni, ut non curaverit implicitè ac virtualiter de violatione festi, tunc actus redit in naturam suæ speciei, et à mortali non excusatur : benè tamen si nec intentio fuit violandi, neque ita affectus fuit ut non curaverit implicitè de violatione sabbati; quia tunc non est propriè contra præceptum, nec violatio censetur plenè voluntaria. Potest tamen gravius, et minùs grave peccatum veniale in hujusmodi violatione intervenire juxta modum excessûs, consideratis personâ, notitiâ, ratione, et reliquis singularibus. Et hinc excusantur à peccato mortali infinitæ commissiones et omissiones, quasi bonâ fide non contra præceptum patratæ. Cajetanus in Summâ v. *Festum*.

Secunda est quoque communis, nempè parvitas operis et exiguitas temporis : modicum enim pro nihilo reputatur; ita quòd propter imperfectionem actûs, id est, violationis festi, non censeatur gravis violatio : sicut propter imperfectionem nocumenti, lædere proximum in minimo, veniale est duntaxat, ut patet in furto, detractione, et contumeliâ. Sic etiam levitatem materiæ in præsenti admittendam esse colligitur ex hoc quòd non ex quolibet opere servili notabiliter impediatur cultus divinus, nec gravis irreverentia Deo irrogetur, neque ingens inobedientia Ecclesiæ determinationi ac institutioni exhibeatur. In his igitur, saltem nonnisi veniale intervenit peccatum, etiamsi nulla justa adsit causa, quin et in alium diem differri possint. Hinc excusantur à mortali parùm laborantes, vel suendo, ut mulieres aliquas acûs punctiones facientes, vel tondendo ut radentes unam barbam vel aliquid reparando, ut vestes purgantes, cubiculum verrentes, etc., vel emendo aut vendendo aliquid, minimum tempus in hoc insumentes : et generaliter excusantur famuli et ancillæ, opera ordinaria exigui temporis exercentes.

Quænam verò pars temporis censeatur notabilis et requisita ad hoc ut vacans operibus servilibus à peccato mortali non excusetur? Alii putant ad mortalem culpam requiri tantùm temporis spatium in laborando, quantùm opus est ut attingat tertiam diei viginti quatuor horarum partem. Alii exigunt tres, alii duas solùm horas. Verior tamen et communis opinio est sufficere unam horam, aut tres quadrantes. Probabiliùs fortè dici potest, prudentis arbitrio determinandum esse quando ille excessus aut spatium ad peccatum mortale pertingat, ac judicandum ex conditione operis. Nam labor unius aut sesquis horæ videtur gravior materia respectu fabri ferrarii aut agricolæ, quàm sartoris aut barbitonsoris.

Plura pauca opera servilia uno eodemque die festo diversis vicibus facta, censentur continuari et adunari; proindeque peccatum mortale constituere, quoties simul sumpta materiam notabilem constituunt. Prout à simili statuitur de eo qui in unius et ejusdem diei officio voluntariè multos versiculos diversis vicibus omittit, et de eo qui in die jejunii multoties manducat parùm aliquid sumendo. Et tandem de illo qui repetitis paulatim et successivè parvis furtis summam notabilem comparat. Inde tamen non licet inferre quòd ille mortaliter peccet qui pluribus diebus festis aliqua parva opera servilia præstat, quæ simul sumpta notabilem materiam et temporis partem important; nam parva furta per annum facta moraliter continuari censentur : secùs verò illa modica opera servilia. Cùm enim cultus diei festi sit illi diei affixus, sicut et jejunium ac officium, sequitur illius obligationem transire cum ipso die, atverò semper obligatio non lædendi proximum perseverat, facitque ut unum furtum uno die factum moraliter cum alio die altero facto continuetur. Et sic de aliis.

Tertia causa est consuetudo præscripta, quando scilicet ita se habet consuetudo generalis aut specialis in aliquâ patriâ, cognita et non solùm patienter tolerata, sed etiam non reprobata, ac non reprehensa ab episcopis, et prælatis, cùm tamen commodè obstare possent. Hinc enim coquorum tabernariorum, hospitum, nautarum in fluminibus, vendentium et ementium ad minutum comestibilia, conducentium equos aut operarios pro die crastinâ, nundinarum, itinerumque exercitia, et similia consueta excusantur, et meritò, quia sicut consuetudo potest facere de opere licito, illicitum quantùm ad tempus, ita è contrario potest de illicito aliàs in festo, efficere licitum; habet enim vim abrogandi et mutandi ista utpotè de constitutione humanâ. Ita Cajetanus in Summâ v. *Festum*.

Quarta causa est Religio; quomodò opera ad cultum divinum proximè deservientia, quamvis alioqui forent servilia, licitè diebus festis peragi possunt, qualia sunt pulsare campanas, gestare crucem et reliquias in processionibus, et alia per se conjuncta divino cultui, ut probat D. Thomas loco sæpè adducto. Dixi proximè deservientia divino cultui quasi partes illius, aut præparatoria immediatè et simultaneè cum illo, prout olim erat occisio et excoriatio victimarum, et nunc pulsatio campanarum ad Missam et Vesperas. Nam si sint ita præparatoria et antecedentia, ut pro festo die præcedenti fieri possint, qualia sunt Ecclesiam verrere, altaria ornare, hostias coquere aut scindere pro Missis, ac similia, non possunt absque rationabili causâ reservari in diem festum. Quia hæc opera ad divinum festi cultum præsupponuntur ordinariè; et proinde nisi causa rationabilis adsit, debent congruo tempore, id est, ante festum fieri; causa autem rationabilis est, aliquando festorum continuatio, populi concursus, aut quia præcedenti die non poterant commodè omnia præparari aut absolvi. Et licet hujusmodi opera absque rationabili causâ sint illicita in festo, si tamen bonâ fide et simplici corde fiant, veniale tantùm committitur peccatum, quia sunt infra ea quæ per se ordinantur ad divinum cultum, et spectant ad Dei obsequium. Ita Cajetanus, 2-2, q. 122, art. 4, ad 3, in medio. Opera tandem quæ ordinantur ad divinum cultum per accidens tantùm, et valdè remotè ut conficere calicem, ecclesias ædificare, agros, ecclesiæ excolere, etc., nequeunt in festo exerceri absque gravi peccato, nisi fiant urgente necessitate, aut accedente licentiâ episcopi, vel saltem parochi, ubi usus sic habet. Ratio

est qua ista sunt opera ex genere suo servilia, et aliunde non per se spectantia ad Dei servitutem, sicut alia jam enumerata. Idque confirmatur ex consuetudine populi christianî, quæ est optima legum interpres; quâ vix et fortè nonnisi alicubi sine scandalo toleratur hujusmodi labores fieri in obsequium paupercularum ecclesiarum. Ita Cajetanus ubi supra.

Quintam causam ponit idem Cajetanus in summâ v. *Festum*, nempè rationis; et distinguit inter opera quæ per se et directè sunt pietatis, ut sepelire mortuos, servire infirmis : taliaque dicit semper esse licita in die festo. Et inter opera servilia, quæ solùm accidentaliter possunt ad pietatem ordinari, ut sternere vias publicas, reficere pontes pro viatoribus; taliaque dicit non esse licita in die festo, nisi adsit simul necessitas, et episcopi licentia. Quia opus religionis, quale est observare festum, non est prætermittendum propter pietatem, cessante necessitate. Item quia hæc non sunt licita propter consanguineos, ad quos una eademque pietas est ac erga patriam; quamvis igitur sola misericordiæ ratio sufficiat ad excusandum judicialia opera in die festo, ut supra ostensum est, non tamen ad excusandum omnia opera servilia, nisi adsit simul necessitas, aut vitatio damni imminentis. Quia opus judiciale non est ex se servile, sed solùm est illicitum per Ecclesiæ prohibitionem. Pro miserabilibus autem personis noluit Ecclesia id vetare, sed tolerat judices in pagis jus rusticis dicentes causâ pietatis, quia aliis diebus non possunt sine damno convenire, et similia, ut habetur cap. *Licet*, de Feriis : atverò in jure idem non conceditur de operibus servilibus.

Sextam et principalem causam assignat D. Thomas, 2-2, q. 122, art. 4, ad 3, nempe *necessitatem propriam, aut proximi, quia facit ut opera servilia transeant in communia ; ideòque sint in die festo licita : quilibet enim tam servus quàm liber tenetur in necessariis providere, non tantùm sibi, sed etiam proximo; præcipuè quidem in his quæ ad salutem corporis pertinent, juxta illud Proverb.* 24 : « *Erue eos qui ducuntur ad mortem.* » *Secundariò autem etiam in damno rerum vitando, juxta illud Deuteron.* 22 : « *Non videbis bovem fratris tui aut* « *ovem errantem, et præteribis ; sed reduces fratri tuo.* » *Et ideò opus corporale pertinens ad conservandam salutem proprii corporis, non violat sabbatum : non enim est contra observantiam sabbati, quòd aliquis comedat, et alia hujusmodi faciat quibus salus corporis conservatur. Et propter hoc Machabæi non polluerunt sabbatum pugnantes ad sui defensionem die sabbati, ut legitur* 1 *Machab.* 2. *Similiter etiam Elias fugiens à facie Jesabel in die sabbati. Et propter hoc etiam Dominus, Matth.* 12, *excusat discipulos suos qui colligebant spicas in die sabbati propter necessitatem quam patiebantur : similiter etiam opus corporale quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, non est contra observantiam sabbati. Unde dicitur Joan.* 7 : « *Mihi indignamini, quia totum homi-* « *nem salvum feci in sabbato.* » *Similiter opus corporale quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat sabbatum. Unde dicit Dominus, Matth.* 12 : « *Quis erit ex vobis homo qui habet unam* « *ovem, et si ceciderit sabbato in foveam, nonne tenebit* « *et levabit eam ?* » Hactenùs D. Thomas. Hinc resolvi possunt innumeri casus particulares. Hæc quippè necessitas multos ramos habet, scilicet necessitatem proprii corporis, necessitatem corporis proximi, necessitatem vitandi imminentis damni, tam in rebus propriis quàm proximorum, et demùm necessitatem publicæ utilitatis. Hinc primò excusantur qui sunt ita indigentes, ut nisi laborent in festis, non possunt se suosque filios sustentare; debent tamen in secreto laborare, ad vitandum scandalum, ac priùs audire Missam : præcepta siquidem Ecclesiæ, secundùm quod in pluribus, invenitur, intelligenda sunt ligare; communiter autem homines communibus Ecclesiæ festis servatis, providere sibi suisque possunt. Sed ubi aut tot sunt multiplicata festa, aut tanta urget necessitas, ut non possit quis illa servando sibi suisque providere, cessat legis vinculum, nisi quis dicat quòd tenetur ille mendicare, quod stultum esse dicit Cajetanus in Summâ v. *Festum*. Unde non solùm extrema, sed etiam gravis et urgens necessitas excusat, ut quis tunc laborando possit victum sibi et suæ familiæ necessarium non solùm pro illo die, sed et sequenti comparare. Et quidem ubi magna et evidens necessitas occurreret, id posset quis auctoritate propriâ, maximè ubi non est facilis recursus ad superiorem; in dubio verò, vel abstinere debet, cùm sola necessitas certa excuset, vel petere dispensationem à parocho saltem, si commodè episcopus adiri non possit.

Secundò excusantur qui præparant ea quæ ad communem et necessarium victum diei pertinent, ut qui carnes vendunt aut coquunt. Item qui panes, herbas, fructus et hujus modi vendunt propter necessitatem adventantium, qui occupati aliis diebus agriculturæ aut negotiis commodè non potuerunt emere; secùs autem dicendum de pistoribus et molitoribus : pridiè enim farina et panis confici potuit; si tamen ob festorum concursum, aut supervenientem hominum multitudinem egentium pane, carne, etc., occurrat urgens necessitas, quæ prævideri non potuit, tunc excusantur. Idem dicendum de lanionibus, nempe quòd quando in æstate carnes corrumperentur inter plura festa continua, aut quando advenit concursus hominum qui prævideri non potuit, excusantur in die festo mactantes, et excoriantes animalia. Hinc etiam excusantur medici curantes in die festo, pharmacopolæ conficientes medicinas, chirurgi extrahentes è venâ sanguinem aut vulneribus medentes, quia hæc omnia sunt necessaria ad corporalem hominis salutem. Porrò solummodò possunt conficere medicinas pro illo die necessarias : secùs verò pro aliis diebus laborare. Quia eatenùs excusantur, quatenùs necessitas postulat et permittit. Item non excusantur à mortali barbitonsores radentes per plures horas in die festo, multòque magis id in consuetudinem habentes, nisi ratione parvitatis materiæ, ut si faciant unam barbam; aut ratione necessitatis, ut si aliquem tondere sit necessarium ad levandum dolorem capitis Quidam addunt si quis petat tonderi propter nuptias,

aut quia Missam novam debet illo die festo celebrare, et præcedenti fuit legitimè occupatus, aut iter faciebat, etc. Alii subdunt quòd quando agricolæ, pastores, rustici, qui in diebus profestis solent laborare ac occupari in agro, et nonnisi in die festo commodè accedere possunt, indigentque rasurâ, tonderi petunt. Tandem Dominus à S. Beuve doctor Sorbonicus, tom. 3, casu 175, excusat barbitonsores, si ex denegatione tondendi eos qui accedunt ad suam officinam in die festo, elongationem ipsorum et infrequentiam patiantur, quia scilicet videntes se repelli ad alios barbitonsores cum proprio hujus damno adirent, qui eos absque scrupulo raderent. In isto siquidem casu exueretur istud opus à servilitate, quatenùs scilicet ordinaretur ad imminens damnum proprium rerum exteriorum vitandum. Unde tunc magis videntur reprehendendi qui tonderi petunt; aliàs si repellantur ab uno barbitonsore, alios requirunt quàm ipsimet radentes. Verùm cùm alii artifices et mercatores, eamdem indemnitatis rationem justè afferre valeant; nempe quòd si accedentes ad suas officinas in die festo repellant, ad alios accedent cum proprio detrimento, lata aperietur via servilia opera exercendi in diebus festivis. Unde si non accedat gravis necessitas, se et familiam suam sustentandi isti artifici, nequit laborare in die festo, per hoc præcisè quòd privetur lucro, quod alii laborando et peccando sunt accepturi. Aliàque viâ his inconvenientibus est occurrendum, nempe quòd omnes tonsores civitatis ex se ipsis propriâ sponte conveniant de aliquâ pœnâ pecuniariâ, v. g., sex librarum, toties quoties statim subeundâ ab eo qui diebus festivis adventantes radendos receperit. Vel ad hanc conventionem faciendam adigantur à missionariis et confessariis, nec aliter absolvantur, vel tandem à magistratibus ac superioribus illa pœna constituatur, et laborantibus infligatur. Denique circa hæc et similia considerandum est, an prælati scientes prohibeant et contradicant, aut permittant, etsi possent commodè obstare, juxta superiùs dicta de consuetudine. Hinc etiam constat quid dicendum sit de fabris ferrariis, nempe eos posse quidem ratione necessitatis calceare equos in itinere jam constitutos, ut sic illud continuare valeant, applicando ferrum aliâ die fabricatum, quia scilicet id est necessarium et accessorium itineri, quod licitè suscipitur et continuatur in die festo, ac modico tempore et sine magno labore exerceri potest: ipsis tamen non licet equos aut mulos quiescentes et non itinerantes tunc calceare. Hinc tertiò excusantur, qui segetes metunt, aut colligunt, aut vindemiant, etc., imminente tempestate, ne fruges pereant. Item qui fœnum demessum in locum à pluviâ tutum, ne aquis ingruentibus corrumpatur deferunt, quando periculum est in morâ. Item qui res suas aut alienas liberant ab illuvione, aut igne, aut incursionibus, aliaque similia faciunt tunc necessaria ad seipsos aut proximos indemnes servandos. Excusantur similiter artifices eorum, quæ continuam exigunt operam, ut decoctio laterum, saponum, calcis, vitri et similia: hi enim possunt licitè in festo opus suum continuare, nutriendo ignem, immittendo ligna in fornacem, et non omittendo ea ex quibus grave damnum oriretur. Item excusantur pastores ducentes et pascentes gregem, custodes sylvarum et vinearum, etc., continuantes opus suum in die festo. Item licet sub hastâ vendere, aut licitatione conducere prædia in oppidis auctoritate publicâ, et excusantur domini earum rerum, ne scilicet damnum incurrant, quia aliis diebus non comparent emptores utpotè occupati agriculturæ. Inde etiam quidam excusant parvos mercatores extraneos, qui suas merces in capsâ inclusas propriis humeris transvehentes de loco in locum continuò transire solent, maximè per pagos, quia scilicet aliis diebus emptores non reperirent.

Excusant similiter eos qui multos habentes sub se operarios conductos in officinis ferrariis, lapidicinis, sylvis cædendis, aliisve operibus, diebus dominicis aut festivis eos ad computandum convocant, et promeritam mercedem solvunt, quia scilicet alio die cogerentur perdere diurnum laborem ad familiam alendam necessarium. Ob eamdem rationem excusant mercatores vendentes oppidanis et rusticis pannum, calceos, et alia hujusmodi, intra tamen parietes domesticos. Verùm nonnisi ex consuetudine à prælatis non reprehensâ, si quæ in illis partibus vigeat, aut ob exiguitatem operis ac temporis, excusari posse mihi videntur hæc et similia opera mechanica. Item legitimè excusantur piscatores in capturâ quorumdam piscium, qui certo tantùm anni tempore transeunt et capiuntur, ob scilicet damnum vitandum, prout supra ostensum est. Excusantur denique servi, famuli, subditi, et alii compulsi à dominis ad laborandum in die festo, quibus nisi pareant imminet grave damnum in personâ vel rebus: ex necessitate quippe gravis imminentis damni, non peccant laborantes auditâ Missâ, si commodè audire valeant. Quòd si hujusmodi dominos ante servitii tempus expletum absque gravi incommodo deserere valeant, recedendum est, quia obligatio serviendi per annum, v. g., juxta morem Catholicorum, et absque festorum irreverentiâ ac periculo peccandi interpretanda est. Quòd si exire non possint, saltem expleto termino, hujusmodi famulatum deserere tenentur. Porrò hujusmodi necessitas obedientiæ et coactionis non excusat famulos et alios, si id operis ipsis injungatur in injuriam et contemptum diei festi. Tunc enim nullatenùs est parendum, sed potiùs moriendum, quia urget aliud præceptum fidei non negandæ, et timenda est illa Christi comminatio: *Qui meos sermones erubuerit coram hominibus*, etc. Unde si dominus hæreticus in contemptum Religionis servos ac subditos compellere vellet ad festum violandum, illis mors potiùs subeunda esset, quàm in Christi contumeliam ejus violentiæ cedendum.

Quintò excusantur ob necessitatem publicæ utilitatis, qui in die festo præliantur, aut imminente bello aggeres, foveas, circumvallationes, etc., construunt, tormenta bellica parant, propugnacula ædificant, muros hostium diruunt, aliaque necessaria faciunt ad vitandum imminens damnum rerum exteriorum. Item

necessitas publicæ utilitatis excusat labores illos, qui nisi absque discretione dierum fierent, magnum respublica sentiret incommodum. In quo genere sunt cursores sive pedites, sive equestres, quorum opera valdè utilis est reipublicæ excusantur enim nedùm à labore et peccato, sed et quandoque ab auditione Missæ, ob scilicet necessitatem publicam, accedente consuetudine scitâ et non reprehensâ à prælatis. Ita Cajetanus, qui excusat etiam nautas supra mare, aliosque exercentes artes quæ continuum exercitium plusquàm sex dierum inducunt : nam si oporteret quiescere diebus festivis, nullus inveniretur marinus nauta, quoniam damnosa esset ejus ars et sæpè impossibilis. Idem dicendum de tabellariis ac vectoribus publicis, qui onera de loco in locum deferre solent, quorum opera est maximè utilis, et necessaria ad communem reipublicæ utilitatem, ut constat.

Tandem septima et ultima causa excusans est dispensatio obtenta ab episcopo, quæ ut sit valida requirit aliqualem causam. Cæterùm quia ex gravi, apertâ et evidenti necessitate laborans, potest absque tali dispensatione illi occurrere, hinc colligitur quòd etiam dùm causa non est sufficiens ut sine dispensatione quis laborare valeat, aut quando de hoc est dubium, potest episcopus legitimè dispensare ; non enim ad hoc requiritur ut causa sit evidenter legitima, sed ipsius auctoritas, causæ inevidentiam aut insufficientiam supplet. Parochi etiam auctoritatem habent dispensandi in locis ubi episcopus non residet, nec commodè adiri potest, ac facultatem laborandi ad tempus et non in perpetuum concedendi, quia ad regimen animarum et ob crebros ac quotidianos casus ; hæc auctoritas est parochis necessaria : idque ex communi usu et consuetudine confirmatur et approbatur. Vide supra, tom. 12, tract. de Legibus, lib. 6, de dispensatione, cap. 10 et seq.

Articulus V.

In quo cætera dubia occurrentia circa hujusmodi opera breviter explicantur.

Quæres primò, an opera quæ licitè fieri possunt in festo, reddantur illicita ex hoc quòd fiant propter lucrum ? — Resp. Duas circa hoc esse sententias : prima est affirmativa. Quia quæcumque opera fiunt mercenariè, fiunt serviliter, eò quòd fiant propter alium, scilicet propter dantem pretium et mercedem : liber enim in hoc differt à servo, quòd liber propter se suique causa est, servus autem propter alium ut dicitur in principio Metaph. Ergo cùm opera servilia sint in die festo illicita, ita et mercenaria.

Confirmatur. Nam ut ex D. Thomâ jam retulimus, ideò opera ex suo genere servilia in die festo licitè exercentur ratione damni imminentis, aut ratione necessitatis ; quia ex tunc in communia liberis et servis transeunt. Ergo è contra libera et communia opera redduntur illicita in die festo, si transeant in servilia ; hoc ipso autem transeunt in servilia, quo fiunt mercenariè seu principaliter propter lucrum, quantùmcumque etiam ratione necessitatis aut ratione damni imminentis exerceantur : tunc enim iste mercenarius verè servit illi, à quo mercedem accipit. Confirmatur insuper ex illo effato communi : Quidquid agunt homines, intentio judicat omnes : iste autem mercenarius principali intentione lucrum respicit, et ad illud ordinat opus suum, tanquàm in famulatum alterius. Adde quòd non implicat idem opus esse servile, et non servile, variatis circumstantiis. Sic pingere, transcribere libros, piscari in fluviis, pulsare cytharam, aliaque musica instrumenta, studere, docere, et alia hujusmodi opera recreationis causâ, sunt licita in die festo : secùs dicendum, si ob quæstum ac lucrum principaliter exerceantur : servilia quippe ex tali mercede ac famulatu efficiuntur. Esto quòd si fiant principaliter ad serviendum homini patienti necessitatem, aut ob periculum damni imminentis et secundariò tantùm propter lucrum sint licita : idemque judicium possit fieri de operibus liberis quæ mercenariè fiunt, nempè quòd hæc et similia sint licita in festo, si merces solùm secundariò intendatur.

Secunda sententia docet quodlibet opus quod vel ob necessitatem aliquam, vel ob consuetudinem, vel ob alias causas assignatas licitum est in diebus festivis, tunc quoque licitè exerceri posse, etiamsi principaliter fiat intuitu lucri et mercedis. Unde D. Thomas tum in 3 sentent. tum 2-2, quæst. 122, art. 4, tractans quænam opera, et quomodò servilia sint licita in die festo, nunquàm meminit lucri aut mercedis ; quod sanè non omisisset si judicâsset propter hoc reddi illicita. Inde consuetudo populi christiani absque scrupulo conscientiæ habet quòd percipiatur hujusmodi lucrum. Sic musici, doctores, advocati, procuratores, medici, chirurgi, coqui, nautæ, cursores, etc., ita pro mercede operantur diebus festis, sicut et in aliis ; et opera quæ reputantur licita in diebus festis, eâdem intentione exercent quâ in aliis diebus, scilicet propter lucrum : ideò enim se applicant ad locandum tunc operas suas ad res licitas, et non ad illicitas ac prohibitas, quia indigent pecuniâ, quæ erit merces : si enim non sperarent se accepturos pecunias, aut iis non indigerent, non locarent operas suas neque in festo, neque in aliis diebus, sed viverent ut nobiles. Unde ista est communis dispositio et intentio operantium, tam in festis quàm in aliis diebus. Ita quòd ex fine et ratione operis, habent causas excusantes opus à peccato, scilicet necessitatem, vel imminens damnum, vel consuetudinem, etc., vel genus operis per se licitum ; ex fine verò operantis, seu ex ratione applicandi se tunc ad illa opera, habent mercedem.

Confirmatur : Ex hoc enim quòd isti faciant opus concessum sicut licitum in festo, non peccant. Ex eo verò quòd ad illud opus se applicent ut recipiant mercedem, nullam deformitatem, nihilque contra finem festi opponunt : quoniam non minùs abstrahuntur à divinis faciendo illudmet opus, absque mercede, quàm pro mercede. Nihil tandem faciunt contra id quod est vetitum præcepto diei festi, quia non propterea opus illud efficitur servile : merces enim non reddit opus ex se non servili servile, tum quia opera servilia in-

veniuntur etiam sine mercede, ut patet in illis qui mechanica, ut calceos, vestes, texturas, etc., propter seipsos propriumque usum duntaxat conficiunt; ergo servilitas operis, penès mercedem non attenditur; colligiturque manifestè, quòd aliud est esse servile, aliud esse mercenarium: tum quia operari serviliter, non est operari propter se, eò quòd servus quidquid operatur, in gratiam domini facit: operari autem mercenariè, est operari propter se; nam mercenarius operatur principaliter propter mercedem sibi necessariam aut utilem: servo autem non redditur aliqua merces. Ergo non censendum est opus esse servile per hoc quòd fiat propter mercedem. Neque etiam ex hoc quòd exerceatur propter alium, quia tunc non serviliter, sed gratis fieri potest. Adde quòd opus de se liberale non efficitur servile per hoc quòd fiat in obsequium alterius. Sed opus servile est illud duntaxat quod ex se et ex genere suo est proprium servorum, ad quod servos deputatos habemus, ut sunt opera mechanica; quæ tamen ob causas enumeratas exuuntur à servilitate transeuntque in communia aut licita in die festo, neque redeunt in servilitatem ex hoc solo quòd fiant propter mercedem aut propter alium: quoniam neutrum horum, nec utrumque simul constituit servilitatem propriè dictam, licet aliquam servilitatis affinitatem adducat. Hactenùs Cajetanus.

Prima opinio est probabilis et tutior. Secunda verò est communior et probabilior. Requirerem tamen judicium prælatorum aut prudentûm virorum ad discernendum in quibus particularibus casibus ex benignâ Ecclesiæ permissione, et morali quâdam necessitate, aliisque titulis, licitè pro aliis operantes in die festo, licitè etiam principali intentione possint sperare ac exigere mercedem laborum. Videtur enim non posse absolutè unam generalem ac uniformen regulam pro omnibus constitui. Nam scribere aut transcribere propter se, est licitum in die festo: secùs verò pro mercede et propter alium: quia corporalis operis limen tunc non egreditur et censetur opus servile ac mechanicum, sicut pingere, statuam facere, etc., ex quo patet opera mercenaria quandoque habere aliquid de servili, seu non exui à servilitate hoc ipso quòd ob lucrum et propter alium exerceantur, ut contingit in arte typographicâ, aliisque hujusmodi. Tandem circa hæc attendenda est consuetudo approbata et præscripta. In quibusdam enim locis consuetum est non tantam mercedem solvere pro conductione operariorum aut equorum in die festo, quanta dari solet pro labore aut itinere aliorum dierum, ex hoc quòd tunc otio vacarent, etc. Item quando Ecclesia concedit piscationem thunnorum aliorumque piscium illicò discedentium, ob scilicet lucrum transitorium inde piscatoribus obveniens, eisdem injungit propter hanc indulgentiam, ut ecclesiis vicinis, et Christi pauperibus honestam lucri portionem elargiantur.

Quæres secundò, an civis absens à suâ patriâ in quâ celebratur dies festus, adhuc teneatur illum observare, si in loco ubi reperitur tunc non sit festum. — Resp. negativè. Unusquisque enim tenetur observare festa illius loci in quo degit, non autem illa quæ tunc in propriâ patriâ observatur dùm abest; quia cùm præceptum tunc in eo loco celebrandi festum, sit quodam modo illi affixum, tantùm obligat ratione existentiæ in eo loco, et non extra territorium. Imò potest quis ad locum ubi non est festum ire, ad ibi serviliter et mercenariè operandum, quia jure suo utitur, nec dicitur violator legis, non observando illam in loco ubi non obligat. Mihi tamen videtur, quòd in hâc re omnis fraus abesse debet: nec passim, id est admittendum, sed duntaxat ex justâ causâ et necessitate, puta quia iste pauper est, familiamque magnam alendam habet, aut quia labor ejus multùm utilis esse potest in eo loco, aut intervenit alia similis causa. An autem si in ipso die festi tantùm è patriâ suâ egrediatur ad eundum in alium locum ubi non est festum, teneatur priùs audire Missam, si commodè possit, et summo mane ante destinatum et consuetum tempus discessûs, ibi Missæ celebrentur, sub lite est. Alii enim negant, si ante meridiem seu tempus quo cessat celebratio Missarum in eo loco, iste sit perventurus ad locum in quo non celebratur festum. Ratio est, quia cùm in loco proprio existens, differre posset auditionem usque ad ultimum sacrum, si ante illud tempus quo celebrari solet ultima Missa, inveniatur in loco ubi non est festum, eximitur obligatione. Alii verò affirmant: tum quia tempore quo iste profectus est è suâ patriâ, jam præcepto audiendi sacrum adstrictus erat, ipsumque deprehendit in loco ubi vim habet: tum quia præscius impedimenti futuri auditionis Missæ, tenetur prævenire tempus, summoque manè audire sacrum, si commodè possit, quod maximè verificatur, si post hanc Missam manè celebratam, non supersit alia dicenda in suâ patriâ, eò quòd tunc præcepti tempus urgeat.

Ex hoc autem quòd subditus extra territorium suum existens, non obligetur ad jejunia, et festa municipalia illius, colligitur ipsum obligari ad jejunia et festa municipalia loci in quo tunc existit et commoratur: non enim propter suam peregrinationem ab omni omniumque legum obligatione debet esse immunis. Unde tenetur se conformare moribus illius populi, juxta illud:

Cùm fueris Romæ, Romano vivito more;
Cùm fueris alibi, vivito more loci.

Peregrini et advenæ existentes in loco in quo celebratur festum, ibique sistentes per unum diem, vel per majorem ejus partem, censentur moraliter commorari, ac tenentur audire sacrum, quod quidam limitant, quando commodè sua negotia, aliàs expedire poterant, et per multum tempus ante prandium illud accederent, quod arbitrio boni ac prudentis viri, spectatis omnibus circumstantiis judicandum relinquitur. Si verò solùm pertranseant iter facientes, ac per unam horam ad sumendum cibum obiter maneant, non tenentur audire sacrum; cùm enim parùm pro nihilo reputetur, non censentur eo die in isto loco existere. Si tamen in eo dormierint ibique celebretur tunc Missa quam commodè possunt audire, nec habeant

commoditatem illam audiendi in alterâ parte ejusdem territorii per quod notabile tempus, puta usque ad meridiem, sunt iter facturi, tenentur tunc sistere ad eam audiendam, si non multum tempus expectare debeant, possintque sine magno rerum ac negotiorum dispendio id præstare.

(Hæc omnia fusè pertractantur tom 12 theol., tractatu de Legibus).

Articulus VI.

De præcepto ecclesiastico audiendi Missam in die festo.

Extat Ecclesiæ præceptum obligans sub mortali peccato quemlibet Christianum ad Missam integram attentè audiendam singulis Dominicis et festis diebus, nisi ipsum moralis impossibilitas, seu gravis necessitas impediat et excuset. Can. *Missas*. Et can. *Omnes fideles*, de Consecr., dist. 1.

Nec ab isto præcepto eximuntur pueri, dùm incipiunt habere usum rationis sufficientem ad peccandum, quia unusquisque fidelis, cùm ad annos discretionis pervenit, obligatur Ecclesiæ præceptis; tenetur enim eo tempore abstinere à carnibus diebus vetitis, semel in anno confiteri, etc. Unde pueri antea sunt assuefaciendi ad audiendam Missam, item surdi ac cæci tenentur adesse.

Simpliciter loquendo fideles tenentur audire integram Missam, id est, à principio confessionis usque ad benedictionem : si autem omittatur aliqua pars magna, erit peccatum mortale, si verò parva, erit solùm veniale, quia hæc est natura præcepti et virtutis moralis, quando est simpliciter necessaria, ut in materiâ gravi, obliget sub mortali, in materiâ verò levi, solùm sub veniali; atqui Religio, ad quam pertinet istud præceptum, est virtus necessaria. Ergo, etc., dist. 1 de consecr., can. *Omnes fideles*. Can. *Missas*. Et can. *Cùm ad celebrandas*. Idque etiam convincitur ex consuetudine et usu communi totius Ecclesiæ, quæ semper voluit hoc modo obligari fideles. Item D. Thomas, 1-2, q. 100, art. 3, ad 2, docet, quòd præceptum servandi festa duo continet. Primum est, in quantum præcipitur, quòd aliquo tempore homo vacet rebus divinis, et quantùm ad hoc est præceptum morale, et ponitur in Decalogo. Secundum est taxatio temporis, scilicet diei Dominicæ et festorum, et secundum hoc est præceptum ecclesiasticum. Itaque hujusmodi dies sunt consecrati et deputati cultui divino : in nullâ autem aliâ re, poterant fideles meliùs vacare cultui divino, quàm assistendo sacrificio Missæ, ut de se patet. Unde istud præceptum ecclesiasticum est convenientissimum, præceptoque divino omninò conforme. Et ut ait Sotus in 4 sent., dist. 13, art. 1, isti allegati canones non habent formam novi præcepti, sed tanquàm de re compertissimâ, et à temporibus Apostolorum usitatissimâ censentur, quod sanè indicat, præceptum istud nunquàm in Ecclesiâ fuisse ambiguum, sed usu communi, et fidelium more, semper et ubique fuisse observatum. Tandem fundatur in illo divino mandato : *Sabbata sanctifices*. Hæc autem sanctificatio ordinatur ad vacandum divinis, idque Ecclesia de audiendâ Missâ consultò interpretata est.

Licet autem dicti canones solùm mentionem faciant diei Dominicæ, non propterea excluduntur festa ab eâdem obligatione, sicut non eximuntur religiosi ab eâ lege, quamvis seculares in iis solummodò exprimantur, eædem quippe rationes militant pro festis, ut scilicet homo aliquibus diebus ab Ecclesiâ cultui divino dedicatis, vacet divinis, et consuetudo, quæ est legum interpres, ita habet. Imò expressè loquuntur de festis canones, dist. 1 de Consecr., can. *Qui in die solemni*. Et can. 2, Extra de paroch. Ita Sylvester, D. Anton. Ledesma, Sotus et omnes communiter.

Item licet dicti canones dicant *Missas* in plurali, nemo tamen per se loquendo ex vi præcepti tenetur plures Missas audire in die festo, etiam natalis Domini, id enim nullâ lege cavetur, et consuetudo audiendi tres, non est ita universalis et manifesta ut vim legis obtineat; unde isti canones singula singulis referunt et intendunt, quòd illi qui audiunt istam Missam, audiant totam, similiter et qui audiunt aliam, et sic de cæteris, prout benè exponit Sylvester v. *Missa*. Unde fideles audiendo unam Missam satisfaciunt huic præcepto, exceptis illis, qui aut ex voto, aut ex pœnitentiâ à confessario impositâ, aut statuto particulari vel pacto, tenentur audire duas, idque dijudicandum est ex intentione, quam habuit vovens aut confessarius, an intenderit satisfacere huic duplici obligationi audiendo unam tantùm Missam, pluribus titulis; in quo casu illam omittens teneretur se accusare de violatione voti, et transgressione præcepti Ecclesiæ. Ita Sylvester, Navarrus, Sotus, Ledesma, et alii. Item ad satisfaciendum huic præcepto, non est necesse audire Missam propriam diei et festi, id enim nullo jure nullâque ratione fulcitur, solùmque præcipitur indistinctè Missam audire, sive votivam, sive aliam, tametsi sacerdotes reprehensione sint digni, qui nullam rationem festi habentes, satis esse putant alias dicere Missas ad instantiam secularium, sine causâ multùm urgente : docendus est quippe populus, non sequendus. Ita D. Anton., 2 p., tit. 9, cap. 10. Sotus, lib. 4 Sent., dist. 3, art. 1. Ledesma, Cajetanus, et communiter auctores.

Tandem dictis canonibus præcipitur fidelibus, ut audiant *totas*, id est, integras Missas, quod non est intelligendum more mathematico, ut nulla prorsùs particula omitti possit absque peccato, parùm enim pro nihilo reputatur, sed sumendum est moraliter, ut habet civilitas humana, ut scilicet non omittatur pars notabilis Missæ; verùm non est facile determinare istam partem adamussim.

Conveniunt omnes auctores, quòd tertia pars Missæ est magna; quinta verò censetur parva, loquendo de accidentalibus; secùs verò de substantialibus, et essentialibus sacrificio. Si quis enim dùm consecratur hostia, egrediatur ab ecclesiâ, et post ejus elevationem redeat ut continuet auditionem Missæ, non satisfacit præcepto, sicut nec ille, qui dùm sacerdos hostiam sumit, non assistit ejus communioni, etiamsi omnes alias Missæ partes audiat · et nisi aliam inte-

gram Missam audiat, lethaliter peccat, eò quòd istæ actiones etsi minimò tempore fiant, non sunt minimæ, et id quod pertinet ad substantiam sacrificii, reputatur pars gravissima Missæ. Ex hoc etiam colligitur quòd partes Canonis Missæ præponderant aliis quæ sunt extra Canonem, ut orationes quæ in principio et fine Missæ dicuntur, sicque minor quantitas potest sufficere ad constituendam partem gravem, quæ non est tam mensuranda ex quantitate temporis quo durat, quàm ex qualitatibus et circumstantiis, quibus vestitur, maximèque ex dignitate et affinitate, quam habet cum sacrificio. Ita Ledesma, Nugnus, et alii.

Notabilis verò pars accidentalis Missæ, moraliter metienda est, et arbitrio prudentum definienda videtur. Sylvester, Tabiena et alii docent, quòd si quis audiat Missam à principio Epistolæ, usque ad finem Missæ, non peccat mortaliter; benè tamen si omittat etiam Epistolam; et hanc sententiam Nugnus reputat probabiliorem. Alii verò docent, quòd si quis audiat à principio Evangelii usque ad finem Missæ, non peccat mortaliter: si verò post Evangelium Missam audiat, non est tutus à mortali peccato. Ita Sotus, Navarrus, Vilalobos, Turrianus et alii. Nugnus hanc sententiam reputat probabilem. Pari modo in fine Missæ, si post communionem sacerdotis quis exiret, non peccaret mortaliter, quia partem notabilem non omitteret. Si tamen unius et ejusdem Missæ partes in principio usque ad Epistolam exclusivè, et in fine postcommunionem ac benedictionem omitteret, si istæ partes omissæ simul sumptæ integrent partem notabilem Missæ, consurgit transgressio præcepti lethalis.

An autem omissio auditionis partis levis, debeat suppleri ad vitandum peccatum veniale, v. g., si quis veniat ad ecclesiam cum animo audiendi integram Missam, et fortè inveniat eam incœptam, et perductum usque ad Kyrie eleyson ac orationes, et audiat illam, teneatur illum defectum supplere audiendo illam partem omissam alterius Missæ.

Nugnus affirmat ad id teneri, ut liberetur etiam à peccato veniali, quia in canonibus supra allatis præcipitur quòd audiatur tota Missa, à confessione usque ad benedictionem, et quamvis iste adimpleat præceptum, quoad substantiam, ideòque non peccet mortaliter, non tamen debito modo et quoad accidentia. Unde si videat se posse audire integram Missam, et habeat intentionem audiendi tantùm illam jam incœptam, peccat venialiter, si postea possit supplere illum defectum et non faciat, in eo peccato permanet, et aggravat.

Ledesma verò distinguit, et hoc quidem concedit de eo qui de industriâ et ex proposito non vult audire illas partes Missæ, puta quia sacerdos est valde morosus, ejusque Missa longa, ideòque non intrat in ecclesiam, nisi dùm legit Epistolam, et deinde audit Missam usque ad finem animo satisfaciendi præcepto. Iste, inquam, venialiter peccat, nisi suppleat hunc defectum in aliâ Missâ quamvis ad id simpliciter non obligetur. Negat vero de eo, qui veniens ad ecclesiam cum verâ et sincerâ voluntate audiendi Missam integram, invenit inchoatam in orationibus: iste siquidem omninò involuntariè Missam audit non integram, neque proinde peccat etiam venialiter non supplendo eum defectum, audiendo illas partes omissas in aliâ Missâ, etiamsi habeat commoditatem supplendi. Porrò qui partem notabilem Missæ non audit, si non habeat tunc propositum supplendi illum defectum, audiendo aliam, mortaliter peccat, et quamdiù est tempus et occasio audiendi aliud sacrum, obligatur d supplendum defectum, mutandum malum propositum, et adimplendum præceptum; si verò audiendi aliam Missam voluntatem habet, et de facto audiat, tum satisfacit præcepto, et non peccat.

Difficultas restat an ad supplendum hunc defectum, iste teneatur audire aliam Missam integram, aut sufficiat auditio partium solummodò omissarum.

Alii docent satisfacere præcepto audiendo tunc duas medietates, aut partes notabiles Missæ, non simul, sed successivè à diversis celebrantibus, quia præceptum Ecclesiæ solùm obligat ad audiendam integram Missam, et non ad audiendam totam continuatam ab uno sacerdote. Iste autem audit integram moraliter loquendo; quando enim non est valdè notabilis interruptio, nec intervallum temporis notabile inter istas partes, censentur moraliter integrari, continuari, et efficere unam Missam: nec hujusmodi unitas impeditur per diversitatem celebrantium, cùm etiam unum reputetur sacrificium, si moriente sacerdote post hostiæ consecrationem, alter sacrificium perficiat. Ergo cùm ista lex sit pœnalis, non est amplianda, sed potiùs restringenda, ita ut impleatur in casu posito, saltem quoad substantiam; fatentur tamen esse peccatum veniale gravissimum, si fiat absque magnâ necessitate, maximè si interveniat inversio ordinis requisiti, ut priùs audiat posteriores partes Missæ, deinde priores. Ita Sotus, Major, Navarrus, Nugnus, Hurtado et alii.

Alii asserunt istum teneri ad audiendam alteram Missam integram, unius et ejusdem sacerdotis, eò quòd in nostro casu, non audit totam unam Missam, quia ex istis partibus nequit conflari unum totum, sicque non adimpletur præceptum, quod est de audiendâ unâ Missâ non interpolatâ. Adde quòd ex oppositâ sententiâ sequeretur fidelem posse simul et semel audiendo duas medietates Missæ in diversis altaribus et à sacerdotibus celebratæ, satisfacere, cùm non teneatur totam ab uno audire, simulque possit attendere ad duo. Quod tamen falsissimum esse constabit ex mox dicendis.

Utraque sententia reputatur probabilis. Quidam tamen isto modo distinguunt, nempe primam sententiam posse verificari de partibus solùm accidentalibus sacrificio, puta si quis veniret ad ecclesiam audiretque Missam in quâ tunc fit consecratio hostiæ, usque ad finem. Tunc iste posset supplere partes omissas, audiendo illas in alterâ Missâ usque ad consecrationem exclusivè; secùs dicendum de partibus essentialibus

sacrificio, puta si post consecrationem hostiæ recessit ab ecclesiâ, non satisfaceret postea audiendo in aliâ Missâ reliquas partes usque ad finem, ita ut in unâ parte Missæ contineatur consecratio, et in alterius Missæ parte hostiæ sumptio, et adhuc pejus se haberet, si priùs in unâ Missâ assisteret communioni, et supplere vellet assistendo consecrationi alterius Missæ. Ratio est quia ex iis medietatibus separatis, non constituitur unum moraliter sacrificium, perinde ac si aliquis sacerdos sumeret de corpore et sanguine Christi jam in aliâ Missâ ab alio consecrato, et denuò consecraret, sed non sumeret, utique non diceretur ex hâc duplici parte unum confici sacrificium integrum, quod in hoc consistit ut idem sacramentum priùs conficiatur, et postea consumatur, eademque victima plenè et perfectè per consecrationem et sumptionem sacrificetur, nec ista unitas consistit essentialiter in unitate ministri, sed in unitate morali ministerii jam dicti circa victimam : ideòque dùm sacerdos post consecrationem moritur, et alter Missam illam prosequitur, est unum integrum sacrificium, et fideles, qui ei assistunt, satisfaciunt præcepto. Secùs dicendum in casu proposito.

Innocens papa XI damnavit hanc quorumdam recentiorum opinionem : *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul audit à diversis celebrantibus.* Carét enim omni prorsùs probabilitate. Quia iste modus ridiculus audiendi Missam est contra Ecclesiæ intentionem, neque ex eo impletur præceptum sicut Ecclesia mandat et contra consuetudinem in illâ continuatam ac approbatam audiendi integram Missam successivè et distinctè quoad singulas partes, non verò simul et semel ac confusè nulloque servato ordine inter eas. Et tandem est contra reverentiam sacramento debitam, ut de se patet.

Probat Nugnus ratione à priori. Istud præceptum obligat ad Missam integram audiendum, ut habetur de Consecrat. dist. 1, can. *Missas.* Atqui iste fidelis non audiret Missam integram. Ergo non satisfacit præcepto. Probatur min. Illæ duæ aut quatuor partes Missæ simul et semel auditæ, neque in esse physico, neque in esse morali, conflant unam Missam integram. Ergo, etc. Probatur antecedens. contra rationem rei successivæ in esse physico et morali, est habere partes simul et semel eodemque tempore existens, ut de se patet. Atqui de ratione Missæ est, quòd sit successiva, ejusque auditio est actio successiva. Ergo ex illis partibus simul et semel auditis nequit conflari una integra Missa. Prob. min. Missa ejusque auditio habet veras partes physicè et moraliter ordinatas sibique succedentes, unam post aliam, proindeque illæ duæ aut quatuor partes in nostro casu non possunt reputari tanquàm partes unius Missæ etiam moraliter loquendo, sed tanquàm unica pars tantùm : perinde ac si aliquis homo haberet intellectum angelicum, ita ut posset attendere ad horas matutinas quas aliqui recitarent, et ad horas canonicas simul eodemque tempore ab aliis recitatas, et tunc ipse recitaret officium Vesperarum, satisfaceret suæ obligationi ritè persolvendi officium divinum, quod est absurdum.

Nec est eadem ratio quando fidelis diverso tempore audit unam Missæ medietatem et postea aliam alterius Missæ, quia in isto casu servatur veræ successionis ratio, duæque istæ medietates continuantur moraliter et efficiunt unam integram Missam : ad continuitatem quippe moralem non obstat aliqua parva interruptio.

Probatur tandem ex inconvenientibus quæ inde orirentur. Si enim præceptum impleri possit audiendo simul quatuor partes Missæ, ergo etiam audiendo octo aut decem simul eodem tempore : v. g., unus sacerdos incipit introitum Missæ, alius Evangelium, alius consecrationem, alter Pater noster, alter communionem, ita ut antequàm iste perveniat ad finem Missæ, unusquisque aliorum pervenerit ad locum alterius; sicque fidelis audire posset integram Missam in momento : atqui hoc est absurdum. Ergo et illud : unde sequitur, etc. Hinc quidam inferunt, eum qui duplicem Missam distinctè audire tenetur, non posse eas simul et semel eodemque tempore audire, dùm simul in duplici altari conjuncto etiam celebrantur. Sic enim posset etiam audire quinque, si altaria quinque forent ante illius conspectum; et unicâ præsentiâ ac attentione posset illis satisfacere, aliisque innumeris, quod de facili non videtur admittendum; adde quòd duo divini cultus debiti debent ut duo persolvi, et non confundi sub uno tempore et unâ actione.

An autem aliquis tempore quo Missam in festo audit, possit absque necessitate recitare horas canonicas, vel quascumque alias preces, ad quas ratione voti aut ordinis, aut pœnitentiæ injunctæ tenetur, ita ut simul et semel duplici obligationi satisfaciat? — Respondent communiter auctores, maximèque recentiores, affirmativè. Quia Missam qui audit, non tenetur ad verba sacerdotis attendere, sed sufficit quòd mente attendat ad Deum, et res divinas. Id autem rectè facere potest, recitando horas canonicas absque necessitate. Cajetanus tamen in Summâ, licet non damnet de peccato mortali istum recitantem horas canonicas, dicit eum malè facere, idque non esse usquequàque tutum primâ facie, et Nugnus existimat esse peccatum veniale, si fiat absque ullâ necessitate; quia licet ratio mox adducta probet impleri præceptum quoad substantiam, iste tamen agendi modus magnam arguit indecentiam, devotionis carentiam, et negligentiam erga divina redolet : signum quippe est, quòd non vult tanto tempore vacare divinis, et aliunde sufficiens est Missæ mysterium ut totus circa illud occupetur homo, et ad illud solùm attendere debeat. Sylvester verò id damnat de peccato mortali, quia scilicet ibi sunt duæ graves obligationes, quarum quælibet attentionem et devotionem etiam exteriorem requirit, nec potest esse exteriùs attentus Missæ, qui exteriùs est attentus officio, cùm unum aliud impediat. Item quia duo divini cultus debiti debent ut duo exsolvi, et non confundi sub eodem tempore, et unâ actione et attentione : ea-

que videtur esse mens Ecclesiæ, etc. Sylvestrum sequuntur Angelus, Rosella, Armilla (1).

Ille qui omisit audire Missam die ab Ecclesiâ præcepto, nequit satisfacere eam audiendo alterâ die, nec ad id tenetur, quia est onus diei affixum, nec potest præveniri aut retardari, neque suppleri in altero die.

§ 1. *De requisitis ad ritè implendum præceptum audiendi Missam diebus dominicis et festivis.*

Tria hæc requiruntur, nempe assistentia, seu præsentia corporalis et moralis, debita intentio obediendi Ecclesiæ, et attentio interior, saltem virtualis. De quibus sigillatim obiter agendum est.

Fideles inprimis ex vi hujus præcepti tenentur assistere Missæ, præsentiâ nedùm corporali, sed et morali, ac per se loquendo, in quantum in ipsis est et commodè fieri potest audire, vel saltem videre celebrantem : ad id tamen non tenentur absolutè, aliàs surdi, et cæci non implerent istud præceptum, neque ii qui audiunt Missam sacerdotis submissè loquentis, nec qui ob populi multitudinem in magnâ ecclesiâ distant ab altari, ita ut sacerdotem audire et videre nequeant. Intentio igitur Ecclesiæ, dùm præcipit fidelibus ut audiant Missam, est ut illi assistant, præsentes sint, Deo vacent, intersintque cum reverentiâ, ut sacrificium suâ præsentiâ honorent, et advertant tunc offerri; debent esse in Ecclesiâ, aut saltem in ejus atrio.

Præterea fideles debent audire Missam cum intentione saltem implicitâ et virtuali adimplendi præceptum Ecclesiæ, eique in hoc obediendi, et non habere voluntatem huic obligationi contrariam in repugnantem. Tunc enim satisfaciunt præcepto, etiamsi huic intentioni admisceatur aliqua prava voluntas et affectio, videndi amasiam, etc. Quia iste substantiam operis præcepti implet, si Missam audiat, et cavet peccatum omissionis Missæ, quamvis malo illo proposito ac sinistro animo peccet, sicut impletur præceptum, dùm immiscetur vana gloria cum auditione Missæ. Ita Sotus, Ledesma et alii. Hinc qui nolentes positivè audire Missam, detinentur ibi per vim, nullatenùs satisfaciunt præcepto, quia non habent intentionem obediendi Ecclesiæ, nec expressam et actualem, neque implicitam et virtualem; si tamen adducti ad Ecclesiam nolentes ac per vim, facerent de necessitate virtutem, ex quo ibi detinentur, mutarent propositum et intenderent audire Missam, ac obedire Ecclesiæ, tunc, licet antea graviter peccaverint ex malâ illâ voluntate, satisfaciunt tamen Ecclesiæ præcepto. Hinc qui habet quidem intentionem et devotionem audiendi Missam in die festo, eamque audit, non tamen habet voluntatem per eam adimplendi præceptum Ecclesiæ, sed tantùm per aliam, quam vult audire, per illam primam Missam non satisfacit præcepto, cùm habuerit voluntatem contrariam et repugnantem, et tenetur aliam audire, ita ut si non habeat propositum alteram audiendi, aut spem probabilem quòd illam de facto audiet, peccabit mortaliter. Ita Nugnus, Petrus Ledesma, qui citat D. Antoninum, Navarrum et Martinum de Ledesma. Hinc si aliquis manè surgens existimans non esse diem festum, neque cogitans de præcepto, audit Missam ex devotione tantùm cum debitis circumstantiis, postea cognoscens esse diem festum, an teneatur audire alteram Missam, non est certum. Nugnus ait istum casum esse dubium, et protestatur, quòd tunc ipse non auderet alteram Missam non audire. Ledesma et alii docent valdè probabile esse istum hominem ad id teneri, quia non apparet quòd habuerit intentionem etiam virtualem adimplendi Ecclesiæ præceptum, cùm ignoraret obligationem. Alii verò probabiliter negant, quia cùm non habuerit voluntatem positivè contrariam præcepto, censetur habuisse intentionem implicitam illud adimplendi, solùmque postea tenetur illam Missam auditam ad præceptum implendum referre.

Quidquid sit de hoc, iste casus differt à duobus jam relatis, quia iste homo ex quo non habuerit voluntatem contrariam, probabiliter autumare possumus, habuisse interpretativam adimplendi præceptum, quia omnis vir prudens et religiosus semper habet intentionem adimplendi præcepta, si occurrant. In dictis autem casibus homo habet formaliter et positivè intentionem contrariam præcepto.

Tertiò denique requiritur, non solùm quòd fideles tunc sint præsentes, nec in tali distantiâ ab altari, ut per se loquendo audire et videre non possint, nec attendere ad ministerium, quòd non sint occupati in aliâ re, quòd assistant sacrificio cum intentione satisfaciendi præcepto, sed etiam requiritur quòd habeant attentionem interiorem, saltem virtualem ad divina; illa namque Missæ auditio debet esse actus humanus deliberatus, virtuosus, religiosus, ad cultum Dei pertinens, sicque ad implendum istud præceptum non sufficit exterior attentio, sed etiam necessaria est interior, religiosa, ordinata ad cultum divinum, et ad vacandum Deo, et hunc actum interiorem indirectè præcipit Ecclesia ratione actûs exterioris, scilicet auditionis Missæ, tanquàm formam et perfectionem illius, utpotè necessariam ad hoc ut sit bonus et virtuosus ac religiosus. De hoc sacerdos fideles monet, dùm dicit : *Sursùm corda*, etc.

Itaque quilibet fidelis quantùm est ex parte suâ, debet esse ita dispositus ut vellet hujusmodi attentionem fore actualem; non tamen est necessaria quòd duret actualiter per totam Missam, cùm attentâ humanâ fragilitate, id sit impossibile, sed sufficit quòd duret virtualiter, quòd non distrahatur voluntariè per majorem, aut notabilem Missæ partem, quòd tunc non occupetur operibus exterioribus hujusmodi attentioni et reverentiæ contrariis, quòd non dormiat,

(1) Standum videtur sententiæ communiori, ob principia in tract. de Legibus statuta. Non decet quidem quòd quis sine rationabili causâ velit simul duabus legibus satisfacere; verùm, quùm illud nullibi prohibuerit Ecclesia, et solâ attentâ naturâ rerum nihil obstet quominùs eodem actu possimus simul varias virtutes colere, diversis mandatis obtemperare, dicendum est clericum posse simul audire Missam et horas breviarii persolvere. (Edit.)

non studeat, non tractet de negotiis, non colloquatur cum sociis : qui enim tenetur ad prosecutionem unius oppositorum, hoc ipso obligatur ad fugam alterius. Unde si quis per notabilem Missæ partem occupetur in his et similibus attentionem mentis impedientibus, mortaliter peccat, neque implet præceptum etiam quoad substantiam, quia attentio interior pertinet ad illius substantiam : si verò solummodò per levem Missæ partem distrahatur, aut loquatur, etc., peccat tantùm venialiter.

Servitores Missæ, seu ministri, præsertim solemnis, qui discurrunt aliquando per ecclesiam, aut vadunt in sacristiam, ad deferendum vinum aut aquam, aut thus, et alia hujusmodi quæ ministerio expediunt, intelliguntur interesse Missæ, etiam pro tempore illo, ut docent D. Antonin., Sylvester, Tabiena, Navarrus et alii communiter : quod Petrus de Ledesma dicit esse verum, quando servitores bonâ fide, sincerè, absque fraude procedunt, promptè se expediendo, et diligentiam adhibendo, ne remaneant in sacristiâ, aliove loco plusquàm opus est ac sufficit ad ministerium. Item debent præparare urceolos, calicem et alia quæ præveniri ac disponi poterant ante Missæ incœptionem, et non remittere ac differre ad tempus Missæ. Caveant à fortiori ne vanis colloquiis, voluntariis distractionibus, et occupationibus ad Missam non pertinentibus, præsentiam moralem et assistentiam debitam amittant; tunc enim non satisfacerent præcepto, ac sub lethali aliam Missam audire tenerentur.

Ex dictis hactenùs habetur quòd quilibet fidelis adultus sui compos, cujuscumque sit ætatis, sexûs, vel conditionis, peccat mortaliter si absque legitimâ causâ omittat integram Missam audire, etiamsi absque contemptu, ex solâ pigritiâ et negligentiâ id faciat in die festo. Quare Innocentius papa XI meritò damnavit hanc quorumdam recentiorum propositionem : *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Atqui præceptum servandi festa principaliter continet auditionem Missæ; ut enim ait D. Anton., in quibusdam casibus homines excusantur à violatione festi insistendo operibus servilibus, modò Missam audiant. Ergo omissio Missæ in die festo potest esse mortalis, etiam secluso scandalo et contemptu (1).

(1) Dubitatur ubinam Missam audire debeant fideles. Difficultas duplex est : 1° an Missa audienda sit in ecclesiâ, vel sufficiat ut audiatur in oratorio privato? 2° posito quòd audienda sit in ecclesiâ, an illa ecclesia debeat esse parochialis? Utrumque expendi potest jure communi et jure gallicano; incipiemus à jure communi.

Ad primum, dicendum videtur non satisfieri præcepto ecclesiastico per auditionem Missæ in oratorio privato, secluso casu privilegii. Ita olim statuerat jus commune cui non putamus fuisse derogatum per contrariam consuetudinem. (Vid. Benedictum XIV in lib. de *Synodo*, lib. 11, c. 14, n. 7). Existentiam juris communis probant plurima monumenta ab eruditis collecta; illud etiam supponit controversia quæ extitit inter regulares et parachos de Missâ parochiali; utrinque enim admittebatur fidelibus liberum non esse ubi voluerint Missam audire, sed disputabatur an Se-

§ 2. *Quænam sint causæ ab hoc præcepto excusantes.*

Conveniunt auctores quòd cùm istud præceptum sit ecclesiasticum, non obligat cum tanto rigore, et pia mater Ecclesia non intendit ad id filios suos ligare, habentes legitima impedimenta audiendi Missam, et veras ac necessarias causas excusantes.

Prima est censura; qui enim est excommunicatus, aut interdictus, etiam suâ culpâ, arcetur à divinis officiis, et ab auditione Missæ tam festivis quàm aliis diebus, neque peccat illam omittendo, nisi facilè posset obtinere absolutionem censuræ, et non vult eam petere, aut circa hoc negligenter se habet. Quia

des Apostolica, privilegiis religiosis concessis, eximeret laicos ab onere Missam audiendi in parochiâ. Quòd autem huic juri derogatum non sit per contrariam consuetudinem, deducitur ex ipsis privilegiis quæ identidem concedunt SS. Pontif. et restrictionibus appositis in textu; in eo quippe legitur quòd nolit pontifex ut famuli qui actu necessarii non sunt servitio domini privilegiati, et Missæ intersunt in illius oratorio, minimè liberi censeantur ab obligatione Missam audiendi in ecclesiâ diebus festis de præcepto. (Vid. Bullarium Bened. XIV, t. 13, p. 220, ed. Mechl.; Liguori, lib. 3, n. 318, 319.)

Ad secundum, satisfit obligationi à præcepto inductæ, Missam audiendo in ecclesiâ publicâ, quamvis non sit parochialis. Jure veteri multis SS. pontificum decretis confirmato cautum erat ut fideles Missam audirent in parochiali ecclesiâ Dominicis et diebus festivis : *His constitutionibus*, ait Bened. XIV, *derogatum nunc est, non solùm contrariâ consuetudine, verùm etiam posterioribus constitutionibus SS. pontificum.* Citat privilegia concessa regularibus à Leone X, Pio V, Clemente VIII. Hæc solam statuebant libertatem, rem divinam quâlibet die audiendi in ecclesiis regularium; sed occasione hujus libertatis paulatim introducta fuit consuetudo diversas ecclesias à parochiali adeundi, et tandem res eò devenit, ut integrum cuique fuerit in quâlibet ecclesiâ mysteriis adesse, modò non sit capella, seu oratorium privatum. Hinc fit, ut S. congregatio non semel expunxerit à statutis synodalibus præceptum quod episcopi fidelibus imponere tentaverant, adeundi ecclesiam parochialem pro auditione sacri. De Synodo, l. 11, cap. 14, n. 11. (Vide hanc quæstionem fusè tractatam apud Billuart, de Relig dissert. 6, art. 7.)

Hucusque dicta spectant jus commune; nunc, si attendatur ad consuetudines Ecclesiæ Gallicanæ, varia erit pro variis temporibus et locis decisio. Olim disciplina satis unanimis erat adigendi fideles ad Missam parochialem, saltem ex tribus Dominicis die unâ; hoc testantur libri rituales, et clerus Gallicanus, in suis comitiis anni 1700, condemnavit propositionem huic disciplinæ adversam. (V. Collet, Prælect. t. de Decalogo, cap. 3, n. 50.) Nunc illa disciplina in quibusdam diœcesibus in desuetudinem lapsa est, in aliis asservatur. Unusquisque consulere debet praxim communem locorum in quibus versatur, et in dubio pastores debent rem ad episcopum deferre, quia statuet prout expedire judicaverit... Non obstat huic quam afferimus disciplinæ jus commune supra expositum, quùm illud jus solâ consuetudine invectum, exceptis privilegiis regularium, in Galliis non fuerit introductum, ut testatur ipsemet clerus Gallicanus. Quòd igitur episcopi non possent in regionibus ubi fideles gaudent jure adeundi ecclesiam quam voluerint (non enim penès est episcopum privare suos subditos prærogativâ jure communi acquisitâ), hoc apud nos posse existimamus, attentis circumstantiis expositis.

Qui ab episcopo habent privilegium oratorii privati, attendere debent ad conditiones ei præfixas, ne transiliant limites gratiæ sibi concessæ. (Edit.)

tunc suâ culpâ non audit Missam, cùm facilè posset tollere ad hoc impedimenta, quod est medium per se ordinatum tunc ad Missæ auditionem; qui enim tenetur ad aliquem finem, pariter obligatur assumere media ad illum ordinata. Sic qui est excommunicatus in Paschate, et non vult sibi procurare absolutionem quantùmvis habeat opportunitatem, peccat contra præceptum confessionis et communionis annuæ, quod tunc temporis obligat. Item qui tempore interdicti habet privilegium audiendi Missam, tenetur ad eam audiendam, quia sublatum est respectu illius impedimentum, nec ampliùs arcetur ab eâ audiendâ, neque excusatur, cùm voluntariè eam omittat. Item excusantur fideles qui in die festo nequeunt aliam Missam audire, quàm sacerdotis publicè et nominatim excommunicati ac declarati: secùs dicendum, si non fuerit declaratus sed toleratus; idem dicendum de sacerdote notoriè concubinario, post concilium Constantiense.

Secunda est ignorantia invincibilis, præsertim facti, puta quòd sit festum tali die, vel ex inadvertentiâ inculpabili, aut oblivione naturali, omittitur auditio Missæ; ignorantia verò invincibilis juris, quòd nempe extet præceptum audiendi Missam in die festo, non videtur admittenda inter fideles, nisi fortè enutritos in sylvis, aut nisi circa pueros in principio usûs rationis. Si autem omissio Missæ procedat ex negligentiâ leviter culpabili, an excuset? puta dùm quis habens sincerum propositum in die festo audiendi Missam, sese ita alicui negotio aut operi applicat, ut obliviscatur illius, et dùm advertit, jam tempus est elapsum celebrationis Missæ? Quidam docent illam omissionem esse solùm venialem, si tale opus fuerit bonum: mortalem verò, si extiterit malum, ut ludere, etc. Alii verò docent, quòd opus illud non excusat, eò quòd sit bonum, sed præcisè ex hoc quòd reddat eam omissionem involuntariam, propter inadvertentiam, quam causavit, et quam prævidere aut præcavere non poterat, præsertim si tale est ut moraliter periculum probabile oblivionis præcepti non traheret. In his verò et similibus casibus ponderandæ sunt circumstantiæ et conditiones personarum: an temerariè, absque rationabili causâ, vel bonâ fide, animoque sincero procedant, ex motivo humanæ rationi consentaneo.

Tertia est impotentia, nam ad impossibile nemo tenetur. Sic qui in lecto decumbunt gravi infirmitate oppressi, aut compedibus detinentur in domo, aut carcere, nec possunt inde egredi ad veniendum in ecclesiam, excusantur ab auditione Missæ. Idem dicendum de detentione morali et civili, cùm egressus domûs est alicui interdictus sub juramento, et de superioris mandato habet eam pro carcere. Idem dicendum quando non est copia celebrantis in eo loco, nec in promptu est alia ecclesia nisi ita distans, ut fideles intra tempus celebrationis Missarum pervenire nequeant. Idem dicendum de iis qui supra mare navigant, nec celebratur Missa in navibus, longèque distant à terrâ, neque ad portum, aliumve locum ubi Missa celebretur, accedere valent; secùs dicendum de iis qui supra fluvium navigant, de quibus est eodem modo ac de itinerantibus ratiocinandum. Item quando ingruit pluvia, nix, aut tempestas, et torrentes inundaverunt, et aliunde ecclesia distat unâ aut duabus leucis, nec ad illam tunc fideles pedites pervenire valent, neque habent vecturam. Quanta autem locorum distantia sit necessaria ad excusandum ab auditione Missæ, non facilè determinari potest, sed ex circumstantiis personarum, temporum, viarum, et aeris, prudentis judicio hîc et nunc relinquitur discernendum.

Quarta est gravis et urgens necessitas publica aut privata, periculum mortis, infirmitatis, vel infamiæ notabilis, vel etiam magnæ jacturæ bonorum temporalium. Sic excusantur qui ardua habent negotia, quæ non possunt dimittere aut differre, absque magno detrimento, vel scandalo. Item convalescentes è gravi infirmitate, qui non possunt è domo egredi absque periculo relabendi, aut notabilem contrahendi debilitatem. Item qui ab inimicis quæritur ad necem, dummodò in contemptum Religionis non ei minitentur mortem si ad ecclesiam vadat. Item periculum incidendi in latrones, si per iter solus vadat; unde si socii nolint audire missam, nec illum expectare, non tenetur illam audire; maximè, si ignoret viam, utpote difficilem et periculosam, aut ab iis sociis sustentetur recipiatque itineris expensas: sola autem commoditas aut complacentia habendi istos socios, absque aliâ necessitate et causâ rationabili, non est ratio sufficiens, ut itinerans excusetur à præcepto audiendi Missam. Porrò in diebus festis iter facientes antequàm proficiscantur, si prævideant se in loco eâ die et horâ perventuros, ubi Missam audire non possint vel ob horam intempestivam, vel ob sacerdotum penuriam, tenentur audire Missam, nisi urgentissima necessitas aut valdè notabile detrimentum secùs suaderet; nempe sine morâ discedere ad non perdendum commoditatem navigandi vel operarios ad magni momenti negotium gerendum necessarios, aliaque hujusmodi, tunc occurrentia: et non solùm quando aliquis incipit iter suscipere in die festo, tenetur audire sacrum, nisi sit moraliter certus quòd inveniet Missam in loco ad quem eâ die est perventurus; sed etiam dùm iter continuat diebus festivis, nisi tunc rationibus mox allatis excusetur. Ad istud impedimentum reducitur etiam periculum infamiæ notabilis. Hinc excusantur ab auditione Missæ matres quæ puellas solas nequeunt in domo relinquere, nec ad ecclesiam ducere, sine detrimento castitatis illarum, unde ad eas custodiendas non possunt è domo egredi. Item excusatur puella gravida, quæ reputatur honesta et infamaretur, si tumefacto utero prodiret in publicum. Item excusantur viri et præsertim feminæ nobiles, non habentes decentem vestitum, secundùm proprium statum. Verùm in his duobus casibus, puella gravida et personæ nobiles, tenerentur audire Missam ante lucem, secretò, et dùm non est concursus populorum, si habeant talem opportunitatem. Item excusantur rustici existentes in villis, quorum unus necessariò remanere debet ad custodiendam villulam, dùm alii re-

cedunt et vadunt ad locum distantem audire Missam, ne latrones bona diriperent, etc.

Quinta est charitas et misericordia, puta si sit necessarium esse cum infirmo, nec est alius qui assistat; et sequitur grave damnum infirmi, si solus relinquatur; si præsertim extremâ ferè laboret infirmitate : tunc excusantur ab hoc præcepto qui ei ministrant. Item nutrices quæ infantes non possunt relinquere solos in domo, nec ad ecclesiam deferre absque gravi incommodo celebrantis, et adstantium molestiâ. Item sacerdos qui necessariò occuparetur in audiendâ confessione extremè decumbentis, dùm periculum est in morâ, nec postea haberet tempus celebrandi aut audiendi sacrum. Item potest mulier omittere auditionem Missæ, ne præbeat occasionem peccandi juveni petulanti, illius conspectui sese exhibendo, dùm id probabiliter timet, quamvis non teneatur clausa in domo eo tempore remanere.

Sexta est ratione officii justæque obedientiæ, Sic excusantur milites custodientes castra aut portas civitatis, quando sine periculo muneri suo deesse nequeunt. Item pastores, vectores mercium, cursores publici, et alii qui absque magno detrimento non possunt tunc ad Missam audiendam detineri. Item famuli, qui ut dominis suis obediant et inserviant, Missam audire nequeunt, nisi in contemptum fidei et Religionis illis præciperent, idque rarò admodùm, et non semper contingat, et ministerium sit adeò necessarium ac urgens, ut in alium diem et horam commodè nequeat differri : aliàs dominus hæc opera non necessaria præcipiendo peccat, et famuli semper ipsis obedire in his non debent, etiamsi inde timeant aliquam levem reprehensionem, convicia, et querelas parvi momenti, ipsisque consulendum, imò est injungendum à confessario, ut datâ opportunitate alium dominum quærant, istumque deserant.

Septima est usus communis et consuetudo recepta, à superioribus approbata aut tolerata. Sic excusantur mulieres, ubi est consuetudo, quòd post partum etiamsi convaluerint, abstinent per aliquot dies ab ingressu ecclesiæ et Missæ auditione. Item viduæ, quæ post mariti obitum à domo non exeunt ad honestam tristitiam et luctum ostendendum per octo dies. Non enim in his et similibus casibus prolongari debet tempus nisi ad summum per mensem pro nobilibus mulieribus, secùs verò pro aliis, præsertim rusticis, quæ ferè statim è domo exeunt propter alias necessitates et negotia, proindeque tunc tenentur audire Missam.

Monendi sunt qui ab audiendâ Missâ in die festo, propter aliquas ex his causis se dispensant, ut se ipsos probent et examinent, an de facto haberent bonam voluntatem, propositum et sincerum animum audiendi Missam, et de facto audivissent, si aliquod ex his impedimentis tunc non occurrisset, quodque non fuit voluntarium, nec quæsitum per fraudem aut vanam excusationem, et temerariam ac irrationabilem existimationem, quod sufficeret : hìc enim requiritur bona fides. Item perpendi debent conditiones et circumstantiæ personarum, locorum, temporum, rerum, negotiorum hìc et nunc occurrentium, et quandoque prudentis ac pii viri judicium est requirendum, ac juxta prudentiæ regulas procedendum.

Brevis dissertatio

DE PROFANATIONE REI SACRÆ

PER SIMONIAE PECCATUM.

Simonia non est minùs contra Religionem quàm transgressio sabbati : per eam siquidem irrogatur injuria rei sacræ, sicut per opera servilia in die festo sine legitimâ causâ exercita, violatur temporis sacri sanctitas, ideòque D. Thomas simoniam reposuit inter irreligiositates, 2-2, q. 100, et de eâ breviter hìc agimus.

Nomen simoniæ à Simone Mago acceptum est, de quo legitur Actor. 8, quòd obtulit Apostolis pecuniam ad spiritualem potestatem emendam, et postea vendendam, ut ostendit D. Thomas art. 1, ad 4, ex cap. *Salvator*, causâ 1, q. 3. Simonia tamen non est propriè hæresis, ut docet D. Thomas ibid. ad 1. Licet enim aliqui ante Simonem fuerint hoc vitio infecti, ut Giezi, Esaü, Balaam, etc., non tamen in eis reperta fuit integra ratio simoniæ, quia vel tantùm emerunt, aut solùm vendiderunt dona gratiæ, neque id contigit in lege gratiæ, aut in bonis illius, neque simul cum hæresi peccatum istud perpetrârunt, sicut Simon : ideòque congruentiùs ab illo tanquàm à primo auctore derivatur. Venditio autem Christi facta à Judâ, sacrilega quidem fuit, sed non simoniaca propriè et in rigore, fuitque potiùs traditor quàm venditor : nec enim accepit pretium pro Christi personâ, quasi eam venderet tanquàm si ejus dominium haberet, sed solùm pro actione quâ ostendebat Judæis locum et tempus opportunum quo illum capere possent ad occidendum.

Simonia definitur : *Irreligiositas per quam studiosâ voluntate emitur vel venditur aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Irreligiositas ponitur loco generis; convenit enim simonia cum cæteris vitiis Religioni contrariis ; addit liberam et deliberatam voluntatem subjiciendi res spirituales commutationi rei temporalis pretio æstimabilis, eamque intendere vel formaliter vel virtualiter debet simoniacus, seu non duci alio motivo et titulo honesto, puta gratitudinis, aut debitæ sustentationis, etc. Tandem intervenire debet emptio et venditio, quibus juxta D. Thomam hìc art. 1, ad 5, intelligitur ac comprehenditur omnis contractus non gratuitus, sed onerosus, ut locatio, permutatio, transactio, etc. Et per hæc simonia differt ab aliis speciebus irreligiositatis.

Igitur ad dignoscendum an actio aliqua sit simoniaca, attendendum est si tria hæc in illâ reperiantur. Primò, res spiritualis aut illi annexa, quæ est materia simoniæ. Secundò res temporalis et pretio æstimabilis. Tertiò deliberata voluntas eas ad invicem commutandi per pactionem et contractum onerosum. Ex quâ regulâ generali, omnes ferè casus particulares in istâ materiâ occurrentes facilè resolvi possunt, eamque

diligenter examinabimus postquàm simoniæ malitiam demonstraverimus.

Simonia communiter dividitur in *mentalem, conventionalem, et realem*, tanquàm in diversos status seu gradus ejusdem peccati ab invicem separabiles, seu quorum unus potest sine alio reperiri. Simonia purè mentalis constituit peccatum cordis, et consistit in voluntate, proposito et intentione emendi aut vendendi rem spiritualem, nec foris manifestatur aliquo pacto etiam tacito, et est absque operis externi consummatione; aliquando tamen potest esse conjuncta cum simoniâ conventionali sine reali, puta quando res non traditur, et aliquando cum reali sine conventionali, ut quando intentioni commutandi adjungitur rei traditio, sed non explicatur prava intentio.

Simonia conventionalis supponit mentalem et ex illâ oritur, additque pactum vel conventionem externam, saltem tacitam, commutandi rem spiritualem, sed id nondùm fuit ex utràque parte executioni mandatum, seu nihil adhuc fuit datum, nisi fortè ab uno contrahentium.

Simonia realis supponit mentalem et conventionalem, additque traditionem realem pretii et rei spiritualis, vel saltem dationem rei spiritualis credito pretio quod pro ipsâ datur.

Ad istas simonias reduci potest simonia confidentialis circa beneficia in confidentiam collata et accepta, quando scilicet sit expressa vel tacita conventio, ut ille cui resignatur beneficium, illud postea conferre teneatur alteri certæ personæ, aut ut sinat alium beneficii fructus percipere, vel ut aliud onus in favorem alterius subeat.

Dico primò simoniam esse peccatum mortale ex genere suo, ac de se intrinsecè malam et omni jure prohibitam; ita communiter auctores cum D. Thomâ hîc art. 1, et causâ 1, cap. penult., dicitur *omnia crimina in comparatione simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputari.*

Probat D. Thomas eam esse contra jus naturale, quia actus aliquis est malus ex genere eò quòd cadit super materiam indebitam, ut ostendit 1-2, q 18, art. 2. Res autem spiritualis est materia indebita emptionis et venditionis triplici ratione. Primò quidem, quia non potest aliquo pretio terreno compensari, sicut de sapientiâ dicitur Proverb. 3, quòd sit pretiosior cunctis opibus, etc., et ideò Petrus in ipsâ sui radice Simonis pravitatem condemnans dixit : *Pecunia tua tecum sit in verditionem, quoniam donum Dei existimâsti pecuniâ possideri.* Secundò, quia homo etiam prælatus Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator, juxta illud 1 ad Corinth. 4 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Tertiò quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuitâ Dei voluntate proveniunt, undè Dominus dicit Matth. 10 : *Gratis accepistis, gratis date.* Et ideò, aliquis emendo vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo et rebus divinis : propter quod peccat peccato irreligiositatis. Hactenùs D. Thomas. Adde quòd adhuc est contra ju titiam et charitatem non minùs quàm usura. Si ergo usura jure naturali sit illicita, eò quòd per eam vendatur quod est invendibile, eâdem ratione simonia erit contra jus naturale, cùm per eam alienetur res alterius, et pro pretio commutetur quod est invendibile.

Probatur insuper simoniam esse contra jus divinum positivum, ex illo Matth. 10 : *Gratis accepistis, gratis date*, ubi Christus Dominus loquitur imperativè et imponit præceptum, ut docent D. Hieronymus et alii sancti Patres, quos refert Suarez tom. 3 de Religione lib. 4, cap. 2, idemque convincitur ex dicto et facto Christi Matth. 21, et Joann. 2, ejicientis de templo vendentes, ut exponunt et interpretantur D. Hieronymus et Beda super Matth. D. Ambrosius super cap. 19 Lucæ, D. Chrysost. homil. 13 in Marcum, D. Thomas super cap. 2 Joannis, et alii sancti Patres, qui referuntur causâ 1, q. 3. Tandem id colligitur Actor. 8, ex reprehensione Simonis Magi factæ à D. Petro. In veteri etiam Testamento, reprehenditur Jeroboam 3 Reg. 13, quòd sacerdotes pecuniâ crearet. Idem Elizæus leprâ punivit Giezi, eò quòd acceperit pecuniam à Naaman ob miraculosam lepræ mundationem, ut dicitur 4 Reg. 5. Esaü vocatur profanus ab Apostolo ad Hebr. cap. 12, ob primogenituræ simoniacam venditionem. Tandem 2 Petri 2, item in Epist. Judæ reprehenditur Balaam de hoc crimine.

Reprobatur denique simonia passim in jure canonico, et speciali titulo, gravibusque pœnis jure ecclesiastico in fine hujus dissertationis referendis, punitur; et meritò quia istud crimen est perniciosissimum Ecclesiæ propter avaritiam, ambitionem, et rerum sacrarum vilipendium, quod quidem in parvâ etiam materiâ, gravem continet difformitatem et injuriam ac profanationem mortalem, ideòque non videtur admittenda parvitas materiæ in peccato simoniæ.

Dico secundò admittendam esse quamdam simoniam solo jure ecclesiastico prohibitam. Ita communiter auctores contra Durandum.

Explicatur conclusio. Ecclesia prohibere potest et de facto prohibuit sub peccato veræ ac propriæ simoniæ et sub variis pœnis, ne aliqua emantur et vendantur, non quidem efficiendo ea sacra, sed ob majorem reverentiam rerum sacrarum quibus sunt quodammodò connexa; talia sunt permutatio unius beneficii cum alio, nisi fiat de licentiâ papæ, ex cap. *Quæsitum*, cap. *Olim*, de rerum permutatione, et cap. *Cùm pridem*, cap. *Clerici*, de pactis. Idque rectè prohibuit ad vitandam negotiationem in beneficiis et majorem elongationem à simoniâ juri naturali et divino repugnante. Item resignatio beneficii propriâ auctoritate facta cum reservatione pensionis, cap. *Pactionem*, cap. *Accepimus*, de pactis, cap. *Quam pio*, 1, q. 2. Ecclesia damnavit ac prohibuit beneficiorum collationes, præsentationes, etc., cum pacto, modo, vel conditione, etc., tanquàm simoniam redolentes, quia cùm beneficia, temporalia bona annexa habeant, quæ multoties sunt imparia, permutatio, resignatio, etc., la-

tentis simoniæ periculo foret obnoxia, nisi vigil supremus Ecclesiæ Pastor id examinaret ac approbaret. Item officia sacristæ, œconomi, et alia temporalia Ecclesiæ, prohibentur vendi in cap. *Salvator*, 1, q. 3, et in eorum venditione committitur simonia jure ecclesiastico : habent enim sufficientem ordinem et connexionem cum rebus spiritualibus, ut in specie veræ simoniæ ab ecclesiâ constitui possint.

Prob. conclusio. Ecclesia potest suis legibus materiam aliquam constituere intra aliquam virtutis speciem ad quam antea non spectabat, illam prohibendo aut præcipiendo ex motivo, affinitate et honestate talis virtutis tanquàm necessariam ad illam; et tunc hujusmodi transgressio nedùm erit contra obedientiam, sed etiam contra illam virtutem. Ergo Ecclesia potest aliquam actionem emendi aut vendendi rem annexam rei sacræ, de se non simoniacam et non malam prohibere ut simoniacam, et intuitu Religionis tantùm, ob scilicet reverentiam rerum sacrarum; eamque invendibilem efficere, tanquàm quid necessarium ad honestatem virtutis Religionis, et reverentiam rei sacræ debitam conservandam : et tunc venditio et emptio erit verè ac propriè simoniaca, quantùmvis hoc non sufficiat ad simoniam contra jus naturale et divinum constituendam. Probatur antecedens variis exemplis : quando Ecclesia præcepit jejunium ex motivo temperantiæ, ille qui eo die facit duas comestiones moderatas, quamvis contra temperantiam ex hoc præcisè non agat, attamen transgressio præcepti jejunii, nedùm est contra obedientiam, sed et contra temperantiam, et tenetur de hoc in confessione se accusare, nempe de ipsâ materiâ in quâ fregit Ecclesiæ præceptum, declarando peccati speciem. Idemque dicendum de percussione clerici, quæ prohibita est ab Ecclesiâ ob reverentiam ordinis sacri. Item de effusione voluntariâ seminis, aut sanguinis in ecclesiâ, ob reverentiam loci sacri prohibitâ, quorum præceptorum transgressio est sacrilegium, quamvis aliàs materia hæc ad Religionem non pertineret : idque non provenit ex hoc quòd tale præceptum materiæ naturam mutet, sed quia Ecclesia illam ex tali motivo prohibens, intra lineam virtutis Religionis constituit : et sic transgresor non satisfaceret dicendo in confessione : Peccavi contra obedientiam, semel violavi præceptum Ecclesiæ; sed tenetur explicare in quâ materiâ illud fregit. Idemque dicendum de venditione hujusmodi officiorum et aliarum rerum spiritualibus annexarum ab Ecclesiâ prohibitâ. Ratio horum omnium est, quia in proposito concurrit duplex ratio obligandi: altera generica, altera verò specifica. Prima est illa quæ procedit ex præcepto superioris, abstrahendo ab hâc vel illâ materiâ virtutis. Secunda resultat ex conditione materiæ. Ut subjectæ illi præcepto, seu motivo superioris, qui illam constituit in tali specie virtutis. Quare ille qui vendit aut emit hujusmodi officia, ritè non se accusaret in confessione, solùm dicendo quòd peccavit contra obedientiam, sed tenetur declarare simoniam.

Confirmatur, simulque convellitur Durandi fundamentum. Quamvis enim Ecclesiæ prohibitio non mutaverit hujusmodi rerum materias in esse physico, eas ex corporalibus efficiendo spirituales in esse physico, et in se sacras, benè tamen in esse morali, efficiendo illas invendibiles ex motivo Religionis, ob scilicet majorem reverentiam rerum ecclesiasticarum. Nec est eadem ratio de prohibitione venditionis prædiorum et bonorum immobilium ecclesiasticorum : non enim prohibentur vendi et alienari ob reverentiam illis ac sanctitati ecclesiarum debitam, nec proinde ex motivo Religionis; sed duntaxat propter temporalem ecclesiarum utilitatem, ne scilicet si ea bona dissipentur, ministri sufficienti stipendio careant, et cultus divinus minuatur. Quamvis autem simonia strictissimè sumpta, quæ est contra jus naturale et divinum, consistat in emptione et venditione rerum quæ sunt in se essentialiter sacræ, ut sunt gratiæ gratis datæ et sacramenta, item in commutatione earum rerum quæ habent sanctitatem ex Ecclesiæ institutione, mediante aliquâ benedictione et consecratione, ut vasa sacra, etc., item in venditione earum rerum quæ habent sanctitatem ex beneplacito Ecclesiæ, non tamen per aliquam benedictionem, sed per conjunctionem et connexionem ad alias res sacras et spirituales, prout habent beneficia ecclesiastica cum ministerio sacro et titulo clericali : potest nihilominùs reperiri vera simonia solo jure canonico inducta in emptione rerum quas Ecclesia prohibet vendi ob reverentiam rerum ecclesiasticarum, et ex motivo religionis, ut sunt officia sacristæ, etc., prout mox explicatum est.

An autem omnes possint omnis simoniæ peccatum contrahere? — Respondetur affirmativè. Nam D. Thomas hìc art. 1, ad 7, ait, quòd *papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut et quilibet alius homo : peccatum enim tantò in aliquâ personâ est gravius, quantò majorem obtinet locum. Quamvis enim res Ecclesiæ sint ejus ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut dominii et possessoris : et ideò si reciperet pro aliquo spirituali pecuniam de reditibus ecclesiæ alicujus, non careret vitio simoniæ. Et similiter etiam posset simoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo laico, non de bonis Ecclesiæ.* Et in 4 Sent., dist. 25, q. 3, art. 3, ad 2, ait, quòd *opinio contraria est erronea : si enim papa pro aliquo spirituali munus acciperet, simoniam committeret sicut et alius homo; quia in ipso Petro, cui papa succedit, simoniæ vitium damnationem inchoavit in novo Testamento. Quamvis res Ecclesiæ sint aliquo modo papæ, non sunt tamen ejus omnibus modis habendi sicut illud quod ad manum habet. Non est autem dubium quòd simoniam committeret, si quis aliquid spirituale debitori suo daret, ut quod suum est recuperaret : et ita etiam in proposito papa à simoniâ non excusaretur, si quod absit, spiritualia pro temporalibus rebus ecclesiarum daret.*

Conveniunt omnes in hoc quòd papa simoniam contra jus naturale et divinum incurrere potest, sicut et alii homines, quia ipse ad præcepta juris naturalis et divini tenetur, sicut et cæteri, nec in eo dispensare potest. Conveniunt insuper, eum non ligari pœnis contra simoniacos in jure latis, cùm nullum agnoscat

superiorem in terris, qui eum punire valeat, et cogere. Difficultas solùm est, utrùm possit incurrere peccatum simoniæ solo jure ecclesiastico introductæ.

Plures affirmant, tum quia D. Thomas absolutè et absque limitatione asserit papam posse esse simoniacum, sicut quemlibet alium hominem : atqui alii homines in hujusmodi venditione sunt simoniaci, ergo etiam papa ; tum quia papa vendens hæc officia graviter peccat, eò quòd absque justâ causâ violet istud Ecclesiæ præceptum. Atqui non violatur, nisi per peccatum simoniæ. Ergo, etc. ; tum quia princeps subditur suis legibus quoad vim directivam,ut docet D. Thomas 1-2, q. 95, art. 5, et nos demonstravimus in tract. de Legibus. Jus enim naturale dictat principem debere conformari aliis, et pati legem quam cæteris imponit, quantùm potest ac decet. L. 1, tit. *Quod quisque juris;* et cap. *Cùm omnes*, de Constit., proindeque papa potest peccare contra jus canonicum. Sic frangendo jejunium absque rationabili causâ, committeret intemperantiæ peccatum ; celebrando absque vestibus sacris, incurreret sacrilegium, proindeque si vendat hujusmodi res, incurrit peccatum simoniæ ; tum denique quia Ecclesia prohibuit talium rerum venditionem ob religionis motivum, ob sanctitatem et reverentiam rerum ecclesiasticarum, ad vitandum periculum et suspicionem simoniæ et avaritiæ. Atqui eædem rationes militant, eademque inconvenientia reperiuntur in venditione factâ à pontifice, ut constat. Ergo, etc. Fatentur tamen aliquas esse res, quæ etiam juxta ipsos canones non concernunt papam, ut de non permutandis et resignandis beneficiis in confidentiâ, de pensione non imponendâ absque superioris consensu, etc.

Alii verò docent quòd, cùm papa sit supra omne jus positivum, potest validè ac licitè secluso scandalo secum et cum aliis dispensare, in hujusmodi venditione, ne sit simoniaca, et ne ille qui tunc cum ipso contrahit, incurrat pœnas jure ecclesiastico impositas ; expressus autem papæ consensus in illam venditionem, censetur saltem tacita relaxatio talium pœnarum : non enim verisimile est pontificem velle relinquere inhabilem ad consequendum ac retinendum id quod ipsi volens et sciens vendit, aut pœnis affici pro actione cujus ipse est causa vel saltem concausa.

Alii tandem asserunt pontificem ex justâ et rationabili causâ, pro gravi alicujus ecclesiæ necessitate, posse secum et cum aliis dispensare, licitèque vendere hujusmodi res : secùs dicendum quando non subest pia, justa et rationabilis causa in his dispensandi : tunc enim peccat et illi qui cum ipso contrahunt. Verùm de his alii judicent : in facto enim principis non debet de facili præsumi delictum, sed semper cum omni quâ par est reverentiâ et animi submissione est suscipiendum à subditis.

ARTICULUS PRIMUS.

De materiâ circa quam simonia committitur, seu de rebus spiritualibus, et illis annexis.

Cajetanus in Summâ, v. *Simonia*, ait quòd res spiritualis, in proposito denominatur à Spiritu sancto, ut est ratio vitæ spiritualis quâ in Christo vivimus, sentimus, intelligimus, et operamur ; talisque dicitur et per ordinem ad animæ salutem, quæ per antonomasiam vocatur spirituale bonum, quia est suprema participatio Spiritûs sancti, maximaque perfectio spiritûs creati : ideòque omnia dona, quæ ad hanc salutem per se et proximè ordinantur, singulari titulo spiritualia, vocantur sacra.

Res autem sunt sic spirituales et sacræ multis modis. Primò quædam sunt purè spirituales et supernaturales etiam secundùm suam substantiam, ut gratia sanctificans, virtutes infusæ, dona Spiritûs sancti, gratiæ gratis datæ, etc. Secundò quædam sunt spirituales effectivè, quia licet in se sint corporales, operantur tamen effectus spirituales, ut sunt sacramenta, ad quæ reducuntur sacramentalia, consecrationes virginum, benedictiones nubentium, Missæ, orationes vocales, aliæque hujusmodi rerum spiritualium causæ, quæ sunt quidem compositæ ex corporali et ex spirituali : formaliter tamen ac principaliter sunt spirituales. Tertiò quædam res sunt spirituales passivè, ut ita dicam, quia per se sunt ex spiritualibus causatæ, seu ex potestate et jurisdictione spirituali procedentes tanquàm effectus, vel operationes ad eam ordinatæ : ut dispensare in voto et matrimonio, absolvere à censuris, etc.

D. Thomas hìc art. 1, ad 6, ait quòd sicut anima vivit secundùm seipsam, corpus autem vivit ex unione animæ, ita etiam quædam sunt spiritualia secundùm se essentialiter, sicut sacramenta, etc., quædam verò sunt spiritualia ex hoc quòd talibus adhærent. Unde 1, q. 3, cap. *Si quis objecerit*, dicitur : Spiritualia sine corporalibus rebus non proficiunt, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit.

D. Thomas autem hìc art. 4, in corp., ait quòd aliquid potest esse annexum spiritualibus dupliciter, uno modo sicut ex spiritualibus dependens, et ea semper essentialiter supponens, ideòque dicitur cum illis *consequenter* connexum ; quomodò habere beneficia ecclesiastica, dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium clericale, unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus : sequuntur enim divina officia, pro quibus celebrandis instituta sunt beneficia ; et propter hoc ea nullo modo vendere licet ; quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici ; quædam verò sunt annexa spiritualibus, in quantum ad spiritualia ordinantur, et vocantur *antecedenter* illis annexa, quæ cùm ex naturâ suâ sint materialia, præcedunt rem sacram ad quam referuntur, cujusmodi sunt calices, vasa, vestimenta sacra, altaria ; quæ ordinantur ad sacramentorum usum, item jus patronatûs, quod ordinatur ad præsentandum clericos ad ecclesiastica beneficia, et alia hujusmodi, quæ non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt ; et ideò aliquo modo vendi possunt absque simoniâ, non tamen in quantum sunt spiritualibus annexa, et dummodò in eis æstimetur sola materia cum formâ artificiali, nullâ habitâ ratione benedictionis aut consecrationis Item

jus patronatûs per se vendi nequit, sed tamen in alium transfertur per venditionem prædii et bonorum temporalium quibus est annexum ; ita tamen ut non plus vendantur, quàm valerent, absque eo jure, c. *Si quis objecerit*, 1, q. 3. De his sigillatim agemus in sequentibus paragraphis.

§ 1. *Utrùm semper sit illicitum pro sacramentis pecuniam dare.*

In sacramentorum administratione, tria considerari possunt : Primò, ipsum sacramentum ; secundò, labor quem minister suscipit ad illud conferendum ; tertiò, stipendium illius sustentationis.

Conveniunt omnes auctores cum D. Thomâ hîc, art. 2, ipsa sacramenta, sicut et gratiam quam conferunt, non posse vendi ; sunt enim quædam supernaturalia sacra propter animæ salutem spiritualem instituta. Sicque accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratiâ, est crimen simoniæ, quod nullâ consuetudine excusari potest, quia consuetudo non præjudicat juri naturali vel divino. Et istud sacrilegium vocatur horribile cap. *Cum Ecclesiâ*, tit. *de Simoniâ*, multisque juribus reprobatur, caus. 1, q. 1. Idemque dicendum, si detur pretium pro materiâ proximâ sacramentorum ; ut pro ablutione, impositione manuum, consecratione, etc. Secùs verò si detur pro materiâ remotâ, ut pro aquâ, vino, pane, oleo, etc., ut docet D. Thomas art. 2, ad 1, quia hujusmodi materia est purè elementum corporale : potestas verò ad sacramenta administranda, et eorum administratio sunt res in se intrinsecè spirituales, ordinantur ad finem supernaturalem, et sunt causa gratiæ, donorum, etc. Addit tamen D. Thomas art. 2, in corp., quòd cùm sacramenta dispensentur per Ecclesiæ ministros, quos oportet à populo sustentari, juxta illud 1 ad Corinth. *Qui altari deserviunt, cum altari participant*, ideò accipere aliqua ad sustentationem eorum qui sacramenta Christi ministrant, secundùm ordinationes Ecclesiæ et consuetudines approbatas, non est simonia neque peccatum ; non enim sumitur tanquàm pretium mercedis, sed tanquàm stipendium necessitatis. Unde super illud primæ ad Timoth. 5 : *Qui benè præsunt presbyteri*, etc., dicit Glossa ex D. Aug., lib. de Pastoribus c. 2, desumpta : *Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Deo.* Excipiendum tamen est sacramentum ordinis ; in jure enim ecclesiastico, cap. *Nullus abbas*, cap. *Sicut episcopus*, caus. 1, q. 2, cap. *In ordinando*, quæ jura expressè fuerunt renovata à Trident, sess. 21, cap. 1, de Reformatione, vetitum est episcopis eorumque ministris quocumque titulo aut prætextu etiam sustentationis, vel etiamsi gratis offeratur, quidquam recipere pro ordinibus conferendis ; notarius verò episcopi, si salarium habeat assignatum, nihil recipere potest pro dimissoriis, aut sigillo concedendis, etiamsi gratis offeratur : si tamen non habeat salarium, cùm non debeat opes suas gratis præstare, potest tunc aliquid recipere per modum stipendii sustentationis, ubi hoc ex consuetudine habetur, dummodò decimam unius aurei partem non excedat, et omnes isti simoniam juris ecclesiasticici committunt, si aliquid accipiant.

Quoad operas, labores et functiones ministri, auctores communiter distinguunt duplicem laborem in rerum spiritualium functionibus et administrationibus, unum intrinsecum, alium extrinsecum. Intrinsecus est ille qui per se intrinsecè est ita necessariò conjunctus cum hujusmodi functionibus spiritualibus, ut sine illo nec validè, nec licitè, neque decenter exerceri queant : ut quòd sacerdos projiciat aquam super eum quem baptizat, quòd studeat et loquatur dùm concionatur, quòd si induat vestibus sacris, quòd procedat ad altare, quòd cæremonias servet dùm celebrat, etc. ; iste enim labor per se est omninò requisitus ad talem functionem sacram, prout hîc et nunc ab hominibus moraliter exercetur : labor verò extrinsecus est ille qui solùm per accidens est conjunctus cum ministerio sacro, ita ut possit sine illo validè, licitè ac decenter fieri, solùmque accidentaliter hîc et nunc illi annectatur ac requiratur ratione circumstantiarum loci, temporis, personarum, ut si sacerdos debeat conficere tres leucas ad celebrandum pro aliquo eum vocante, si ad Missam horâ tardâ et cum solemnitate cantandam obligetur, etc. His suppositis,

Dico ministrum posse absque simoniâ et peccato accipere aliquid temporale pro labore extrinseco : secùs verò pro labore intrinseco. Conclusio est communis inter auctores.

Prob. prima pars ex cap. *Charitatem*, 12, qu. 2, et cap. *Relatum*, eâdem quæst. Ratio est, quia cùm iste labor extrinsecus sit omninò temporalis, et solùm per accidens hîc et nunc annexus cum spirituali, est pretio æstimabilis ; et dùm locatur aut venditur, res sacra minimè subjicitur venditioni, nullaque illius ratio habetur, etiam ex intentione operantis, ut suppono, qui cùm aliunde ad illum non obligetur, ex officio, aut beneficio, aut stipendio, non tenetur illum præstare gratis in obsequium et gratiam alterius.

Prob. secunda pars, quia talis labor est pars necessaria rei spiritualis, et ita cum illâ connectitur, ut separari nequeant, ac unum moraliter censetur cum sacrâ functione ; ergo moraliter censetur vendere rem spiritualem, qui pro labore intrinseco illius pretium accipit : neque enim aliquid valet, vel æstimatur, vel proficit, nisi per ordinem ad spirituale. Ut autem dicitur cap. *Si quis objecerit*, 1, qu. 1, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit.

Possunt tamen ministri pro functionibus spiritualibus, et pro labore etiam intrinseco aliquid temporale exigere tanquàm stipendium sustentationis. Nam sicut operario merces debetur, ita et ministris qui in spiritualibus populo serviunt, debetur ex justitiâ stipendium, ut colligitur ex illo c. 10 Matth. et Lucæ 8 : *Dignus est operarius mercede suâ.* Item 2 ad Corinth. 9, Apostolus id probat variis exemplis, et D. Thomas hîc art. 3, et quodlibet 10, art. 6. Ratio est, quia ministri ad hoc sunt destinati, ut populo serviant in spiritualibus, indeque se privant facultate vacandi operibus

mechanicis, et negotiationibus quibus possent referre lucrum ad decentem sustentationem, idque in populi spirituale commodum, qui proinde tenetur et justitiâ illos sustentare, etiamsi aliunde ex patrimonio fuerint divites; ut enim ait Apostolus, nemo militat stipendiis propriis, et quod debetur ex justitiâ, reddendum est independenter à conditione personarum et absque respectu ad illas, ut in tractatu de Justitiâ, ubi agitur de rerum dominio fusè ostenditur : nempè beneficiarium etiam habentem pingue patrimonium, posse adhuc sumere ex fructibus beneficii necessaria ad decentem sustentationem. Possunt itaque ministri cogere laicos coram judice ad solvendum stipendium sustentationis quod pro suis functionibus ipsis debetur, si solvere renuant : cæterùm in hâc parte cavendum est omninò scandalum, nec plus exigendum quàm jam sit taxatum vel laudabili consuetudine statutum; aliàs committunt injustitiam, et ineurrunt obligationem restituendi.

Solvuntur argumenta quæ D. Thomas in hâc q. 100, art. 2 et 3, sibi objicit in contrarium circa Sacramenta in particulari.

Arguitur primò itaque : Pecuniam dare pro Baptismo, non videtur illicitum in aliquo casu, puta quando sacerdos puerum morientem sine pretio baptizare non vellet. Ergo non semper est illicitum emere vel vendere sacramenta. — Respondet D. Thomas, quòd *in casu necessitatis quilibet potest baptizare. Et quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum si sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset qui baptizaret. Unde ille qui gerit curam pueri, in tali casu licitè potest eum baptizare, vel à quocumque alio facere eum baptizari. Posset tamen licitè aquam à sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale. Si tamen esset adultus qui baptismum desideraret, et immineret mortis periculum, nec sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset per alium baptizari : quòd si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potiùs absque baptismo decedere : suppleretur enim ei ex baptismo flaminis, quod ei ex sacramento deesset.* Hactenùs D. Thomas. Verùm circa puerum moribundum, supponamus hunc casum, nempe tunc solum adesse ejus patrem, manibus truncum, vel voce carentem, neque alium posse habere ministrum quàm istum, qui non vult baptizare puerum absque pretio. Quid tunc agendum?

Conveniunt auctores, quòd si minister iste corruptus pretium exigeret in contemptum sacramenti et Religionis, omninò foret illicitum dare illi pecunias, sed potiùs sinendus esset puer mori absque baptismo, quia præceptum negativum de fide non negandâ, de rebus sacris non irreverenter tractandis, et de Deo non contemnendo positivè, semper ac pro semper obligat, ac in nullo casu illud potest esse licitum. Conveniunt insuper, quòd pater pueri posset tunc offerre pecuniam huic ministro, non quidem pro sacramento, nec tanquàm pretium illius, sed solùm ad tollendum istud impedimentum avaritiæ, ad eum inducendum ut debito modo administret sacramentum, etc. Dùm enim aliquis mihi injuriam infert, licitè possum illum justis minis terrere, proindeque et muneribus allicere ut ab eâ inferendâ cesset. Verùm si talis minister protestetur se nolle puerum baptizare, nisi ab ipso revera ematur baptismus, et nisi pater juret, se illi daturum pecunias pro sacramento et tanquàm pretium ejus, quid tunc agendum? Circa istum casum tres sunt auctorum sententiæ.

Prima asserit licitum esse tunc pecuniam dare non solùm pro redimendâ vexatione, sed etiam pro emendo sacramento, eò quòd existiment in casu extremæ necessitatis, non esse simoniacum emere sacramenta, quia emptio rei spiritualis est quidem intrinsecè mala : ita tamen ut quamvis ex objecto aut fine honestari nequeat, potest nihilominùs in aliquo speciali casu et ex aliquâ circumstantiâ, puta extremæ necessitatis spiritualis cohonestari, sicut accipere et retinere alienum, quamvis de se sit intrinsecè malum : in casu tamen extremæ necessitatis fit licitum, et cessat esse furtum; emptio autem rei spiritualis, non est magis intrinsecè mala quàm furtum, aut quàm occisio hominis facta à personâ privatâ ad justam suî defensionem.

Secunda asserit tunc licitum esse patri pueri vel alteri qui ejus curam habet, pecuniam offerre et dare ministro, non quidem eo fine et intentione ut sacramentum ab illo emat, sed ut vexationem redimat ac injuriam propulset, quantùmvis ab eo jurare coactus fuerit se illi daturum pecuniam tanquàm pretium sacramenti, quia salvatur semper intentio quam habuit dandi pecuniam ad redimendam vexationem, et non ad emendum sacramentum, ad quod noluit et non potuit sese obligare, utpotè in nullo prorsùs casu licitum. Sicut ergo quamvis sit intrinsecè malum exigere lucrum supra sortem præcisè ex vi mutui, tanquàm illius pretium; non tamen offerre aliquid supra sortem usurario paratissimo, et nolenti illud dare nisi sub usuris reduplicativè : mutuatarius enim ad sibi in necessitate subveniendum, mutuum isto modo petens et accipiens non peccat, neque censetur alterius peccato cooperari, sed illud duntaxat invitus permittere, ut ostensum est in quæst. de Mutuo et Usurâ : ita in nostro casu non peccat pater pueri, dans pecuniam pravo ministro ex rectâ intentione, excusante extremâ necessitate spirituali, quam non potest alio modo sublevare, nisi invitus permittendo actionem simoniacam ministri, solùmque petit ab eo id ad quod tunc tenetur, et quod absque peccato præstare posset, si vellet.

Tertia sententia asserit quòd emptio rei spiritualis est ita de se intrinsecè mala, ut in nullo prorsùs casu honestari valeat, neque ex objecto, fine, aut aliâ circumstantiâ, sicut perjurium, aut occisio innocentis, ob scilicet injuriam quæ tunc rei sacræ irrogatur, quæ est omninò invendibilis, nec existit sub dominio avari ministri, qui proindè eam vendens, est simoniacus, pariter et illam emens, cùm ista duo sint correlativa; et cùm juxta Apostolum ad Rom. 3, *non sint facienda mala ut eveniant bona*, satius est tunc puerum committere divinæ providentiæ, et de eâ confidendum quòd illi in hujusmodi necessitate constituto provide-

bit de idoneo ministro ad eum baptizandum; idque doctrinæ D. Thomæ videtur conformius. Adde quòd si in nostro casu non sit emptio sacramenti, pariter adultus, cui parochus injustè denegat administrare dùm decumbit nisi emat et pretium solvat, posset licitè illi pecuniam dare, non quidem intentione emendi sacramentum, sed redimendi suam vexationem, et ob eadem bona motiva quæ referuntur ab auctoribus secundæ sententiæ : eædem quippè rationes militant de uno ac de alio. Quod etsi quidam tanquàm licitum admittant, quia scilicet in hoc gravi periculo damnationis æternæ constitutus, urgentissimam habet causam negligendi peccatum mali ministri ; et quamvis per baptismum in voto absolutè salvari possit, forsan tamen existimabit se non habere veram contritionem, quæ est opus difficillimum.

Alii tamen communiter docent esse prorsùs illicitum, cum D. Thomâ hîc ; et hanc statuunt differentiam in proposito inter puerum et adultum, quòd puer est in extremâ necessitate spirituali absolutè simpliciter constitutus, cui aliter subveniri ejusque damnatio impediri nequit nisi per baptismum in re : secùs verò dicendum de adulto, qui per baptismum in voto et per contritionem salvari potest. Nec Deus ipsi denegabit auxilium efficax ad hoc, si instanter petat, prout D. Thomas hîc innuere videtur.

Exempla verò de furto, de usurario, et de occisione injusti aggressoris adducta ab auctoribus primæ et secundæ sententiæ, nihil probant contra tertiam. Ideò enim bona rapere in extremâ necessitate non est furtum, neque peccatum, quia in eo casu bona sunt communia, proindèque non rapitur alienum . atverò necessitas etiam extrema pueri, non reddit res sacras vendibiles, neque purgat et denudat venditionem ac emptionem à malitiâ intrinsecâ et ab irreverentiâ rebus sacris illatâ. Item malitia usuræ non provenit ex excellentiâ mutui aut lucri supra sortem, sed tota consistit in injustitiâ, quatenùs venditur id quod non est dignum pretio distincto, aut venditur duplici pretio, proindeque solummodò se tenet ex parte usurarii, nullatenùs verò ex parte mutuatarii, qui sibi injustitiam facere nequit, sed tantùm illam patitur, et permittit invitus : at verò malitia simoniæ provenit ex excellentiâ rei spiritualis, quæ est supra omne pretium, proindeque gravis ipsi irrogatur injuria, dùm venditioni et emptioni subjicitur : neque necessitas extrema ementis tollit hanc injuriam ac irreverentiam ; neque facit quòd possit cedere juri rei spiritualis, nempe quòd sit invendibilis : benè tamen mutuatarius potest cedere juri suo, ac bonis suis, et velle hanc injustitiam pati. Adde quòd cùm etiam in gravi necessitate licitum sit petere et accipere mutuum sub usuris ab usurario parato, licitum quoque foret in gravi etiam necessitate emere sacramentum à ministro simoniaco, quod tamen nullus admittit, sicque non valet paritas. Tandem justa suî defensio et moderata, est jure naturali licita, proindèque et occisio injusti aggressoris, quando invasus nequit aliter vitam suam defendere, nemmique injuriam facit, sed jure suo utitur. Atverò in nostro casu gravis fit injuria rebus sacris, undequàque ista commutatio proveniat.

Arguitur secundò : Maximum sacramentorum est Eucharistia, quæ in Missâ consecratur ; sed pro Missis cantandis, aliqui sacerdotes præbendam vel pecuniam accipiunt. Ergo multò magis licet alia sacramenta emere, aut vendere. — Resp. D. Thomas hîc ad 2, quòd *sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ ; hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis, ut dictum est.* Idemque dicendum de aliis sacerdotibus, nempe quòd pro Missis celebrandis possunt à petentibus eas stipendium recipere : non tamen duplex stipendium pro unâ Missâ, etiamsi petentes non dent sufficiens ad congruam sustentationem celebrantis, prout determinavit sacra Congregatio cardinalium concilii Trident. interpretum, auctoritate Urbani papæ VIII, anno 1625, et confirmavit Alexander papa VII, damnans istam quorumdam recentiorum propositionem : *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre ; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam cum juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Et in eodem decreto Urbani papæ VIII, prohibetur tanquàm damnabile lucrum, ne sacerdos qui stipendium pro Missâ suscipit, alteri celebrandam committat, reservatâ sibi parte ejusdem stipendii aut eleemosynæ ; idque confirmavit Alexander papa VII, damnans similem quorumdam recentiorum propositionem quæ est nona inter proscriptas ab illo (1).

Arguitur tertiò : Sacramentum pœnitentiæ præcipuè in absolutione consistit ; sed quidam absolventes ab excommunicatione pecuniam exigunt : ergo non semper illicitum est sacramentum emere, aut vendere. — Resp. D. Thomas ad 3, quòd *pecunia non exigitur ab eo qui absolvitur, quasi pretium absolutionis, hoc enim esset simoniacum, sed quasi culpa pœnæ præcedentis, pro quâ fuit excommunicatus.*

Arguitur quartò : Matrimonium est sacramentum ; sed quandoque datur pecunia pro matrimonio. Ergo, etc. — Resp. D. Thomas, ad sextum, quòd *quidam dicunt quòd pr matrimonio licitum est pecuniam dare, quia in eo non confertur gratia. Sed hoc non est usquequàque verum, et ideò aliter dicendum est, quòd matrimonium non solùm est Ecclesiæ sacramentum, sed etiam naturæ officium : et ideò dare pecuniam pro matrimonio in quantum est naturæ officium, licitum est : in quantum verò est Ecclesiæ sacramentum, est illicitum. Unde secundùm jura prohibetur ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur. Extra de Simoniâ, cap.* Cum Ecclesiæ.

Arguitur quintò : Consuetudo facit ut non sit peccatum id quod aliàs peccatum esset, sicut dicit August. lib. 22 contra Faustum, quòd habere plures uxores quando mos erat crimen non erat. Sed apud quosdam est consuetudo quòd in consecrationibus episcoporum, benedictioni-

(1) Quæ sit disciplina Ecclesiæ circa illud punctum infra explanabimus, ubi deventum fuerit ad tractatum de sacrificio Missæ. Edit.

bus abbatum, ordinationibus clericorum, pro chrismate, oleo sancto, et aliis ejusmodi aliquid detur. Ergo. — Resp. D. Thomas ad 4, quòd, sicut dictum est, *consuetudo non præjudicat juri naturali vel divino, quo simonia prohibetur : et ideò si aliqua exigantur ex consuetudine quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi vel vendendi, est manifestè simonia, et præcipuè si ab invito exiguntur : si verò exigantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est simonia, si tamen desit intentio emendi vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis observantiam, et præcipuè quando aliquis voluntariè solvit. In his tamen omnibus sollicitè cavendum est quod habet speciem simoniæ, vel cupiditatis juxta illud 1 ad Thessalon. ultimo : Ab omni specie mali abstinete vos.*

Ex dictis hactenùs infertur, quòd sicut actio quæ est de essentiâ sacramenti, nempe labor illi intrinsecè annexus vendi non potest absque simoniâ, ita neque usus materiæ sacramenti, quæ ad ejus substantiam attinet, v. g., usus chrismatis, aut olei sancti, quod ibi consumitur; item calicis consecrati, corporalium, etc.

§ 2. *Utrùm sacramentalia et actus ac functiones spirituales vendi possint absque simoniâ.*

Dico quòd pro sacramentalibus pretium recipere, sive pro ipsis, sive pro exercitio aut receptione illorum, est simonia juris divini et humani.

Probatur, quia sunt res intrinsecè spirituales, à potestate spirituali procedentes, et ad finem supernaturalem ordinatæ. Ut enim ait D. Thomas hìc art. 3, *sicut sacramenta dicuntur spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam, ita etiam quædam alia dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratiâ procedunt, et ad eam disponunt, quæ tamen per hominum ministerium exhibentur : et ideò vendere quod in illis est spirituale, aut emere, simoniacum est.*

Nec refert quòd sacramentalia habeant spritualitatem ex benedictione aut consecratione Ecclesiæ. Non refert, inquam; eâ enim suppositâ, verè sunt res spirituales et sacræ intrinsecè; proindeque illas cum re temporali commutare, est intrinsecè malum et simoniacum, sicut aqua benedicta, calix consecratus, et alia ejusmodi habent spiritualitatem ex Ecclesiæ benedictione; post eam tamen illa vendere, est simonia contra jus divinum : quemadmodùm imago licet sit depicta dependenter à voluntate artificis, hoc non impedit, quominùs semel depicta sit naturaliter repræsentativa prototypi : item licet taxatio pretii tritici sit à lege positivâ, hoc tamen supposito, contra jus naturale est, illud vendere ultra pretium illud legitimum. Idem dicendum est de functionibus ordinum, puta cantare solemniter Evangelium, servire Missæ, exercere officium acolyti, exorcistæ, etc., quia sunt actiones spirituales, à potestate spirituali procedentes, et ad finem spiritualem ordinatæ; idem dicendum de exequiis defunctorum, de sepulturâ, de processionibus publicis, de orationibus etiam privatis, etc.; pro his enim et similibus functionibus, nequit per modum pretii aliquid exigi.

Objicies : Ad impetranda orationum suffragia, pecunia datur sanctis viris. Item prædicatoribus etiam spiritualia seminantibus, temporalia debentur, juxta Apost. 1 ad Corinth. 9, celebrantibus etiam divinas laudes in officio ecclesiastico, et processiones facientibus aliquid datur; et quandoque annui reditus ad hoc assignantur. Ergo, etc. — Resp. D. Thomas hìc art. 3, ad 2, quòd *illi qui aant eleemosynas pauperibus ut orationum suffragia ab ipsis impetrent, non eo tenore dant, quasi intendentes orationes emere, sed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant ad hoc quòd pro eis gratis et ex charitate orent. Prædicantibus etiam temporalia debentur ad sustentationem ipsorum, non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde super illud 1 ad Timoth. 5 : « Qui benè præsunt presbyteri, etc., » dicit Glossa : « Necessitatis est accipere unde « vivitur; charitatis est præbere : non tamen venale est « Evangelium ut pro his prædicetur : si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio. » Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione officii divini sive pro vivis, sive pro mortuis, non quasi pretium sed quasi sustentationis stipendium; et eo etiam tenore pro processionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemosynæ accipiuntur. Si tamen hujusmodi fiant intercveniente pacto, aut etiam cum intentione eumptionis et venditionis, simoniacum esset : unde illicita esset ordinatio si in aliquâ ecclesiâ statueretur quòd non fieret processio in funere alicujus, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem, quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur quòd omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur, quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet speciem exactionis : secunda autem habet speciem gratuitæ recompensationis.* Hactenùs D. Thomas. Pro his itaque aliisque similibus functionibus aliquid potest recipi, non quidem per modum pretii, sed ratione laudabilis consuetudinis, per modum eleemosynæ, vel stipendii sustentationis, aut laboris extrinseci.

De jejunio et operibus misericordiæ, quidam dicunt quòd si ab aliquo offerantur pro alio, ea ordinante ad finem merè temporalem, ut scilicet obtineat sanitatem aut corporaliter adjuvetur, nullo prorsùs spirituali interveniente, tunc aliquid recipere non erit simonia, quia temporale illud est pretio æstimabile; secùs dicendum si interveniat spirituale, puta si offeras quod satisfactorium et impetratorium est, aut meritorium *de congruo* in illis actibus virtutum, ut eo mediante Deus conferat amico salutem animæ et corporis, cùm isto modo includant supernaturalitatem, et ex dono Dei gratuito procedant.

Objicies insuper : Scientia non est minùs spiritualis quàm potestas : sed pro usu scientiæ licitum est pecuniam accipere, sicut advocato licitum est vendere justum patrocinium, et medico consilium sanitatis, et magistro officium doctrinæ. Ergo pari ratione videtur quòd liceat prælato aliquid accipere pro usu spirituali

suæ potestatis, puta pro correctione, vel dispensatione vel aliquo ejusmodi. Respondet D. Thomas hîc art. 3, ad 3, quòd *ille cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad usum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispensatione, et etiam pro suâ sustentatione statuta stipendia habet ex reditibus Ecclesiæ. Et ideò si aliquid acciperet pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito officii suscepti impendere debet : sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ usum. Et propter hoc, non licet pro quàcumque dispensatione aliquid accipere; nec etiam pro hoc quòd vices suas committat, nec etiam pro hoc quòd subditos corrigat, vel à corrigendo desistat. Licet tamen ei recipere procurationes quando subditos visitat, non quasi pretium correctionis, sed quasi debitum stipendium Ille autem qui habet scientiam, et non suscepit cum hoc officium ex quo obligetur aliis usum scientiæ impendere, licitè potest suæ doctrinæ vel consilii pretium accipere, non quasi veritatem aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans. Si autem ex officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipsam vendere veritatem, unde graviter peccaret : sicut patet in illis qui instituuntur in aliquibus Ecclesiis ad docendum clericos Ecclesiæ, et alios pauperes, pro quo ab Ecclesiâ beneficium recipiunt, à quibus non licet eis aliquid accipere, nec ad hoc quòd doceant, nec ad hoc quòd aliqua festa faciant, vel prætermittant.* Hactenùs D. Thomas.

Vendere usum cujuscumque scientiæ naturalis, seu notititiam cujuscumque veritatis studio et industriâ naturali comparabilem, non est simonia, quia materia simoniæ sunt dona Spiritûs sancti, et res supernaturales ac sacræ. Sed istæ scientiæ quamvis sint spirituales, non habent aliquid supernaturalitatis, neque ad finem supernaturalem de se ordinantur, neque sunt dona gratis accepta, ut debeant aliis gratis communicari, sed studio ac labore comparantur. Quando autem D. Thomas ait quòd qui venderet ipsam veritatem, graviter peccaret, non intelligit de peccato simoniæ, sed alterius vitii : subdit enim S. doctor, quòd tunc aliquis censetur ipsam veritatem vendere, quando ex officio tenetur docere alios, et nihilominùs ab eis exigit pretium, quod sanè est tantùm peccare contra justitiam commutativam, et non contra religionem. Quamvis autem simoniacum sit vendere theologiæ infusæ usum, seu cognitiones divinitùs transmissas mysteriorum fidei et Scripturarum, utpotè interpretationes sermonum et Spiritûs sancti dona; item exigere pretium pro theologiâ acquisitâ aliis edocendâ seu propalandâ quantùm ad ista officia, nempe quantùm ad munus prædicandi, catechizandi per modum exhortationis ad movendum, dandi consilia ad conscientias pacandas et salvandam animam, Scripturas interpretandi ex dono gratiæ. Non tamen quantùm ad munus docendi, inferendo more scholastico conclusiones ex principiis per discursum naturalem, et interpretando Scripturas modo humano, ac instruendo intellectum alterius de cognitione hujusmodi veritatum. Ratio primi est quia quoad omnia illa munia, theologia habet aliquid supernaturalitatis formaliter, unde pro illis et pro eorum labore intrinseco nequit accipi pretium, sed duntaxat pro labore extrinseco, et pro stipendio sustentationis. Ratio verò secundi est, quia etsi theologia isto modo considerata radicalem quamdam supernaturalitatem includat, quatenùs scilicet ex mysteriis fidei ut ex principiis discurrit, formaliter tamen et secundùm essentiam, est naturalis studio humano comparata, et per discursum naturalem deducit ac cognoscit suas conclusiones et veritates. Neque per se intenditur et attenditur an moveat vel non ad effectus supernaturales piosque motus, sed solùm ad labores et sumptus, quibus doctor hanc scientiam sibi comparavit, ad labores quos in docendo sustinet, et ad utilitates et commoda quibus inde gaudent discipuli

Simonia est emere aut vendere actus jurisdictionis ad potestatem ecclesiasticam in foro conscientiæ spectantes, ut facultatem absolvendi à peccatis confessis, aut à censuris, aut dispensandi in foro interno, in votis, juramentis et fidelibus. Item simonia est emere aut vendere actus jurisdictionis ad potestatem ecclesiasticam pertinentes in foro externo, sive sint actus jurisdictionis gratiosæ, sive contentiosæ, ut pro dispensationibus votorum, pro relaxationibus juramentorum etiam in foro externo, pro absolutione à censuris, pro dispensationibus in legibus ecclesiasticis, in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii, etc., pro visitationibus, correctionibus, electionibus, collationibus et confirmationibus beneficiorum, et pro quocumque actu judicii ecclesiastici aliquid accipere per modum pretii, est simoniacum; quia tales actus procedunt à causâ spirituali, scilicet à potestate ecclesiasticâ, et ad finem spiritualem animarum ordinantur. Pro iis tamen functionibus, aliquando quid accipi potest per modum stipendii pro sustentatione, aut si gratiosè detur.

Verùm episcopi pro dispensationibus aliisve functionibus spiritualibus recensitis, non possunt aliquid accipere nedùm tanquàm pretium, sed nec etiam titulo stipendii et sustentationis : id enim ipsis prohibetur 1, q. 3, cap. *Ex multis*, et de simoniâ cap. *Jacobus*, aliisque juribus, illisque præcipitur ut omnia spiritualia, purè, sine onere et pacto conferant : idemque traditur à Trident., sess. 24, cap. 61, et sess. 25, de Reformatione, cap. 18. Ideòque non conferentes ea gratis, committunt simoniam, saltem jure positivo : imò et injustitiam, quia sufficientes et copiosos reditus habent ad onera sustentanda, ad alendos suos officiales, etc., solùmque possunt exigere procurationes pro visitatione Ecclesiarum. Possunt tamen pro dispensationibus aliquid eas petentibus imponere per modum pœnæ, aut compensationis, commutando scilicet votum, v. g., in eleemosynam pauperibus vel piis operibus applicandam; quomodò juxta stylum curiæ Romanæ pro dispensationibus in votis, in impedimentis matrimonii et in legibus ecclesiasticis exigitur pecunia, quia dispensationes sunt odiosæ, et sic oportet illas reddere difficiliores petentibus, exigendo ab eis pecunias, vel in pœnam vel in commutationes ad eleemosynas aut pia opera Pontifices tamen ritè

annatas pecuniarias exigunt et recipiunt, ab iis quibus conferunt provisiones beneficiorum, non quasi pro venditione et collatione; sic enim foret simonia juris divini, sed tantùm aliâ ratione, nempe pro pontificatûs oneribus sustentandis, quæ tanta sunt, tamque gravia, ut vix tot reditus et summæ sufficiant; ideòque potuit aliquid imponi supra reditus ac proventus beneficiorum, titulo charitativi subsidii, vel etiam pro hommagio et recognitione ejus supremi dominii in omnes mundi Ecclesias, sicut in lege veteri observabatur respectu summi sacerdotis, prout legitur Numerorum 18, vel ob alias justas causas.

§ 3. *Utrùm sit simoniacum aliquid exigere ab iis qui recipiuntur vel profitentur in Religione.*

Divus Thomas hìc art. 3, ad 4, brevissimè complexus est omnia quæ de istâ materiâ dici possunt. Ait enim, quòd *pro ingressu monasterii, non licet aliquid exigere, vel accipere tanquàm pretium:* esset enim simonia, ex jure naturali et divino; quia status religionis tam in ingressu seu sumptione habitûs, quàm in professione, est status perfectionis spiritualis, seu tendentia ad illam, et tunc homo Dei laudibus, obsequiis ac observantiis religiosis mancipatur ex amore Dei, eaque omnia ordinat ad finem supernaturalem, nempe animæ salutem et felicitatis æternæ consecutionem. Item foret simonia ex jure ecclesiastico, id enim damnatur in concil. Nicæno II, act. 8, can. 18; in Lateran. sub Alexandro III, can. 10, et in alio Lateran. sub Innocentio III, can. 64, et refertur tit. de Simoniâ, can. *Quoniam simoniaca.* Et in extravag. communi, primâ de simoniâ. Et de regularibus cap. *Non satis*, cap. *Cùm in Ecclesiâ*, et in aliis juribus.

Subdit autem S. doctor: *Licet tamen, si monasterium fuerit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes. Similiter etiam licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad monasterium ostendit largas eleemosynas faciendo, faciliùs in monasterio recipiatur, sicut etiam licitum est aliquem è converso provocare ad devotionem monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur in monasterii ingressum, licet non sit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingressu monasterii, ut habetur 1, quæst. 2, cap.* Quam pio. Hactenùs D. Thomas. Nulla itaque erit simonia si pro habitûs religiosi sumptione aut professione recipiatur aliquid non ex pacto tacito vel expresso, nec tanquàm pretium illius, sed tantùm per modum eleemosynæ ab ingrediente liberaliter et gratiosè monasterio collatæ: erit tamen simonia si timens non aliter recipi nisi dando aliquid, offerat se bona sua monasterio relicturum, eoque animo recipiatur, vel si minis terreatur, aliisque technis vexetur, quòd non admittetur ad professionem nisi saltem bonorum partem conventui cedat. Ita Sylvester, v. *Simonia*, q. 13, § 5, et D. Anton. 2 p. tit. 1, cap. 5, § 1, et alii, qui adhuc docent, quòd si aliquis inserviat religiosis propter promissionem sibi factam, quòd ipsum recipient, erit simonia, quando illa obsequia assumerentur ut pretium ingressûs. Secùs autem dicendum esset si nulla haberetur ratio circa religionis ingressum tanquàm circa pretium laborum; sed vel ob victum monasterio inservire vellet, vel ut ejus indoles meliùs probaretur, vel ob alias bonas rationes ab auctoribus allatas. Tandem ex verbis D. Thomæ habetur, quòd si monasterium fuerit tenue, aut præ paupertate insufficiens ad alendos religiosos, potest accipere ac exigere ab ingredientibus aut profitentibus aliquam pecuniam, non tanquàm pretium ingressûs, sed ut stipendium sustentationis illorum, dummodò ampliùs non exigatur quàm pro sustentatione religiosi per totam ejus vitam requiritur, sicque tunc solùm datur temporale pro temporali.

Tota difficultas est, an idem sit concedendum monasteriis prædivitibus tam virorum quàm monialium, ita ut sicut ipsis licitum est pro anno novitiatûs aliquid exigere ratione victûs et vestitûs, prout conceditur à Trident., sess. 25 de Reformat., cap. 16, sic non sit simoniacum aliquid exigere vel per modum dotis, vel per modum stipendii pro sustentatione religiosi per totam vitam. Prima sententia asserit monasterium opulentum non posse absque simoniæ peccato aliquid temporale exigere, vel accipere ex pacto, etiam pro sustentatione religiosi, et videtur esse D. Thomæ mens in 4 sent. dist. 25, q. 3, art. 2, quæst. 2, ad 7; et 2-2, loco citato, ut consideranti patebit. Idem docent D. Bonaventura, D. Raymundus et alii. Prob. 1° quia in cap. *Quoniam*, de simoniâ, pontifex reprehendit quasdam moniales, quæ paupertatis ficto prætextu pro sustentatione recipiendarum ad habitum, dotem exigebant. Item in 1 extravag. de simoniâ districtè prohibetur sub excommunicatione ne quid exigatur ab ingredientibus religionem ad quemcumque effectum et finem, exceptis iis quæ liberè spontèque, cessante quâcumque pactione, dare vel offerre voluerint. Ergo, etc.

Prob. 2° quia tunc illud temporale non censetur verè ac purè dari in sustentationem, cùm monasterium pingue illo subsidio minimè indigeat, sitque plusquàm sufficiens ad hujusmodi personas enutriendas. Ergo censetur saltem tacitè et virtualiter exigi pro ipso religionis ingressu, talisque pactio simoniam redolet.

Prob. 3° quia habere jus ad monasterii bona, est quid spirituale, sicut et jus ad beneficii reditus; ergo pariter simoniacum est aliquod pretium ab ingredientibus exigere pro tali jure; quemadmodùm episcopus foret simoniacus, si pecuniam exigeret ab aliquo pro jure quod accipit ex hoc quòd in numero beneficiariorum recipiatur et coaptetur. Verum quidem est quòd si persona recipienda ad habitum talis foret conditionis, quòd vel ob provectam ætatem, vel ob graves infirmitates habituales, vel ob ingenii tarditatem ac hebetudinem, aliasque rationes, prudenter timeatur ne onerosa monasterio futura sit, ita ut non solùm illi inservire non valeat, sed forsan indigebit quòd ei ab aliis serviatur cum notabili incommodo et sumptu,

tunc non videatur illicitum, pretium ab eâ exigere, non pro receptione ad habitum, sed duntaxat ad compensanda religionis onera et ad monasterium indemne servandum. Porrò taxatio facultatum temporalium monasterii extra quam minimè liceat aliquid exigere à recipiendis, non est determinata ad certam arctamque necessitatem et quantitatem, sed debet esse abundans, et quasi superexcedens. Nam Trident. sess. 25, cap. 3 de Regular. sic statuit: *In temporalibus monasteriorum facultatibus, eam ineundam esse rationem, ut monialium numerus commodè sustentari possit.*

Secunda sententia negat esse verè et propriè simoniam, etiamsi monasterium sit ditissimum; ita sentiunt ex nostris, Sotus, Sylvester, Torres, Arauxo, Candidus, et alii graves auctores.

Probatur primò, quia talis exactio et receptio pecuniæ titulo sustentationis religiosi est ejusdem rationis in monasterio divite ac in paupere, et versatur circa idem objectum; in utroque enim non apponitur pecunia tanquàm pretium receptionis ad statum religiosum, quod est quid spirituale, sed ut stipendium ad sustentationem personæ, quod est aliquid temporale; sicque temporale pro temporali et non pro spirituali commutatur: opulentia autem unius monasterii, rerum naturas non immutat; unde divus Thomas, et communiter auctores, docent quòd sacerdotes et beneficiarii, etiamsi fuerint ex patrimonio, vel ex beneficio, aut aliunde divites, possunt absque simoniâ stipendium sustentationis exigere pro Missis, aliisque functionibus quas liberè et absque debito, in gratiam aliorum exercent. Ergo hujusmodi exactio pecuniæ non est simonia de jure divino, quantùmvis monasterium sit ditissimum.

Probatur secundò, quòd nec etiam sit simoniaca de jure positivo et ecclesiastico: nam concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 16 de Reform., permittit etiam monasteriis divitibus, ut ab ingressuris aliquid recipere valeant pro victu, aliisque expensis tempore novitiatûs faciendis. Eadem autem est ratio de aliis temporibus, quia utrobique datur temporale pro temporali, et pro onere sustentandi religiosum. Præterea omnes canones à nobis adducti et adducendi, indiscriminatim loquuntur de omnibus monasteriis tam divitibus quàm pauperibus, ut consideranti patebit. Adde quòd si esset aliqua specialis prohibitio, jam abrogata est per longam consuetudinem contrariam ferè ubique introductam, præsertim circa moniales, superioribus videntibus, consentientibus, imò urgentibus ad solutionem dotis, etiam in monasteriis divitibus, idque justis de causis facientibus, ne scilicet monasteria, præsertim monialium, graventur nimis, et paulatim depauperentur in evidens ipsarum et religionis detrimentum.

Confirmatur, quia, ut jam dictum est, si recipiendus graves contraxerit ægritudines habituales, nulla erit simonia aliquid ab eo petere, ut compensentur onera religionis; atqui moniales intra cœnobii cancellos continuò reclusæ, ut plurimùm frequentes infirmitates contrahunt, multis indigent, nec sunt valdè idoneæ ad lucrandum et monasterii facultates augendas, prout faciunt religiosi, concionibus, stipendiis Missarum, eleemosynis, etc. Indeque videmus frequenter monasteria aliàs opulenta, his expensis, aliisve infortuniis ad tantam inopiam redacta, ut prælati quandoque moniales ex illis solvere, ac ad proprios parentes ibi nutriendas transferre coacti sint. Ergo, etc. Postquàm noster Arauxo pro hâc sententiâ rationes allatas proposuit, statim solvit argumenta in favorem primæ sententiæ adducta, concedendo quòd nihilominùs si monasterium opulentum, habensque sufficientissima bona ad sustentandos recipiendos, ab eis aliquid ex pacto exigat pro sustentatione, committit peccatum avaritiæ et simoniæ præsumptæ; quia non decet personas religiosas divitiis congregandis anhelare, sed parvo victu et vestitu esse contentas, juxta Apostoli sententiam 1 Timoth. 6: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Et cùm aliundè monasterium illo subsidio nullo modo indigeat, non modica præsumptio erit, quòd non pro sustentatione, sed pro ipsomet ingressu et receptione ad habitum, temporale subsidium accipiatur, et hoc modo intelligendus est D. Thomas, nempe quòd sit simonia præsumpta, non autem vera et realis.

Jura autem quæ afferuntur, solùm prohibent aliquid recipi pro ipso religionis ingressu: et dato quòd etiam prohibeant sustentationis stipendium, hujusmodi prohibitio jam est abrogata per contrariam consuetudinem, videntibus prælatis et consentientibus, ob bonas rationes. Nec est eadem ratio de bonis temporalibus monasteriorum, ac de reditibus beneficiorum; utpotè quæ ad sustentationem ministrorum ab Ecclesiâ sunt applicata: alia verò ab ipsis religiosis, ut in plurimum propriâ industriâ, et labore sunt acquisita, vel certè à fidelibus gratiosè illis donata, ut qui in monasterio degunt, commodè vivere, Deoque sine distractione inservire valeant. Et hæc sunt quæ pro utrâque sententiâ stabiliendâ adduci solent; si tamen mihi liceat quid circa hoc sententiam explicare, videtur mihi dicendum hujusmodi conventiones et pactiones à monasteriis opulentis factas non vacare scandalo, neque peccato, non solum avaritiæ, sed et simoniæ: præsertim circa monialium pinguissimas dotes longè excedentes sumptus sustentationis et necessitatum ipsarum, ac contributiones communes; ut dùm exigitur à postulante pro dote summa quatuor aut quinque millium librarum, quæ efficiunt annuam pensionem trecentarum librarum, cùm tamen ducentæ plusquàm sufficiant ad monialem decenter sustentandam. Per abusum siquidem et corruptelam intolerabilem introductum videmus quòd monasteria quò sunt opulentiora, eò pinguiores dotes à postulantibus requirunt, quasi status et ingressus religionis in eo conventu ipsis venderetur. Itaque moniales hujusmodi conventuum opulentissimorum videntur postulantes recipere tantùm propter pecuniam taxatam, ac conventam, cùm etiam ineptas recipiant, dummodò pinguissimam dotem secum afferant; alias verò idoneas, et à Deo vocatas nullatenùs admittant, si de dote conventâ, et apud ipsas statutâ obolus deficiat.

Et hoc est quod D. Thomas, doctores et jura reprobant; inde meritò concilium Trident. sess. 25, cap. 3 de Reform. regul. statuit, ut *in monasteriis et domibus tam virorum quàm feminarum, is tantùm numerus constituatur et conservetur, qui ex propriis reditibus monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possit.* Et consequenter ad impediendum ne de cætero fiant pacta de alimentis aut dote in receptione novitiorum: quamvis enim concilium id expressè non prohibuerit, evidenter tamen sequitur ex illius decreto. Neque valet consuetudo contraria, quam Urbanus IV dicit potiùs esse corruptelam, et quæ rejicitur in cap. *Veniens*, de Simoniâ, et cap. *Cùm in Ecclesiæ corpore*, sic decernitur: *Putant plures ex hoc licere, quia legem mortis de longâ invaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes quòd tantò graviora sunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam.*

§ 4. *Utrùm sit licitum pecuniam accipere pro his quæ sunt spiritualibus annexa.*

Recolendum est ex dictis quòd res temporales possunt esse dupliciter spiritualibus annexæ, quædam antecedenter, quædam verò consequenter, ut docet D. Thomas hîc art. 4, et in 4 sent., d. 25, q. 3, art. 2, q. 3, ad 4, ubi ponit hoc discrimen inter illas, quòd in temporalibus consequenter annexis spiritualibus, spirituale est prius et principale; temporale verò posterius et accessorium, nihilque æstimatur nisi per ordinem ad spirituale, proindeque nisi ab illo separetur, vendi nequit, illo non vendito, ut sunt beneficia ecclesiastica: et de his verificatur regula tradita in canone, *Si quis objecerit*, 2, q. 3, videlicet: *Qui vendit id quod sine alio subsistere non potest, neutrum invenditum relinquit;* in aliis verò antecedenter annexis, temporale est prius et principale: spirituale verò posterius, minùs principale, et quasi accessorium illius, ut sunt calices, vestimenta sacra, etc. De primis loquens D. Thomas ait: *Hujusmodi nullomodò possunt esse sine spiritualibus; et propter hoc ea nullomodò vendere licet, quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici.* De secundis verò dicit, quòd *aliquo modo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa*, ubi S. doctor declarat calices, vestimenta sacra non posse vendi, aut secundùm spiritualitatem, aut secundùm quòd sunt annexa spiritualibus, sed aliquo modo; id est, secundùm temporale quod habent antecedenter ad spirituale (1).

Igitur res temporales quæ ante consecrationem, vel benedictionem habent valorem intrinsecum, ut calix consecratus, imago benedicta, reliquiæ argento aut auro ornatæ, ecclesia consecrata, et alia hujusmodi, possunt ratione valoris intrinseci quem de se habent vendi absque simoniâ, dummodò non plùs vendantur ratione consecrationis aut benedictionis: non enim per consecrationem amittunt hujusmodi valorem; ergo, sicut ante illam poterant vendi, ita et post illam, nullâ habitâ ratione omnis quem habent ad spiritualia, ut docet D. Thomas hîc art. 4 ad 1. Et ad 2 dicit quòd earum rerum materia vendi potest pro necessitate Ecclesiæ et pauperum. Unde si ad usus sacros, et præcipuè ecclesiasticis personis vendendæ sint, nullumque immineat periculum quòd emptor faciet eas usibus humanis deservire, integræ vendi poterunt juxta valorem quem habent ratione materiæ et formæ artificialis. Si verò vendantur aliis et ad usus profanos, tunc præmissâ oratione, priùs confringi debent, quia post confractionem, non intelliguntur esse vasa consecrata, sed purum metallum: unde si ex eâdem materiâ similia vasa integrarentur, iterùm consecrari indigerent. Et in hoc differunt ab actionibus sacramentalibus seu confectivis sacramentorum, et consecrativis vasorum, à prædicatione verbi divini, ab horarum canonicarum recitatione, et similibus; quòd istæ intrinsecè et secundùm suas entitates sunt spirituales, utpote materiæ sacramentorum, vel sacramentalium, vel actus virtutum: illæ verò neque secundùm suas entitates intrinsecè fiunt spirituales, neque sunt ita spiritualibus annexæ, ut suam temporalitatem amittant.

Inter hujusmodi res temporales antecedenter spiritualibus annexas, D. Thomas hîc art. 4, reponit jus patronatûs, quod Ecclesia patronis concessit præsentandi ad aliqua beneficia, quod quidem vendi non potest secundùm se consideratum; absque simoniâ tamen transfertur ad emptorem prædii, aut villæ cui annectitur. Hinc fit esse simoniam quando jus patronatûs transit ad alium per prædium ab eo emptum si pluris vendatur ratione illius juris, ut dictum est de calice. Unde in nullo humano contractu oneroso, vel solutione, aut compensatione rei temporalis haberi potest ratio augendi illius pretium ratione juris patronatûs. Sic non licet habenti jus patronatûs illud dare in solutionem debiti temporalis: nec potest unus hæres alteri jus patronatûs cedere in compensationem majoris portionis quam accepit, neque dare in feudum, aliòve contractu oneroso distrahere absque simoniâ saltem de jure ecclesiastico, ut constat ex cap. *Præterea, de Jure patronatûs.* An autem sit etiam simoniacum de jure divino, sitque jus ex se spirituale, quidam affirmant, alii verò negant: potest tamen ab uno in alterum transferri jure hæreditario, non solùm ad hæredes necessarios, sed etiam voluntarios, quamvis non sint consanguinei: jura enim absolutè loquuntur. Item transferri potest per liberam donationem, idque propriâ auctoritate, ut patet ex cap. *Unico, de Jure patronatûs*, in 6, cap. *Cura, de Jure patronatûs.* Tandem transferri potest cum re venditâ, cui est affixum, sive transferatur per ejus venditionem, dummodò non plùs vendatur ratione illius juris, sive per donationem illius prædii, eò quòd accessorium sequatur principale cui adhæret: jus patronatûs autem se habet tanquàm accessorium ad rem vel locum cui est affixum.

Inter hujusmodi res D. Thomas hîc art. 4, ad 3,

(1) Hæc sunt sumenda, secluso speciali jure positivo; nam quædam minoris valoris, ut S. chrisma, sacrum oleum, alia hujusmodi vendere prohibitum fuit ab Ecclesiâ, ne res sacra cum temporali venderetur.

reponit locum sepulturæ, et jus quod aliquis habet ut sepeliatur in loco sacro, aut religioso, quia hujusmodi loca ad hoc deputata per quamdam consecrationem, ve benedictionem Ecclesiæ, sunt illi annexa antecedenter, cùm consecratio aut benedictio illi terræ superveniat. Unde non possunt quidem vendi habito respectu et ordine ad benedictionem, benè tamen habito respectu ad locum materialem, qui secundùm se est pretio æstimabilis. Jure tamen ecclesiastico in cap. *Abolendæ*, *de Sepulturis*, et cap. *Audivimus*, et cap. *Cùm in Ecclesiâ*, *de Simoniâ*, prohibita est venditio terræ sacræ, seu benedictæ ad usum sepulturæ; proindeque talis venditio, aut locatio censetur simoniaca jure positivo.

Quidàm docent quòd poterit nihilominùs aliquis accipere pretium si se obliget ad non admittendos alios in loco sepulturæ in Ecclesiâ cujus curam habet, ab eo qui vult illius jus possidere, quia hujusmodi obligatio est temporalis, pretio æstimabilis, et se habet per modum laboris extrinseci et accidentalis. Et in isto casu non venditur neque locatur terra, aut locus sacer, sed obligatio ut nullus alius ibi sepeliatur præter illum qui offert pecuniam pro acquirendo hujusmodi jure, idque patet ex usu communi. Ita tenet Arauxo.

Dices : Abraham emit ab Ephron speluncam duplicem ut habetur Gen. 23; et tamen nullam commisit simoniam; ergo, etc. Respondet D. Thomas hîc, art. 4, ad 3, quòd spelunca duplex quam Abraham emit in sepulturam, non habetur quòd erat terra consecrata ad sepeliendum, et ideò licebat Abrahæ terram illam emere ad usum sepulturæ, ut ibi institueret sepulcrum : sicut etiam nunc liceret emere aliquem agrum communem ad instituendum ibi cœmeterium, vel etiam ecclesiam. Tamen quia apud gentiles loca sepulturæ deputata, religiosa reputabantur, si Ephron pro loco sepulturæ intendit pretium accipere, peccavit vendens, licet Abraham non peccaverit emens, quia non intendebat emere nisi terram communem. Licet enim etiam nunc terram ubi quondam fuit ecclesia, vendere, aut emere in casu necessitatis, sicut et de materiâ sacrorum vasorum dictum est. Vel excusatur Abraham quia in hoc redemit suam vexationem; quamvis enim Ephron gratis ei sepulturam offerret, perpendit tamen Abraham, quòd gratis recipere sine ejus offensâ non posset. Hæc D. Thomas.

§ 5. *Utrùm vendere aut emere beneficia ecclesiastica sit simonia de jure divino.*

Sub nomine beneficii comprehenduntur episcopatus, abbatiæ, prioratus, dignitates et parochiæ : ad illud etiam spectant quodammodò commendæ, præstimonia, pensiones, et alia hujusmodi quæ maximam habent cum beneficiis affinitatem. Prælaturæ tamen regulares in quibus solùm datur jus ad ministeria spiritualia, puta curam animarùm, habentque jurisdictionem spiritualem absque ullo jure ad fructus, non sunt propriè beneficia ; eas tamen pretio comparare est simoniacum. Beneficium definitur : *Titulus, seu jus ecclesiasticum ad spiritualia munera exercenda ordinatum, cum jure eo titulo recipiendi aliqua temporalia emolumenta.* Sicque in beneficiis ecclesiasticis duo jura includuntur, nimirùm jus ministrandi spiritualia, quod dicitur officium, quia est quid onerosum : et jus percipiendi temporalia emolumenta propter administrationem spiritualium, quod dicitur præbenda, et ex utroque jure conflatur et dicitur beneficium. Conveniunt auctores esse simoniam de jure divino, vendere beneficium propter officium, seu jus ministrandi spiritualia, quia jus illud et titulus sunt quid spirituale, proindeque omninò jure naturali et divino invendibile, neque summum pontificem in hoc posse dispensare. Conveniunt similiter beneficia esse jure divino invendibilia, etiam secundùm posterius jus percipiendi temporalia emolumenta, si consideretur ut conjunctum cum priori et per respectum ad illud, quia sic est quid spirituale. Tota difficultas est an possint separari saltem per intentionem vendentis et ementis, ita ut feratur in jus temporale præcisè, nullatenùs verò in spirituale : et licet vendens utrumque conferat ementi, unum tamen gratis, aliud verò pretio tradere valeat absque simoniâ, prout jam dictum est de calice consecrato.

Conveniunt pariter auctores quòd vendere beneficia ecclesiastica, etiam intuitu solius temporalis emolumenti est simonia contra jus ecclesiasticum; prohibetur enim in cap. *Super eo*, de Transactionibus. Et cap. *Querelam*. Et cap. *Tua nos*, de Simoniâ, et causâ 1, per totam quæstionem 3. An autem sit simonia jure divino quoque prohibita, negant canonistæ et quidam theologi. Affirmant verò D. Thomas hîc art. 4, Cajetanus, Victoria, Torres, Sotus, Ledesma, et alii ejus discipuli, cum quibus

Dico, vendere beneficia ecclesiastica, etiam intuitu solius temporalis emolumenti, esse simoniam contra jus naturale et divinum; proindeque non posse in hoc cadere summi pontificis dispensationem.

Probat 1° D. Thomas in *Sed contra* ex cap. *Si quis objecerit*, 1, q. 3, ubi Paschalis papa sic decernit : *Quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit.* Et habetur etiam cap. *Salvator*, 1, q. 3. Cujus sensus est quòd quando temporale sine spirituali haberi non potest, qui vendit temporale, vendit etiam spirituale : atqui jus beneficiale ad emolumenta temporalia, ita est essentialiter et indispensabiliter connexum cum jure ad officia ecclesiastica, ut nullo modo separari possit; nam jus illud ad temporale est essentialiter propter officium spirituale; ita ut si ab hoc respectu et ordine etiam per intentionem separetur, considerari nequeat ut jus beneficiale est, sed ut jus solùm ad illos fructus, quod fuit beneficiale; beneficium enim non potest esse sine titulo clericali spirituali : ergo beneficium quamdiù tale remanet, invendibile est jure divino etiam secundùm jus temporale, ut docet D. Thomas art. citato in corp. Confirmatur, nam beneficium per se essentialiter ordinatur ad spirituale officium juxta illud, beneficium datur propter officium, nec potest à præ

latis dari, nisi prout sic ordinatum ad spirituale officium et prout includit titulum clericalem, ac jus percipiendi fructus tanquàm stipendium officii : atque illud sic vendere est simonia contra jus naturale et divinum; ergo, etc.

Tandem Alexander papa VII damnavit istam recentiorum propositionem quæ est 22 inter proscriptas : *Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali quod tibi conferre non tenebatur.* Et à fortiori summus pontifex declarat esse, etiam contra religionem, et quid simoniacum.

Hinc colligitur esse simoniam contra jus divinum vendere beneficium, non solùm habens curam animarum, sed etiam si sit simplex : nam si in primo id nequeat fieri ob annexam curato beneficio potestatem ordinis et clavium, ita nec in secundo ob annexum titulum, et officium clericale, quod est spirituale, ideòque materia divinitùs vetita. Licet enim in spiritualibus sint diversi gradus, et potestas ordinis ac clavium sit sacratior clericali officio, sunt tamen utraque sub eodem spiritualium genere : non enim magis et minùs distinguunt speciem.

Objicies 1° : Beneficiorum divisionem et præbendarum assignationem esse juris positivi, ecclesiastici et non divini ; ergo ea vendere quoad emolumenta temporalia, non est simonia juris divini.

Respondet Cajetanus hoc sophisma esse non causæ ut causæ : nam dependentia titulorum à jure ecclesiastico non est causa illicitæ horum venditionis, sed ipsamet spiritualitas beneficii : res enim spirituales, quantùmvis à jure positivo dependeant, sunt tamen extra humanum commercium, nec vendi possunt nisi per simoniam ; tales sunt consecrationes altarium, Ecclesiarum , calicum, virginum, quæ sunt quidem juris positivi, sed non nisi simoniacè vendi possunt. Ad valorem igitur hujus argumenti necessarium esset probare titulum beneficii, jus ad ecclesiastica ministeria, et ad emolumenta, esse rem profanam et merè temporalem, non verò esse quid positivum.

Objicies 2° : Beneficiarius potest locare fructus beneficii ad certos annos, et id facere etiam posset ad totam vitam suam, stando injure divino, nisi obstaret jus canonicum, per bullam Pauli II et in Clement. I de rebus Ecclesiæ non alienandis. Atqui locatio, præsertim ad longissimum tempus facta, æquiparatur venditioni. Ergo, etc. Respondeo quòd quando beneficiarius locat aut conducit fructus beneficii, non locat jus beneficiale quod habet, nec illud transfert in conductorem, sed tantùm pro certâ pecuniâ dat illi vices suas, ut nomine suo habeat facultatem percipiendi fructus illos; et postea fieri potest vice successoris ad quem transit beneficium, et jus ad tales fructus, quod sine beneficio transferri non potest.

Objicies 3° : In calice consecrato potest vendi temporale sine spirituali ; ergo et in beneficiis. Respondeo negando consequentiam et paritatem. Constat enim ex dictis § præcedenti, articul. 1, quòd temporale annexum antecedenter spirituali, qualia sunt vasa sacra, potest vendi absque simoniâ, quia prius non dependet in suo valore à posteriori. Secùs dicendum in temporali annexo consequenter spirituali, et quod est illo posterius, ut in beneficiis ecclesiasticis, quia temporale jus in illis inclusum est medium ordinatum ad officium spirituale : medium autem ut tale vendi nequit, nisi simul vendatur ipse finis. Constat igitur quòd vendere beneficium est simonia de jure naturali et divino, proindeque quòd nullus prælatus potest in hoc dispensare, nisi priùs jus percipiendi fructus separet à clericali titulo, et jure ministrandi spiritualia, extinguendo spirituale officium, vel obligationem ad illud, proindeque destruendo beneficium, quod sine illo subsistere nequit, sicut homo sine animâ, aut nisi priùs separet partes fructûs illius, tribuendo unam beneficiario, et aliam alteri per modum pensionis, quæ sic separata à beneficio, erit merè temporalis : idque solùm papa efficere potest ex justâ causâ, cùm sit supremus omnium bonorum ecclesiasticorum dispensator.

§ 6. *Utrùm commendæ, præstimonia et pensiones absque simoniâ vendi, aut redimi possint.*

Commendæ sunt in duplici differentiâ : aliæ enim habent annexum ministerium spirituale, puta quando alicui commendatur seu committitur cura vel administratio alicujus Ecclesiæ cum talibus reditibus, ob quam administrationem ipsi fructus beneficii, secundùm totum, vel secundùm partem assignantur. Et istæ commendæ absque simoniâ vendi non possunt, quia jus illud percipiendi fructus est annexum titulo vel officio spirituali, quod est invendibile, sive sit in perpetuum, sive ad tempus. Unde talis commenda censetur esse beneficium ecclesiasticum, vel se habere ad instar illius; ergo sicut titulus est invendibilis, ita et jus percipiendi fructus. Aliæ verò sunt commendæ quæ nullum habent ministerium spirituale annexum, nec dantur titulo spirituali, sed omninò seculari, nimirùm ratione militiæ, etc. Et hæ vendi possunt absque simoniâ, non tamen absque peccato contra justitiam distributivam, nisi hoc fiat auctoritate pontificis ex rationabili causâ, v. g., applicando pretium ad majus bonum commune, quia pontifex est supremus distributor illarum, cæteri verò solùm dispensatores qui non possunt frustrare finem intentum à fundatoribus volentibus ut hujusmodi commendæ gratis darentur in remunerationem præliantium ad Ecclesiam et rempublicam christianam defendendam.

Præstimonia vendi nequeunt absque simoniâ, quia sunt beneficia quædam spiritualia ecclesiastica, utpote quædam jura solis clericis collata et perpetua ad aliquam portionem ecclesiasticorum redituum percipiendam, semperque conferuntur à prælatis cum eâdem solemnitate quâ cætera ecclesiastica beneficia conferri solent. Adde quòd B. Pius V in quodam motu proprio quem refert Navarrus in Manuali cap. 25, num. 122, decrevit quòd portiones præstimoniales sunt annexæ spirituali titulo; idemque

referunt Sotus, et Torres. Illud autem spirituale cui sunt annexi fructus præstimoniales, nihil aliud est quàm ordo clericalis cum obligatione recitandi divinum officium, ut probat noster Arauxo, et colligitur ex dictis.

Pensio est jus percipiendi partem fructuum alicujus beneficii, auctoritate pontificis consignatam; et est duplex : alia laicalis, alia clericalis. Prima datur ob ministerium aliquod temporale, nec petit in subjecto ordinem, ideòque indifferenter conceditur laicis et clericis, ut est illa quæ datur filiis magnatum ad defensionem Ecclesiæ; vel aliis secularibus pro officiis temporalibus : et de his pensionibus non est difficultas, cùm non habeant aliquam spiritualem annexam, neque sint beneficia ecclesiastica. Licet enim proveniant ex fructibus beneficii, hoc tamen non est illas esse annexas beneficio, sed potiùs assumi et separari à titulo beneficii, et quando dantur clericis, ordo clericalis per accidens contingit, nec se habet ut titulus, sed ut conditio personæ obtinentis pensionem.

Pensio clericalis exigit ordinem ex parte subjecti, et ad functiones spirituales confertur cum titulo et onere spirituali, proindeque solis clericis conceditur. Et hanc vendere est simonia de jure divino, cùm tam ex parte principii, quàm ex parte finis spiritualibus sit annexa, induatque rationem beneficii clericalis, seu instar illius computetur, eò quòd titulo spirituali, et ad officium spirituale detur. Et ad hanc reducitur pensio quæ datur parocho seni, qui per multos annos Ecclesiæ inservivit, et beneficium reliquit, ut scilicet inde congruè sustentari valeat, quamvis hujusmodi pensio dicatur mixta : datur enim illi propter functiones spirituales ante actas. Proinde est annexa titulo et ministerio spirituali, non quidem exhibendo, sed jam exhibito. Unde addi potest tertia pensio quæ dicitur mixta, quia licet ex parte subjecti exigat ordinem, saltem ut conditionem, datur tamen titulo omninò temporali, et ad functionem et finem temporalem et pro beneficio, non verò pro beneficii titulo, ut illa, quæ datur clerico pauperi ut alatur, aut quæ resignanti beneficium quod pacificè possidet, relinquitur, aut quæ ex ortâ lite circa beneficia alteri litigantium assignatur ob bonum pacis. Et has pensiones vendere non videtur esse simonia, saltem stando in solo jure divino et naturali, quia nihil spirituale continent.

Quotiescumque autem aliqua pensio est vendibilis, est etiam redimibilis sine simoniâ; et è contra quando est invendibilis ratione alicujus functionis spiritualis annexæ, ut pensiones clericales, est etiam irredimibilis absque pontificis auctoritate, quia redimere pensionem nihil aliud est quàm quòd beneficiarius det pensionario certam summam pecuniæ abundantiorem, ut se exoneret ab obligatione solvendi annualem partem. Aliquando conceditur ista pensionis annuæ redemptio per solutionem quinque annatarum, aliquando plurium.

Stando in novo jure constitutionis bullæ B. Pii V, quæ incipit *Ex proximo*, nulla pensio ecclesiastica vendi potest sine peccato simoniæ : eò quòd B. Pius V in illâ constitutione obliget omnes pensionarios habentes pensiones ex beneficiis Ecclesiæ assignatas quâcumque de causâ illas habeant, ut sint clerici, et ut officium parvum B. Virginis quotidiè persolvant, proindeque illas annectit titulo et officio spirituali, quâ supposità annexione, manent jure divino invendibiles, quamdiù per alterius pontificis voluntatem non fuerint à tali obligatione disjunctæ

Articulus II

De rebus temporalibus quæ sunt pretium rerum spiritualium, et concurrunt ad simoniam.

Postquàm D. Thomas hîc explicuit res spirituales quæ sunt materia simoniæ, proponit hîc art. 55, res temporales quæ habent rationem pretii in simoniâ, et quæ pecuniâ mensurari possunt, easque in tres classes dividit, nempe, in *munus à manu*, *munus ab obsequio*, *et munus à linguâ*, citatque Urbanum papam dicentem quòd quisquis res ecclesiasticas, non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel obsequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est, ut habetur 1, q. 3, capite *Salvator*. Dicit autem S. doctor quòd *nomine pecuniæ intelligitur cujuscumque pretium quod pecuniâ mensurari potest : manifestum est autem quòd obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari, unde pecuniariâ mercede ministri conducuntur. Et ideò idem est, quòd aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecuniâ datâ, vel promissâ, quia illud obsequium æstimari potest. Similiter etiam quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem quæ potest pecuniæ pretio æstimari; et ideò sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus à manu, ita etiam contrahitur per munus à linguâ, vel ab obsequio.* Hactenùs D. Thomas.

§ 1. *In quo explicantur hæc tria munera in particulari.*

Per munus à manu intelligit D. Thomas pecuniam, sive numeratam, sive promissam, sive parvam, sive magnam, quæ datur tanquàm pretium rei spiritualis. Et nomine pecuniæ comprehendit etiam omnes res temporales pretio æstimabiles; proindeque ad hoc munus à manu innumerâ ferè reducuntur, puta quando aliquis pro re spirituali debitum remittit aut se remissurum promittit, aut differt ejus solutionem, aut alium obligat ad mutuandum, aut anticipatè solvendum, aut ut constituat pensionem super beneficium quod confert, aliàs non collaturus, etc. Eaque ex pacto tacito vel expresso exiguntur.

Noster Arauxo ponit duas regulas generales ad dignoscendum quandonam hæc munera habent rationem pretii aut doni gratuiti. Prima est quòd quoties donum aliquod largitur principali intuitu accipiendi pro illo beneficium, aut è contra beneficium confertur propter donum acceptum, vel accipiendum, ibi simonia invenitur, quia tunc initur contractus oneresus, qui vel

est emptio explicita, vel implicita, vel emptioni æquivalens. Sufficit autem ad hujusmodi contractum non solùm intentio formalis quâ aliquis expressè et formaliter intendit dare vel recipere munus pro re spirituali, sed etiam virtualis quâ quis non expressè, sed implicitè intendit pro re spirituali munus dare vel accipere, qualis fuit casus qui habetur in cap. *Tua nos*, de Simoniâ, ubi pontifex loquens de illo qui Ecclesiæ cathedrali bona sua dederat, ut inter canonicos admitteretur, decernit quòd simoniaci erant tam iste quàm canonici admittentes, propter scilicet virtualem et implicitam hujusmodi intentionem. Hujus autem pravæ intentionis ordinariè signum est, quando non intervenit aliquis ex justis titulis assignatis et assignandis. Secunda regula est quòd munus à manu censetur dari gratis quandò conceditur ex benevolentiâ et amicitiâ, et sine ullâ intentione obligandi recipientem. Tunc enim non constituit collationem beneficii simoniacam, sive detur ante, sive post illam, prout habetur in cap. *Quam pio*, et in cap. *Sicut episcopus*, 2, q. 2, et in cap. *Placuit*, 1, q. 1. Censetur etiam gratuita donatio quando munus à manu debetur ex aliquo justo titulo, ut sustentatione, aut pro aliquo extraordinario labore, aut pro vexatione redimendâ; id enim non facit quin beneficium gratis conferatur.

Munus ab obsequio dicitur, omne hominis opus quod ad usus et commoditates illius ordinatur, et ex quo accrescit aliqua utilitas temporalis recipienti tale obsequium, ita ut habeat rationem mercedis, possit pecuniâ conduci ac locari, sitque pretio æstimabile. Circa quod noster Arauxo statuit duas regulas. Prima est quòd munus ab obsequio habet rationem pretii, et constituit simoniam in triplici casu. 1° Quando beneficium ecclesiasticum confertur alicui in recompensationem obsequiorum jam exhibitorum ante beneficii collationem, ut si episcopus conferat beneficium famulo qui ei per tres annos sine salario, aut valdè diminuto inservivit, ut obsequia præterita recompenset. Item si vicario, cui tenetur singulis annis salarium tribuere, loco illius tribuat beneficium, ut se à tali debito liberet. Secundus casus est quando episcopus confert beneficium in recompensationem futurorum obsequiorum absque pacto, ut si habeat secretarium qui nullum vult salarium, eò quòd scit episcopum habere intentionem ipsi dandi aliquod beneficium. Tertius est quando intervenit pactum, ut si episcopus dicat famulo : Volo ut mihi servias absque salario, et dabo tibi beneficium; vel intentionem habeo recompensandi tua officia aliquo beneficio ecclesiastico. Ratio est quia in his casibus beneficium datur ut merces obsequii præteriti, vel futuri; eadem enim ratio est promissionis in futurum, ac solutionis præsentis debiti, prout declaratur in cap. *Cùm essent*, de Simoniâ. Secunda regula est quòd munus ab obsequio habet rationem gratuitæ donationis quoties non exhibetur cum intentione alium obligandi, sed fit principaliter ex merâ benevolentiâ, licet minùs principaliter habeatur respectus ad beneficium; quod explicatur in duobus casibus. Primus est si aliquis aliàs dignus beneficio, aut ministerio spirituali serviat episcopo, ut constet illi de ejus sufficientiâ et merito, indeque assequatur aliquod beneficium. Secundus est quando aliquis servit episcopo cum hâc intentione ut ejus benevolentiam et gratiam sibi comparet, sicque postea ratione illius ei conferat beneficium.

Quæres an sit simoniacum alicui promittere, donare, aut legare rem temporalem, ac pretio æstimabilem, sub conditione, aut modo, ut præstet obsequium spirituale, non per modum retributionis, seu commutationis, sed in commodum ejus qui rem spiritualem præstat. Plures auctores respondent negativè et pluribus exemplis probant, puta si parentes filiis munera dent, aut promittant sub conditione ut sacramenta frequentent; si Christianus viro infideli aliquid donet sub conditione ut Baptismum recipiat; si vir pius mulieri hæreticæ promittat futuras cum eâ nuptias, si ad catholicam fidem convertatur. In his enim et similibus casibus pro illis obsequiis et actionibus spiritualibus, res temporalis promittitur per modum inductionis in utilitatem spiritualem illius qui eas exercet. Cui doctrinæ auctores duplicem limitationem addunt. Prima est ut largientes talia munera non imponant alteri ullam obligationem simpliciter, sed semper ipsum relinquant liberum ad opus spirituale faciendum, si voluerit : aliàs efficeretur contractus onerosus et reciprocus, et non censeretur liberalis donatio. Secunda est quòd conditio, vel modus adjectus non sit de dando, vel faciendo aliquid in utilitatem illius qui dat vel promittit vel alterius personæ, cujus ille quasi vicem gerat; tunc enim conditio transiret in commutationem rei temporalis pro spirituali, sicque esset simoniaca. Inter res tamen spirituales, seu obsequia, servatis servandis, potest dari commutatio, et permutatio, unius cum aliâ, v. g. : Ego pro te hâc hebdomadâ celebrabo, Missasque applicabo cum onere, ut tu pro me celebres, totidemque applices Missas hebdomadâ sequenti, et sic de cæteris. In beneficiis tamen omne pactum initum cum eo qui beneficium accipit, omnis conditio, vel modus absque licentiâ pontificis appositus, quantùmvis de re spirituali, sunt jure ecclesiastico simoniaca.

Per munus à linguâ intelliguntur preces, supplicationes, adulationes, laudes, intercessiones, favores, etc., ita ut non interveniat qualiscumque laus, aut intercessio, etc., sed quæ tendat et resolvatur in commodum temporale, quale est rogare regem, ut talem promoveat episcopum, vel ad honores evehat aliquem ejus consanguineum, etc., illumque laudare ob eumdem finem. Vel si interveniat etiam pactum ratione cujus laus et amicitia, quæ de se non sunt pretio æstimabiles, convertantur in rationem pretii : quamvis enim laudare Petrum, v. g., non sit pretio æstimabile, me tamen obligare ut eum laudem, pretio æstimatur; unde dare beneficium pro istâ obligatione est simoniacum. Et quamvis aliàs munera à linguâ non semper habeant rationem pretii, potest tamen collatio aut petitio beneficii propter illa ex aliis capitibus reddi vitiosa, prout constabit ex argumentis quæ

sibi objicit D. Thomas hîc art. 5 mox referendis.

Objicies 1° : D. Gregorius in Regist. lib. 2, cap. 57, dicit quòd ecclesiasticis utilitatibus deservientes, ecclesiasticâ dignum est remuneratione gaudere; sed deservire ecclesiasticis utilitatibus pertinet ad munus ab obsequio; ergo videtur licitum pro obsequio accepto ecclesiastica beneficia largiri. Respondet D. Thomas hîc, ad primum, quòd *si aliquis clericus alicui prælato impendat obsequium honestum ad spiritualia ordinatum* (puta ad Ecclesiæ utilitatem, vel ministrorum ejus auxilium) *ex ipsâ devotione obsequii redditur dignus ecclesiastico beneficio, sicut et propter alia opera; unde non intelligitur esse munus ab obsequio, et in hoc casu loquitur Gregorius. Si verò sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum* (puta quia servivit prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi) *erit munus ab obsequio, et est simoniacum.*

Objicies 2° : Sicut carnalis videtur esse intentio, si quis alicui det beneficium ecclesiasticum pro suscepto beneficio, ita etiam si quis det intuitu consanguinitatis : sed hoc non videtur esse simoniacum, quia non est ibi emptio et venditio; ergo nec primum. Respondet D. Thomas ad secundum quòd *si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita et carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur; unde hoc non pertinet ad contractum emptionis et venditionis, in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis dat beneficium ecclesiasticum alicui hoc pacto vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia.*

Objicies 3° : Id quod solùm ad preces alicujus fit, gratis fieri videtur : et ita non videtur locum habere simonia; sed munus à linguâ intelligitur, si quis ad preces alicujus beneficium conferat; ergo, etc. Respondet D. Thomas ad 3, quòd *munus à linguâ dicitur, vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, quod sub pretio cadit : vel etiam preces ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideò si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit : videtur autem ad hoc principaliter intendere qui preces pro indigno porrectas exaudit; unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum, quia subest debita causa ex quâ illi pro quo preces porriguntur spirituale aliquid conferatur; potest tamen esse simonia in intentione, si non intendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. Si verò aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsâ præsumptione redditur indignus, et sic preces sunt pro indigno : licitè tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium ecclesiasticum petere sine curâ animarum.* Hæc D. Thomas, quem explicans Arauxo, vult quòd, dùm S. doctor dixit quòd quis principaliter preces pro indigno porrectas exaudit, factum simoniacum præstat, intelligendus est secundùm præsumptionem, eò quòd collator, hoc ipso quòd non movetur ex dignitate et merito subjecti ad conferendum beneficium indigno, censeatur moveri ex aliquo pretio sperato, aut ex precibus exhibitis per modum pretii, vel propter preces non quascumque, sed ad utilitatem temporalem collatori conducentes, ut ex pacto, vel promissione fusas, quia, ut sic, convertuntur in pretium beneficii collati.

Objicies 4° : Hypocritæ spiritualia opera faciunt, ut laudem humanam consequantur quæ ad munus linguæ pertinere videntur; nec tamen hypocritæ dicuntur simoniaci; non ergo per munus à linguâ simonia contrahitur. Respondet D. Thomas ad 4, quòd *hypocrita non dat aliquid spirituale propter laudem, sed solùm demonstrat, et simulando magis furtivè subripit laudem humanam quàm emat; unde non videtur pertinere ad vitium simoniæ.*

§ 2. *An, si temporale sit principale motivum dandi spirituale, non verò pretium, committatur simonia.*

Suppono 1° quòd motivum potest esse duplex, nempe principale ac primarium, et minùs principale ac secundarium. Tunc est principale et primarium quando principaliter movet voluntatem, ac per se directè intenditur; minùs principale verò est quando ordinatur ad aliud, solùmque ex consequenti et quasi per accidens intenditur. Ut si quis inserviat episcopo intendens per istum famulatum primariò ejus benevolentiam sibi conciliare, solùmque secundariò, ex consequenti et per accidens, obtinere alicujus beneficii provisionem, si dari contingat; non tamen sistendo ibi, sed ordinando famulatum, ac benevolentiam prælati, tanquàm medium ad beneficii consecutionem; temporale tunc, nempe famulatus, est motivum minùs principale; si verò directè et immediatè ordinaret famulatum ad consequendum beneficium, esset motivum principale. Similiter potest è converso dari spirituale non primariò et principaliter, sed tantùm secundariò et minùs principaliter ad consequendum temporale, ut contingit in canonico qui primariò et principaliter frequentat chorum ad Dei laudes decantandas; minùs principaliter autem ad lucrandas distributiones. Ut ait D. Thomas, quodlib. 8, art. 11, dicens, quòd *si hujusmodi distributiones respicit quasi finem operis principaliter intentum, simoniam committit, et ideò mortaliter peccat. Si autem habeat principalem finem Deum in tali actu, et ad hujusmodi distributiones respicit secundariò non quasi finem, sed sicut in id quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quòd non vendit actum spiritualem, et ita simoniam non committit, nec peccat.* Hæc D. Thomas.

Suppono 2° ex hoc quòd sacerdos non celebraret si non reciperet Missæ stipendium, aut non frequentaret chorum si nullæ darentur distributiones, non propterea semper inferendum esse eum habere temporale pro motivo et fine principali; in proposito enim, nomine finis et motivi principalis non intelligitur ille sine quo res spiritualis non conferretur aut ministraretur, cùm sit tantùm concomitans; sed intelligitur id ad quod actio spiritualis tendit et ordinatur ex intentione operantis absque justo titulo. Si enim,

v. g , stipendium sustentationis respiciatur ut finis principalis non operis, sed operantis, qui ad illud ordinat actum spiritualem, aliqui docent talem deordinationem non excedere limites peccati venialis; alii verò dicunt esse peccatum lethale nimiæ cupiditatis, sacrilegii mentalis, et radicalis simoniæ, eò quòd iste sacerdos tunc videatur rem temporalem magis æstimare quàm spiritualem.

Dico igitur quòd dare spirituale pro temporali, vel è contra, secluso titulo stipendii, aliove justo et honesto, est simoniacum, etiamsi temporale non fuerit pretium, sed motivum principale conferendi spirituale.

Conclusio nostra definita fuit ab Innocentio papâ XI, qui damnavit istam quorumdam recentiorum propositionem : *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquàm pretium, sed duntaxat tanquàm motivum conferendi spirituale, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra. Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale : imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quàm res spirituales.* Idem decernit Innocentius papa III in cap. *Tua nos*, de simoniâ, et docet etiam D. Thom. in 4 sent. d. 25, q. 3, art. 3, ad 1 ; et 2-2, q. 10, art. 5, ad 3.

Probatur conclusio : ad veram simoniam non semper requiritur expressa voluntas ac directa, et formalis intentio vendendi et emendi, nec pretium rigorosè sumptum ; sed coram Deo sufficit vera intentio, emptio ac venditio virtualis, et pretium æquivalenter. Sic enim peccans mortaliter, licet non intendat formaliter et expressè suum ultimum finem in creaturâ constituere, suo tamen facto censetur interpretativè illam habere pro ultimo fine, cùm se et omnia sua in eam referat. Atqui dùm conferens spirituale habet pro motivo principali receptionem alicujus emolumenti temporalis, ac ex hoc movetur et agit ; vel è contra, quando aliquis dat temporale ex principali motivo recipiendi spirituale, habet saltem virtualem intentionem hujusmodi res inter se commutandi et pretium æquivalenter recipiendi ; quia cùm non intercedat aliud principaliter intentum quo mediante spirituale assequatur, immediatè vult commensurare munus illud temporale cum beneficio, sicque illud dare in pretium illius.

Confirmatur, quia intentio illa dandi temporale ad recipiendum spirituale non tanquàm pretium, sed motivum, non destruit, nec immutat rerum naturas, neque actionis, quam iste operatur ; qui enim non nisi acceptis, v. g., ducentis nummis, dominium prædii vellet à se abdicare, et in alium transferre, censeretur illud vendere, quantùmvis protestaretur se non intendere venditionem. Item qui ad magos recurrunt, et sortilegiis scienter utuntur, ridiculè dicerent se dæmonis artibus renuntiare, cùm ea facta contrarium probent ; sic, in nostro casu, qui directè et immediatè, ac principaliter per pecuniam, aut aliud pretio æstimabile beneficium recipere intendit, non liberatur à simoniâ mentali pro hoc quòd dicat se dare, aut accipere illam pecuniam, non tanquàm pretium beneficii, sed tanquàm motivum conferendi.

Inde videtur dicendum quòd si temporale fuerit motivum proximum et immediatum, directè, per se, et ratione sui inducens ad dandum, aut recipiendum spirituale quod aliunde non est debitum ; tunc committitur simonia, sive sit motivum magis, sive minùs principale. Secùs verò dicendum si fuerit duntaxat motivum remotum, per accidens, et occasionale, quod non per se, sed ratione alterius tantùm movet et inducit. Siquidem motivum primo modo sumptum est causa agendi et verè influit ; non verò secundo modo acceptum. Unde D. Thomas, opusc. 65 de Officio sacerdotis, dicit quòd pecunia non debet esse causa celebrandi, sed occasio excitans.

Dices : Spirituale licitè referri potest ad temporale tanquàm ad finem intermedium. Sic, v. g., potest aliquis sacrificium Missæ ad sanitatem corporalem ordinare ; ergo absque irreverentiâ et injuriâ, proindeque absque simoniâ, spirituale potest ordinari ad temporale tanquàm ad finem. — Respondeo negando quòd sacrificium Missæ referatur ad sanitatem tanquàm medium ad finem ; solùm enim ordinatur tanquàm causa ad effectum, et aliquid excellens, maximæque virtutis ad utilitates etiam temporales præstandas (1).

Articulus III.

De pactis, aut conventionibus quæ possunt constituere simoniam.

Recolendum est ex dictis tria hæc concurrere ad

(1) Principia statuta non obstant quin liceat dare aliquid temporale pro spirituali, et vicissim, quando illud fit ex merâ gratitudine, benevolentiâ, adeò ut sit donum reapsè et absolutè gratuitum. Nam simonia essentialiter requirit ut temporale detur pro spirituali tanquàm pretium vel formaliter, vel virtualiter ; at donum merè gratuitum et plenè spontaneum excludit ideam pretii ; hæc duo sunt prorsùs diversa. Sed ne simonia occultetur sub pallio ementitæ gratitudinis, attendendum est ad varias circumstantias personæ dantis et accipientis, quantitatis, muneris, temporis et modi solutionis, an donator sit pauper nec assuetus similia largiri, an res data sit magni valoris proportionatè ad rem sacram, et nulla fuerit opportunitas exigens ut sic expenderetur, an collator ante collationem insinuaverit se aliquid prætendere aut sperare. His maturè consideratis, judicabitur de naturâ actûs.

Hinc etiam inferes licitum esse dare temporale sub spe obtinendi à donatario rem spiritualem, titulo gratitudinis, modò semper speretur non ut debitum titulo muneris, sed ut donum ex merâ amicitiâ vel gratitudine ; licet enim sperare quod licet accipere, ut modò dicebamus, etc. ; ratio à priori est quòd tunc adest quidem spes obtinendi temporale occasione spiritualis ; sed spirituale istud non obtinetur nec speratur nisi mediante alio motivo magis proximo et honesto, scilicet gratitudine et amicitiâ pro quâ conciliandâ datur temporale, et ex quâ conciliatâ speratur gratuitò spirituale. Ita Billuart de Religione dissert. 11, art. 3, et plures alii citati apud Liguori, lib. 3, n. 51 ; sed hæc sunt plena periculi, ut ibidem advertit B. Liguori, et facilè præsumenda est simonia mentalis, nisi sit alius titulus, vel constet de opposito ex circumstantiis. (Edit.)

constituendam simoniam, nempe res spirituales, quæ sunt ejus materia; res temporales, quæ sunt illarum merces; et actiones illas inter se commutandi, nempe emptionem et venditionem, de quo tertio restat agendum. Per emptionem et venditionem non intelligitur contractus gratuitus, sed omnis contractus onerosus quo res spirituales et temporales inter se commutantur; nec semper requiritur intentio formalis, sed sufficit virtualis et pretium æquivalens, ut supra dictum est. Unde quoties nec ratio stipendii locum habet, nec laboris accidentarii et extrinseci, nec honestæ amicitiæ, propinquitatis, aut consanguinitatis, nec redemptio vexationis licita, nec aliæ causæ justæ, et nihilominùs temporale datur solo intuitu obtinendi spirituale, vel è contra, hujusmodi intentio sufficit, ut præsumatur non dari gratis, nisi de opposito constet. Ecclesia autem in foro externo id vetat tribus capitibus, cap. *Si quæstiones* de simoniâ, primò ex conditione personarum tam dantis quàm accipientis, puta si sint divites, aut pauperes, liberales, nobiles, amici, consanguinei, timoratæ conscientiæ, etc. Secundò ex quantitate et qualitate muneris magni, aut exigui; summa enim valdè notabilis pecuniæ non facilè præsumitur dari liberaliter. Tertiò ex circumstantiâ temporis, et occasionis largitionis, ut si munera dentur post receptionem rei spiritalis, tunc faciliùs præsumitur ex liberalitate aut gratitudine donatarii, quàm si eorum collationem præcedant.

§ 1. *Utrùm committatur simonia, antidoralem obligationem in pactum deducendo.*

Donum gratuitum procedit ab amicitiâ honesti, non verò utilis, fitque absque animo et spe retributionis, quæ si postea sequatur, non tribuitur cum intentione remunerandi benefactorem pro re collatâ, sed tantùm in recognitionem affectûs illius, ut ostendit D. Thomas 2-2, q. 78, art. 2, ad 2; et hujusmodi liberalis et gratuita donatio, in his materiis non est simoniaca. Gratuita compensatio supponit rem jam acceptam, illamque respicit potiùs quàm affectum benefactoris, ac pro eâ remunerandâ, et quasi æquandâ tribuitur. Ex quo patet compensationem non esse propriè gratuitam donationem, cùm intendatur à compensante tanquàm satisfactio quædam et exoneratio beneficii accepti, quamvis nullum pactum, aut obligatio civilis interveniat, sed antidoralis duntaxat. Et de hâc obligatione antidorali procedit difficultas, an in pactum deduci possit absque simoniâ.

Recentiores quidam docent pacta non esse iniqua, nec simoniaca, quibus dans et recipiens conveniunt, dicunt et exprimunt tantùm se velle ex gratitudine et benevolentiâ, proindeque antidorali obligatione ligari. Ut si ille qui beneficium recipere optat, dicat alteri: Gratis tibi dono hanc pecuniam, tali conditione, modo, ac pacto, ut mihi vicissim ex gratitudine conferre debeas beneficium, vel aliam rem spiritualem. Aut è contra si dicat: Tibi confero gratis hoc beneficium, eâ tamen conditione ut te obliges ad mihi tribuendas pecunias ex gratitudine, contra quos

Dico, dare vel accipere rem spiritualem cum illâ intentione gratuitæ compensationis, aut è contra, et illam antidoralem obligationem in pactum deduci esse simoniam, prout definivit Innocentius papa XI, in verbis relatis § præcedenti, ubi statuit simoniam committi etiam quando temporale est solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra; Ecclesia autem hujusmodi gratuitas compensationes prohibere potuit ob reverentiam rerum sacrarum, et simoniæ periculum; et de facto prohibet omne pactum omnemque conventionem circa res spirituales et maximè circa beneficia, quod semper præ oculis est habendum in hâc materiâ.

Probatur conclusio prima ex D. Thomâ q. 4. de Malo, art. 4, ad 13, ubi postquàm sanctus doctor ostendit eum qui mutuò dat, posse licitè sperare aliquod munus à mutuatario, non quasi debitum, sed quasi gratuitum et absque obligatione præstandum, id negat de simoniâ, dicens: *Alia tamen est ratio de simoniâ et de usurâ, quia simoniacus non dat id quod suum est, sed id quod est Christi. Et ideò non debet sperare aliquam recompensationem sibi faciendam, sed solùm honorem Christi, et utilitatem Ecclesiæ: sed usurarius nihil alteri præstat nisi quod suum est: unde potest aliquam amicabilem compensationem sperare per modum prædictum.* Ubi S. doctor affert rationem à priori: qui enim nihil suum dat alteri, sed tantùm quod est sui dominii, ex hoc non debet intendere, nec sperare aliquam recompensationem sibi fieri, sed illùd tantùm expendere juxta illius voluntatem et mandatum, ita ut si jusserit gratis omninò dari (ut de rebus spiritualibus jussit), dispensator nullam possit recompensationem sibi usurpare, quantùmvis mutuans possit aliquam amicabilem expectare à mutuatario qui suum præbet. Et à fortiori simoniacum esse sentit D. Thomas eum qui in dispensatione spiritualium antidoralem obligationem exigit ex pacto quo alium ad recompensationem obligat, cùm istud pactum additum mutuo reddat illud injustum et usurarium, prout declaravit Innocentius XI, damnando hanc quorumdam recentiorum opinionem: *Usura non est dùm aliquid ultra sortem exigitur tanquàm ex benevolentiâ, et gratitudine debitum.* Idemque reprobavit D. Thomas, 2-2, q. 78, art. 2, in corp., et ad 4.

Confirmatur ex eod. D. Thomâ q. 15, de Malo, art. 4, 5, ubi sic ait: *Obligare ex certo pacto ad beneficium recompensandum, non competit amicitiæ honesti, quia in tali amicitiâ, amicus benefaciens affectum amici inclinat, ut sibi gratis et liberaliter recompenset cùm opportunitas fuerit. Sed obligare ex certo pacto ad recompensandum beneficium, est proprium in amicitiâ utili.* Sed hæc amicitia utilis non est omninò liberalis ac gratuita, sed potiùs est mercenaria, ut patet; ergo res spiritualis non omninò gratis confertur. Adde etiam quòd D. Thomas hîc art. 5, ad 1, admittit quidem benè meritos de Ecclesiâ compensari posse titulo meriti per receptionem alicujus beneficii, negat tamen posse episcopum titulo compensationis remunerare suos famulos, aut clericos aliquo beneficio propter obsequia temporalia, sibi aut suis parentibus præstita.

Probatur secunda conclusio : Simonia est ob rem datam imponere accipienti novum onus vicissim dandi, in quo essentialis ratio pactionis onerosæ consistit, ut : *Do ut des ; facio ut facias*, ut si quis petat à me, ut gratis ei donem librum, et ego donem cum pacto et conditione, ut ipse vicissim donet mihi pileum, et iste sciat me illi aliter non daturum librum, tunc sine dubio non intervenit remuneratio et donatio gratuita, sed permutatio : atqui ex prædicto pacto imponitur novum onus accipienti, inducitque novam obligationem pretio æstimabilem ab obligatione naturali distinctam, quam si non impleat, nedùm erit ingratus, sed etiam injustus, vel ad minus infidelis. Ergo, etc.

Probatur tertia : Si hoc pacto admisso, non interveniat permutatio simoniaca, aut usuraria, nulla erit simonia, nullaque usura juri naturali repugnans, quam quilibet facilè non possit palliare ac declinare ; semper enim dicere posset : Gratis ac liberaliter tibi conferam hanc rem spiritualem, eâ tamen conditione, ut vicissim te obliges ad dandam mihi pecuniam ex gratitudine. Idem dici potest de usurâ

§ 2. *Utrùm redemptio vexationis circa res spirituales, et maximè beneficia, sit simoniaca.*

D. Thomas hîc art. 2, ad 5, duabus regulis totam hanc resolvit materiam dicens, quòd *antequàm alicui acquiratur jus in episcopatu, vel quâcumque dignitate vel præbendâ per electionem, vel provisionem, seu collationem simoniacum esset adversantium obstacula pecuniâ redimere : sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam ; sed postquàm jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* Ratio disparitatis est, inter vexationem juris acquisiti et acquirendi ; quia in secundo casu, per redemptionem datâ pecuniâ, non solùm tollitur impedimentum, sed et acquiritur res spiritualis, quod est simoniacum. Secùs verò in primo casu, quia jam spirituale possidetur, proindeque non acquiritur per redemptionem, sed solummodò vexatio redimitur, seu impedimentum tollitur.

Explicatur prima regula : quando enim jus est acquisitum, qui sic redimit vexationem suam, non dat pecuniam pro re spirituali, sed pro tollendâ injuriâ aut violentiâ, neque alterius injustæ actioni cooperatur, sed rem bonam facit utendo jure suo, suumque jus acquisitum conservat indemne. Illud autem jus acquisitum seu in re, debet esse plenum, certum, ac indubitatum, saltem apud peritos ; si enim vexetur circa dubium, non est licitum vexationem pretio redimere ; puta si dubium sit de valore electionis, præsentationis, aut institutionis, quia tunc iste per pecuniam, viam sibi pararet ad hoc ut jus spirituale dubium et nutans, firmitatem contraheret, sicque conseretur aliquid spirituale emere.

Insuper requiritur quòd vexatio sit injusta : si enim justa esset, ut in exemplo mox adducto contingit, huic non licet pecuniâ redimere. Idemque dicendum, si dubium sit quòd lis sit injusta, eò quòd si dubium sit probabile, hoc ipso lis est justa : sicque hoc esset jus spirituale dubium, pecuniâ firmare, quod est simoniacum. Sic, v. g., si prælatus vellet aliquem beneficio privare ob grave crimen ab eo commissum, non licet hanc vexationem pecuniâ redimere, nec testes avertere, ne justè testimonium contra ipsum ferant, nec alium qui vellet opponere in idoneitatem pecuniis impedire. Neque licet duobus litigantibus circa aliquod beneficium si lis fuerit justa, alteri parti offerre pecuniam, vel pensionem, ob rationem adductam.

Intelligenda est secunda regula D. Thomæ, nempe quòd non licet redimere vexationem circa jus acquirendum, quando vexatio apponitur ab his qui possunt obesse et prodesse ; nimirùm ab illis qui aliquo modo ad collationem beneficii immediatè concurrere possunt, eligendo, aut confirmando, etc., quia hoc est parare sibi viam ad acquirendum beneficium. Prima regula D. Thomæ colligitur ex cap. *Dilectus* de Simoniâ, et ex cap. *Quæsitum* 1, q. 3. Regula verò secunda, ex cap. *Matthæus* de Simoniâ et ex cap. *Sicut tua*, et cap. *Hoc*.

§ 3. *Utrùm in permutationibus et transactionibus beneficiorum reperiatur simonia.*

D. Thomas hîc art. 1, ad 5, ait quòd, *nomine emptionis et venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus ; unde nec permutatio præbendarum, vel ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo simoniæ ; sicut nec transactio, ut jura determinant. Potest tamen prælatus ex officio suo hujusmodi permutationes facere pro causâ utili vel necessariâ.*

Certum est res spirituales inter se permutari posse, v. g., ut tu hodiè pro me Missam celebres, et cras ego pro te celebrabo ; cùm enim non commutetur spirituale pro temporali, nulla est suspicio simoniæ. In aliis verò rebus spiritualibus, et temporalibus annexis, potest esse aliquod periculum ne compensetur excessus valoris temporalis unius, per alterius spiritualitatem, ut si imaginem materiæ communis miraculosam, cum aliâ pretiosissimâ auri et lapidum commutet ; censetur enim spirituale pro temporali commutari. Similiter oportet servare in hoc proportionem ; nam si utrique spirituali temporale est annexum antecedenter, licitè commutari possunt, ut calix pro calice, aut casulâ : et tunc si in materiæ æstimatione reperiatur aliqua inæqualitas, pecuniâ compensari potest, eò quòd materia harum rerum sit vendibilis, ac pecuniâ æstimabilis : si verò inæqualitas sit in aliquo spirituali, gratis donandus est excessus, aut aliâ re spirituali, non temporali compensandus. Difficultas restat de spiritualibus quibus temporalia sunt consequenter annexa, ut sunt beneficia ecclesiastica.

Dico permutationes beneficiorum esse simoniacas, si fiant privatâ auctoritate, et sine superioris consensu, saltem de jure positivo ecclesiastico. Ita divus Thomas in 4, distinct. 25, q. 3, art. 3, ad 8.

Probatur : Hujusmodi enim permutationes prohibentur in cap. *Quæsitum*. Et cap. *Olim* de rerum permutatione, et cap. *Majoris* de præbendis. Et in cap. *Ultimò* de pactis. Et cap. *Præterea* de transactionibus.

in quibus juribus omnis pactio in beneficiis prohibetur, et proinde permutatio, quæ sine pactione et contractu oneroso fieri nequit. Idem dicendum de actionibus beneficiis annexis, ut si quis dicat alteri : Elige me ad hoc officium spirituale, et ego eligam te ; vel si dicat : Confirmo te ad hoc beneficium, dummodò mihi des aut promittas hanc capellaniam. Possunt tamen rectè fieri hujusmodi permutationes beneficiorum absque simoniâ, si sequentes serventur conditiones. Prima est ut commutatio fiat auctoritate superioris prælati, ad quem id jure spectat, nimirùm auctoritate episcopi in commutandis beneficiis quæ conferre potest in suâ diœcesi, cap. *Quæsitum* et cap. *Conquerenti* de rerum permutatione; modò qui beneficium habet, pleno jure illud possideat cum jure in re firmiter acquisito. Jura enim tantùm permittunt permutare beneficia sua iis qui habent jus in re. Item dummodò permutatio purè fiat : requiritur enim auctoritas pontificis quando additur onus, et fit commutatio pensionum.

Secunda quòd beneficium commutandum sit pleno jure acquisitum : hinc fit duos habentes expectativas à papâ non posse ad invicem auctoritate episcopi commutare; tum quia solùm habent jus ad rem, tum etiam quia gratia illa est personalis, nec in aliam personam transit.

Tertia, ut nulla pactio inter partes præcesserit, saltem absoluta; auctores tamen concedunt partes posse inter se de hoc negotio tractare; imò quidam dicunt facere posse pactionem conditionatam, et permutationem conditionalem quæ suspenditur usquedùm superior consentiat, ut illo consensu adveniente, non sit liberum permutantibus vel resignantibus retrocedere, prout tradit Innocentius papa, cap. *Inter cætera*, de præbendis.

Quarta regula, ut sine auctoritate pontificis nulla pensio, nullum onus imponatur, nullaque fiat exactio, aut compensatio excessûs fructuum pro aliquo pretio æstimabili; ex cujus conditionis defectu si partes inter se conveniant ut unus solvat omnes expensas et accipiat suis sumptibus Bullas ad utrumque permutantium spectantes, aut similia faciat, simoniam committunt : nisi hæc pontifici declarentur et ipse annuat, siquidem à resignatario, petitur onus quod de jure non inest; quilibet enim de jure tenetur proprias Bullas solvere, et expensas facere. An autem quando beneficia sunt inæqualia, possit hæc inæqualitas compensari datâ pecuniâ, vel aliquâ pensione ex pinguiori beneficio detractâ, dicendum est esse simoniacum, ex capite *Cùm pridem*, capite *Ultima* de pactis, capite *Quam pio*, capite *Cùm olim*, capite *Universorum* de rerum permutatione; tunc enim emitur et venditur temporale pro spirituali, quia excessus ille fructuum beneficii pinguioris non emitur, nisi ut est quid beneficiale, seu ut est annexus spirituali titulo beneficii, et comparandus per spirituales functiones : unde non potest beneficium per viam commutationis præcisè hoc modo à quâcumque auctoritate permutari, cùm sit contra jus naturale et divinum : potest tamen aliis viis à summo pontifice fieri, si nempe tanquàm supremus dispensator utatur translatione personarum à beneficio in pensionem, et à pensione in beneficium, in se suscipiendo provisionem et renuntiationem illarum rerum, et post earum mutationem distribuendo illas prout sibi videbitur expedire. Quia tunc non propriè intervenit permutatio inter partes, cùm reverà non conferant unam rem pro aliâ, sed tantùm se constituant in manus pontificis, suum desiderium ei exponentes; et ille tunc potest separare à beneficio pinguiori partem fructuum, illamque applicare in compensationem alterius qui tenue beneficium recipit.

Quinta est ut permutatio fiat ex justâ causâ utili, ve necessariâ Ecclesiæ, cap. *Quæsitum* de rerum permutatione. Et ex D. Thomâ, loco citato. Item in 4 sent., d. 25, q. 3, art. 3, ad 8. Quidam docent sufficientem causam esse si aer unius loci sit salubrior permutanti, vel in loco sui beneficii perpetuas habeat querelas et inimicitias, etc., modò non interveniat aliqua causa quæ sit pecuniâ aut pretio temporali æstimabilis.

Eodem ferè modo loquendum est de transactionibus circa beneficia litigiosa ad componendam vel dirimendam litem in rebus spiritualibus, in quibus amicabilis et gratuita compositio non prohibetur, dùm scilicet altera pars sponte et liberaliter cedit juri suo, et à lite desistit. Hoc enim simoniæ labe vacat, et tanquàm laudabile approbatur in cap. *Super eo* de transactionibus, nec ex vi illius compositionis requiritur auctoritas prælati nisi in casu quo post gratuitam compositionem, seu cessionem, facienda esset nova institutio, aut collatio beneficii, aut renuntiatio ad quam auctoritas prælati foret necessaria. Difficultas solùm est de transactione non gratuitâ, de re dubiâ, de lite incertâ ad eam dirimendam.

Dico in his transactionibus committi simoniam dùm remittitur vel retinetur jus spirituale pro temporali emolumento, et è contra, prout colligitur ex cap. *Jam pridem* de pactis, cap. *Ultimo* de rerum permutatione. Ratio est, quia in his transactionibus verè commutatur jus spirituale pro re temporali, et è contra, et est quoddam genus permutationis unius rei cum alterâ ad litem dirimendam. Hinc habetur quòd si duo homines litem habeant circa jurisdictionem spiritualem, tunc non est licitum transigere mediante pecuniâ, vel aliâ re pretio æstimabilis, vel promittendo eam, ex cap. *Præterea* secundò de simoniâ. Item si beneficium sit litigiosum, non est licitum componere litem, vel dando pecuniam actori, ut desistat, vel illam recipiendo ab eo, et cedendo beneficium. Item si de rebus sacris, ut de reliquiis lis orta esset, simoniacum est transigere de his datâ, vel acceptâ pecuniâ, nisi necesse esset eas redimere ab injusto detentore. Si enim olim primi Christiani martyrum corpora per pecuniam à carnificibus redimere solebant. Idem dicendum est de aliis rebus sacris quibus res temporales sunt antecedenter annexæ. Item simoniacum est acquirere jus præsentandi datâ pecuniâ; cap. *Præterea*, 1, de transactionibus.

Dico secundò in materiâ beneficiorum Ecclesiam

prohibuisse hujusmodi transactiones propriâ auctoritate fieri, etiamsi in eâ pro spirituali transigatur. Cap. *Constitutus* de religiosis domibus. Cap. *Super eo* de transactionibus. Idque prohibuit Ecclesia intuitu religionis et ob reverentiam rerum sacrarum, ac exigit judicium superioris, proindeque voluit intervenire simoniam in hujusmodi compositionibus beneficialibus, si propriâ auctoritate fiant.

Hinc committitur simonia si litigans super pingui beneficio transigat cum adversario quòd ipse retineat pingue beneficium, et collitiganti tenue cedat; tunc enim censetur permutare, vel resignare, tenue beneficium pro jure quod alter habet super pingue, quod propriâ auctoritate fieri non potest, sicut nec etiam quòd duo litigantes super pura beneficia inter se conveniant, ut unus unum retineat, alter verò habeat aliud; omnis enim pactio in materiâ beneficiali simoniaca est, quandò fit propriâ auctoritate.

Quidam tamen docent episcopum vel arbitrum posse aliquid temporale distribuere et applicare illi qui cedit juri suo, tum ob bonum pacis, tum ob finem litis; tunc enim nulla habetur ratio juris spiritualis, sed duntaxat commoditatis et utilitatis temporalis, quæ consurgit ex bono pacis. Quâ de causâ, hujusmodi transactio permittitur et toleratur in cap. *Nisi essent* de præbendis, tum ratione laboris et expensarum quas iste fecit in prosecutione litis, ad hoc scilicet ut servetur indemnis. Transactio tandem de re spirituali pro aliâ re spirituali jure divino non est illicita, etiamsi propriâ auctoritate fiat; aliquando tamen prohibetur ab Ecclesiâ, ut dictum est de beneficiis. Item vetatur omnis cum laicis compositio circa decimas absque approbatione papæ, ex cap. *Decimas* 16, cap. *Veniens* de transactionibus, et cap. *Venerabiles* de confirmat. utili. Solus pontifex potest approbare pensionem alligatam non tam personæ beneficiarii quàm ipsi beneficio, seu quæ transeat cum eâdem obligatione ad ejus successorem; episcopi verò solùm eam approbare possunt si extinguatur morte primi beneficiarii cui talc onus fuit impositum : cap. *De cætero*, et cap. *Veniens* de transact., et cap. *Nisi* de præbendis : quod demùm intelligendum est nisi partes antea convenerint inter se absolutè, ac transegerint de hujusmodi pensione; tunc enim reservatur papæ, ut dictum est supra.

§ 4. An in renuntiatione beneficii factâ in favorem alterius, aut in confidentiam, simonia committatur.

Renuntiatio, sive resignatio beneficii, nihil aliud est quàm voluntaria abdicatio quâ quis beneficium suum dimittit in manibus prælati. Ex cap. *Admonet*, et ex cap. *In dubiis* de renuntiatione, et ex cap. *Nisi cùm pridem*, et cap. *Finali* eodem titulo. Renuntiatio duobus modis contingere potest in favorem tertiæ personæ. Primò, absque confidentiâ; secundò, cum confidentiâ, sive spe quòd ille in quem resignatur beneficium servabit illud, vel fructus illius pro ipso collatore aut famulis, sive consanguineis illius. De renuntiatione beneficii in favorem tertii factâ primo modo, vel absque confidentiâ, auctores asserunt non esse simoniacam stando in jure divino, benè tamen stando in jure positivo, si fiat absque certis conditionibus cum quibus à vitio simoniæ purgatur.

Probatur, quia dupliciter explicari potest conditio in renuntiatione : primò tanquàm onerosa et obligatoria, suspendensque omninò effectum renuntiationis nisi beneficium detur tertiæ personæ. Secundo modo tanquàm simplex modus renuntiationis, et declaratio affectûs solius, ut conferatur beneficium tali personæ. Quamvis autem primo modo resignatio includat pactum ac obligationem, non tamen secundo modo; relinquitur enim superior liber ad admittendam, vel rejiciendam resignationem; solùmque est simplex et libera resignatarii commendatio. Atqui ubi non intervenit obligatio aut pactum, non admisceretur simonia, quia non tollitur ratio gratuitæ donationis, nec fit contra Christi præceptum Matthæi 10 : *Gratis accepistis, gratis date;* cum illo enim stat quòd possimus velle gratis dare; ergo nec talis renuntiatio, nec collatio facta ab ordinario in virtute illius est simoniaca.

Stando tamen in jure novo in Bullâ B. Pii V, quæ incipit : *Quanta Ecclesiæ*, quæcumque resignatio facta sub conditione qualitercumque explicatâ sive admissâ, est invalida et simoniaca, si fiat coram ordinariis, et quibuscumque prælatis inferioribus summo pontifici. Imò si cum episcopo, vel collatore ineatur antea pactum, vel obligatio conferendi illud beneficium certæ personæ designatæ, videtur esse simoniacum, et contra jus divinum, eò quòd tunc episcopo imponatur onus pretio æstimabile in materiâ beneficii, quod positâ institutione Ecclesiæ est quid spirituale, et etiam contra jus canonicum prohibens hæc, et alia pacta in materiâ beneficiorum, ut habetur in cap. *Finali* de pactis.

Hinc etiam sequitur committi simoniam in resignationibus reciprocis factis coram episcopo, ut si, v. g., Petrus dicat Paulo : Ego resigno beneficium meum in favorem tui amici, eâ conditione ut tu renunties aliud beneficium in favorem mei nepotis, vel amici : tum quia omnis pactio in beneficiis interdicta est tanquàm simoniaca; tum quia licet ibi quædam permutatio inesse videatur, habet tamen rationem renuntiationis factæ in favorem tertii et conditionalis ex conditione adjectâ ut virtualiter onerosâ sive obligatoriâ, quam proinde ordinarii non possunt admittere et approbare. Eâdemque ratione renuntiatio triangularis facta coram episcopo est invalida et simoniaca, quæ scilicet inter tres fieri solet, ut si Titius renuntiet canonicatui in favorem Caii; Caius verò renuntiet beneficio curato in favorem Sempronii; Sempronius verò beneficio simplici renuntiet in favorem Titii. Hæc enim non est simplex permutatio, nec pura resignatio, sed habet plura pacta adjuncta quæ coram prælato ordinario papâ inferiore rectè celebrari nequeunt absque simoniâ saltem juris positivi. Concilium Trid. sess. 25 de Refor., c. 15, damnat easdem resignationes reciprocas et triangulares. Hinc etiam sequitur Petrum, v. g., committere simoniam, qui resignans beneficium in manu pontificis, cum reservatione pensionis sibi solvendæ, vel alterius oneris, et timens resignatarium

futurum in solvendo tardum, petit ab eo vel fidei jussorem secularem, vel aliquam hypothecam, vel ut anticipatè solvat. Ratio est quia totum hoc pertinet ad pacta simoniaca jure canonico prohibita, et obligat alium ad id quod de jure non inest, eique onus pretio æstimabile imponit.

Pariter simoniam committit, si habens beneficium litigiosum et multas expensas fecit pro eo obtinendo, et postquàm possessionem pacificam habet, velit illi renuntiare cum hoc onere, ut sibi solvantur expensæ factæ, quia petit quod de jure non inest resignationi, nec facit eam puram, et pro temporali permutat. Nec valet dicere Petrum nihil requirere præter suam indemnitatem; non valet, inquam, quia non alia tunc approbatur indemnitas quàm illa quæ compenset laborem et expensas cum hujusmodi resignatione conjunctas : secùs verò alias quas olim resignans sustinuit, ut beneficium quod possidet sibi compararet. Tandem resignatio beneficiorum confidentialis est simoniaca etiam in manu legitimi prælati facta cum spe, et à fortiori cum pacto tacito vel expresso quòd ille in cujus gratiam resignat aliquis, alteri ad beneplacitum suum idem beneficium resignabit, aut beneficii fructus, vel pensionem, vel aliquid aliud assignabit, aut debitum aliquod legale super additum subeat. Item si Petrus, v. g., in favorem Joannis renuntiavit suo beneficio, et Joannes aliud suum beneficium resignavit in favorem Petri, eà confidentià, pacto, aut conventione, ut prædicti in favorem nepotum postea eadem beneficia resignarent, vel fructus, aut partem eorum sibi unusquisque vel aliis conferat; has enim resignationes confidentiales, ut simoniacas reprobârunt Pius papa IV et B. Pius V, per Bullam quæ incipit, *Intolerabilis :* has etiam retrocessiones reprobavit concil. Trid. sess. 24, cap. 29, et sess. 25, cap. 7; ubi damnat accessus, regressus, et ingressus, et similiter exspectativas, et confidentias tanquàm imaginem quamdam hæreditariæ successionis referentes. Et ob eamdem causam improbat coadjutorias cum futurâ successione, nisi urgens necessitas aut evidens utilitas Ecclesiæ aliud postulet, et decernit tunc non nisi causâ à Rom. pontifice diligenter examinatâ, concedi debere.

Articulus IV

De pœnis contra simoniacos in jure latis.

Postquàm D. Thomas 2-2, q. 100, simoniæ irreligiositatem et malitiam per quinque articulos demonstravit, tandem art. 6, declarat pœnas, quas canones contra simoniacos infligunt, et per quem prælatum ab iis dispensari, aut absolvi possint, sicque finem imponit huic quæstioni de materiâ simoniæ. Porrò inter alias pœnas contra simoniacos in jure latas, tres præcipuè assignantur in extravaganti *Cùm detestabile* de simoniâ. Prima est censura excommunicationis et suspensionis ab executione et exercitio ordinum. Secunda est ut quis privetur eo quod per simoniam acquisivit. Tertia est ut pretium restituere teneatur : assignantur et aliæ pœnæ, nempe infamiæ depositionis, repulsæ ab altari, ab Ecclesiæ ingressu, etc., de simoniâ, cap. *Sicut*, cap. *Hoc* 1, q. 1; cap. *Erga simoniacos*, et cap. *Sanè* 15, q. 3, contra simoniacos tam vendentes quàm ementes spiritualia aut etiam mediatores, ut refert D. Thomas art. 6 citato. Certum est quòd simonia purè mentalis, quæ totaliter sistit et consummatur in mente, non subjacet pœnis ecclesiasticis, imò neque simonia mentalis, quæ licet afferat opus exterius, nullatenùs tamen explicat parvum affectum, prout colligi potest ex cap. *Cogitationes* de pœnitentiâ, dist. 1. Item ex hoc quòd tunc desit pactum et conventio, proindeque non interveniat contractus exterior emptionis et venditionis, nec exterior simonia punibilis in foro externo.

Certum insuper est quòd simonia merè conventionalis, in quâ neque res spiritualis, neque pretium tradita fuerunt, sed tantùm facta est conventio de dando et accipiendo, non affert secum pœnas ipso facto incurrendas; sicut nec etiam simonia conventionalis, quæ est consummata quidem ex parte ementis, qui dedit pretium, non verò ex parte vendentis, qui spiritualia nondùm tradidit, eò quòd istæ leges canonicæ solummodò emptionem et venditionem consummatum ipso facto hujusmodi pœnis subjiciant, aliàs infligendas tantùm esse decernunt. An autem in simoniâ conventionali consummatâ ex parte solius vendentis, qui jam tradidit beneficium aut rem spiritualem, non verò ex parte ementis, qui distulit solutionem pretii promissi ipso facto incurrantur hujusmodi pœnæ, sub lite est. Quidam enim negant, idque ex stylo curiæ Romanæ, in quâ ita observatur, probant : item ex hoc quòd sola simonia ex utrâque parte consummata ipso facto pœnas juris affert. Alii verò affirmant, quia contractus emptionis et venditionis perfectè consummatus censetur, quando res est tradita emptori, etiamsi pretium nondùm fuerit venditori persolutum, sed tantùm promissum, datâque fide creditum, ut colligitur ex cap. *Ea quæ* 1, q. 3. Quidquid sit de hoc.

Certum est excipiendam esse simoniam confidentialem, ex quâ, juxta Bullas utriusque papæ Pii IV et V, in simili casu incurritur ipso facto excommunicatio soli pontifici reservata. Item decernitur quòd collatio et resignatio beneficii in talem confidentiam facta, est nulla, et sic beneficium resignare tenetur, qui illud hoc modo simoniaco accepit, omnesque fructus restituere; idque etiam non sit omninò completa simonia, quia nondùm tradidit quod promisit, sed statim ac recepit beneficium in confidentiam, dictam excommunicationem incurrit, et beneficium cum fructibus ex tunc absque aliâ declaratione dimittere tenetur, ejusque collatio ad Sedem Apostolicam reservatur, fructusque beneficiales percepti Cameræ Apostolicæ consignantur. Item qui acceperint aliqua beneficia in confidentiam, privantur omnibus beneficiis antea justè acquisitis, ipsoque jure redduntur inhabiles ad illa vel ad alia in posterum obtinenda.

Tandem simonia vera et realis, ex utrâque parte completa, pœnis relatis subjicitur : ipsas tamen re-

ipsà et de facto tales simoniacos non incurrere, nisi in beneficiis, in ordinibus, et in ingressu ac professione religionis, auctores conveniunt; idque colligunt ex extravag. 2, de simoniâ, ex constitutione Martini V, Pauli II, contra simoniacos, ex Urbano papâ V, in extravag. 1. de simoniâ, et ex cap. *Ex insinuatione*, et cap. *Quoniam* de simoniâ. Hujus ratio esse potest, quia ex simoniâ in his contractâ Ecclesia graviora mala proficisci, et majora disciplinæ canonicæ eversionis pericula, scandalaque imminere prospexit. Debent tamen judices, dùm viâ accusationis aut inquisitionis procedunt ex officio, debitas pœnas pro qualitate criminum simoniacis infligere, de quo tamen certa regula præscribi nequit : solùmque de tribus principalioribus pœnis acturi sumus in sequentibus.

§ 1. *De censuris latis contra simoniam committentes in ordinibus, in ingressu, vel professione religionis, et beneficiis.*

Ex simoniâ reali completâ in ordinum susceptione contractâ, excommunicationem papæ reservatam incurrunt, tam ordinans quàm ordinatus, etiamsi eam simoniam occultè incurrerint ex extravaganti 2. *Cùm detestabile* de simoniâ, et ex cap. *Placuit* 1, q. 1. Igitur qui simoniacè aliquem ordinat, aut ad hoc modo conferendum ordinem mediator, seu præsentator existit, quâcumque dignitate etiam cardinalitiâ existat, eo ipso excommunicationem papæ reservatam incurrit ex dictâ extravag. Item est privatus et suspensus à collatione quorumcumque ordinum, etiam primæ tonsuræ, per Bullam Sixti papæ V, contra malè promotos, quæ incipit : *Sanctum et salutare;* nec quantùm ad hoc revocata fuit per Bullam Clementis VIII. Item est suspensus ab executione omnium aliorum munerum pontificalium, eique interdictus est ingressus Ecclesiæ ex eâdem Bullâ. Tandem si contra suspensionem vel interdictum fecerit, est suspensus ab administratione suæ Ecclesiæ, et à perceptione fructuum suorum beneficiorum ex eâdem Bullâ.

Similiter simoniacè ad ordines promotus, primò est excommunicatus extravag. *Cùm detestabile*. Secundò est suspensus ab executione susceptorum ordinum, et ab aliis suscipiendis, ut habetur expressè in Bullâ Sixti V ; si verò ab alio, ipso nesciente data fuerit pecunia pro susceptione ordinum, multi negant, istum incurrere suspensionem, apud Bonacinam q. 7, § 6, prop. 1; et Lessium, lib. 2, cap. 35, dub. 24. Alii contrarium docent apud Felinum in cap. *Per tuas*, num. 3, et est expressa D. Thomæ, sent. 2-2, q. 100, art. ultim. ad 3. Item si præsumpserit ministrare in his censuris, efficitur irregularis. Tandem per Bullam Sixti V, ipso facto privatur omnibus dignitatibus, officiis, beneficiis, et redditur inhabilis ad omnia. Id tamen negat Bonacina. Si spectemus solum jus antiquum, episcopus absolvere potest à censuris, aut cum simoniaco ordinato dispensare, præsertim si delictum sit occultum et non deductum ad forum contentiosum, ex Trident. sess. 24, cap. 6, quod Lessius verum esse dicit, etiamsi cum eo episcopo simonia commissa fuisset. Ubi tamen Bulla Sixti V est recepta, non potest episcopus ab his censuris absolvere, saltem si delictum sit publicum. Vide D. Thomam 2-2, q. 100, art. ultimo, ad 1.

Item excommunicantur ipso facto tam qui beneficium simoniacè acquirit, quàm ille qui confert vel procurat alteri per simoniam realem completam vel confidentialem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, confirmando, commendando ; et excommunicatio reservatur pontifici, etiamsi delictum non fuerit publicum. Ex extravag. *Cùm detestabile*.

Nomine autem beneficii hìc comprehenduntur abbatiæ, prioratus, et prælaturæ regularium, quæ non consistant in nudâ commissione, ad nutum revocabili, sed per electionem aliamve providendi rationem alicui tanquàm munus ordinarium conferuntur : tum quia dicta extravagans ea officia comprehendit : tum quia de illis est eadem ratio ac de beneficiis, et non impropriè inter beneficia computantur. Ita Cajet., in Summâ, verb. *Excommun.* cap. 7; Navarrus, cap. 23, num. 111 ; et cap. 27, num. 106, et alii. Qui omnes addunt, quòd licet pensiones clericales sint materia simoniæ in eo qui pretio illas in alterum transfert, aut ex pacto per anticipatam solutionem privatâ auctoritate extinguit : in his tamen non incurritur excommunicatio, quia nomine beneficiorum, non solent comprehendi pensiones temporales super beneficiis impositæ, sicut neque vicariæ temporales ad nutum amovibiles, capellaniæ collativæ, etc., non enim pœnæ sunt extendendæ ultra casus in jure expressos. Tandem simonia realis completa circa ingressum religionis, seu cum pacto dandi aliquid pretio æstimabile pro ipso statu religioso, inducit excommunicationem papæ reservatam, singularibus personis tam dantibus quàm recipientibus. Item suspensionem conventui si consenserit, seu capitulum suspenditur ab officio capitulari ad jurisdictionem vel administrationem ecclesiasticam pertinente. Ex extravag. Urbani papæ IV, relatâ.

An verò dantes vel recipientes aliquid non pro pretio statûs religiosi, sed solùm pro sustentatione novitii, incidant in istam excommunicationem, certum est quòd si conventus fuerit pauper, non incurritur simonia, proindequè nec censura ; si verò fuerit opulentissimus, divus Thomas et alii volunt tunc incurri. Alii verò negant, juxta superiùs dicta.

Quidam volunt dantes aut recipientes pecuniam pro ingressu religionis, committere quidem simoniæ culpam, quia susceptio habitûs ordinatur ad professionem : nihilominùs probabile esse non incurrere censuras, donec professio admittatur; quia censura non incurritur nisi adsit effectus completus sub censurâ prohibitus ; quamdiù autem non emittitur professio, non est completa receptio et admissio in religionem. Unde licet ingressus fuerit simoniacus, si tamen postea factum retractetur, vel non accipiatur pecunia, aut reddatur, et professio gratis admittatur, nulla incurritur excommunicatio : sicut è contra si receptio ad habitum gratis facta fuit, et postea tempore profes-

sionis aliquid exigitur, censura contrahitur, quia tunc intervenit actus sub censurâ prohibitus. Alii tamen communiter contrarium docent, nempe has pœnas incurri tam pro ingressu simoniaco, quàm pro professione, cap. *Ex insinuatione*, et cap. *Quoniam*, de Simoniâ. Ubi Innocentius III decernit moniales tam recipientes quàm receptas, sine spe restitutionis de suo monasterio expellendas, et in locum arctiorem ad agendam pœnitentiam detrudendas. Urbanus V, pœnas pœnis addendo, declaravit pro receptione simoniacâ incurri easdem censuras ac pœnas contra simoniacos in ordine aut beneficio latas à Mart. IV et Paul. II. Vide Arauxo p. 2, disp. 14, art. 6, num. 13.

§ 2. *De secundâ pœnâ simoniaci, nempe quod teneatur rem spiritualem, v. g., beneficium dimittere.*

Contractum simoniacum ipso jure naturali esse nullum et irritum, aliqui negant; quia emens rem spiritualem non facit injustitiam, sed illam patitur cùm deberet eam recipere gratis, sicque dando pro illâ pretium, solummodò peccat contra religionem. Nec etiam vendens, quia collatio et alienatio ejus quoad substantiam non est contra domini voluntatem, cùm dominus absolutè non prohibuerit eam dispensare, solùmque sit invitus quoad modum dispensandi. Vellet enim dari gratis : sicque ille qui eam pretio accipit, validè possidet, nec jure naturæ restituere tenetur. Ita Sotus, lib. 9 de Just. q. 8, art. 2, ad 2· Sylvester, verb. *Simonia*, q. 20, num. 1, Navar., cap. 23, num. 9, Victoria, Lopez, Arag., Villalob., idque Arauxo, p. 2, disp. 14, art. 6, num. 17, pluribus rationibus confirmat. Affirmant verò alii, quia ad actionem turpem, quæ absque peccato fieri nequit, non potest esse obligatio, nec de eâ præstandâ fieri contractus validus. Ista autem commutatio est intrinsecè mala. Nec refert collata simoniacè sacramenta validè ministrari : id enim non contingit ex vi contractûs simoniaci, sed ex vi institutionis Christi. Idem dicendum de jurisdictione vel administratione et collatione simoniacis rerum spiritualium, nempe earum dominium vel non transferri in accipientem; vel transferatur, id non provenire ex vi contractûs, sed ex institutione Christi et Ecclesiæ. Sic ordines simoniacè accepti, manent validi quoad characterem. Verùm privantur exercitio, cap. *Per tuas*. Et cap. *Si quis* de simoniâ, et ex D. Thomâ 2-2, q. 100, art. 6, ad 1. Item consecratio et benedictio Ecclesiæ simoniacè facta est valida. Item si quis vendat calicem consecratum majori pretio propter consecrationem, non propterea eam amittit, nec emptio est invalida. Tandem in professione religiosâ simoniacè factâ, constat eam esse validam ex cap. *Veniens* de sim. et ex D. Thom. 2-2, q. 100, art. 6, ad 5. Hæc igitur et similia non sunt valida ex vi contractûs simoniaci, qui nullus est, sed solùm ex Ecclesiæ constitutione; quæ ita disposuit ob bonas rationes, vel ratione voti. Quamvis etiam dici posset, quòd in ordine et professione religiosâ intervenit etiam aliqua pœna et privatio ecclesiastica, quatenùs scilicet, non quidem secundùm totum, sed secundùm partem dimitti debent. Nam simoniacè promotus privatur exercitio ordinum; et simoniacè professus expellitur ex monasterio, et in aliud arctius recludendus ad agendam pœnitentiam deportatur. Difficultas ergo solùm movetur de beneficiis simoniacè acceptis.

Et quidem non teneri jure divino et naturali illud dimittere, qui sic accepit, tenet communior sententia. Si enim naturaliter et ex jure divino talis obligatio oriretur, reperiretur etiam in simoniacè ordinato, et professo, et in aliis simoniis jure naturali et divino non minùs prohibitis, quàm in simoniâ beneficiali; cùm utrobique sit par ratio si jus divinum et naturale spectemus. Deinde hîc nihil deficit ad substantiam acquisitionis et ad dominium transferendum : nam est potestas in conferente, capacitas in accipiente, et vera voluntas ac intentio in utroque. Inprimis enim conferens potest absolutè beneficium donare; deinde accipiens per simoniam non fit incapax acquirendi, cùm iste posset donare gratis, et ille sic recipere. Quòd autem cum pretio vel sine pretio fiat, id reddet quidem actum licitum vel illicitum, non tamen invalidum, ut constat exemplis jam adductis : nam simonia non habet majorem vim naturalem auferendi potestatem à conferente, et capacitatem à recipiente beneficium, quàm alia peccata, neque majorem repugnantiam; sed ambitio, superbia, avaritia aliaque peccata aliquando concomitantia, istam collationem et receptionem, de se non tollunt : ergo neque simonia, etc.

Si dicas D. Thomam 2-2, q. 100, art. 6, in corp., ratione naturali demonstrâsse eam obligationem dimittendi ac restituendi rem spiritualem simoniacè acceptam, eò quòd hæc venditio sit contra voluntatem veri ipsius domini; respondent 1° quòd licet alienatio simoniaca sit contra domini voluntatem eò quòd absquæ debitâ reverentiâ ejus res tractetur et vilipendatur, postquàm tamen est facta, nulla fit ei injuria in retentione, modò debitè administretur; sicut obligatio ad actum turpem committendum non tenet, postquàm tamen est adimpletus et executioni mandatus, valida est traditio pretii pro eo, ut constat de copulâ cum meretrice habitâ quæ pecuniam proinde non tenetur restituere, quamvis illicitè copulam promiserit et permiserit. Resp. 2° quòd quando dominus prohibuit absolutè rem suam alienari, et est invitus quoad substantiam, non est valida alienatio, nec potest ab accipiente res illa retineri : secùs si fuerit invitus tantùm quoad modum alienandi pro pretio, ut hîc contingit. Resp. 3° rationem D. Thomæ esse optimam congruentiam ad justificandas et confirmandas leges pontificias, quas D. Thomas in toto illo articulo supponit, irritantes istas beneficiorum alienationes et translationes simoniacas. Et sanè si ob simoniam quis foret inhabilis jure divino et naturali ad accipiendum et retinendum beneficium, non esset in potestate pontificis cum eo dispensare, eamque collationem validam efficere, cùm non sit supra jus naturale et di-

vinum, quod tamen est contra praxim. Imò si quis simoniacè in papam foret electus, nunquàm posset rehabilitari. Tandem sola violatio justitiæ commutativæ de jure naturali obligat ad restitutionem : simoniaca autem actio de se est contra religionem; non verò contra justitiam, nisi quis vendat ea quæ ex justitiâ ministrare tenebatur. Verùm tunc aliunde quàm ex simoniâ hæc obligatio provenit.

Quidquid sit de hoc, examinabitur enim exactiùs parag. sequenti, difficultas est de jure positivo ecclesiastico tantùm, an scilicet annullaverit ipso facto translationem simoniacam beneficiorum, obligârit simoniacum ad restituendos fructus, reddideritque inhabilem ad alia beneficia.

Dico igitur, eum qui beneficium ecclesiasticum simoniacè accepit, teneri jure positivo humano illud quamprimùm dimittere cum amissione pretii pro eo dati, in conscientiâ ante sententiam judicis. Ita communiter auctores, licet aliqui velint hanc pœnam non incurri nisi post judicis sententiam.

Prob. 1° ex extravag. secundâ Pauli II, *Cùm detestabile*. Ubi pontifex decernit electiones, præsentationes, collationes et alias provisiones beneficiorum per realem simoniam factas, esse irritas, ut nullum jus tribuere, ut provisi fructus faciant suos, sed sub periculo animæ suæ ad eorum restitutionem teneri, sive delictum fuerit occultum, sive manifestum. Hoc ipso enim quòd collatio est nulla, sive occultè sive manifestè fiat recipiens beneficium nullum jus ad illud acquirit, nec proinde ad ejus fructus; sicque in conscientiâ ante judicis sententiam renuntiare teneretur, et quod accepit utpote alienum restituere. Idque D. Thomas, 2-2, q. 100, art. 6, in *Sed contra* probat ex can. *Si quis episcopus* 1, q. 1. Et latiùs explicat ibidem, ad 3. Idem, habetur cap. *Inquisitionis* de accusationibus. Item cap. *Matthæus*, et cap. *Sicut tuis* de simoniâ, et passim in jure.

Idem dicendum de eo qui simoniam quidem non fecit, sed tamen eo sciente et non contradicente, ab alio pro ipso facta est, ex cap. *Nobis fuit* de simoniâ, junctâ glossâ. Et ex cap. *Sicut tuis* eodem titul. Vide Covar. regulâ *Peccatum*, parte 2, § 8, num. 7. Imò D. Thomas loco citato docet etiam eum qui hoc ignorans accepit beneficium per simoniam ab alio factam, teneri ad illud resignandum, eò quòd collatio sit nulla, exceptis his casibus. Primò si ejus inimicus in odium fraudulenter dedisset pecuniam pro beneficio, ut reipsà illo privaretur. Secundò si admonuerit expressè ne ad hunc finem, ulla fieret pecuniaria conventio ex cap. *Nobis fuit*, et cap. *Sicut tuis liberis*, titul. de Simonia. Verùmtamen qui citra duos istos casus ignorans pro se alterius factam simoniam, bonâ fide provisus fuerit, sed ante exactum triennium hujus simoniæ notitiam habet, poterit à proprio episcopo dispensari, quamvis pretium simoniacum fuerit ab altero sine provisi culpâ persolutum, et sic à suo ordinario rehabilitatus, poterit de novo provideri de eodem beneficio citra recursum ad papam juxta Guillelmum Durandum, Joannem Andræam, Zerolam et alios quos citat Cabezutius, lib. 5, cap. 3, num. 3. Qui addit quòd iste si in illâ ignorantiâ et bonâ fide integro triennio perstiterit, juvabitur privilegio triennalis pacificæ possessionis, et refert Gomezium, Rebuffum, Bonacinam, q. 7, § 2, num. 20. Aliqui hoc negant, quia in hâc regulâ excipitur simoniaca possessio *absque simoniaco ingressu*. Verùm auctores supra allati dicunt hæc verba intelligenda esse de eo qui scienter per se vel per alium adeptus est beneficium ex suâ culpâ atque simoniâ, non verò de illo qui bonâ fide et absque suâ culpâ illud habuit. Iste enim etiam post pacificam triennalem possessionem beneficii tenetur illud dimittere, et contra illum potest lis moveri. Ita Suarez, lib. 4 de Relig., cap. 57, num. 9, dub. 25, num. 140; Villalob. Comes, Ugolinus, Palaus et alii.

Si verò iste bonâ fide possidens beneficium, et ignorans id esse factum per simoniam alterius, intra illud triennium hoc sciens pacto consenserit, ratumque habuerit, pecuniam promissam solvendo, aut reddendo illi qui pro se dedit simoniacè, imò etiamsi antea contradixisset, tamen post adeptum beneficium consenserit et pecuniam solverit, tunc juxta D. Thomam, loco citato, tenebitur ad resignandum beneficium et ad reddendum fructus perceptos, etiam ante judicis sententiam, cùm ipso facto incurrat hanc pœnam à jure his simoniacis inflictam; ut colligitur ex cap. *Sicut tuis*, et ex cap. *Nobis*, de Simoniâ. Quia licet requiratur condemnatio judicis ut aliquis privetur bonis temporalibus jam acquisitis, quorum habet verum dominium, non tamen ut spolietur bonis communibus Ecclesiæ, quæ appropriantur unicuique juxta ejusdem Ecclesiæ leges; ipsis autem juribus beneficiarius simoniacus de facto privatur beneficio et fructibus, aliisque pœnis mulctatur, ut refert. D. Thomas loco citato.

Igitur qui simoniacè beneficium habet, simoniæ consentiens, protinùs nullâ exspectatâ judicis sententiâ tenetur illud resignare in manibus prælati; quia antiquus possessor liberè à se titulum beneficii abdicavit, et aliunde legibus pontificiis inhabilis effectus est ad idem beneficium. Ergo non debet ipsi reddi, sed in manibus prælati reponi. Quidam excipiunt papatum ex cap. *Licet de evitandâ*, titul. de Electione; quoniam in aliis electionibus patet recursus ad superiorem, ut eas existente legitimâ et rationabili causâ ratas et validas reddat; qui tamen recursus in pontificis electione non patet. Lessius tamen lib. 2, cap. 35, dub. 25, num. 145, dicit contrariam sententiam nempè quòd talis non sit verus pontifex et teneatur pontificatum dimittere, videri quibusdam veriorem Nam cap. *Si quis pecuniâ*, distinct. 79, Nicolaus papa II decernit istum non esse canonicè electum. Idemque probari potest ex concilio Lateran. sub Julio II, sess. 5. Advertit tamen Lessius, quòd iste etiamsi fortè à parte rei non esset verè pontifex, ob hos vel similes canones, tamen hoc ipso quòd recipitur à duabus partibus cardinalium, esset habendus ab Ecclesiâ pro pontifice, ut patet ex dicto cap. *Licet*. Sicque ratione tituli colorati, concurrente communi errore,

in suis definitionibus habebit infallibilem auctoritatem, Deo illi propter commune bonum assistente. Unde Ecclesia non erit incerta de suo capite; quia sciet quis ex parte rei verè sit caput, vel quis pro tali sit habendus. Verùm id examinare non est hujus loci; vide à nobis dicta in tract. de Fide.

Tenetur insuper ad restituendum fructus non solùm perceptos, sed etiam eos qui percipi potuerunt à possessore diligenti. Quod tamen intelligendum est de fructibus qui supersunt, deductis expensis factis causâ fructuum, exceptis fructibus illis qui aliàs expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ, ut ait D. Thomas loco citato. Uno verbo tenetur restituere omnes fructus qui proveniunt à beneficio, non verò illos qui correspondent ejus industriæ, labori, etc. In quo iste differt ab eo qui consecutus est beneficium ignorans simoniam ab alio pro se factam, aut contradicens, aut non consentiens, nec approbans illam, sive ante, sive post adeptionem beneficii : hic enim tenetur quidem resignare beneficium cum fructibus extantibus et in quibus factus est ditior : non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bonâ fide possidet. Ita D. Thomas loco citato. Porrò hujusmodi restitutio fructuum perceptorum ex beneficio simoniacè obtento, fieri potest vel Cameræ Apostolicæ, ubi jus spoliorum viget. Stando tamen in jure communi videntur illi fructus restituendi Ecclesiæ beneficiali, cui illata fuit injuria in ejus beneficio simoniacè collato, ut docet D. Thomas loco citato ad 4, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ indigenti, de auctoritate superioris. Quidam tamen volunt auctoritatem superioris ad hoc minimè requiri, quia illorum nullus apparet legitimus dominus. Probabile quibusdam videtur hos fructus successori in beneficio relinqui posse ac restitui, Clement. de Elec. et cap. *Cùm vos*, de Officio ordinarii. Alii tandem dicunt istum simoniacum posse tanquàm de bonis incertis, cum Papâ compositionem facere. Mediatores quoque et cooperatores simoniæ in defectum beneficiarii simoniaci, tenentur ad eamdem fructuum restitutionem, cùm ipsi suâ culpâ causam damni dederint, eâdemque excommunicatione Papæ reservatâ ligantur ipso facto ex extravag. *Cùm detestabile*. Ex quibus omnibus patet has leges pontificias de resignatione beneficii et restitutione fructuum non esse pœnales solùm, sed irritantes actiones, et inhabiles constituentes personas ad hæc retinenda, et horum rationem affert D. Thomas, art. 6, tum in corp., tum ad 3.

Disputant auctores an ista simonia, non solùm ipso facto privet personam beneficio per eam acquisito, sed etiam aliis antea jam ritè et legitimè obtentis? Respondent communiter negativè, sed solùm per sententiam judicis posse illis eorumque fructibus in pœnam et odium delicti privari. Nec vacare per supervenientem simoniam ipso facto, in ullo jure exprimitur. Excipitur tamen simonia confidentialis, in quâ propter motum B. Pii V, simoniacus omnibus beneficiis antea obtentis ipso facto privatur. Item excipitur simonia commissa in electione summi pontificis ut statuit concil. Lateran. sub Julio II, sess. 2. Tandem in simoniâ per quam examinatores futurorum parochorum aliquid ab eis recipiunt, sive ante, sive post examen, ut statuit Trident., sess. 24, cap. 18 de Reformat. Et docent Navar. concil. 32 de Simon., et Lessius, lib. 2, cap. 35, dub. 26, qui tamen addit in his omnibus videri usu receptum, ut non teneatur qui sua beneficia dimittere ante sententiam judicis. In istis tribus casibus inducitur privatio omnium quæ quis possidet beneficiorum, et etiam inhabilitas ad futura recipienda ipso facto ante judicis sententiam.

An autem eadem inhabilitas ad futura beneficia obtinenda incurratur extra istos tres casus in aliis simoniis beneficialibus, negant uterque Navarrus et alii, quia in jure nihil de hâc inhabilitate exprimitur. Affirmant verò Bonacina, Filiucius, Ugolinus, Lopez, Gregorius Tolosanus, et alii, idque probant ex extravag. *Cùm detestabile;* et ex caus. 1, q. 1, ubi plures canones declarant simoniam inducere in subjecto ipso facto incapacitatem ad beneficia. Sublato tamen per absolutionem illo incapacitatis obice, tunc debitè absolutus recuperat ad beneficia obtinenda habilitatem. Hæc autem dispensatio et absolutio pertinet ad solum pontificem, etiamsi delictum fuerit occultum. Plures docent, quòd exceptis beneficiis, aliæ res spirituales simoniacè acceptæ non sunt obnoxiæ restitutioni etiam jure ecclesiastico ante judicis condemnationem, quia non potest afferri textus in quo hæc pœna de facto imponatur exceptis beneficiis et eorum fructibus, ut jam ostendimus.

Quòd si dicas contractus et pactiones simoniacas esse irritas, nulliusque valoris, ut habetur cap. *Fin.*, de Pactis; et cap. *Matthæus;* et cap. *Consulere*, de Simoniâ; et cap. *Præterea*, de Transactionibus. Ergo qui rem spiritualem simoniacè accipit, non acquirit ejus dominium, nec proinde illam retinere potest. — Resp. Lessius dub. 30, inde tantùm sequi rem spiritualem, quæ restitui potest, esse restituendam, si repetatur, et pretium pro eâ datum restituatur : non autem altero non repetente, aut nollente pretium reddere. Quamvis enim pactum sit irritum, non tamen obligat ad mutuam restitutionem cum damno partis, nisi superior in pœnam ad hoc cogat. Vel, ut alii volunt, in his juribus irritatur solùm contractus et pactio de futuro, quia nullus obligari potest ad turpem actum et peccatum : non verò post ejus executionem, jam factam, et rerum traditionem, quæ potest habere suum effectum usquequò à superiore rescindatur, etiamsi illicitè fiat, ut de meretrice jam diximus.

§ 3. *De tertiâ pœnâ, nempe restitutione pretii simoniacè accepti.*

Attento solo jure positivo ecclesiastico, nulla exstat lex expressè obligans ad restituendum pretium simoniacè acceptum, nisi in odium delicti, in his tribus casibus, scilicet pro ordine, beneficio, et ingressu religionis. Primò igitur pretium acceptum, pro collatione ordinum vel aliorum sacramentorum aut sacramentalium est restituendum : item stipendium si nota-

biliter excedat id quod pro sustentatione exigi poterat, saltem quoad illum excessum. Verùm, ut notat Lessius, hoc jure divino potiùs quàm ecclesiastico est restituendum. Imò jus ecclesiasticum nihil invenitur eâ de re disposuisse. Quare attendendo ad illud jus præcisè, videtur quòd in hâc simoniâ, sicut et in aliis ab Ecclesiâ introductis, superior quidem in odium delicti possit præcipere restitutionem pretii simoniaci, et tunc in conscientiâ, qui accepit restituere tenebitur, non tamen ante condemnationem, cùm nullum extet jus hanc inducens obligationem. Secundò ubi pretium acceptum fuit pro ingressu religionis est restituendum, ex cap. *Veniens* 19, de simoniâ. Putant nihilominùs Bonacina, Lessius et alii, ex vi præcisè juris ecclesiastici hanc obligationem restituendi non incurri, nisi post condemnationem judicis. Tertiò ubi pretium acceptum fuit pro collatione beneficii, aliove actu ad hunc finem ordinato, ut sunt electio, præsentatio, confirmatio, etc., facienda est restitutio, idque statuitur cap. *De hoc*, tit. de Simoniâ, in quo dicitur esse restituendum Ecclesiæ cui facta est injuria, *quia acceptum illud sine gravi salutis suæ periculo retinere non possunt.* Proindeque statim in conscientiâ, etiam ante judicis condemnationem est restituendum, cùm constet id quod non est restituendum ante judicis sententiam, posse interea absque salutis periculo retineri. Unde sicut jus, recipientem tale pretium, reddit incapacem retinendi, sic à dante removet facultatem repetendi illud, et utrumque in pœnam delicti illo privat, applicando Ecclesiæ quæ fuit læsa in suo beneficio irreverenter tractato, nisi fortè obtineatur compositio à sacrâ pœnitentiariâ dùm crimen est occultum, aut ab Apostolicâ Datariâ si crimen sit publicum, aut nisi consuetudine sit receptum, ut detur pauperibus. Ratio hujus est, quia emens beneficium non dat pretium sub conditione transferendi dominium pretii in eum qui vendit, sed in eum ad quem de jure pertinet ex Ecclesiæ statuto; Ecclesia siquidem acceptat in hâc parte venditionem illam et emptionem; seu ut meliùs dicam, non irritat vim contractûs, qui ex naturâ suâ transfert dominium pretii in vendentem rem spiritualem, sed cùm res spiritualis sit Dei et Ecclesiæ, vult quòd pretium in Christi aut Ecclesiæ cedat utilitatem, eique restituatur; sicque ex vi talis contractûs additâ lege ecclesiasticâ pretium transfertur in dominium Ecclesiæ læsæ. Per accidens tamen hæc restitutio fieri potest pauperibus, de consensu superioris, in casu quo capitulum vel collegium vendiderit beneficium, ut docent D. Thomas, 2-2, q. 100, art. 6, ad 4; et qu. 62, art. 5, ad 2. Cajetanus qu. 32, art. 7, ad 2. Item Victoria, Covarruvias, Aragon. Turrecrem. D. Anton., Sylvester, Arauxo, Torres et alii.

Difficultas est an jure divino, qui pretium simoniacè accepit restituere teneatur, et inprimis certum est, quòd qui pretium accepit, sed rem spiritualem non tradidit, jure naturali tenetur illud restituere, non quidem Ecclesiæ vel pauperibus, sed eidem à quo accepit, rescindendo contractum. Hic enim videtur habere jus naturale repetendi, quia non dedit nisi sub conditione, quæ non est adimpleta, et ob causam quæ minimè secuta est, sicque potest suum pretium repetere, et alter eidem restituere tenetur, quo tamen postea posset à judice in pœnam delicti privari. Ita Navarrus, Cajetanus in Summâ, verb. *Simonia*, et alii. Certum est insuper esse obligationem naturalem restituendi pretium in simoniâ, quando cum irreligiositate conjuncta est injustitia, ut si quis accepit pretium pro re spirituali, quam ex justitiâ gratis conferre aut ministrare tenebatur. Hinc parochus cui assignata est congrua sustentatio, tenetur ad restitutionem, si pro sacramentorum administratione mercedem contra Ecclesiæ consuetudinem exigat. Idem dicendum de eo qui exigit pro stipendio sustentationis, labore et ministratione spiritualium aliquid excedens contra statutum, taxam et consuetudinem approbatam : tenetur enim jure naturali et divino ad restituendum hujusmodi excessum.

Difficultas est an in omni verâ et propriâ simoniâ, talis ratio injustitiæ reperiatur cum irreligiositate connexa, sicque quando res spiritualis fuit tradita, et pretium solutum, universaliter qui illud accepit, in conscientiâ jure divino restituere teneatur statim tanquàm rem non suam, sed alienam. Videtur quòd qui rem spiritualem simoniacè emit et dat pretium, si spectemus jus naturale et divinum, non peccet contra justitiam commutativam, nec contra Deum, quia Deus vellet res spirituales ipsi donari gratis, et non cum onere pretii; unde facit iste contra religionem irrogando injuriam rebus sacris, et est simoniacus, non tamen contra justitiam erga Deum. Nec etiam contra vendentem, quia vellet ab eodem spiritualia accipere gratis, sicut Dominus ordinavit dari; sed quia iste non vult dare sine pretio, involuntariè mixtè consentit in emptionem, sicque non celebrat absolutè talem contractum, qui est nullus, sed alium duntaxat, scilicet donationis, qui est validus, quamvis hîc et nunc illicitus et simoniacus sit, quia à vendente ponitur obex et pactum pretii, cui iste illicitè consentit, et sic cooperator ad irreligiositatem, non verò ad injustitiam. Unde potior est difficultas de vendente res sacras, utrùm peccet contra justitiam commutativam, proindeque jure naturali et divino teneatur restituere pretium acceptum.

Prima sententia est negativa. Ita Navarrus cap. 23, num. 103 et 104, ubi dicit eam esse communem canonistarum et theologorum. Eamdem docent Covarr. ad Reg. *Peccatum*, p. 2, § 8, ubi dicit esse communem. Item Sylvester, v. *Simon*, q. 20. P. à Navar., lib. 2, cap. 2, num. 400. Victoria et Cajetanus in utrâque Summâ.

Hanc limitat Lessius, dub. 28, et dicit esse veram in casu quo quis in alterius gratiam privet se aliquâ re spirituali, et pro incommodo quod patitur compensationem temporalem exigat. Iste, inquit, jure divino non tenetur ad restitutionem : hoc enim damnum temporale est per se pretio æstimabile. Imò etiamsi incommodum fuerit spirituale, non facio illi injuriam exigendo compensationem temporalem, quia nemo in

me habet jus ut suâ causâ tenear illa damna gratis subire; v. g., me privare reliquiis vel coronâ benedictâ, nec similia recuparere possem : esto quòd agatur contra reverentiam rebus sacris debitam, dùm pretio humano æstimantur. Idem etiam sentit de conferente aliquo pretio aliquid spirituale, quod annexum habet commodum temporale, ut si quis canonicatum vel episcopatum venderet, jure divino non teneretur ad illius pretii restitutionem, quia peccat quidem contra religionem, sed non contra justitiam. Secundà sententia est affirmativa, quam tenent Sotus lib. 9 de Just. q. 8. Henricus quodlib. 6, q. 26. Medina c. de Rest. q. 2. Barthol. Medina lib. 2 Summæ cap. 14, § 21. Adrianus quodlib. 9, art. 3, et alii quos citat et sequitur Torres 2-2, q. 100, art. 6, et videtur esse sententia D. Thomæ 2-2, q. 100, art 6, in corp. ubi exemplo ac ratione id probat, et ibidem ad 1 et ad 3.

Dico, vendentem res spirituales et sacras pro pretio temporali, universaliter videri peccare non solùm contra religionem, sed etiam contra justitiam, ideòque teneri jure naturali et divino ad restituendum pretium.

Probatur conclus. : Ratione D. Thomæ nullus potest licitè retinere id quod contra voluntatem domini acquisivit, puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem et ordinationem domini sui, ac venderet pro eâ accipiens pretium, non posset illud retinere. Dominus autem, cujus Ecclesiarum prælati sunt dispensatores et ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur, secundùm illud Matth. 10 : *Gratis accepistis, gratis date.* Ergo, etc. Nec valet dicere, dominum non esse invitum quoad substantiam alienationis, sed solùm quoad modum exigendi pretium. Id enim convincit optimè nostrum intentum, quia tunc fit istum œconomum vendere rem non suam, sed sui domini in hoc inviti; sicque non posse illud sibi retinere contra ejus voluntatem et expressam prohibitionem : siquidem ut venditio rei sit valida, debet esse propria res vendentis, aut si sit aliena, debet fieri de voluntate ejus domini, et ad ipsum debet pertinere ejus pretium, nisi gratuità liberalitate velit œconomo donare. Ergo in nostro casu dispensator spiritualium ea vendens, non potest sibi appropriare pretium. Quo enim titulo illud retinebit? nullo sanè, cùm non sit earum dominus, et à vero domino id sit illi expressè prohibitum, explicatur et confirmatur hujusmodi ratio. Si dominus præciperet dispensatori suo ac œconomo, ut si quando velit frumentum suum alienare, nonnisi gratis et liberaliter distribuat pauperibus in eleemosynam, et expressè illi prohiberet venditionem, iste verò pretium ab accipientibus exigeret, procul dubio, si postea dominus id non ratificaret, nec ipsi tale pretium donaret, sed reprobaret, et tale pretium tanquàm sibi injuriosum damnaret, non posset œconomus iste illud sibi retinere, sed teneretur vel restituere pauperibus, vel ipsi domino tribuere, quia voluntas pauperum ementium ad redimendam vexationem suam fuit mixta ex involuntario. Sicque istud pretium injustè accepit œconomus, nec sibi retinere potest; benè tamen pauperes justè possunt retinere frumentum, quia in hoc voluntas domini impletur. Eadem autem ratio videtur militare de vendente et emente res sacras in nostro casu. Ergo, etc. (1).

Objicies primò : Simonia est ejusdem rationis in vendente et in emente; contractus enim non debet claudicare, sed utriusque contrahentis debet esse æqualis conditio. Atqui emens simoniacè rem spiritualem non peccat contra justitiam, nec tenetur ad ejus restitutionem jure naturali et divino, prout jam insinuavimus; ergo neque eam vendens tenetur jure naturali pretium restituere. Adde quòd sæpè contingit ementem alium invitare et inducere ad vendendam sibi rem spiritualem et pro eâ voluntariè pretium offerre. Tandem vel iste contractus onerosus est validus, vel nullus jure divino. Si primum dicatur, vendens potest retinere pretium. Si verò secundum dicatur, neque etiam emens potest sibi retinere rem spiritualem.

(1) Qui simoniacè pretium accepit non tenetur *jure naturali* ad restituendum in his casibus : 1° quando conferens pretium istud habuit intentionem donandi quovis modo posset, etiam gratis; tunc enim nulla committitur injustitia, cùm donator omne dominium abjecerit in sua bona in favorem alterius; 2° quando poterat aliunde consequi pretium, titulo legitimo, ut, v. g., titulo stipendii ab Ecclesiâ determinati, modò tamen mutaverit suam intentionem simoniacam; mutatâ illâ intentione pravâ, jam pretium possidetur, non ut pretium rei sacræ, et qui illud solvit non potest esse rationabiliter invitus huic detentioni, ut per se patet; 3° quando in commutatione fuit aliquid temporale rei sacræ annexum et æquivalens pretio soluto, modò tamen illa commutatio non irritetur ab Ecclesiâ. Inter ea quæ esse possunt objectum contractûs simoniaci, alia pendent ab ordinatione Ecclesiæ, adeò ut ne validè quidem transferri possint contra illius voluntatem : hujusmodi sunt beneficia ecclesiastica; alia autem non ita pendent à voluntate Ecclesiæ, sed habent independenter ab eâ valorem pretio æstimabilem, ut sunt res temporales antecedenter annexæ rei sacræ : exempli causâ, oleum sacrum, chrisma, cruces, imagines, coronæ benedictæ, etc. In priori casu, supponendo quòd jus canonicum non solùm prohibeat, sed insuper irritet contractum, stipulatio pretii lædit simul religionem in quantum simoniaca, et justitiam in quantum fit virtute conventionis nullæ; non potest proinde retineri ullo titulo; in posteriori casu conventio inficitur labe simoniæ, saltem jure ecclesiastico, quando fuit prohibita ad reverentiam rei sacræ conciliandam sensu supra exposito, sed valet sub respectu justitiæ, quia dominium hujus rei temporalis erat penès contrahentem independenter ab Ecclesiâ et illud liberè transmisit in commutationem rei alterius acceptæ similiter temporalis et valoris æquivalentis.

Dixi, *jure naturali :* Ecclesia enim posset in his et aliis casibus, obligare eum qui pretium simoniacè accepit, ad illud expendendum in pios usus, ut sic reparetur scandalum, et reus pœnam sui peccati luat; illa Ecclesiæ ordinatio obligaret non titulo justitiæ, sed titulo vel religionis, vel obedientiæ. Nullam legem canonicam eâ de re novimus præter casum simoniæ in ordine, beneficio et ingressu religionis de quo in Mayoli textu agitur : quoad alios casus ad determinandum utrùm et cui fieri debeat restitutio, recurratur ad tractatum de contractibus ubi de *solutione indebiti* et de *conventionibus sub conditione turvi.*

Respond. D. Thomas hîc, art. 6, in corp., quòd *quicumque muneris interventu spiritualia quæcumque consequitur ea retinere non potest, quia conferens ea dat contra domini voluntatem, sicque simoniaci tam vendentes quàm ementes tenentur ad restitutionem.* Et ad primum ait dicendum quòd *ad hoc ut aliquis privetur eo quod accepit, non solùm est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ : puta cùm aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non potest.* Et 2-2, q. 32, art. 7, in corp., ait : *Alio modo est aliquid illicitè acquisitum, quia quidem ille qui acquisivit retinere non potest, nec tamen debetur ei à quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam accepit, et alter contra justitiam dedit, sicut contingit in simoniâ, in quâ dans et accipiens contra justitiam divinæ legis agit. Unde non debet fieri restitutio ei qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari. Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet datio et acceptio sunt contra legem.* Hactenùs D. Thomas. Itaque lex divina Christi Domini ore promulgata irritat tam emptionem quàm venditionem rerum spiritualium, cùm præceperit dari gratis, sicut gratis ab eo accipiuntur, per hoc ostendens esse contra earum naturam et rationem, quòd venales habeantur : sicque non solùm vendens tenetur restituere pretium, sed etiam emens debet restituere rem spiritualem, quia uterque facit contra veri Domini voluntatem et ordinationem, et injuriam Ecclesiæ irrogat, lædens eam in dispositione injustâ sui beneficii. Item quia gratia, si non gratis datur vel recipitur, gratia non est, ut probè annotavit Leo Papa I, cap. *Gratia.* Sic etiam Simon spirituale donum Dei emere volens, contra Spiritûs sancti gratiam, atque adeò contra jus divinum peccavit. Nec minorem injuriam infert Deo qui emit quàm qui vendit. Nam vult Deus gratiam suam sibi soli deberi ; qui autem emit, profitetur se non à Deo ipso tanquàm donum, sed à venditore tanquàm mercem accipere : unde utrumque et emere et vendere est contra justitiam Dei, seu contra Deum.

Deus non dedit facultatem ministris suis vendendi spiritualia, nec aliis habilitatem ea recipiendi per emptionem : ita quòd iste modus alienandi ita graviter ei displiceat, ut circa res sacras appositus, annullet omnes contractus onerosos solùmque gratuitas donationes et receptiones voluerit esse validas. Et si quando administrationes simoniacæ sint validæ, id non habent in vi et ex meritis contractûs onerosi ; sed aliunde, ait D. Thomas hîc ad 1, dicens quòd ille qui simoniacè recipit sacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam sacramenti ; non tamen recipit gratiam neque ordinis executionem, eò quòd quasi furtivè suscepit characterem contra principalis Domini voluntatem. Id ergo provenit ab institutione Christi vel Ecclesiæ, cui in hâc parte suam concessit potestatem ob bonum commune, et ne familia christiana remedio esset orbata. Admittendum est summum pontificem præmissâ resignatione spiritualium et restitutione temporalium, posse hos simoniacos absolvere et cum eis dispensare, in vi alterius collationis gratuitæ ac legitimæ. Neque enim exemplum allatum de frumento pauperibus vendito est omnino simile ; ideò enim possunt illud retinere etiam vendi tum pretio, quia est venale et commutabile ; secùs verò res spirituales. Item quia dominus frumenti ratum habet et approbat quòd illud servent : secùs verò dominus rerum spiritualium ; positivè enim resistit huic emptioni, et non vult quòd emens earum acquirat dominium, sicut nec quòd pretii dominium in vendentem transferatur. Et juxta hunc loquendi modum concedendum est totum argumentum ab adversariis propositum.

Juxta verò alium modum supra insinuatum, neganda est consequentia et paritas de emente et vendente. Vendens enim rem spiritualem facit alteri injuriam, quatenùs exigit ab eo pretium pro collatione rei quam, domino jubente, debebat illi conferre gratis, sicque emens non facit injustitiam, sed illam patitur. Nullus enim emens præsumitur in nostro casu omninò spontè ac simpliciter voluntariè velle tribuere pretium, sed solùm dat quatenùs alius rem spiritualem non vult conferre gratis, prout tenetur : sicque est tantùm in eo voluntarium mixtum, extortum per injuriam. Ideò enim vult dare, quia exigitur ; in illâ autem exactione est injuria. Sicut cùm quis exigit aliquid pro eo quod gratis facere tenebatur, ac proinde non ita transfert dominium, quin possit repetere : imò alter spontè tenebitur restituere, propter injuriam quâ extorsit : ideòque negari potest transferri dominium pretii in vendentem ; quia emens non intendit donare, sed solùm solvere quatenùs debet, seu quatenùs alter justè exigere potest : non enim intendit cedere juri suo quod habet, vel alteri dare plus juris quàm habet.

Idque confirmari potest quodammodò exemplo illius qui petit mutuum ab usurario, et offert auctarium supra sortem, videns quòd mutuum non possit obtinere gratis : iste enim non intendit transferre dominium pretii usurarii in alium, eique plus juris tribuere quàm ei debeatur : ideòque non habet titulum cur solvantur usuræ, et ab eo retineantur, sed in conscientiâ sunt restituendæ. Ita in nostro casu deest jus et titulus ad pretium rei spiritualis exigendum et retinendum : et sicut quis ordinariè non obligatur ad mutuandum, sed supposito quòd velit mutuo dare, tenetur illud facere gratis, ita non tenetur quis à se abdicare rem spiritualem, et alteri conferre, sed supposito quòd conferat, debet ex justitiâ illam gratis donare. Non enim ista collatio debet esse minùs gratuita quàm mutuatio, neque res spiritualis minùs invendibilis quàm usus pecuniæ seorsim sumptus. Item sicut usurarius tenetur restituere illud pretium usûs pecuniæ ; non verò mutuatarius summam mutuatam quam consumere potest, cùm sit verè factus illius dominus, sed solùm æquivalentem tempore præfixo reddere debet, etsi fortè peccaverit inducendo alium ad mutuandum sub usuris, et conventione de hoc factâ absque justâ necessitate : ita vendens rem spiritualem debet pretium restituere jure naturali et divino, non verò emens eodem jure se ab

dicare re spirituali emptâ, etiamsi peccaverit, etc.

Possent tamen auctores supra citati ab hoc simili se facilè expedire negando paritatem cum Soto, lib. 9 de Just., q. 8, art. 1. Usura enim solùm prohibetur in bonum proximi, puta ad cavendum injustitiam, ne pretium pro eo quod non est vendibile, recipiatur. Quare usura solùm ex parte accipientis, et non ex parte dantis est injustitia. In simoniâ verò ex utràque parte peccatur, contra Religionem et contra Dei justitiam; quippe qui non tantùm dispensatoribus suis jussit gratis donare, verùm etiam cunctis inhibuit ne aliter quàm gratis reciperent, ut illâ ratione confiterentur se à solo Deo suscipere. Hæc Sotus: quidquid tamen sit de hoc,

Objicies secundò: Si jure naturali et divino pretium esset restituendum, ei utique esset restituendum à quo acceptum fuit: alienum siquidem restituendum est ad quem pertinet, donec aliquâ lege positivâ eo privetur in pœnam. Atqui hoc est falsum, cùm liberè transtulerit ejus dominium in alium, et habuerit voluntatem à se abdicandi. Ergo, etc. Resp. quòd attento solo jure naturali et divino, pretium restituendum est ei à quo acceptum fuit, utpote qui non omninò et simpliciter voluntariè illius dominium à se abdicavit, et in alium transtulit. Ita Sotus loco citato, Bannes, 2-2, q. 32, art. 7, et Torres ubi supra; dignus est tamen ut lege aliquâ positivâ illius pretii recuperatione privetur in pœnam et odium delicti. Quamvis si vendens tale pretium traderet Ecclesiæ vel pauperibus abundè videretur suæ obligationi satisfacere. Idque emens rationabiliter deberet velle et approbare, in satisfactionem et pœnitentiam delicti sui.

Objicies tertiò: Datum ob causam retineri non potest causâ non subsecutâ. L. 1 de Condicto ob causam. Et cap. *Si necesse sit* de Donat. inter vir. et uxor.; sed ille qui dedit rem spiritualem, hâc de causâ dedit ut fieret dominus pecuniæ. Ergo, vel res spiritualis retineri potest, vel pretium non est restituendum. Resp. istud argumentum solùm probare primam responsionem primæ objectionis, et confirmare primum dicendi modum ibi relatum. Quia verò militat contra secundum, dico primò majorem esse veram, quando causa traditionis erat honesta vel justa; secùs verò si esset injusta vel inhonesta, ut constat juribus allatis; tunc enim ejusmodi conditio rejicitur, et pro non adjectâ reputatur. Dico secundò vendentem res spirituales ac tradentem habere intentionem absolutam, ut constat de conferente ordines simoniacè; aliàs ista collatio esset invalida quoad substantiam: tradentem verò pretium habere solùm intentionem et voluntatem conditionatam, seu solvendi quatenùs debet, et quatenùs alius justè exigere potest; sicque pretii non transferre dominium, etc.

Objicies quartò: Pecunia accepta per simoniam mentalem non est restituenda. Ex cap. ultimo de Simoniâ, ubi Gregorius papa IX expressè determinat simoniacos mentales non teneri ad resignationem spiritualium et temporalium ex pravo affectu acceptorum, sed per solam pœnitentiam satisfacere suo Creatori. Idemque adstruit D. Thomas hîc, art. 6, ad 6; ridiculum autem esset dicere D. Thomam loqui de simoniâ purè mentali, in quâ exteriùs nihil apparuit, nihilque datum aut acceptum fuit; quia in toto articulo D. Thomas disputat an aliquis justè privetur eo quod simoniacè acquisivit. Ergo neque ex simoniâ reali oritur obligatio restituendi pretium: probatur conseq.: sunt enim ejusdem speciei, ut utraque secundùm jus divinum est verè simonia injuriosa Deo, illicita datio et acceptio fit in illis. Nomine enim simoniæ mentalis non intelligimus illam, quæ in solo affectu et intentione præcisè consistit absque ullo actu exteriori, seu quam quis committere intendit, absque ullo externo opere eâ mente præstito, sed illam quâ quis latente intentione pecuniam accipit in pretium, aut ex aliquibus signis probabiliter putat illam sibi ab alio dari etiam tanquàm pretium, nihil exteriùs de hoc ambo expressè dicentes, explicantes, aut paciscentes.

Huic difficili argumento duplex solet adhiberi responsio, juxta duplicem auctorum sententiam. Prima enim concedit antecedens, et negat conseq., quia in hâc simoniâ mentali, deest pactum et promissio pretii, proindeque et vera ratio emptionis et venditionis, quæ invenitur in simoniâ reali. Ita Cajet. in utràque Summâ; Navar., cap. 23, num. 102, ubi multis probat argumentis. Item P. à Navarrâ, lib 2 de Rest. c. 2, num. 373; Sylvester, v. *Simonia*; Covar. ad Regul. *Peccatum*, p. 2, § 8; Victoria, p. 2, relec. de Sim.; Arauxo p. 2, disp. 14, art. 6, et dub. 3, num. 17, ubi citat Vasquem, Malderum et alios.

Secunda sententia negat antecedens. Ita Sotus, lib. 9 de Just., q. 8, art. 1, in fine; Henricus quodlib. 6, q. 26; Adrianus quodlib. 9, art. 3; Joannes, et Bartholom. Medina, Torres q. 100, art. 6, disp. 6, conclus. 2, et alii docentes simoniam mentalem cum hâc pravâ intentione latente opere completam, ex utràque parte perfectam cum traditione rei spiritualis, et solutione pretii, non inducere quidem jure positivo obligationem restituendi aliasque pœnas ab Ecclesiâ inflictas, quia deest conventio, nec exteriùs apparet emptio et venditio completa; benè tamen jure divino, naturali et in conscientiâ coram Deo. Tum quia, ut benè ratiocinatur Sotus, si ex simoniâ reali oriatur in conscientiâ obligatio restituendi ex naturâ rei, oportet ut sequatur ex vi actionis secundùm se et ex injustitiâ in eâ inventâ. Sed eadem est actio et injustitia in opere subsecuto ex simoniâ mentali, solùmque differunt in modo; quia in reali intervenit pactum secùs in mentali: quod parùm refert ad restitutionem, si iniquitas jure naturali est eadem coram Deo. Ergo, etc. Tum quia omnis acceptio exterior de se injusta et procedens ex intentione injustâ obligat ad restitutionem. Atqui simonia illa mentalis opere executa, talis est; procedit enim ex intentione iniquâ proportionatâ materiæ injustæ, et in re exequitur actionem contra justitiam accipiendo pretium. Ergo, etc.

Denique usura mentalis, opere subsecuto, quamdiù non retractatur usuraria intentio, jure naturæ obligat

ad restituendum pretium acceptum, ut ostendetur in 3 lib. quæst. 1; ergo et simonia mentalis; quod enim in temporalibus est et facit usura, in spiritualibus est simonia : ideò enim usura mentalis tunc obligat ad restitutionem, quia habet eamdem malitiam ac usura realis. Atqui eadem ratio militat pro simoniâ mentali, quæ imperat actum externum. Ergo, etc.

Ad decretalem Gregorii IX, relictis variis expositionibus quæ videri possunt apud utrumque Navarrum, Sotum et alios locis citatis, — resp. Pontificem loqui solùm de fore externo in quo judex non potest hos simoniacos mentales compellere ad resignandum, satisfaciendum et restituendum, nec proinde obligationem restituendi aliasque pœnas jure positivo humano inflictas incurrere : teneri tamen in foro conscientiæ ex jure divino et naturali, Deo satisfacere per pœnitentiam, retractando et non adimplendo, ac mutando illam pravam intentionem, cum quâ si acceperint pretium, illud ex justitiâ restituere tenentur in conscientiâ : aliàs non veraciter pœnitentiam agerent, cùm non dimittatur peccatum nisi restituatur ablatum et injustè acceptum.

Casus de quo fuerat interrogatus pontifex respiciebat quosdam monachos qui animo simoniaco admiserant juvenem ad religionem, et propter illius ingressum facti sunt hæredes bonorum illius. Videtur itaque pontifex velle quòd dicta bona possent retineri à monachis, mutatâ priori intentione pravâ, de quâ coram Deo pœnitere debebant, et habere intentionem ea recipiendi ex gratuitâ donatione, aut pro sustentatione illius juvenis, aliove justo motivo. Vel quia, si monachi fecissent restitutionem, ad quam jure naturæ tenebantur, eam illi juveni facere debuissent; ille autem per professionem abdicaverat à se dominium, et transtulerat in monasterium; quidquid enim acquirit monachus, acquirit monasterio. Ideòque cum isto justo titulo hæc bona essent acquisita conventui, rectè judicavit pontifex restituenda non esse in hoc casu particulari : nec tamen idem universaliter statuit pro aliis simoniacis mentalibus. Quorsùm enim de re tam obscurâ sententiam definitivam pro omnibus universaliter ferre voluisset? Tandem vult papa quòd factâ dispensatione resignatio tam temporalium quàm spiritualium, nempe præbendæ, quam fortè animo simoniaco monachi acceperant, illius fructuum, quæ aliàs sine tali dispensatione necessaria erat, non fieret : nec tenerentur ampliùs resignare, sed per solam pœnitentiam satisfacerent Creatori. Similiter nec illi religiosi sic recepti simoniacè, inde abire cogebantur, et transire ad aliud monasterium, ut injunctum est in concilio generali Constantiensi, sicut habetur cap. *Quoniam*, sed solam per pœnitentiam satisfacere Deo tenebantur. Ubi *τὸ solam* non excludit quin ex naturâ simoniæ facienda esset hæc resignatio spiritualium, et restitutio temporalium : imò cùm dicat mandatum dispensandi ad id extendi, palàm docet super his dispensationem fuisse necessariam.

Ad D. Thomam dicendum, inquit Torres, eum loqui de abrenuntiatione beneficii, quæ est pœna ecclesiastica, nullamque de restitutione mentionem facere, quæ jure naturali et divino, ipso facto inducitur, et exprimitur Matth. 10 : *Gratis accepistis*, *gratis date*. Quia si D. Thomas sentiret pretii restitutionem esse pœnam ecclesiasticam, non solùm uteretur verbo abrenuntiandi, quod propriè ad beneficia pertinet, sed etiam usus esset verbo restituendi, quod pretio propriè adaptatur. Vel, ut ait Sotus, D. Thomas ibi non loquitur de simoniâ mentali de quâ est sermo in illâ decretali Greg. IX; aliàs cùm inter pontificia decreta jam tunc exstaret, citâsset illam : sed vocat simoniacum mentalem eum qui intendit pretio dare aut accipere rem spiritualem, tamen verè non dat. Vel meliùs dici potest D. Thom. ibi ad 6 solùm velle simoniacum mentalem non incurrere pœnas exteriores ab Ecclesiâ inflictas : non tamen negare obligationem restituendi simoniacè acceptа, quàm jure naturali et divino inductam jam antea ostenderat : aliàs foret sibi statim contrarius. Si ergo illâ mente simoniacâ aliquid recipit, jure naturali et divino illud restituere tenetur, non verò ecclesiastico; ad id enim compelli nequit à judice. Si verò nihil recipiat, ad nihil quoque tenetur, nisi ad pœnitendum coram Deo : imò post pœnitentiam et retractationem illius malæ intentionis, si contingat postea aliquid ipsi dari, non tenetur abrenuntiare et restituere.

Absolvit tandem D. Thomas istam quæstionem 100 de simoniâ articulo 6, ad 7 argum., dicens, quòd dispensare cum eo qui est beneficiatus simoniacè scienter, solus papa potest. In aliis autem casibus, potest etiam episcopus dispensare : ita tamen quòd priùs abrenuntiet quod simoniacè acquisivit, et tunc dispensationem consequatur, vel parvam, ut habeat laicam communionem, vel magnam, ut post pœnitentiam, in aliâ Ecclesiâ in suo ordine remaneat; vel majorem, ut remaneat in eâdem, sed in minoribus ordinibus; vel maximam, ut in eâdem Ecclesiâ etiam majores ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat. Hæc D. Thomas; verùm circa hujusmodi dispensationes, perpendendum est quid nunc ferant Bullæ pontificiæ, et consulendi sunt canonistæ.

EXPOSITIO
QUARTI PRÆCEPTI DECALOGI :

Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, etc.

Quidam docent quinque Decalogi præcepta digito Dei scripta fuisse in unâ tabulâ lapideâ, et quinque in aliâ. Ita Josephus, lib. 3 Antiquitatum, idque refert ex communi hominum ætatis suæ consensu. Idem tenent

Hugo, Exodi 20, Sotus, lib. 2 de Justitiâ, q. 3, art. 4, idque colligit ex hoc quòd tabulæ essent æquales, sicque putat conjecturam esse, in secundâ tabulâ solummodò reposita fuisse quinque præcepta negativa, nempè: *Non adulterabis; non occides; non furaberis; non falsum testimonium dices; non concupisces.* Alia verò prima et antecedentia, quatuor scilicet erga Deum, et quintum erga parentes, in primâ tabulâ fuisse conscripta. Quia verò duo isti ordines, in duo capita, scilicet de dilectione Dei et proximi resolvuntur, inde Patres et doctores, non tam ad numerum et ordinationem, quàm ad mysterium attendentes, illa quæ dilectionem Dei continent, dicunt esse primæ tabulæ; cætera verò esse secundæ tabulæ. Hactenùs Sotus. Alii verò ponunt quatuor præcepta in unâ tabulâ, et sex in aliâ. Ita etiam Origenes homiliâ in Exodum, existimans quatuor erga Deum versari præcepta. Communiter tamen alii Patres et doctores docent tria duntaxat erga Deum præcepta emanata fuisse; solaque in primâ tabulâ exarata. Septem verò circa proximum, et hæc in secundâ tabulâ contineri : decebat enim ut mandata quæ Deum respiciunt separatim in unâ tabulâ reponerentur, indeque usus communis obtinuit ut primæ tabulæ præcepta passim ab omnibus nuncupentur. Quia tamen quartum istud præceptum de pietate filiorum erga parentes, magnam habet affinitatem cum aliis tribus præcedentibus mandatis de religione erga Deum summum Patrem nostrum, ac primum et fontalem nostri esse auctorem, ut constabit ex dicendis, ideò in hâc primâ parte nostri operis et libri, tanquàm in primâ tabulâ, illud unà cum præceptis erga Deum collocamus.

Ut enim ait D. Thomas, 2-2, q. 122, art. 5, *præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei et proximi. Inter proximos autem, maximè obligamur parentibus. Et ideò immediatè post præcepta ordinantia nos in Deum, ponitur præceptum ordinans nos ad parentes, qui sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus est universale principium. Et sic est quædam affinitas præcepti ad hujus præcepta primæ tabulæ. Est enim pietas in parentes adeò affinis illi quæ Deo debetur, ut teste Aristot., lib. 8 Ethic. cap. 7 et 2, diis, parentibus et magistris æquale reddi non possit. Pietatis virtus habet pro suo principali actu reddere debitum parentibus et patriæ, quia sunt nostri esse et gubernationis principia, cùm ab iis et in eâ nati et nutriti simus. Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita ad pietatem principaliter spectat exhibere cultum parentibus et patriæ. Cum quo tamen stat pietatem habere actus secundarios ordinatos ad principalem, aut ei annexos. Nam in cultu parentum, includitur cultus omnium consanguineorum : quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur, quòd ex eisdem parentibus processerunt, ut constat ex Arist., lib. 8 Ethic. In cultu autem patriæ intelligitur cultus omnium civium, et omnium patriæ amicorum : communicationes enim consanguineorum et concivium, magis referuntur ad principia nostri esse, quàm aliæ communicationes cæterorum hominum, et ideò ad has nomen pietatis magis extenditur.* Hæc D. Thom. 2-2, q. 101, art. 1.

Hoc siquidem præcepto affirmativo, quod est primum relativè datum ad homines, quodque a primis benefactoribus nostris, videlicet patre et matre, initium habet, admonentur omnes ut honorem debitum unicuique reddant, sicque extenditur ad cunctos homines seu proximos nostros. Duo tamen præcipuè in isto mandato continentur. Unum est inferiorum respectu suorum superiorum : alterum è contra superiorum in ordine ad inferiores; hi enim omnes debitores sunt ad invicem. Siquidem et filii parentibus, cives patriæ, servus ac subditus domino : et è contra parentes filiis, patria civibus, dominus subdito, aliquid debent. Primarius tamen pietatis actus qui isto præcepto intelligitur, est filiorum reverentia erga suos parentes; et consequenter inferiorum omnium erga superiores suos : secundarius verò est parentum cura erga filios, et superiorum officium erga subditos suos.

Hujus præcepti observationi additur præmium : *Ut sis longævus super terram.* Unde Apostolus ad Ephesios scribens, illud vocat primum in promissione. Circa quod D. Thomas, 2-2, q. 122, art. 5, ad 4, ait quòd *longævitas promittitur honorantibus parentes, non solùm quantùm ad futuram vitam, sed etiam quantùm ad præsentem, juxta illud Apostoli 1 ad Timoth. 4 : « Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ « quæ nunc est et futuræ. » Et hoc rationabiliter; qui enim est gratus beneficio, meretur secundùm quamdam congruitatem, ut sibi beneficium conservetur : propter ingratitudinem autem meretur aliquis beneficium perdere. Beneficium autem vitæ corporalis, post Deum à parentibus habemus; et ideò ille qui honorat parentes, quasi beneficio gratus, meretur vitæ conservationem. qui autem non honorat parentes, tanquàm ingratus meretur vitâ privari. Quia tamen præsentia mala vel bona non cadunt sub merito vel demerito, nisi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem, ut dictum est* (nempe 2-2, q. 104, art. 10), *ideò quandoque secundùm occultam rationem divinorum judiciorum, quæ maximè futuram remunerationem respiciunt, aliqui qui sunt pii in parentes, citiùs vitâ privantur : alii verò qui sunt impii in parentes, diutiùs vivunt.* Hactenùs D. Thomas. Unde promissio hæc intelligenda est quantùm est ex parte pietatis. Aliunde siquidem hujus promissionis efficaciæ impedimentum præstari potest. Idem D. Thomas opusc. 4 de quarto Decalogi præcepto, § 2, addit aliam rationem cur huic adjungatur præmium, dicens, quòd quia est naturale filiis parentes diligere, posset credi nullum ex hoc ipsis deberi præmium. Ne igitur hæc imaginatio suboriatur, promittitur illis longævitas secundùm vitam præsentem et futuram, prout exponit Apost. 1 ad Timoth. 4, dicens, quòd *pietas ad omnia utilis est, promissionem vitæ habens, quæ nunc est et futuræ.*

Cur autem hâc mercede non gaudeant multi filii parentibus obedientes et aliunde non vitiosi, tres rationes hujus assignat Catechismus concilii Trident. parte 3, circa quartum præceptum, § 34. Prima est, quòd iis optimè consulitur, qui priùs vitâ excedunt,

quàm à virtutis et officii religione discedant : rapiuntur enim ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam illorum. Idem docet D. Thomas, opusculo citato, et ad Ephesios, cap. 6, et 1 ad Timoth. 4, lect. 2. Secunda est, quia dùm pernicies et rerum omnium perturbatio impendet, è corporibus evocantur, ut communium temporum acerbitatem evadant : à facie enim malitiæ, inquit propheta, collectus est justus ; quod fit ne eorum aut virtus aut salus periclitetur, cùm à mortalibus flagitiorum pœnas repetit Deus. Tertia, ne tristissimis temporibus ex propinquorum amicorumque calamitatibus acerbissimos luctus sentiant.

Quarta addi potest ex D. Thomâ, opusculo citato, nempe quòd nostra vita præsens est longa, quando est plena ; nam juxta Philosophum, propriè non mensuratur tempore, sed actione. Tunc autem plena est vita, quando est virtuosa : et ideò virtuosus et sanctus diù vivit, quamvis citò moriatur corporaliter, juxta illud Sapientiæ 4 : *Consummatus in brevi, explevit tempora multa : placita enim erat Deo anima illius.* Optimè autem mercatur ille qui tantùm facit unâ die quantùm alius in anno. Hæc D. Thomas.

Et ibidem asserit quòd honorantibus parentes, quinque desiderabilia promittuntur. Primum est gratia in præsenti, et gloria in futuro, Ecclesiast. 3 : *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio à Deo*, etc. Contrarium debetur maledicentibus, et etiam in lege maledicuntur à Deo, Deuteron. 27. Si enim filii non recognoscunt beneficium vitæ naturalis, quam habent à parentibus, sanè indigni sunt vitâ gratiæ, quæ est major, et per consequens vitâ gloriæ, quæ est maxima. Secundùm est vita longa, prout jam ostensum est, et habetur Ecclesiast. 3 : *Qui honorat patrem suum vitâ vivet longiore ;* et ad Ephes. 4. Præmium ergo est vita corporalis. Sed contrarium, scilicet mortem immaturam acquirunt illi qui inhonorant parentes. Habemus enim ab eis vitam, sicut milites à rege feudum habent ; et ideò sicut æquum et dignum est quòd ob proditionem, isti feudum amittant, ita et quòd filii ob injuriam parentibus illatam, vitam perdant. Scriptum est enim Proverb. 30 : *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ ;* et Proverb. cap. 20 : *Qui maledicit patri suo et matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Item Levit. 30, v. 9 : *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur.* Tertium desiderabile, est habere filios sibi subditos, gratos ac acceptos : qui autem honorat parentes suos, eodem modo honorabitur à filiis propriis, juxta illud Eccles. 3 : *Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis suis.* E contra verò filii inhonorantes parentes, eisque inobedientes experiuntur proprios filios sibi similes, duros, protervos, injuriosos, Deoque sic disponente, in ipsos vindicantes mala quæ parentibus intulerunt, iisdemque ferè injuriis illos afficientes, ita ut verificetur in proposito istud Christi oraculum Matth. 7 : *In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Quartum desiderabile est gaudere bonâ et laudabili famâ. Filii qui honorem debitum parentibus tribuunt, odore bonæ famæ implentur, benè audiunt apud homines et ab ipsis laudantur atque honorantur, Eccles. 3, v. 12 et 13 : *Ne glorieris in contumeliâ patris tui, non enim est tibi gloria ejus confusio : gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii, pater sine honore.* E contra verò opprobrium et ignominiam acquirunt sibi filii irreverentes, protervi, inobedientes, Proverb. 19, v. 26 : *Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est, et infelix.* Et Eccl. 3 : *Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem*, etc. Quintum desiderabile est habere divitias bonaque temporalia : filiis parentes suos honorantibus impertit Deus sua dona. Ad Ephesios 6 : *Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut benè tibi sit et sis longævus super terram. Pietas enim ad omnia utilis est.* Et Eccles. 3, v. 5 : *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem ;* et v. 9, 10, 11 : *In opere et sermone et omni patientiâ honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris fundamenta eradicat.* In Scripturâ sacrâ et in historiis innumera leguntur iracundiæ et ultionis divinæ exempla in filios impios, protervos, ingratos et duros in parentes suos.

QUÆSTIO PRIMA

QUÆNAM PIETATIS OFFICIA HOC PRÆCEPTO FILII ADSTRINGANTUR EXHIBERE PARENTIBUS SUIS.

Aristoteles in lib. 8 Ethic. quatuor docet esse filiorum erga parentes officia, scilicet : *Amorem, honorem, obedientiam et subsidium.* Quæ sub honoris nomine in hoc quarto præcepto comprehendi declarat Catechismus concilii Trident., p. 3, in explicatione istius mandati, § 10. Et addit : *Scitè autem in lege posita est honoris vox, non amoris, aut metûs, etiamsi valdè amandi ac metuendi parentes sint ; etenim qui amat, non semper observat et veneratur. Qui metuit, non semper diligit : quem verò aliquis ex animo honorat, item amat, et veretur.*

Honor igitur, qui hìc præcipitur filiis et parentibus debetur, ex communi Patrum ac Doctorum consensu, in istis quatuor præcipuè consistit, nempe in reverentiâ, in obedientiâ, in amore et in subsidio, de quibus sigillatim agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De observantiâ filiorum erga parentes debitâ.

Honorare aliquem, juxta Catechismum, loco citato, est *de eo honorificè sentire, et quæ illius sunt, maximè putare omnia.* Et juxta D. Thomam, importat quamdam reverentiam alicui exhibitam in testimonium excellentiæ illius : hæc autem reverentia eidem exhiberi potest actu interno et externo. Interior consistit in hoc quòd est de eâ honorificè sentire, etc. Quoad verò præsens spectat, maximè consistit in recognitione superioritatis, et consequenter in timore quodam reve-

rentiali erga illum. Et licet coram Deo, qui est inspector cordium, testimonium conscientiæ sufficeret, inquit D. Thomas, 2-2, q. 103, art. 1, ideòque honor quoad Deum possit consistere in solo interiori motu cordis, dùm scilicet aliquis recogitat vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo, attamen quoad homines, aliquis non potest testimonium ferre, nisi per aliqua signa exteriora, vel verborum; puta cùm aliquis ore pronuntiat excellentiam alicujus, vel factis, sicut inclinationibus, obviationibus, et aliis hujusmodi: vel etiam exterioribus rebus, puta in xeniorum vel munerum oblatione, aut imaginum institutione, vel aliis hujusmodi.

Utrumque honorem et cultum interiorem et exteriorem filii indispensabiliter parentibus suis exhibere tenentur. Id enim jus naturæ dictat, et istud quartum præceptum super eo fundatur. Si enim regibus, dominis et superioribus debeatur observantia et honor à subditis, nonne reverentia et honor à filiis debetur parentibus, quos natura fecit ipsorum superiores et dominos; qui non tantùm gubernationem, sed et sustentationem et ipsummet esse ac vivere eisdem tribuunt? Certè si principes et superiores ex hoc quòd sint principium gubernationis respectu aliquarum rerum, mereantur venerationem ob talem excellentiam, indeque fit quòd omnes tales personæ patres appellentur ob similitudinem curæ, sicut servi Naaman dixerunt illi 4 Regum 5 : *Pater, etsi rem grandem dixisset Propheta*, etc., quantò major parentibus carnalibus debetur honor et reverentia à filiis? Necesse enim est quòd per quemdam ordinatum descensum distinguatur ac reddatur iste honor, juxta excellentiam personarum, quibus est exhibendus. Pater autem carnalis particulariter participat rationem principii, quæ universaliter invenitur in Deo; est enim principium et generationis, et educationis, et disciplinæ, et omnium quæ ad perfectionem humanæ vitæ pertinent. personæ autem in dignitate aut superioritate constitutæ, quæ quantùm ad aliquid providentiam et curam circa nos gerunt, particulariter participant solummodò proprietatem patris, quatenùs sunt principium gubernationis aliquarum rerum, et ob hoc, sunt colendi ab iis quos regunt. Ergo multò magis colendi sunt parentes carnales à filiis. Homo quippe efficitur diversimodè debitor aliis, secundùm eorum diversam excellentiam, et diversa beneficia ab eis suscepta : in utroque autem Deus summum obtinet locum, qui et excellentissimus est, nobisque essendi et gubernationis est primum principium. Secundaria verò nostri esse et gubernationis principia sunt parentes : et ideò post Deum homo est maximè debitor parentibus suis. Ita D. Thomas, 2-2, q. 101, art. 1.

Id docuerunt ethnici solo lumine naturali edocti. Aristoteles in lib. 8 Ethic. Pythagoras instituto primo in versibus aureis, ubi ait : *In primis venerare deos, deinde parentes.* Plato, lib. 11 de Legibus, dicit quòd filii, parentum facies non aliter venerari debent, quàm Deorum quorumdam invisibilium imagines : pejusque est parentum facies non honorare, quam inanimatas deorum imagines despicere. Et in lib. 4 de Leg. tanti facit parentum curam et honorem, ut post deorum cultum, statim parentum venerationem præcipiat tam vivorum, quàm defunctorum; sunt enim parentes, Dei communis omnium creaturarum parentis visibiles ac viventes imagines, nec non et instrumenta quibus usus est ad nos condendos, sustentandos ac regendos. Ipsorum potestas et auctoritas est quædam emanatio et participatio bonitatis, potestatis et paternitatis Dei; ut enim ait Tertullianus de Orat., cap. 2 : *Appellatio patris, et pietatis est et potestatis.* Hinc semper à filiis colendi sunt, etiamsi vitiosi, discoli, debiles, etc., quia adhuc semper remanent patres et genitores, Deique viva simulacra, sicque per ordinem ad illum et propter ipsum honorari debent. Inde monet Sapiens, Eccles. 3 : *Ne glorieris in contumeliâ patris tui; non enim est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui, et ne contristes eum in vitâ illius. Et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in vitâ tuâ.* Quasi diceret : Parens tuus senex est : senectus autem multas secum affert infirmitates et defectus, quandoque et prudentiam judicii in verbis et factis absorbet. Tu verò ne propterea despicias eum, sed semper honora supportans cum omni patientiâ, et pallio quodam reverentiæ excusa ac contege hujusmodi defectus. *In omni opere et sermone et patientiâ honora patrem tuum, ut tibi superveniat benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat.*

Tenentur itaque filii exhibere interiorem reverentiam parentibus, honorificè de illis sentiendo, bonamque opinionem et æstimationem concipiendo et conservando, tanquàm superiores eos recognoscendo, paternam auctoritatem reverendo, metumque filialem et reverentialem erga ipsos habendo. Indè mortaliter peccant, qui ita contemnunt parentes in corde suo ac dedignantur, ut se existiment abjectos et inhonorabiles, eò quòd pro illorum filiis habeantur, sicut multoties contingit, quando filius erectus est ad aliquam dignitatem, altioremque statum : pater verò in paupertate et in ignobilitate adhuc degit. Si enim ejusmodi irreverentia fuerit notabilis, indeque pater gravem recipiat afflictionem et mœrorem, censetur mortalis. Ita Navarrus, Medina, Lopez, Toletus, Rodriguez et alii, quos refert et sequitur Sayrus, lib. 7, cap. 5, num. 4. Addunt tamen filium tunc non peccare mortaliter, si id faceret absque contemptu, ad evitandum aliquod damnum in vitâ, vel in honore, vel in bonis, quod incurreret, si ejus pater cognosceretur, maximè si pater tacitè vel expressè pro utilitate filii in id consentiat; et aliunde filius in animo non contemnat neque neget patrem, sitque paratus eidem subvenire in necessitate, etc.

Tenentur insuper filii verbo honorare parentes, cum humilitate, modestiâ et reverentiâ loquendo, salutando, conversando, nihilque coram illis aut de illis in absentiâ proferendo quod non redoleat observantiam et pietatem. Hinc peccant mortaliter filii,

verbis irrisoriis et contumeliosis parentes animo deliberato afficientes, aut probris ac conviciis lacerantes, aut maledictiones conjicientes, aut de illis graviter detrahentes, indeque ad iram notabilem eos provocantes : monstruosum quippe videtur loquelam tanquàm telum dirigere contra eos à quibus didicerunt loquendi formam et modum. Unde Exodi 21 : *Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur.* Item Proverb. 20 : *Qui maledicit patri suo et matri, extinguetur lumen ejus in mediis tenebris,* et Proverb. 30 : *Oculum qui subsannat patrem, et qui dispicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus,* etc. Tam clarum est lumine naturali præceptum istud non conviciandi, neque maledicendi parentes, ut statim filiis debeat occurrere illius memoria ; inde fortè indeliberatio quæ in aliis præceptis posset à mortali excusare, videtur in isto vix aut rarò habere locum. Idemque dicendum videtur de parvitate materiæ ; nempe quòd convicium et maledictum quod in alios conjectum leve reputaretur, in parentes immissum quandoque censetur grave. Tandem si verba contumeliosa quæ filii contra parentes proferunt, sint ex se provocantia ad magnam iram, peccant mortaliter, etiamsi parentes ad illam indignationem de facto non provocentur : è contra verò, si verba de se non sint talia, sed de se et ex modo dicendi levia apparent, solùmque per accidens ex cholericâ indole patris, qui de omni re sumit occasionem irascendi, non censentur mortalia : præsertim si filius ad hunc finem non proferat nec ac talem malam patris dispositionem advertat. Verùm ab iis etiam omninò est abstinendum. Ut enim ait D. Ambros., lib. 8 in Lucam : *Primus gradus iste pietatis est : « Honora patrem tuum et matrem tuam : » namque hos auctores tibi esse voluit Deus ; honora obsequiis, ut abstineas à contumeliis, quia ne vultu quidem, lædenda est pietas parentum,* etc.

Tenentur præterea filii opere honorare parentes, coram ipsis caput discooperiendo, corpus modestè componendo, assurgendo, inclinando, etc. ; eorum consilia in rebus magni momenti semper exquirendo et sequendo, suasque actiones ad illorum arbitrium voluntatemque conferendo, à Deo suppliciter petendo, ut eisdem benè et feliciter cuncta eveniant, ut Deo ac sanctis commendatissimi sint. Hinc mortaliter peccat filius, qui parentes etiam levi percussione afficit, aut solùm elevat manum ad percutiendum, licet non percutiat ; aut injuriosè et ipsum concutit, licet in terram non projiciat ; aut pileum de capite dejicit, etc., quia id censetur gravis injuria. Unde Exodi 21 : *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* Item peccat filius quando ex contemptu, sciens et volens denegat parentibus exteriora hæc honoris signa, cùm faciat contra debitum naturale in re gravi ; item si torvis oculis, fronte elatâ et perfrictâ, naso rugato, ipsos subsannet ; si dentibus strideat in eos, aliisque irrisionis et dehonorationis signis volens ac lubens illos deprimat. Ut enim ait D. Tomas, 2-2, q. 75, art. 2, *gravissimum est irridere Deum, et ea quæ Dei sunt. Deinde secundum locum tenet irrisio parentum ; Proverb.* 30 : *« Oculum « qui subsannat patrem, »* etc. Hi impii filii sequuntur omninò vestigia maledicti Cham, qui nuditatem venerandi Noe, non modò operire neglexit, sed derisit, verùm quoque irridendam cæteris enuntiavit. Unde tantam læsæ pietatis meruit pœnam, ut etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur. Æquum enim fuit ut qui parentis sui ignominiam detexit, in filiis suis ignominiosus ab omnibus notaretur. Inde Ambrosius, lib. de Arcâ Noe, cap. 31, loquens de Cham dicit, *hoc facto ostendisse se ebrium ac cæcum : qui enim neque præteritam gratiam generationis, neque præsentem reverentiam patris, neque futuram pœnam paternæ injuriæ considerabat, verè ebrius erat, et quod putabat videre se, non videbat. Erat in illo profunda cæcitas, qui patrem videre non poterat : nam si vidisset patrem non utique risisset : neque enim ridendus, sed verendus est pater. Præceptum Domini est, Levit.* 18, *vers.* 7 : *« Turpitudinem patris tui, et turpitudinem « matris tuæ, non discooperies. »* Non sic fecerunt alii duo filii Noe, Sem et Japhet : non solùm enim obvelaverunt parentem suum, ne ab aliis nudus cerneretur, sed incedentes retrorsùm, ne ipsi quidem nudum cernere volunt, ob reverentiam.

Unde cum omni patientiâ filii parentum defectus sufferre debent, eos excusando, occultando quantùm possunt, et pallio quodam reverentiæ contegendo, præsertim dùm senes existunt, prout monet Sapiens Eccles. 3, dicens : *Fili, suscipe senectam patris tui ; si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas illum in virtute tuâ.* Considerans quantas ineptias, judicii debilitates, et quasi stultitias tuas dùm infantili adhuc ætate degeres, ipsi patienter supportârunt parentes tui ; sic enim fiet quòd senectutis quoque tuæ infirmitates supportent filii tui, dùm in illam veluti secundam infantiam perveneris. Quare *retribue illis, quomodò et illi tibi,* ait Sapiens Eccles. 7. Et quomodò vis à filiis tuis tibi fieri, fac parentibus tuis.

Iste honor qui per patientiam exhibendus est parentibus, consistit etiam in hoc quòd filii absque irâ et indignatione mores ipsorum agrestes, difficiles, biliosos, melancholicos, inurbanos ferant, ut ipsis superveniat benedictio et bênedictio in novissimo maneat, seu usque ad mortem filiorum duret : *Benedictio enim patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta,* ut ait Sapiens loco citato. Magna utique vis paternæ benedictionis est, ita ut ex ipsâ quasi filiorum pendeat felicitas. Inde olim filii nullum non movebant lapidem ut illam perciperent, ut videre est in Jacob et Esaü. Hinc D. Ambrosius, lib. de Benedict. Patriarcharum, cap. 1, ait : *Quantam addiscimus parentibus referre reverentiam, cùm legimus, quia qui benedicebatur à patre, benedictus erat, et qui maledicebatur, erat maledictus. Idcò hanc prærogativam donavit Deus, ut filiorum pietas provocaretur. Prærogativa igitur parentum, disciplina est filiorum. Honora ergo patrem ut benedicat te : honoret pius filius propter gratiam ; impius propter Dei timorem. Et si pauper est, et si non habeat divitiarum copias, quas relinquat filiis,*

habet tamen benedictionis hæreditatem, quâ sanctificationis opes successoribus largiatur. Filii igitur in omni patientiâ debent honorare patrem, ut ab eo mereantur accipere benedictionem, et ut Dei favor et protectio, usque ad finem vitæ illorum eos prosequatur, seu usque ad illud tempus perseveret ac conservetur benedictionis virtus, horam scilicet mortis et judicii particularis, nec extinguatur, sed potiùs accendatur lucerna in mediis tenebris. Non ergo parùm existimanda est paterna benedictio, neque inanis reputanda superstitio : frequenter enim confirmatur à Deo, verbaque tam benedictionis quàm maledictionis sortiuntur effectum quem protendunt ut constat de Noe, Isaac, Jacob, et in numeris allis exemplis. De hâc benedictione aut maledictione parentum in filios, legendus est Plato in lib. 11 de Legib.

Hanc filiorum patientiam ad ferendos parentum defectus præscribit Plato, lib. 4 de Legib., dicens : *In verbis per totam vitam parentes venerari maximè decet : levium enim volatiliumque verborum contra parentes gravissima imminet pœna.* Nam omnibus præposita est nemesis judicii, angelus, hujusmodi omnium consideratrix. Oportet itaque iratis parentibus animumque explentibus cedere, sive verbis, sive rebus id faciant, non ignorantes patrem ingenti jure ac ratione filio succensere posse, si quando ab eo injuriam sibi fieri arbitratur. Hæc Plato. Peccant igitur filii contra honorem parentibus debitum, quando ad gravem iram ipsos provocant, nisi occasio planè sit accepta, et non data. Licitum est nihilominùs filio vi resistere parenti sibi necem inferre volenti, si aliter quàm per violentiam evadere nequeat, cùm sit justa suî defensio, quæ jure naturæ est licita.

Nec solùm parentes vivos, sed etiam defunctos filii honorare tenentur : sic Tobias, cap. 4, dicebat filio suo : *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli*, etc. Idemque Abraham, Isaac, Jacob, Joseph et alii Patriarchæ commendârunt filiis suis, Genes. 25 et 49. Et Plato loco citato ait : *Mortuis verò parentibus monumenta decentissima, ponere oportet ; annuas quoque defunctorum curas, quæ ornamentum afferunt, instaurare decet, et novâ quotidiè repetitâ memoriâ semper parentes nostros summoperè honorare. Si hæc servabimus, vitamque sic agemus, digna à diis, cæterisque naturæ nostræ superioribus præmia reportabimus, cum bonâ spe viventes.* Hæc Plato 4 de Legibus ; quantò magis decet Christianos filios honore prosequi defunctos parentes, memoriam ipsorum recolere, orationibus piisque operibus illorum animas adjuvare ! dicitur enim Eccles. 3 : *Eleemosyna patris non erit in oblivione : nam pro peccato matris restituetur tibi bonum.* Quasi diceret Sapiens, eleemosynam pro animâ patris refrigerandâ datam, coram Deo esse valdè acceptam et non solùm parentibus profuturam, sed et filio grato ac pio in bonum vertendam ac restituendam. Unde subdit : *Et in justitiâ ædificabitur tibi, et in die tribulationis commemorabitur tuî, et sicut in inferno glacies, solventur peccata tua.* Ubi Deus tria promittit filiis pro pietate parentibus defunctis exhibitâ, nempe remissionem peccatorum, auxilium in tribulatione, et tempore mortis ad bonam consequendam, et meritum justitiæ in ædificium gloriæ æternæ. Non sic impii filii, non sic, qui parentes defunctos perinde ac si nunquàm exstitissent, non recolunt, benefactorum tam insignium penitùs obliviscuntur, et postquàm illorum corpora sepelienda curârunt, perit apud ipsos parentum memoria cum campanarum sonitu.

Articulus II.

De obedientiâ quam filii parentibus suis reddere tenentur.

Ex hoc quòd filii teneantur honorare parentes tanquàm suos superiores, rectè sequitur quòd ipsis debeant obedientiam præstare. Est enim de jure divino et naturali, quòd inferior obediat superiori; ac per hoc status naturalis conservatur. Ut enim dicit Aristoteles in suis Œconomicis : *Videmus ad sensum in naturalibus, in artificiatis, et in politicis, quòd superiorum ac majorum est imperare et inferiorum obedire. Nam pars rationalis animæ, ut superior, præcipit appetitui ; ars architectonica præcipit arti inferiori, et ejus est obedire, ut patet de militari et frenofactivâ ; et in politicis, principis est imperare, et subditorum obedire. Cùm igitur pater sit superior ad filios, sicut rex ad subditos, pastor ad oves, regulans ad regulatum, ovortet filios obedientiam exhibere parentibus de jure naturali.* Hæc Aristoteles. Et D. Thomas, 2-2, q. 69, art. 2, ait, quòd *quicumque facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat : pertinet autem ad debitum justitiæ quòd aliquis obediat suo superiori in his ad quæ jus prælationis se extendit.* Parentes autem sunt superiores respectu filiorum. Ergo filii ex debito justitiæ, quod est de jure naturali, tenentur obedire parentibus in his quæ pertinent ad bonam gubernationem : aliàs peccant mortaliter, ut mox explicabitur. Idem D. Thomas, 2-2, q. 104, art. 1, 5 et 6, et alibi passim, probat jus naturale et ordinem justitiæ exigere ut inferiores suis superioribus obediant, et consequenter filii parentibus ; quæ obedientia cùm procedat ex reverentiâ parentum, sub pietate continetur, et hoc quarto Decalogi mandato præcipitur.

Unde est etiam de jure divino, Eccles. 3 : *Qui timet Deum honorat patrem, et quasi dominis servit his qui se genuerunt.* Qui timet Deum, mandata ejus observat, sicque implet præceptum quod dedit honorandi parentes, eisque obediendi tanquàm dominis secundis post se omnium supremum Dominum, ad Ephes. 6 : *Filii, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim justum est.* Ut enim exponit D. Thomas ibidem, patres debent naturaliter instruere moribus : filii autem instruentibus parentibus tenentur naturaliter obedire, sicut infirmi obediunt medicis : unde proprium filiorum est obedientia. Et ad Colos. 3 : *Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est Domino.* Item Proverb. 1 : *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ*, id est audi præcepta patris corde humili, eaque ex obedientiâ serva; quia Dei vicariam quamdam gerit potestatem in terris, ex quo omnis paternitas in cœlis : sicque læsio ejus auctoritatis et inobedientia in Deum

proximè redundat. In patre igitur considera, recognosce, cole, et reverere patrem cœlestem, cujus imaginem et personam repræsentat, eique prompto animo obtempera : neque reputes matri quasi infirmiori vasculo obediendum non esse ; utrique enim debes obedientiam, cùm utilia doceant, et honesta suadeant. Unde Augustinus ait : *Mater mea præcepta vitæ, quæ in animo plantaverat verbo, irrigabat lacrymis, alebat exemplis.* Genesis 27, Rebecca dicebat Jacob : *Fili mi, audi vocem meam ; consurge et fuge ad Laban, ne iratus Esaü te occidat;* huic mandato obediens Jacob, in præmium vidit Angelos ascendentes et descendentes per scalam, tanquàm opem ipsi laturos, necnon et cœlum apertum. *Igitur Jacob,* inquit Rupertus, lib. 8 de Trinit., cap. 4, *postquàm præcepta peregit, revertentes ei fuerunt obviàm Angeli Dei, ut sciamus quia post obedientiæ laborem, cuique viro fideli superest supernis revelationibus glorificari, et cœlestium spirituum crebrâ visitatione remunerari.*

Hinc sapiens Proverb. 1, immediatè post verba relata, addit hæc : *Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.* Quasi diceret : Obedientia quam reddes non solùm patri, sed et matri tuæ, verticem tuum ornabit, et omnibus Dei donis, cœlestibus gratiis coronabit, ut ad æternam et immarcescibilem coronam pervenire valeas. Non enim filii à parentibus tantùm esse et vivere accipiunt, propter quod eisdem honor et reverentia debetur ; sed etiam instructionem et disciplinam, ut dicitur lib. 8 Ethic., propter quod illis obedire ac ipsorum auctoritati conformari tenentur. Et quidem obedientia quam filii parentibus eo titulo debent, quædam veluti similitudo est illius quam creaturæ Deo, ut principio suî, debent ; sicut et patris imperium propè ad divinum accedit propter eamdem rationem.

Ut autem filii perfectæ obedientiæ meritum et coronam consequantur, debent obedire promptè absque morâ et reiteratione, statim ad mandati executionem sese accingendo, si rationabili ex causâ non sit retardanda. Item debent obedire simpliciter, sine discussione, vel examine mandatorum, si manifestam non contineant pravitatem aut injustitiam ; item ex animo libenter, ita ut propriæ voluntati in hâc parte renuntient, ejusque repugnantiam superent ; item hilariter, non ex tristitiâ, nec cum impatientiâ, murmuratione, querimoniâ, etc. Hilarem enim datorem diligit Deus. *Nec vultu lædenda est pietas parentum,* ait Ambrosius : ac juxta Augustinum præfat. in Psalm. 70 : *Sic audiendus est pater, quomodò Deus, quia jussit obedire patri.* Heroicæ specimen obedientiæ habemus in Isaac ; dùm Abraham paratus erat ipsum immolare, non reluctavit, non clamavit, sed simpliciter, libenter, promptè se obtulit ad mortendum, dixitque patri : *Quod jussus es, pater, perfice : quod disponis constanter adimple. Ego enim nec renuo, nec recuso ; quod volueris volo ; quod optas exopto ; quod desideras, et ipse desidero : denique eo voto istam mortem excipio, quo te mihi eam inferre cognosco.* Verba sunt Ambrosii de fide Abraham in tomo 1. Sic Isaac suum archetypum Christum etiam antequàm in mundum veniret, optimè imitatus est, *qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* ac de facto reverà immolatus, ejus implevit immolationem, sicut veritas complet figuram : *Propter quod et Deus exaltavit illum,* etc., ad Philip. 2. Nec solùm Patri æterno, sed et Joseph, solo nomine et officio patris etsi gaudenti, ac castissimæ Mariæ matri suæ, dùm vitam mortalem in terris ageret, obedientiam præstavit, ut dicitur Lucæ 2 : *Et erat subditus illis.*

Hinc D. Bern. homil. 1 super *Missus est,* sic invehitur contra inobedientes : *Erubesce, superbe cinis. Deus se hominibus subdit ; tu dominari gestiens, tuo te præponis auctori?* Et sermon. 6 in Cantica, ait quòd sicut in senibus sobrietas et morum perfectio requiritur, ita in adolescentibus obsequium, subjectio et obedientia ritè desiderantur. Et D. Cyprianus de duodecim Abusibus inquit : *Sicut fructus non invenitur in arbore in quâ flos priùs non apparuit, sic in senectute honorem legitimum consequi non potest, qui in adolescentiâ disciplinæ non se subjecit : disciplina autem non est sine obedientiâ. Adolescens ergo sine disciplinâ est filius sine obedientiâ.* Quòd si hæc et similia non alliciant filios ad obediendum parentibus suis, eos saltem terreant mala et supplicia, quæ ira et justitia Dei infligit inobedientibus, ut constat de filiis Heli, de Absalon, aliisque innumeris. Totis artubus contremiscant audientes hæc verba Dei, Deuter. 21 : *Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris et matris imperium, et coercitus obedire contempserit, apprehendent eum et ducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii dicentque ad eos : Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat et luxuriæ. Lapidibus eum obruet populus civitatis et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat.* Indeque convincantur hanc inobedientiam non esse levem culpam, cui tanta in lege Dei assignatur pœna. Obedientiam discant sanctissimorum virorum exemplis, et præsertim Rechabitarum, qui ne à patris mandato unquàm recederent, à vino aliisque vitæ commoditatibus in perpetuum temperârunt, prout refertur Jeremiæ, cap. 35.

Quæritur in quibus filius teneatur obedire parentibus suis. —Respondeo cum D. Thomâ, 2-2, quæstione 104, art. 5, *teneri obedire in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ, et curam domesticam ; quia ad hæc jus paternum se extendit ; et in his filius subditur patris imperio.* Idem tradit quodlibet. 2, q. 5, art. 1. Inde peccat filius mortaliter qui non vult obedire parentibus in his quæ pertinent ad bonum regimen domûs, vel familiæ et rei familiaris, quando res gravis præcipitur, et quando ex contemptu seu ex quâdam obstinatione et pertinaciâ voluntatis renuit obedire. Ex levitate autem materiæ, si desit contemptus præcepti, excusatur à mortali. Item si pater non intendat eum obligare in rigore ad præstandam obedientiam sibi debitam ; nam præceptum non obligat ultra intentionem præcipientis. Et tandem quando filius solùm ex inco-

gitantiâ vel ex inadvertentiâ, aut ex sensualitate, non obedit: tunc enim est solùm veniale peccatum.

Cajetanus in Summâ, v. *Contemptus*, has duas regulas assignat: *Prima est inter consolationem et subjectionem, propter quam puella indignata, parata ex se induere puerum, quæ dicente matre:* INDUE PUERUM, *non vult vestire illum, ne mater habuerit consolationem de benè induto puero, non peccat ex contemptu, sed ex indignatione; nec indignatio ducit illam ad contemptum, quia illa non eligit non subjici, sed non consolari. Nec præterit mandatum ut non obediat, sed ut non consoletur. Et simile est de similibus judicium. Secunda est inter contemptum simpliciter, vel secundùm quid. Propter quam subditus qui dicente prælato:* CLAUDE OSTIUM, *ut non faciat verbum prælati, in hoc tamen minimo, paratus absolutè obedire, omittit claudere ostium, non peccat mortaliter, quia non contemnit simpliciter mandatum, sed secundùm quid, hoc est, quia non illud præterit ut faciat contra prælati mandatum absolutè, sed cum hâc additione:* IN MINIMO. *Ita quòd τὸ* MINIMUM *minuit rationem mandati, ac per hoc minuit rationem contemptûs, ut tunquàm actus imperfectus, non sit contemptus simpliciter, ac per hoc neque peccatum mortale. Et ex hoc capite verificatur, quòd peccare venialiter ex contemptu infra limites venialis, non est mortale peccatum: id enim est ex contemptu secundùm quid peccare venialiter. Nam dùm quis simpliciter et absolutè contemnit mandatum, non modificat illud ex minimo opere: et è contra dùm quis ex hoc quòd de minimo solùm agitur in contemptum tendit, propriè non ruit in contemptum, sed sustentatur affectus à minimo tanquàm non contemnat; sicut in minimo furto sustentatur, tanquàm non furetur, qui occultè aliquid minimum subripiat.* Hæc Cajetanus.

Item peccant filii quando non obediunt parentibus in his quæ spectant ad bonos mores et animæ salutem; ut dùm præcipiunt quòd ludos prohibitos vitent, domos certas suspectas non frequentent, ad meretrices non accedant, ab aliquorum consortio, quod noxium ipsis ac periculosum esse nôrunt, abstineant; ut noctu è domo propriâ ad nocturnas grassationes non egrediantur; ut diebus festis, concionibus ac divinis officiis intersint. In his enim et similibus, filii, si non obediant parentibus severè ac rigorosè præcipientibus, peccatum mortale frequenter incurrere possunt, nisi fortè excusentur ex parvitate materiæ aliisque causis mox enumeratis.

Filii igitur parentibus tenentur per omnia obedire in iis in quibus illis subjiciuntur, nempe domesticâ gubernatione, et morum instructione: secùs verò in aliis in quibus non subsunt, ut in electione statûs perfectioris, nempe clericatûs, aut religionis. Unde si sentiant se à Deo vocari, possunt, imò debent illis insciis aut etiam reclamantibus ingredi religionem, aut assumere clericatum et sequi præclarum D. Hieronymi in Epistolâ ad Heliodorum effatum: *Licet sparso crine, scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, siccis oculis, ad vexillum crucis evola: summum genus pietatis est in hâc re esse crudelem.* Vide quæ de hâc re tractat Plautus, lib. 3, cap. 34. Tunc enim juxta D. Thomam ad Ephes. 6, lect. 1, ad Coloss. 3, lect. 4, verificatur illud Christi Domini verbum Lucæ 4: *Qui non odit patrem suum et matrem suam, non potest meus esse discipulus.* Magis enim diligendus ac præferendus Pater cœlestis quàm carnalis; et, ut ait D. Gregor., homil. 37 in Evang.: *Parentes quos in viâ Dei adversarios patimur, odiendo et fugiendo nescire debemus.* Alludit ad hæc verba Deuteron. 33: *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos; et fratribus suis: Ignoro illos, et nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt.* Verùm hæc intelligenda sunt per se loquendo, si nempe parentes ex affectu carnali repugnent et impediant: potest enim evenire casus in quo per accidens filius mortaliter peccet, si contra voluntatem rationabilem patris religionem ingrediatur, puta si parentes extremâ necessitate laborent. Circa hæc omnia legendus est D. Thomas, 2-2, q. 101, art. 4, per totum.

Similiter quando filius non sentit se vocari à Deo, neque se aptum agnoscit ad religionem profitendam, aut clericatum assumendum, non debet parentibus id præcipientibus obedire, cùm hæc sint opera libertatis et voluntatis, ad quæ nemo cogi potest. Unde Christus Dominus Lucæ 9, dicebat: *Si quis vult venire post me*, etc. Omnes invitat ut voluntariè veniant: neminem autem cogit, sed sui juris esse voluit. Hinc Tridentinum, sess. 25, de Regular. et Monial., cap. 18, anathemati subjicit omnes et singulas personas cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, si quomodocumque cogerint aliquam virginem vel viduam, vel aliam quamcumque mulierem invitam ad ingrediendum monasterium, vel suscipiendum habitum cujuscumque religionis, etc. Similique anathemati subjicit, qui eam volentem ingredi vel profiteri religionem, quoquo modo absque justâ causâ impedierint. Vide D. Thomam, 2-2, q. 189, art. 9.

Item per se loquendo filius quoad matrimonium, non semper parentibus obedire tenetur, ut probat D. Thomas in Supplemento, q. 47, art. 6; et 2-2, q. 104, art. 5; quia, cùm matrimonium sit servitus perpetua, nequit pater filium ad illud cogere per præceptum, cùm sit liberæ conditionis, sed potest eum inducere ex rationabili causâ. Et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris, ut scilicet si causa illa cogat de necessitate vel de honestate, ità et præceptum patris similiter cogat, et non aliàs. Quando autem Apostolus ad Coloss. 3 dicit obediendum esse *parentibus per omnia*, non loquitur de illis in quibus filius est liber ac sui juris, cujusmodi est matrimonium. Idem docet D. Thomas quodlib. 2, q. 5, art. 1. Si tamen filius nubere velit, tenetur ducere dignam, nec sibi exosam cogitur accipere quam parentes illi proponunt. Si enim illam sine causâ legitimâ respuat, solùmque id faciat ad nubendum indignæ ac infra statum suum notabiliter, certè huic nubendo contra rationabilem parentum consensum, facit illis ac familiæ injuriam, et morta-

liter peccat. Quidam filium à peccato mortali absolvunt, si tunc sumat æquè dignam, nec multùm patris ac familiæ intersit, quòd huic nubat; quod tamen alii limitant in casu quo filius ex causâ aliquâ rationabili ac gravi, feminam illam æquè dignam, præferret alteri à parentibus oblatæ, quia, v. g., longè magis propensum animum erga illam experitur, aut cum illâ magis pacificè vivere poterit, etc. Si tamen filius ex merâ suâ voluntâte, nullâque gravi causâ motus, nuptias à parentibus propositas respuat, non videtur à mortali excusandus: cùm in re justâ et gravi, patris mandatum non adimpleat. Item quamvis dignam ducat, si tamen pater aliam dignam offerat, et adsit aliqua necessitas in familiâ, cui subveniri potest per matrimonium cum istâ, tenetur filius sub mortali peccato, contrahere cum istâ juxta patris voluntatem si velit matrimonium inire, nullaque aliunde justa et rationabilis causa eam respuendi tunc interveniat.

Quia igitur gravia incommoda ut plurimùm oriri solent ex hoc quòd filii aut filiæ, insciis aut invitis parentibus matrimonia contrahant, inde meritò Ecclesia semper hujusmodi matrimonia prohibuit. Unde peccant mortaliter filii sine causâ hoc modo contrahentes matrimonium; est tamen validum, dummodò adsint cætera ad ejus validitatem requisita. Idque disertè fuit definitum à concilio Tridentino, sess. 24, de Reformat., cap. 1, ubi damnat *eos qui falsò affirmant matrimonia à filiis familiàs sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse; nihilominùs sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Nec possunt principes seculares ponere conditiones novas matrimonia annullantes, quæ attingant vim Sacramenti, cùm id sit penitùs extra limites potestatis secularis; neque Deus hanc facultatem alteri, quàm suæ Ecclesiæ concessit. Unde si aliquas faciant nullitatis Sacramenti declarationes in nostro, aliove simili casu, solùm intelligendæ ac concludendæ sunt intra limites pœnarum merè civilium, ut scilicet quoad actus civiles, quoad emolumenta civilia, hæreditates, successiones nullum tribuant jus hujusmodi filiis familiàs, hisque sint omninò privati, ut probant nostri theologi in tract. de Sacramentis. Et Cabazutius, l. 3 juris canonici Praxis, cap. 26, num. 6, refert clerum Gallicanum ann. 1629, Parisiis congregatum, quo tempore Rex christianissimus Ludovicus XIII suum fecit publicari edictum, quo renovabat articulum 40 comitiorum Blesensium hujusmodi filiorum familias matrimonia annullantium; regem supplicâsse ut hujusmodi voces, *validè aut invalidè*, in prædictis declarationibus contentæ, non aliter intelligantur quàm per relationem ad contractum civilem, quatenùs non substat sacramento, et nullatenùs ad contractum spiritualem sacramenti (1).

Hinc turpiter hallucinantur qui putant filios familiàs posse tutâ conscientiâ aliam uxorem ducere ex quo per arrestum parlamenti separantur à primâ, quam absque parentum consensu duxerant, taleque matrimonium declaratur nullum. Non enim potest parochus eos conjungere; aliàs erit potiùs concubinatus quàm verum matrimonium, cùm senatus tantùm annullare possit primum matrimonium quoad honores, successiones et actiones civiles quæ ex vi contractûs et conventionum connubialium nasci possent: secùs verò quoad vinculum et vim sacramenti. Id tamen non impedit quominùs juxta legem naturalem, divinam et humanam, consensus parentùm regulariter requiratur, cùm ad bonam domûs et familiæ administrationem spectet, quòd sicut pater filiis tenetur de necessariis providere, ita etiam quòd illos matrimonio convenienter collocet. Quando igitur filii familiàs sine justâ causâ matrimonium etiam coram parocho et sufficienti numero testium, non clandestinum, ineunt, peccant mortaliter; si tamen filius aut filia à parentibus durè et asperè tractetur, si pertransierit tempus nubendi, nec parentes curant illis providere de nuptiis competentibus ob avaritiam, vel ob contemptum aut odium, et filia jam attigit annum ætatis suæ 25, filius verò annum 30, juridicis factis requisitionibus requisitis et solitis, si ex cupiditate nolunt filias elocare quibus decet, sed volunt cogere ad nubendum eis quos odiunt, aut quibus non expedit ad conscientiæ vel quietis securitatem, aut aliâ simili ex causâ, tunc à peccato excusantur, si parentibus non obediant.

Tandem filii non tenentur obedire parentibus dùm præcipiunt res malas, injustas, contra bonos mores, legique divinæ contrarias, ut quòd furentur, vindictam exerceant, odio habeant inimicos, illos provocent ad duella, mentiantur, perjurium faciant, ut filiæ suam pudicitiam vendant, aliudve peccatum committant. Monet enim filios Apostolus, ut parentibus suis obediant *in Domino*, et non in his quæ sunt contra Deum: quia, ut dicitur Actorum 5: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Dùm autem impia et peccaminosa jubent, contra Dominum præcipiunt; unde Matth. 10, et Lucæ 14, dicit Deus: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et in laudem tribûs Levi dicitur Deuteron. 33: *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos*, etc. Vide D. Thomam, 2-2, q. 104, art. 5; D. August., serm. 6 de Verb. Domini; et Epist. 243 ad Lætam, et D. Hieron., Epist. 1 ad Heliod. Quare sicut peccatum est non obedire parentibus dùm aliquid præcipiunt in Domino, id est, quoad domesticam gubernationem et bonos mores, ita peccatum est illis obtemperare quando jubent facere aliquid contra Dominum.

Postquàm filius gravem inobedientiam fecit deditque parentibus suis gravis iræ occasionem, si non taceat, sed ultra procedat replicando, in querimonias erumpendo, et perseverando in primâ inobedientiâ in re gravi, tunc committit aliud peccatum mortale ex circumstantiâ adjunctâ primo peccato, et necessariò confitendâ. Nam causæ conservantes et iterantes in voluntate aliquod peccatum, participant cum illo eamdem malitiam, taliter quòd sint lethales, si illud fuerit mortale. Istæ autem replicationes et querimoniæ fi-

(1) Hæc quæstio expendetur in tract. de Matrimonio, ubi de impedimentis à lege civili statutis.

liorum inobedientûm indicant voluntatem non retractatam, conservantem ac iterantem primam inobedientiam, novasque graviores iras excitant. Ergo in praxi tenentur filii eas confiteri. Adde quòd sæpè contingit quòd parentes et domini, post prædictas replicationes, novum mandatum vel negotium filiis imponunt. Tunc propter correctiones et objurgationes præcedentes, aliquando filii non obediunt absolutè, aut solent prædictum negotium exequi murmurando, conquerendo, replicando, aut aliquid pejus faciendo. Unde tunc hæc circumstantia in confessione est explicanda, tum ob rationem mox adductam, tum quia inde parentes sumunt occasionem irascendi, jurandi, blasphemandi, etc. Intervenit sæpè alia circumstantia, nempè quòd filii et famuli in corde suo concipiunt motus iræ, vindictæ, odii et rancoris ac contemptûs in parentes, licèt exteriùs evomere non audeant, quos intùs promunt; quæ omnia censentur mortalia. Hæc et alia similia attendere debent confessarii, dùm confessiones filiarum et filiorum familiàs excipiant.

Articulus III.

De amore quo filii parentes prosequi tenentur.

Licet amor comparetur igni, magis tamen descendit quàm ascendat. L. *Isti quidem*, ff. quòd metûs, et L. *Liberorum*, ff. de verb. Sign. Ideò parentibus expresso specialique præcepto Deus non mandavit ut filios diligant, quia ad hoc natura ipsa sufficienter inclinat, et pertrahit illos, cùm ipsa quoque bruta fœtus suos ingenti amore prosequantur; benè tamen filiis hoc quarto Decalogi præcepto mandavit ut parentes diligant; *non* enim *filius tantùmdem diligit patrem, sicut ab eo diligitur*, ait D. Thomas 1 p., q. 96, art. 3, ad 2. Vide etiam 2-2, q. 26, art. 9. Et sanè si unusquisque proximum suum amare teneatur, quantò magis filii parentibus debent amorem, cùm nemo sit illis proximior, utpote quia eadem cum illis persona, ac veluti eorum portio censentur? Unde D. Thomas loco citato ait, quòd *illi qui sunt magis conjuncti, sunt ex charitate magis diligendi. Tum quia intensiùs diliguntur; intensio enim dilectionis est ex conjunctione dilecti ad diligentem : hæc autem est naturalis originis in esse filiorum imbibita; est aliis prior et immobilior quia est secundùm id quod pertinet ad naturam et ad substantiam : cæteræ verò conjunctiones sunt supervenientes, et removeri possunt. Tum quia pluribus titulis et rationibus filii tenentur plùs amare parentes quàm cæteros. Dicit enim Philosophus quòd ex magnis beneficiis ab ipsis receptis nequeunt respondere ex æquali. Dant autem parentes filio tria : Primò stabilimentum quoad esse, Eccles.* 7 : « *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ non* « *obliviscaris; memento quoniam nisi per illos natus* « *non fuisses.* » *Secundò nutrimentum sive fulcimentum ad vitæ necessaria. Tertiò, documentum, ad Hebr.* 12 : « *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores.* » D. Thomas, opusc. 4.

Debent itaque filii insitum erga parentes amorem gerere in corde, qui tantâ illos prosequuntur dilectione, quibus post Deum omne debent quod sunt, qui indicibili curâ et labore ab infantiâ usque ad maturam ætatem illos perduxerunt; perpendant quantâ sollicitudine et lætitiâ eos susceperint, sustentaverint, ac educaverint, sibi plurima subtrahentes, ut ipsis providerent; gemitus matris non obliviscantur, cujus specialem mentionem fecit Sapiens loco citato; quia licet sollicitudo, amor et labores patris frequenter minores non sint, matris tamen amor, dolores, sollicitudines et labores, manifestiores ac sensibiliores esse solent, gestando puerum in utero, pariendo, lactando, curando, ducendo, secum retinendo, etc. Quanta enim post conceptum fœtum mater subiit fastidia, insomnia, vertigines, præcordiorum angustias, cordisque deliquia? *Tibi*, inquit Ambrosius, *illa cibum, quem voluit non accepit, tibi quem noluit accepit; tibi illa jejunavit; tibi vigilavit, tibi flevit.* Quàm gravissimos in partu dolores perpessa est, qui frequenter cum mortis periculo sunt conjuncti! Unde Scriptura acerbissimos cruciatus, dicit esse *dolores ut parturientis*. Prole deinde editâ, impensè laborat in eâ lactandâ, cibandâ, mundandâ, fasciendâ, cunis agitandâ, ut somnum capiat, eximendâ ut sugat ubera, disponendâ ut exoneret alvum, mulcendâ ne ploret; ita ut nocte dieque amor maternus circa infantem occupetur, nec aliud facere possit aut cogitare. Tandem proles grandior effecta, majores affert curas, anxietates, dolores et timores, ut illi provideatur, instruatur, à malorum consortiis abducatur, à flagitiosâ vitâ abstineat, à periculis sit immunis, à morbis curetur, omniaque sentit infausta quæ illi accidunt. Hæc et alia libenter sustinet maternus amor; propterea Tobias moriturus, amorem erga matrem filio suo, sub nomine honoris, ingenerare volens dicebat ei, cap. 4 : *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus : memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo.*

Non minor autem, imò major, dilectio debetur patri in quantum pater est, quàm matri per se loquendo, in quantum mater est, seclusis aliis circumstantiis : potest enim in omnibus hujusmodi tanta esse distantia virtutis et malitiæ, ut amicitia solvatur aut minuatur. Ita D. Thomas, 2-2, q. 26, art. 10, et probat quòd per se loquendo cæteris paribus, pater sit plus diligendus, quia pater et mater amantur ut principia quædam naturalis originis : pater autem habet rationem excellentiorem principii quàm mater, quia pater est principium per modum agentis : mater autem magis per modum patientis, et materiæ. Et ideò per se loquendo, pater est magis diligendus. Nec obstat quòd mater plus amet filium et plus laboret pro eo. Non obstat, inquam, quia hoc pertinet ad aliam rationem dilectionis : alia enim est species amicitiæ, quâ diligimus amantem, et quâ diligimus generantem. Nunc autem loquimur de amicitiâ quæ debetur patri et matri secundùm rationem generationis. Major autem excellentia principii in patre præponderat majori labori matris in generatione; quoniam ratio boni magis attenditur in objecto per se dilectionis, quàm ratio difficilis et laboriosi.

Hinc mortaliter peccant filii qui parentes odio habent. Nam lumine naturali quisquis tenetur diligere proximum, ejusque odium vitare; cùm ergo magis teneantur parentes diligere, longè graviùs peccant ipsos odio habendo. Unde istud quartum Decalogi præceptum de honore et amore parentûm includit consequenter fugam contrarii, nempe odii; et ex hâc parte est negativum obligans semper et ad semper. Nullo enim tempore et casu, ac propter nullam causam, filiis licitum est parentes odio habere, aliquod grave malum corporis aut animæ ipsis exoptare, puta mortem, sive ut liberentur à molestâ illorum custodiâ, vel ut citiùs capiant hæreditatem, prout fusè ostenditur in tractatu de justitiâ, ubi refutantur recentiorum opiniones circa istam materiam, et afferuntur eorum propositiones variæ ab Ecclesiâ damnatæ. Porrò circumstantia hujusmodi odii vel injuriæ explicanda est in confessione, sicut circumstantia parricidii aut percussionis, quia habent specialem malitiam oppositam virtuti pietatis parentibus debitæ.

Neque sufficit amor internus filiorum erga parentes, sed tenentur signo exteriori quandoque illum manifestare. Et hâc ratione hujusmodi præceptum de honore et amore parentûm, est affirmativum. Hinc filii peccant, qui licet in corde parentes odio non habeant, vix tamen signum aliquod amicitiæ illis exhibent, vixque verbum bonum, sed asperè loquuntur, imperiosè agunt, et torvis oculis respicere solent. Si id habeant in consuetudinem, si parentes inde gravem concipiant mœrorem, ut communiter contingit, non video quòd à culpâ lethali sint excusandi, ut docet Sylvester, verbo *Filii*, num. 25. Quoties igitur ex circumstantiis vir prudens judicat subesse necessitatem talia amoris signa externa parentibus exhibendi, tunc saltem filii ad illa tenentur hoc quarto Decalogi præcepto.

Verùm sicut tenentur filii parentibus obedire in Domino, secùs verò contra Deum, ita et illos amare ordine ad Deum cujus sunt instrumenta; non verò plus quàm Deum, qui dicit Matth. 10: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Carnalis quippe affectus mactandus et evellendus è corde filiorum est quando Deus jubet, eosque in suî speciale obsequium religionis, aut clericatûs vocat; cùm tunc et animam suam, si illam ament, perdere astringat. Unde Augustinus Epist. 38, ait: *Non succenseant parentes, hoc præcipere Dominum, ut eos oderimus, quando hoc nobis de animâ nostrâ præcipitur.* Hunc carnalem affectum in beneficiariis ecclesiasticis erga parentes suos Ecclesia præcipit ita ordinatum esse ut fructus ac reditus beneficiorum, nullatenùs ad eos ditandos, sed ad pauperes sublevandos, et in opera pia expendant, prout disertè statuit Tridentinum sess. 25, cap. 1 de Reformat. ubi sancta synodus *omninò illis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant, cùm et Apostolorum canones prohibeant ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causâ. Imò quàm potest, eos sancta synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum, in Ecclesiâ seminarium extat, penitùs deponant.* Unde facientes contra istud strictissimum Ecclesiæ præceptum, mortaliter peccant. Similiter Deo militantes, non implicent se secularibus parentûm negotiis, sine justâ et urgenti necessitate, abstinentes ab omnibus quæ distrahunt à Deo, qualia sunt secularia negotia, quia sollicitudo hujus seculi suffocat verbum.

Articulus IV.

De subsidio quod filii parentibus in necessitate tam spirituali quàm corporali existentibus, præstare tenentur.

D. Thomas, 2-2, q. 122, art. 5, ad 3, ait, quòd *parentibus in quantum hujusmodi, debetur reverentiæ honor. Sed sustentatio et alia hujusmodi debentur eis ratione alicujus accidentis; puta in quantum sunt indigentes vel servi, vel aliquid hujusmodi. Et quia quod est per se, prius est eo quod est per accidens, ideò inter prima etiam præcepta legis, quæ sunt præcepta Decalogi, specialiter præcipitur honoratio parentum, in quâ sicut in quodam principali, intelligitur mandari et sustentatio, et quidquid parentibus debetur.* Sic enim Christus Dominus istud præceptum interpretatur Matth. 15, ubi redarguit Pharisæos irritum illud facientes propter suas traditiones, prætextu quodam religionis et oblationis avertentes filios à sustentatione parentûm, quasi Deo gratius foret, si suas res in templo offerrent, quàm si in parentûm subsidium impenderent. Et 2-2, q. 101, art. 2, docet D. Thomas quòd *pietatis officium est ut filii parentibus sustentationem exhibeant. Nam parentibus aliquid debetur dupliciter, uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem debetur eis id quod decet patrem, in quantum pater est: qui cùm sit superior, quasi principium filii existens, debetur ei à filio reverentia et obsequium; per accidens autem aliquid debetur patri, quod decet eum accipere secundùm aliquid quod ei accidit: puta si sit infirmus, quòd visitetur, ac ejus curationi intendatur; et si sit pauper quòd sustentetur, et sic de aliis hujusmodi, quæ omnia sub debito obsequio continentur.* Hæc D. Thomas. Et ibidem, ad 2, explicans illud Apostoli 2 ad Corinth. 12: *Filii non debent thesaurizare parentibus*, etc., ait, quòd *quia pater habet rationem principii, filius autem habet rationem existentis à principio, ideò per se convenit patri ut subveniat filio, et propter hoc non solùm ad horam debet ei subvenire, sed ad totam suam vitam, quod est thesaurizare. Sed quòd filius aliquid conferat patri, hoc est, per accidens ratione alicujus necessitatis instantis, in quâ tenetur ei subvenire, non autem thesaurizare quasi in longinquum, quia naturaliter non parentes filiorum, sed filii parentûm sunt successores.*

Itaque attendens Dominus frequentem parentûm necessitatem, et penuriam ob imbecillitatem, vel deficientem ætatem, præcipit filiis ut parentes suos ho-

norent, necessaria eisdem subministrando quantùm possunt: quamvis enim tale subsidium eis deberi, jus ipsum naturæ dictet, prout apparet exemplo ciconiæ aliorumque animalium, relato à D. Ambrosio et Cassiodoro, nec non infidelium, prout referunt Plinius et Valerius, non tamen hoc jure ita evidenter apparet, sicut quòd parentes erga filios ad id teneantur: ideò Deus expressum de hoc filiis mandatum fecit, cui adjunxit promissionem vitæ longævæ, ut hoc præcepto ac præmio alliciantur. Ad illud quoque subsidium ex virtute gratitudinis parentibus impendendum filios teneri, monet Scriptura: *Memento quòd nisi propter illos natus non fuisses, et retribue illis, quomodò et illi tibi.* Nihil illis par reddere possunt filii, etiamsi alimenta retribuant *Pasce, fili, parentes*, inquit divus Ambros. super caput 18 divi Lucæ: *Illi debes quod habes, cui debes quod es.* Et D. August. l. 2, de Serm. Domini in monte, cap. 4, ait: *Quid charius esse debet filiis, quàm pater?* Tenetur igitur filius sub mortali parentibus suis in gravi necessitate corporali constitutis subvenire quantùm potest, puta si sint infirmi, eos visitare ac curationi incumbere: si detineantur in carcere, ipsorum liberationem procurare. Si pauperes, aut mente capti existant, debet dare operam ut de necessariis debitè illis provideatur, etc.

An autem ad subveniendum magnis parentùm corporalibus indigentiis, teneatur filius abstinere ab ingressu religionis aut egredi ex illâ, ut eis subveniat ac sustentet? Sermo autem est tantùm de patre et matre, et non de aliis. Respondet D. Thomas, 2-2, q. 101, art. 4, ad 3, quòd *hoc ipsum quod parentibus carnalibus ex pietate exhibemus, in Deum referimus; sicut et alia misericordiæ opera, quæ quibuscumque proximis impendimus, Deo exhibita videntur, juxta illud Matth. 15: «Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.» Et ideò si carnalibus parentibus nostra obsequia sunt necessaria, ut sine his sustentari non possint, nec nos ad aliquid contra Deum inducant, non debemus eos intuitu religionis deserere. Si autem sine peccato eorum obsequiis vacare non possumus, vel etiam si absque nostro obsequio sustentari possunt, licitum est eorum obsequia prætermittere, ad hoc quòd ampliùs religioni vacemus.* Idem asserit, 2-2. q. 189, art. 6, et quodlib. 5, q. 6, art. 11, et quodlib. 10, quæst. 5, art. 1. Supponit D. Thomas quòd paupertas illa parentùm instat et præsens est, in quâ filius tenetur eis subvenire, sicut expressè dixerat ibidem art. 2, ad 2, et quòd est necessitas extrema, aut valdè gravis; ita ut sine filii ope eam vincere nequeant: si enim absque filio vitam transigere possent, licitum erit filio desertis parentibus religionem intrare. Idem dicendum quando sunt alii qui eorum curam habere debent lineâ parentelæ adstricti, vel etiam extranei, qui volunt ac possunt illis subvenire in tali necessitate. Supponit adhuc quòd filius remanendo in seculo possit subvenire parentùm necessitati de præsenti, quamdiù instat et durat; et religionem ingrediendo subvenire non posset, aliàs inutiliter remaneret in seculo, potiùsque gravaret parentes, quàm sublevaret. His suppositis concludit D. Thomas, quòd quando tanta est parentùm necessitas ut filius teneatur subvenire, puta quia est quasi extrema, et sine filii obsequio sustentari non possunt, nec aliunde ad aliquid contra Deum eum inducunt, tenetur remanere in seculo, ad illis subveniendum, quamdiù durat ista necessitas: secùs dicendum, si absque filii obsequio sustentari possunt, aut sine peccato illorum obsequio vacare nequeat, à quo tamen periculo esset immunis in religione, quia unusquisque juxta ordinem charitatis debet magis diligere suam propriam salutem spiritualem, quàm corporalem proximorum.

An autem si filius fuerit jam ingressus ac professus religionem, et postea parentes in extremam necessitatem inciderint, ita ut hæc paupertas tantùm post professionem supervenerit, teneatur tunc filius egredi è religione ad illis subveniendum? Resp. D. Thomas art. 4, jam citato ad 4, aliud dicendum esse de eo qui est adhuc in seculo constitutus, et aliud de eo qui jam est in religione professus. Primus enim non debet religionem intrare, quia transgrederetur præceptum de honoratione parentùm, etc. Postea subdit: *Ille verò qui jam est in religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo, unde non debet occasione sustentationis parentùm exire è claustro, in quo Christo consepelitur, et se iterùm negotiis secularibus implicare. Tenetur tamen salvâ sui prælati obedientiâ et suæ religionis statu, pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur.*

Ubi S. doctor non negat quòd iste professus, de licentiâ superiorum possit exire è monasterio, salvoque suæ professionis statu decenter laborare ac operam dare, ad subveniendum necessitati parentùm: sed negat ad id teneri etiam invito prælato suo, ut volunt alii, qui id probant, quia est de jure naturæ, quod præeminet omni vinculo et voto: non enim vota debent esse impeditiva operum justitiæ. Unde sicut licitum est furari propter extremam necessitatem alterius, ita licitum est actualem obedientiam subtrahere prælato, et furari bona Ecclesiæ, si aliter non possit subveniri huic patris necessitati. Unde Christus Matth. 15, redarguit Pharisæos docentes propter cultum divinum et obligationem, filium debere extremæ parentùm necessitati deesse; ostenditque quòd subtrahere necessaria parentibus propter Dei cultum, est transgressio præcepti hujus de honorandis parentibus. Adde quòd si religiosus stans in ostio monasterii videret aliquem opprimi ab equo indomito, aut hominem claudum existentem in domo conflagrante incendio, teneretur exire è monasterio ad illis succurrendum etiam prohibente prælato suo.

Contra quos stat D. Thomas in omnibus locis supra adductis, et probat ex hoc quòd cùm religio et pietas sint duæ virtutes, non potest fieri quòd se mutuò impediant, ut propter actum unius, actus alterius excludatur; cujuslibet enim virtutis actus debitis circumstantiis limitatur: quas si prætereat, jam non erit actus virtutis, sed vitii. Unde ad pietatem pertinet officium et cultum parentibus exhibere secundùm debi-

tum modum : non est autem debitus modus, ut plus homo tendat ad colendum patrem, quàm ad colendum Deum ; sed sicut dicit Ambrosius super Lucam, necessitudini generis divinæ Religionis pietas antefertur. Si ergo cultus parentûm abstraheret nos à cultu Dei, jam non esset pietatis parentûm insistere cultûi contra Deum. Unde quòd professus remaneat tunc in monasterio, non est contra jus naturæ, nec impeditivum justitiæ. Nam justitia supponit debitum : at verò hoc ipso quòd professus sit mortuus mundo, tollitur omnis ratio justitiæ obligationis et debiti erga parentes, satisfacitque præcepto illos honorandi, succurrendo ipsorum necessitati modo debito salvâ professione et statu Religionis secundùm suam facultatem. Cùm autem per professionem jam transierit in alterius dominium et potestatem, ea solùm præstare potest, quæ salvo sui statûs detrimento fieri valent. Adde quòd semel Deo dicatum, non est ad usus humanos transferendum, contra Dei et prælatorum voluntatem ; liberatur itaque professus ab obligatione egrediendi ad parentes sublevandos, ob scilicet impotentiam, cùm nec temporalia, nec proprium velle habeat.

Quare istud præceptum de honore parentûm est affirmativum, solùmque obligat filium pro loco, tempore et statu in quo illum reperit. Unde si reperit eum impotentem ac civiliter mortuum, per deportationem ad insulam, aut per professionem religiosam, obligat solummodò, ut quantùm commodè potest juxta suum statum, conetur parentibus providere : sicut quandò invenit filium uxoratum non obligat ad remanendum cum parentibus ; quia jam est obligatus ad habitandum cum uxore, satisfacitque præcepto, si quantùm patitur conditio sui statûs, parentibus indigentibus subvenire studeat ; nec tenetur ad ea omnia, quæ si solutus ac liber esset, facere deberet. Christus autem Dominus in eo loco tantùm damnat Pharisæos qui suadebant filiis ut ea quæ necessaria erant parentibus, illis detraherent, ut Deo offerrent : nullatenùs verò intendit, ut filii ea quæ in templo jam obtulerant Deo, repeterent, ut inde parentibus subvenirent. Ex quo solùm convincitur quòd dùm filii nondùm se Deo dedicârunt per professionem, sed sunt adhuc liberi, tunc desertis parentibus sic indigentibus, Religionem intrare non possunt ; non verò, quòd si jam Deo sit consecratus filius per professionem, teneatur se subtrahere Deo et Religioni, ad subveniendum parentibus suis : et per hoc solvuntur argumenta in contrarium. Tandem ad ultimum argumentum respondetur, quòd cùm ista misericordiæ opera non requirant in religioso professo mutationem statûs, nec permanentiam extra monasterium ; sed ritè possint ab ipso præstari remanendo in religione, et in observantiâ suæ regulæ, potest hoc modo subvenire, proximo. In nostro autem casu supponitur rem aliter se habere : si enim professus isto modo absque mutatione statûs, ac detrimento vitæ regularis, subvenire parentibus posset, ad id teneretur, et prælatus censeretur ratione habiliter invitus. Ita Sayrus, lib. 7, cap. 6.

Hùcusque sermo fuit tantùm de patre et matre. Nam si fratres et sorores sint in eâdem necessitate constituti, non tenetur quis absolutè ab ingressu religionis abstinere, ut illis subveniat, multòque minùs tenetur jam professus è religione egredi : non enim hoc præcepto ita strictè ligatur erga fratres aliosque propinquos, ac erga patrem et matrem. Itaque filii parentibus subvenire tenentur in necessitatibus corporalibus, quatenùs si non valent illis dare esse prout ab eis acceperunt, saltem rependant conservationem in esse, exhibitione necessariorum vitæ ; præsertim in senectute, prout ipsi parentes eos in esse per educationem et sustentationem conservârunt, in minori ac debili ætate constitutos.

Tenentur adhuc filii parentûm necessitatibus spiritualibus consulere, maximè dùm extremè decumbunt, procurando ut auxilia et sacramenta Ecclesiæ suscipiant, aliaque opera ad benè moriendum disponentia, exerceant. Unde peccant filii qui non curant de hoc, qui parentes impediunt à faciendo testamento, aut restituendo alieno, reparandoque damno proximis illato ; qui juxta vires suas et facultates non curant exequias et anniversaria officia illis celebrari ; qui ex negligentiâ aut avaritiâ, debita ipsorum solvere, et legata maximè pia adimplere in longum tempus differunt, imò et sacrilegè sibi retinent : quo fit ut quandoque Dei judicio infelix mors eis accidat, simulque contingat quòd postea hæredes illorum voluntatem similem testamenti ipsorum nihil solliciti sint adimplere, sicque familia super familiam, et domus supra domum in infernum miserè cadat. Patrinis etiam, matrinis ac tutoribus filii reverentiam et obedientiam reddere tenentur : hujusmodi quippe obligatio in hoc fundatur, quòd in illis dirigendis, curandis et instruendis, hi in locum defunctorum parentûm succedant, eorumque officio fungantur. Fratribus quoque, sororibus et consanguineis debent amorem et aliquale subsidium in necessitatibus, prout commodè possunt ; adhærent quippe patri tanquàm rami trunco ; carnaliter inter se conjunguntur, simulque habitant in unum : ideòque debet esse inter ipsos conjunctio et unio animorum, ut in pace degant, honore se invicem prævenient, alter alterius onera portet, ac defectus patienter ferat insuper huic vinculo naturali et necessitudini sanguinis, superaddendum est gluten charitatis. Ut enim probat D. Thomas, 2 2, q. 26, art. 8, illi qui sunt magis conjuncti, magis sunt ex charitate diligendi, illisque magis benefaciendum cæteris paribus, ut probat ibidem, quæst. 31, articul. 3. Filii tandem pietatis officia erga patriam exhibere tenentur in quâ nati et nutriti sunt. Nam post Deum homo maximè debitor existit parentibus et patriæ, tanquàm secundariis sui esse et gubernationis principiis. Et sicut in cultu parentûm includitur cultus omnium consanguineorum, ita in cultu patriæ intelligitur cultus omnium civium, et omnium patriæ amicorum, ut probat D. Thomas, 2-2, q. 101, art. 1.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUÆNAM OFFICIA PARENTES FILIIS PRÆSTARE TENEANTUR, ET VIR AC UXOR AD INVICEM.

Quamvis in isto quarto Decalogi præcepto nulla facta sit mentio de obligatione parentûm erga filios, certum tamen est de jure naturæ multa illis debere officia exhibere, quæ tacitè sub isto præcepto intelliguntur ac comprehenduntur. Ut enim ait D. Thomas, 2-2, q. 122, art. 5, ad 2 : « Hoc præcepto intelligitur « mandari quidquid pertinet ad reddendum debitum « cuicumque personæ, sicut secundarium includitur « in principali. » Adde quòd filius est aliquid patris, et patres amant filios sicut aliquid ipsorum, ut dicit Philosoph. 8 Ethic. Unde sicut non est præceptum de amore sui ipsius, quia ad hoc natura inclinat, ita necesse non fuit ut hoc præcepto paternus amor exprimeretur, prout ostendit D. Thomas, 1-2, q. 100, art. 5, ad 4. Ad illud tamen reductivè tanquàm correlativum pertinere potest.

Regimen paternum originem ducit ab amore filiorum quem natura parentibus indidit, quia omne generans producit sibi simile : similitudo autem est per se causa amoris; unde Eccles. 13, dicitur quòd *omne animal diligit sibi simile.* Pater enim præsidet filiis, eosque regit non propter bonum proprium, ut dominus servum, sed propter ipsorum filiorum utilitatem, et vult eis bonum : velle autem alicui bonum, est illum amare. Cùm igitur natura nos doceat quòd illorum curam habeamus ac sollicitudinem quos diligimus, filiorum cura parentibus incumbit, præsertim cùm amor parentûm procedat in filios, ut à causâ in effectum, et à superiori inferius; et aliunde naturale sit quòd superiora influant in inferiora eaque conservent. Hujusmodi autem cura et regimen tria hæc officia exigit. Primum ut parentes nutriant, sustentent et defendant filios suos ad conservandum illos in esse quod dederunt. Secundum, ut verbo et exemplo in virtute instruant, bonisque moribus informent. Tertium, ut corrigant et à vitiis arceant exhortationibus, minis et flagellis, si opus fuerit ad disciplinam. Has tres obligationes patrum erga filios promulgavit Apostolus cap. 6 ad Ephesios, dùm dicit patribus : *Educate filios*, ecce primam; educate illos *in disciplinâ*, ecce secundam; *et in correctione Domini*, ecce tertiam, quas sigillatim explicandas suscipimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De obligatione parentûm sustentandi filios, eisque providendi de necessariis ad vitam.

In omni specie, cuicumque natura dat esse, sollicita est per media debita conservare ipsum in esse : sic postquàm igni tribuit esse, incidit ipsi calorem per quem resisteret corrumpentibus, siccitatem ac levitatem quâ ascenderet ad propriam sphæram, ubi naturaliter conservatur; inde manavit commune istud effatum : Qui dat esse, dat consequentia ad esse. Pater autem per virtutem generativam dat esse filio; proindeque per nutrimentum, fulcimentum aliaque media necessaria vitæ, obligatur ad eum conservandum in esse. Ad quod satis superque inclinatur amore paterno, cùm et cuncta animalia laboribus non parcant, imò periculis se exponant, ut sustentent et conservent fœtus suos, amore naturali ea impellente. Quantò magis in specie humanâ iste amor parentes urgere debet ut filiis de necessariis ad vitam honestè transigendam provideant? *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* inquit Deus Isaï. 49. Et cap. 58 hortatur homines ad eleemosynas elargiendas, præsertim propinquis dicens : *Carnem tuam ne despexeris.* Septuaginta autem interpretes sic legunt : *Domesticos seminis tui ne despexeris.* Unde graviter contra istud jus naturæ parentes delinquunt, qui notabiliter negligunt filiis providere de necessariis ad vitam corporalem, dùm possunt; ut enim, inquit Apostolus 1 ad Timoth. 5 : *Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet* corporis et animæ, *fidem negavit* facto suo, *et est infideli deterior.* Nam ipsi infideles in hoc naturæ obtemperant, et exactam fidelitatem servant, filiorum curam habentes ac subsidia corpori necessaria subministrantes. Hinc graviter peccant matres gravidæ dùm non curant vitare id omne quod potest abortum procurare, nempe labores arduos assumendo, gravia pondera deferendo, immodicè discurrendo, saltando, et se fatigando, effrenatas iras aut tristitias immoderatas concipiendo, et periculo abortûs se exponendo. Quantò crudeliùs agunt, longèque graviùs peccant, quæ studiosè ac de industriâ per pharmacum aliudve facinus fœtum eum quâdam violentiâ ante debitum tempus educunt ac perimunt ad honorem proprium salvandum?

Peccant etiam matres quæ absque justâ causâ proprio lacte filios non nutriunt, cùm possint absque sui dispendio; sed aliis tradunt alendos, cùm ipsa natura ad hoc animalia etiam inclinet. Unde sic de talibus conqueritur Dominus Thren. 4 : *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* In Hebræo, loco *Lamiæ* habetur *Tanim*, dracones, canes, etc. Nullum quippe brutum invenitur, quod per se fœtum non enutriat. *Filia autem populi mei crudelis ut struthio.* De quâ Job cap. 39, ait : *Derelinquit ova sua in terrâ, obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat, duratur ad filios suos quasi non sint sui.* Idque etiam reprobatur dist. 5, cap. *Ad ejus*, his verbis : *Prava hæc conjugatorum moribus consuetudo irrepsit, ut filios quos gignunt, nutrire mulieres contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod sanè ex solâ carnis incontinentiâ videtur fuisse inventum, qui dùm se continere nolunt, dispiciunt lactare quos gignunt.* Non enim tam benè nutritur infans regulariter loquendo lacte alieno ac materno, utpote non tam suæ naturæ conformi, sæpèque contingit, ut infans vel non vivat, vel vivat debilior aut agrestior. Præterea imbibit pravas nutricis inclinationes naturales, vitiaque tum corporis, tum animi, quæ paulatim instillantur à nutrice. Tandem fit ut et mater filium et filius matrem minùs amet dividens suum amorem inter illam et nutricem.

Quando igitur mater sine causâ proprio lacte filium non nutrit, peccatum veniale committit. Addit tamen Navarrus in Man. cap. 14, num. 17, ex personarum et rerum circumstantiis judicandum quando sit mortale : siquidem non semper esse tantùm veniale, incommoda multa quæ inde sequuntur, possunt probare. Unde per se et communiter est peccatum veniale ; quandoque verò per accidens; ob mala quæ filio inde proveniunt, potest fieri mortale. Si tandem mater ex justâ et rationabili causâ filium per seipsam non lactet, nullum committit peccatum. Verùm tunc sub mortali tenetur ei quærere bonam nutricem, quæ non sit morbo infecta, etc., et habere curam ut ritè educetur. Vide Ambrosium, lib. 5 in Hexameron., cap. 18. Peccant etiam matres et nutrices ponentes infantes in lectum ad secum dormiendum ante tempus ab Ecclesiâ præscriptum : id enim sub excommunicatione et peccato est illis vetitum, ob scilicet periculum oppressionis tenellorum parvulorum, qui facilè suffocari ac necari inde possunt. Nec excusantur propter frigus, aut clamores parvulorum, quia non sunt facienda mala, ut evitetur aliud malum ; sed potest aliter provideri, puta ponendo tabulam aliquam intermediam suspensam exteriùs supra lecti strangulam, ut inde infans nequeat opprimi, aliove modo utendo, quo juxta sensatorum judicium infans suffocationis periculo non exponatur. Peccant etiam parentes qui citra necessitatem infantes recenter natos januis templorum aut monasteriorum exponent, aut ob avaritiam ad hospitalia mittunt. Si enim pauperes non extiterint, tenentur solvere hospitali expensas pro educatione hujus infantis factas, cùm hospitalia ad solos pauperes alendos instituta fuerint. ff. *de lib. agnosc.* l. *necare*. Nisi ergo justam sic exponendi filios habeant causam, mortaliter peccant ; tum quia videntur filios deserere ac contra naturalem et paternam pietatem agere; tum quia probrosum ac contumeliosum est filiis sic exponi, aut in hospitali domo ali et sustentari. Unde can. *Si quis*, distinct. 30, dicitur : *Si quis dereliquerit filios suos, et non eos aluerit, et quod pietatis est necessaria non præbuerit, sed sub occasione continentiæ negligendos putaverit, anathema sit.* Vide August. lib. 1 de Nupt. cap. 5 ; et Lactantium, lib. 5, cap. 9.

Peccant graviter parentes qui filiis et filiabus alimenta ad vitam, quam illis dederunt, sustentandam necessaria non subministrant, prout possunt. Inde quandoque contingit ut domo paternâ discedere cogantur, et mendicare, aut furari aut militiam aliamve periculosam artem non sine dispendio salutis exercere. Porrò nomine alimentorum intelliguntur victus, vestitus, lectus, habitatio, medicinæ dùm ægrotant, cæteraque ad vitam sustentandam et conservandam, juxta personæ conditionem et statum necessaria. Unde tenentur et parentes honesto aliquo labore et exercitio bona sibi comparare, si aliunde non habeant, quibus filii tam in vitâ, quàm post ipsorum mortem sustentari valeant. A fortiori peccant qui otio tabescentes, aut prodigi, aut ludis et comessationibus vacantes, bona sua dissipant in familiæ detrimentum, eam ad gravem indigentiam redigentes. Quæ omnia intelliguntur de filiis etiamsi sint proscripti auctoritate principis, aut ab Ecclesiâ excommunicati, aut monasterio ejecti : hæc enim non auferunt obligationem jure naturæ introductam. Intelliguntur etiam de filiis illegitimis et spuriis, cùm de jure naturæ parentes illis alimenta præstare teneantur. Quare id negligentes sine causâ, graviter peccant. Quòd si filii suas uxores absolutè sustentare nequeant, tenentur parentes etiam iis alimenta ministrare, cùm ad id filius obligetur, ac in defectum, pater filiorum onera sustinere debeat. Hujus officii monet Apost. 2 Corinth. 12, dicens : *Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Quia thesaurizatio et congregatio fit in posterum : videmus autem quòd secundùm naturam filii succedunt parentibus, et non è contrario, nisi in aliquo tristi eventu : et ideò naturaliter amor parentùm est ad hoc ut congregent filiis. Ita exponit D. Thomas hunc locum Apostoli. A prædictis obligationibus parentes liberantur, tum quando filius aliunde habet unde decenter spectato statu sustentari possit; tum quando parentes sunt in gravissimâ necessitate constituti ac impossibilitate ; tum quando sine gravi infamiæ notâ aut vitæ periculo non possunt eum alere, ut si femina innupta illum ex fornicatione procreavit. Potest enim tunc eâ de causâ eum hospitali exponere hâc conditione ut expensis satisfaciat, si potest, rectamque illius institutionem curet. Tum denique ob eas causas propter quas parentes exhæredare possunt filios suos, nisi filius in extremâ aut valdè gravi necessitate fuerit constitutus. Tunc enim parentes nullo jure excusari possunt à debito eum alendi.

Si filius aliquo tempore se sustentavit alimentis aliunde quàm à patre acceptis, non tenetur pater in foro conscientiæ ei restituere alimenta pro illo tempore, alioqui debita, quia filio debentur alimenta in subsidium vitæ. Si ergo aliunde habuerit sustentationem, non tenetur pater aliquid solvere, nisi filius coactus fuerit debita contrahere ut se sustentaret : æquitas enim videtur postulare ut pater hæc filii debita extinguat causâ se sustentandi contracta, cùm ad eam sustentationem teneatur pater. Onus et obligatio nutriendi filios transit ad parentùm hæredes, et ad eos quibus bona filiorum testamento vel donatione obveniunt, si ista donatio à jure non rescindatur, et bona talem obligationem ferre possint. Transit etiam ad fiscum, quando ob crimen parentùm bona ipsorum publicantur, excepto crimine hæresis, aut læsæ majestatis. Tunc enim nihil reservatur pro filiis (1). Pater tenetur sub mortali dotem constituere filiæ volenti nubere; tum quia dos succedit in locum alimentorum, tum quia tenetur consulere statui filiarum easque collocare, si matrimonium eligant, aut monasterium ingredi velint, ac matrimonium spirituale inire. Ergo tenetur ad dotem illis constituendam, cùm sine hâc nequeant ita collocari. Et non solùm filiæ le-

(1) Hæc remittenda ad tractatum de *Justitiâ*; dispositiones juris de quibus agitur non habent locum in Galliis.

gitimæ, sed etiam spuriæ debet pater, etiamsi sit clericus, constituere dotem. Nam alimenta et dos in jure æquiparari consueverunt : sed pater debet alimenta filiæ spuriæ ministrare. Ergo et dotem pro ratione alimentorum eidem constituere. Parentûm, unum præ aliis locupletandi studium, odia filiorum in ipsos, fratrumque inter se dissidia implacabilia sæpè parit : circa quod legendus est D. Ambros., l. 5 in Hexameron, cap. 18; et lib. 2 de Jacob et Vitâ beatâ cap. 2; et lib. de Joseph cap. 2.

Articulus II

An parentes teneantur esse solliciti de instructione, eruditione et informatione filiorum et filiarum circa bonos mores.

Non est bonum vivere, sed benè vivere, inquit Seneca, lib. 7 de Beneficiis : idcò cura parentûm non coarctatur ad esse, et ad benè esse filiorum tantùm quoad corpus, ministrando eis alimenta ad vitam conservandam necessaria; sed maximè in instituendis beneque informandis illorum animis versari debet. Hoc ipso enim quòd aliquis est pater, annexum habet onus magistri et præceptoris ad filios erudiendos, Eccles. 7 : *Filii tibi sunt, erudi illos, et curva illos à pueritiâ eorum.* Hanc quippe eruditionem requirit ignorantia et inordinata concupiscentia in quâ veniunt homines in mundum. Unde Augustinus ait : Quis ignorat eum quantâ ignorantiâ veritatis, quæ jam infantibus est manifesta, et cum quantæ vanæ cupiditatis abundantiâ, quæ incipit apparere in pueris, homo in hanc vitam veniat, ut si vivere dimittatur ut velit, et facere quidquid velit, in omnia vel in multa facinorum et flagitiorum genera perveniat? Ideòque pueri sunt erudiendi ignorantiæ expulsione, et morum informatione, et his officiis sedulò incumbere debent parentes, si bonos optent habere filios, ut ait Sapiens Prov. 29 : *Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ.* Unusquisque enim, ait D. Ambros., in filiis suis æstimatur, si benè filios suos instituit, et disciplinis erudivit : siquidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum, Unde rectè ait Sapiens Eccles. 11 : *In filiis suis cognoscitur vir;* et cap. 30 disertissimè idem tradit Sapiens.

Peccant itaque parentes qui non student et non laborant quantùm in ipsis est, ut filii addiscant mysteria nostræ fidei, nempe symbolum, Christi exempla et documenta, quæ à Clemente Alexand. 1 Pædag., cap. 3, *breves ac directæ sunt viæ ad æternitatem.* Modum vivendi christianè, et orandi ut oportet, nempe Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam; præcepta Dei et Ecclesiæ, ut ea servent, ut abstineant ab omni peccato saltem mortali, ut virtutibus acquirendis sedulò incumbant, denique ut omnia ad salutem necessaria cognoscant, teneant et sectentur. Hi enim parentes faciunt contra naturalem amorem et obligationem, quâ filiorum curam in spiritualibus sicut in temporalibus habere tenentur, suntque juxta Apostolum, infideli deteriores; et tanquàm infideles Dei ministri se gerunt in dispensatione illis creditâ filiorum, tam sacrum depositum sic incautè curantes; de quo monet illos D. Chrysost., hom. 9 in 1 Epist. ad Timoth. dicens : *Magnum habemus pretiosumque depositum, filios, ingenti illos servemus curâ, omnia faciamus ne fur ia nobis astutus auferat.* Nempe diabolus per peccatum et pravos mores. Tenentur itaque parentes filiis addiscere doctrinam christianam et evangelicam, aut procurare, imò præcipere et ab aliis addiscant, mittentes ad ecclesiam, ad instructiones parochiales vel ad scholas, etc., quia omnes fideles tenentur sub mortali peccato addiscere et scire doctrinam christianam : patri autem interest ex officio præcavere ac impedire peccata in filiis.

Tenentur quoque parentes filiis præcipere ac curam adhibere ut Missam debitè audiant, non laborent serviliter diebus festivis, sed vacent divinis, ut ad peccatorum confessionem, et communionem accedant dùm urget præceptum; imò ipsos exhortari et urgere ut frequenter confiteantur et communicent, aliisque piis operibus sedulò incumbant, educantes ipsos secundùm legem Dei : ita ut nullatenùs in ipsis feran; nullam gravem vel lethalem transgressionem. Si enim regis ministri debeant ex officio gubernare subditos conformiter ad imperium et ordinationes regis, quantò magis parentes Dei vicarii, filios secundùm Dei voluntatem et legem regere tenentur? ideòque graves, morales et ordinarias diligentias adhibere debent ad eos formandos ac instruendos, ut rectè pièque vivant, legisque præcepta adimpleant. Cùm enim ista educatio sit negotium magni momenti, non levem sed gravem requirit diligentiam.

Tenetur igitur pater sub mortali providere filiis in spiritualibus; ita scilicet ut diligenter curet, ne malos mores imbibant, sed bonis instruantur disciplinis; ne pravorum consortia, loca suspecta hæreticorum scholas frequentent; ne otio torpescant; ne blasphemiis, ebrietatibus, comessationibus, impudicitiis se dent et assuescant, etc. Ut sicut ursa catulos suos linguâ lambendo reformat, ita pater filios sedulò monendo, docendo, instruendo, bonis moribus informet

Postquàm Spiritus sanctus parentibus indixit et imperavit ut de filiorum eruditione curam haberent, Eccles. 7, statim subdit : *Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum, et ne ostendas faciem hilarem ad illas. Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam.* Major enim adhibenda est cura et vigilantia circa filiarum institutionem et custodiam, quia infirmior sexus facili negotio in malum flectitur; et ut dicit D. Hieronym., tenera res impudicitiæ flamma, quasi flos ad levem marcescit auram. Ideò cohibendæ sunt ab evagatione, ne extra domum discurrant, *et nunquàm sole, nunquàm sine matre prodeant*, inquit Hieronymus Epist. ad Demetriadem, ne illis accidat sicut Dinæ, Genes. 34, quæ ex curiositate egressa est ut videret mulieres regionis illius; et hâc occasione à Sichem corrupta est. Quò videtur respexisse Oseas, cap. 7, dicens : *Ephrahim quasi columba seducta non habens cor.* Filia enim sola, à matre separata, domo egressa, est velut columba seducta, quam facilè accipiter, seu pro

cus capit ac in suam trahit voluntatem. Unde clausa vivere debet in domo. *Soror nostra parvula est : quid faciemus sorori nostræ ?* dicit Deus Cant. 8. Et respondet : *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea*, id est, arctissimâ custodiâ intra murorum et parietum ambitum tanquàm thesaurus absconditus occludatur; qui si præ vetustate rimas fecerint resarciantur sine morâ, ne cujusquam aspectui pateat, idque efficiendum, etiamsi multâ pecuniâ foramina sint obturanda. *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Nempe si aliquod sit ostium per quod videri possit à procis, quod rimas faciat, compingamus illud tabulis ; quæ si ex alio ligno non suppetant, ex cedro fiant et assumantur. Vide quàm arctam custodiam filiabus requirit Spiritus sanctus, ut quasi instar testudinis semper domui suæ inhærere debeant, illamque veluti secum ferre quocumque ierint.

Cùm enim filia inclinans annis pubertatis inclinata sit delectari secundùm sensum et concupiscentiam, illud inprimis prohibendum est quod frequentissimè est occasio perdendi corporis et animæ pudicitiam. Hoc autem est discursus et evagatio extra domum propriam : vident enim et audiunt quæ non licent, et ob hoc tentantur à propriâ intrinsecâ concupiscentiâ. Videntur etiam et appetuntur à lascivis, et sic ab eis tentantur et alliciuntur verbis, nutibus, nunciis, donis, etc. Ad removendam igitur filiæ occasionem peccandi, optimum remedium est prohibere illi discursus vagos extra domum.

Item cum decenti pudore et verecundiâ quæ est ornamentum puellarum, et præcipuum frenum, ne quid turpe committant, non stat discursus extra domum. Nam sicut inassueti conversari cum hominibus, verecundantur dùm eis loquuntur, aut quid pertractant, ut patet de rusticis ingredientibus curias principum, sic jam assueti verecundiam deponunt. Unde si puella extra domum non discurrat, nec cum viris familiariter conversetur, laudabilem servabit verecundiam : è contra si discurrat et conversetur, paulatim fiet audax, intrepida aspectu, sermone, et gestu coram viris, et quandoque etiam petulans ac perfrictæ frontis evadet : hujusmodi exutâ verecundiâ paulatim domesticatur et se familiarem reddit homini. Tunc permittit se palpari, etc. Habent puellæ exemplum absconsionis hujus in B. Virgine Mariâ quæ *Alma*, id est, abscondita ab Isaiâ, cap. 7, dicta fuit, quia scilicet nunquàm viri aspectibus se obtulit, semper in domo clausa et custodita, quam solam solus Angelus invenit in penetralibus, et turbata fuit in sermone ejus timens angeli salutationem. Hujus exemplum proponit D. Ambros. exponens hæc verba Lucæ 1 : *Exsurgens Maria cum festinatione*, etc. : *Discite*, inquit, *virgines, non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non in publico miscere sermones*, etc.

Idem non debent parentes permittere quòd puellæ in domo propriâ ab adolescentibus, et juvenibus ac universaliter à viris nimis familiariter et crebrò visitentur, neque alliciantur et emolliantur ab eis per munuscula, aut blanditorias et amatorias epistolas, aut per internuntias personas lenocinantes etc. Parùm enim prodesset non permittere filiabus discursum, nisi in domo debitè custodiantur, et si in portu faciant naufragium. Unde Eccles. 42, de parente discreto legitur : *Filia patris abscondita est, vigilia, et sollicitudo ejus aufert somnum*, etc. ; semper enim evigilat circa ejus custodiam, tam intra quàm extra domum existentis, auferendo ab illâ prædictas occasiones, servando ejus corpus integrum, ut tradat viro castam et illibatam. Et tunc grande opus fecisse dicit Sapiens, Eccl. 7, in quo ostenditur difficultas servandi pudicitiam in filiâ, et quòd inter domesticas curas nulla major ac molestior est parentibus. Item parentes non permittant filios nubiles otio vacare, neque cum ancillis aut mulieribus domesticis vel vicinis, narrationibus et ludis inhonestis intendere, sed quotidiè horis congruis operi illis proportionato et decenti incumbere; nec tamen debita et honesta recreatio ad animum exhilarandum eis denegetur. Nisi enim filiæ domo clausæ exerceant aliquos labores et operationes juxta inclinationem suam, impatientes erunt clausulæ ; et ad illicita secretissimis modis se convertent, in quibus concupiscentiâ stimulante delectari valeant; nam *multam malitiam docet otiositas*, et aliunde non est malitia super malitiam mulieris.

Inde mulier otiosè vivens nunquàm virtuosa, nunquàm domui utilis, et benè regulabilis à viro esse poterit, sed soli corpori suo inserviet, nihil aliud curabit quàm de cibo, potu, dormitione, luxu, ludo, conversatione. Et certè in Scripturâ, sola mulier operosa laudatur tanquàm fortis et virtuosa. Nam de muliere forti dicit Sapiens Proverb. 31, quòd *quæsivit lanam et linum*, etc. Caveant tamen puellæ ne operentur in societate nuptarum, sive aliarum, quæ tunc laborantes, nesciunt nisi lasciva loqui, sed ut pestiferas fugiant, quoniam *corrumpunt bonos mores colloquia prava*. Item cantilenas obscœnas aut amatorias delectandi causâ non promant, ut dicit D. Hieron. ad Lætam : *Filia tua mundi cantica ignoret, turpia non intelligat, et hæc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur.*

Arcendæ sunt etiam puellæ à cultu corporis inordinato, à nimio luxu et ornatu vestium supra decentem earum statum et patriæ consuetudinem, à vestitu lascivo, à nuditate pectoris, mammarum, brachiorum et hujusmodi libidinis incentivis. Idque dissuadet Apostolus 1 ad Timoth. 2 dicens : *Volo mulieres orare in habitu ornato*, id est, honesto, *cum sobrietate et verecundiâ ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro et margaritis, vel veste pretiosâ, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Habeantque puellæ præ oculis exemplum Esther, de quâ dicitur cap. 2 suæ historiæ, quòd non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus, custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Et ideò quia non confidit in vanitate ornatûs, sicut reliquæ virgines, postpositis omnibus sola eligitur ab Assuero rege in veram uxorem, et coronatur regina, Deo ita disponente. Tandem peccant parentes si permittant et

patiantur filias suas amasios petulantes et procaces habere, cum quibus sinant eas discurrere, liberèque ac secretò solam cum solo conversari, vel à malo consortio non separent. Item si inter filiam desponsatam de futuro et sponsum ejus ante matrimonium, tactus impudicos aliave turpia permittant, aliisque periculis non obvient. Item si spectacula ac comœdias, lectionemque librorum turpium aut amatoriorum vulgò *Romans*, frequentare cum aliquo pudicitiæ et salutis dispendio sinant : Veneri quippe parens filios offert, qui earum pudicitiam non multùm curat, de quo videtur conqueri Deus, Psalm. 101, dicens : *Immolaverunt filias suas dæmoniis*, quas forsan à religionis ingressu et castitatis voto retrahunt.

Non sic Job, qui ne filiorum peccata etiam levissima faceret sua, continuis ea sacrificiis expiabat, dicens : *Ne fortè peccaverint filii mei.* Sanè admiratione digni sunt filii, sed admiratione dignior horum pater et magister : illorum enim nullum peccatum apertum apparebat; hujus verò tanta in Deum liberosque suos charitas erat, ut peccatorum etiam, quæ mente concipiuntur, curam susciperet, tantamque gereret filiorum providentiam, inquit D. Chrysost., ut de incertis quoque eorum et occultis tremeret paveretque delictis. *Salus enim infantium*, ait D. Hieron. Epist. ad Lætam, *majorum utique lucrum est in vitâ.*

Verùm, *longum iter per præcepta : breve et efficax per exempla;* nam verba movent, exempla trahunt : et ut ait D. Cyprianus lib. de duplici Martyr. : *Efficacius est vitæ quàm linguæ testimonium : habent et opera suam linguam, habent suam facundiam tacente linguâ.* Potiùs agenti creditur, quàm docenti. Validiora tamen sunt parentûm exempla erga filios; ut enim ait D. Basilius, teneri puerorum animi sunt instar ceræ, in quâ faciliùs parentûm imagines exprimuntur, et domestica exempla, sicut frequentiùs veniunt ad oculos, ita altiùs et profundiùs penetrant ad animos, ut notat Juvenalis, satyrâ 14. Ut umbræ figuras corporum, sic filii parentûm mores imitantur : et quemadmodùm frustra laborabit, qui existente corpore curvo, velit facere umbras rectas, ita operam suam perdet qui parentibus in malos mores abeuntibus, velit filios habere bonos. Sunt parentes veluti filiorum speculum, in quo se vident et conformantur; ac velut simiæ, quæcumque in eis bona aut mala vident, in scipsis exprimunt. Sicut igitur parentes dùm docent filios ambulare, non dicunt ut unum pedem ante alium ponant, sed manu ducunt, et cum eisdem ambulant, ita parùm refert si dicant filio, ut genuflexus Deum oret, dùm se accingit ad dormiendum; ut conscientiam examinet, ut opera pietatis exerceat, etc., nisi et ipsi tunc genuflectant ad simul orandum, et præcant ac præluceant in bonis actibus, imitantes aquilam, quæ provocat pullos suos ad volandum, super eos volitans.

Caveant parentes ne coram filiis jurent, blasphement, de proximo detrahant, verba obscœna proferant, Religionem irrideant, aliisque malis artibus ad peccandum, pravosque mores imbuendos impellant eos. Hinc Juvenalis parentes monet ut filios suos revereantur et timeant aliquid sceleris coram illis machinari, ne et ipsi scelerati evadant.

Maxima debetur pueris reverentia; si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos :
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Hinc est etiam illa D. Hieron. ad Lætam exhortatio circa filiam : *Nihil in te et patre suo videat, quod si fecerit peccet.* Scandalum istud quod filiis præbent, non leve et transiens, sed gravissimum ac permanens reputandum est peccatum, neque minus quam si illos interficerent. *Hos ego,* inquit D. Chrysostomus, lib. 3 adversùs vituperatores vitæ monasticæ, *patres parricidis ipsis immaniores sceleratioresque dixerim : illi enim corpus ab animâ separant; isti animam et corpus æternis ignibus tradunt.* Et ibidem docet quòd isti parentes qui malo exemplo dederint occasionem filiis sectandi vitia, pravosque mores induendi, nedùm propriis damnabuntur peccatis, sed et acrioribus suppliciis ob filiorum peccata adhuc cruciabuntur. *Neque suorum tantùm peccatorum pœnas dabunt, sed et eorum quæ filii peccârint.* Insultârunt pueri Elizæo, dicentes : *Ascende, calve,* 4 Regum 2, et devorati fuerunt à duobus ursis. Rationem hujus reddit Justinus Martyr, q. 80 ad Orthod. : *Quoniam ea verba pueri à parentibus suis, qui semper in Prophetas infesto animo erant, didicissent; idcircò Elizæus cæde liberorum parentes castigavit,* per ursos, qui fœtus lambendo formant, ut eorum incuria ex belluarum curâ duriùs arguceretur. Hùc etiam spectat exemplum de puero quinquenni relatum à D. Gregorio, qui à patre blasphemante, didicerat blasphemare et inter ejus brachia existens, subitò in gehennam à dæmonibus abreptus fuit.

Non immeritò dici solet quòd pater debet esse quasi filiorum centrum, juxta illud Job 29 : *In circuitu meo pueri mei.* Tum quia sicut centrum non magis ad unam quàm ad alteram partem circuli accedit, ita pater non debet magis ad unum quàm in alium filium ordinariè et per se loquendo propendere. Tum quia sicut, totum centrum terminat omnes lineas et totum singulas, ita totus pater debet omnibus filiis et totus singulis curandis et instruendis occupari. Tum maximè ad rem nostram, quia sicut omnes lineæ in centrum, ita filiorum mores in parentûm mores incurrunt, seu illis conformantur. Ut enim inquit Chrysolog. serm. 111 : *Parentis vitium, filiorum exitium. Numquid non in semine tota arbor? vitium ergo seminis est vitium totius arboris. Ad Rom.* 11 : « *Si radix sancta, et rami.* »

Cautè igitur ambulare debent parentes coram filiis, nihilque facere aut dicere, quod ipsorum offendat aspectum vel auditum; sed seipsos bonorum operum præbere exemplum, vitæque christianæ specimen et exemplar in suis actionibus eisdem exhibere imitandum, puta manè et vespere solitas fundendo ad Deum preces. Missæ sacrificio, ac divinis officiis devotè interessendo, sacramenta frequentando, inimicos diligendo, vindictam reprobando, omnibus, maximè pauperibus, per eleemosynam benefaciendo; et, ut ait Catechismus, se liberis præbendo magistros et exemplaria sanctitatis, æquitatis, continentiæ, mo-

destiæ, omnisque virtutis. Sicque paterfamiliàs debet esse valdè circumspectus in suis verbis et actibus, ac dare operam ut operationes suæ ordinentur, colliment, et tendant in familiæ ædificationem, et non in ruinam spiritualem et destructionem. Ut enim inquit Salvianus, lib. 7 de Gubern. Dei : *In domo suâ est quasi corporis sui caput, et vita ejus cunctis norma vivendi.* Se habet ad filios, sicut se habet in corpore humano caput ad membra ; cujus est ea movere per imperium, dirigere in finem, ac regulare illorum operationes juxta rationem rectam. Sicque singulæ patris operationes debent esse veluti norma et regula, cui in suis actibus conformatur filius, magisque propendit in vitiosas, quàm virtuosas ex naturæ corruptione. Unde subdit Salvianus : *Pessimum hoc est in isto negotio, quòd libentiùs omnes deteriora sectantur, et faciliùs mala institutio depravat bonos, quàm bona emendat malos.*

Tandem parentes audiant hæc Catechismi verba in fine hujus præcepti ; ubi monet, *ne quod fœdissimum est, in filiorum educatione ac doctrinâ, præpostera consilia ineant : etenim permulti in hâc unâ cogitatione curâque versantur, ut opes, ut pecunias, ut latum et amplum patrimonium liberis relinquant. Quos non ad Religionem, non ad pietatem, non ad bonarum artium disciplinam, sed ad avaritiam et rem familiarem augendam cohortantur : nec de filiorum existimatione et salute sunt solliciti, dummodò pecuniosi sint et perdivites. Quo quid dici, aut cogitari turpius potest ? ita ut ad illos non tam rerum copias, quàm sua scelera et flagitia transferant, quibus tandem non ad cœlum se duces præbeant, sed ad inferorum supplicia sempiterna,* etc. Lege D. Cyprianum, libro de Opere et Eleemosynis. Item Salvianum, lib. 4 ad Ecclesiam catholicam. Item D. Chrysost., lib. 5 in Epist. 2 ad Thessalon. D. Hieron. in Epist. 7 ad Lætam.

Articulus III.

Utrùm parentes quandoque teneantur verbis addere verbera, et malos protervosque filios severiori disciplinâ corripere.

Postquàm filii nec monitionibus, nec documentis, neque bonis parentûm exemplis induci valent ad virtutem sectandam, vitandaque peccata, tunc urgendi sunt ac comprimendi severis objurgationibus, comminationibus, increpationibus et correctionibus : imò et disciplinâ verberum, ac pœnarum inflictione, quando verba nihil obtinent, et non proficiunt. Hanc obligationem Scriptura pluribus in locis parentibus imponit. Proverb. 23 : *Noli à puero subtrahere disciplinam : si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.* Quid enim sibi volunt, inquit D. August., multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum adhibentur vanitatibus ? quid pædagogi, quid magistri, quid ferulæ, quid virgæ, quid his pœnis agitur, nisi ut imperitia debelletur et prava cupiditas infrenetur ? Flagella magnæ sunt efficaciæ in erudiendo. His eruditur et corriguntur etiam animalia irrationalia, et non solùm dùm ipsa percutiuntur, sed etiam dùm vident alia flagellari. Et apud homines, qui verbis erudiri et emendari nolunt, corriguntur verberibus, ut ait Sapiens Proverb. 22 : *Stultitia colligata est in corde pueri, sed virga disciplinæ fugabit eam.* Hoc freno coercendus est filius, qui tanquàm equus indomitus, non vult subjici paterno magisterio. Aliàs, si pater talem verberibus non refrenet, perinde faciet ac si ferocienti equo non calcar addat, sed habenas remittat, se pariter cum equo in præcipitia dejecturus. Non tam diligentem custodiam requirunt flores ne marcescant, quantam disciplinam exigit cura filiorum, ne in pravos mores dilabantur, ut innuit D. Hieron., Epist. ad Lætam. Periculosa valdè ac reprehensibilis est negligentia in his. Nam ut dicitur Proverb. 13 : *Qui parcit virgæ, odit filium suum ; qui autem diligit, instanter erudit.* Et Eccles. 30 : *Qui diligit filium suum, assiduat ei flagella, ut lætetur in novissimo die.* Puer sine severâ hâc disciplinâ evadit ridiculus, parentibus injuriosus, et sibi aliisque noxius, ejusque scelera progenitoribus imputantur, indeque illius supplicia in parentûm capita refunduntur. Diogenes, teste Plutarcho, videns puerum intemperantiùs comedentem, patri impegit colaphum, ac si filii pœnas luere debuisset. Celebre est illud apud Boetium, Gersonem et alios, de quodam juvene Romano factum, qui cùm ob immania flagitia capite foret damnatus, antequàm patibulo affigeretur, rogavit ut liceret parentem suum complecti et ultimùm affari. Et cùm venientem patrem sub specie honoris fingeret se osculari velle, subitò ejus nasum mordicùs apprehensum dentibus præscidit, dicens : *Tu, pater, me suspendis, tu me interficis ; dùm enim meum flagitiosam vitam severè non emendàsti, me in hanc contumeliosam mortem deduxisti.* Unde verificatur illud Eccles 41 : *De patre impii queruntur filii, quòd propter illum sunt in opprobrium ;* et cap. 30, inquit Sapiens : *Lacta filium tuum, et paventem te faciet. Lude cum eo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas,* etc.

Et contra verò ex hâc correctione puerorum formatrice, omnes virtutes sanctique mores in eis procreantur, teste D. Cypriano, tract. 2 de Habitu virginum : *Disciplina,* inquit, *est custos spei, retinaculum fidei, lux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis,* etc. Ideòque parentes quoties vident pravos mores in filiis et peccata mortalia manifesta, ut perjuria, blasphemias, detractiones, ebrietates, rixas graves, et similia, sub gravi obligatione tenentur illis graviter prohibere, cum omni curâ et diligentiâ possibili, arguendo, obsecrando, increpando, comminando, et si opus fuerit, temperatè flagellando ac puniendo, quia ex officio tenentur sub mortali corrigere, malaque impedire, eorumque curam habere. Idque facere possunt sine proprio incommodo, ob imperium et auctoritatem coercitivam in illos. Sed eâdem obligatione tenentur etiam pœnis adhibitis filios arcere ab illis occasionibus et periculis, in quibus regulariter et pro majori parte solent imminere peccata mortalia. Item quando occasiones non sunt certæ, sed dubiæ, et suspectæ, adhuc hujusmodi pericula præcavere debent parentes, easque occasiones

filiis prohibere, si possint absque detrimento, ob scilicet eamdem rationem.

Duas tamen in his correctionibus filiorum, parentes cavere debent extremitates, in quibus sæpè offendere consueverunt. Primum ne quid acerbius in liberos aut loquantur aut statuant; et si deliquerint, moderatè corrigant aut puniant. Idque Apostolus ad Ephesios 6, et ad Coloss. 3 ita præcipit : *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Alius est enim principatus patris ad filium, et domini ad servum ; instruuntur filii non tanquàm servi ob utilitatem domini, sed tanquàm liberi ob propriam utilitatem : ideòque cum excessu rigiditatis non sunt arcendi, nec subjiciendi, ita ut provocentur in nimiam indignationem, iracundiam et desperationem : hæc quippe provocatio non excitat ab bonum. Cujus ratio est, quia homines retinent impressionem quam à pueritiâ habuerunt : naturale autem est, quòd qui in servitute nutriuntur, semper sint pusillanimes ; ita D. Thomas in hæc verba Apostoli. Si igitur filii videant et sentiant parentes in se assiduè, tam duros, asperos, litigiosos, timendum est ne despondeant animum, et segnescant in suis operibus, in pietate et Dei timore, ac cultu languescant, ac tandem desperent, fugiant, omneque jugum tam Dei quàm parentûm excutiant. Unde rectè monet Catechismus in fine hujus quarti præcepti : *Ut parentes nimiam severitatem effugiant, malintque liberos corrigere, quàm ulcisci.*

Hinc graviter peccant parentes, qui furore et quasi rabie perciti, filios tanquàm servos immaniter tractant, et in correptione notabiliter excedunt ; torvis semper et terribilibus oculis aspiciunt, diris imprecationibus, injuriis ac maledictionibus continuò impetunt, nunquàm verbum gratiosum proferunt, nunquàm paternum affectum ostendunt, sine causâ justâque ratione crebris percussionibus affligunt potiùsque tanquàm tyrannos aut carnifices, quàm patres se gerunt : feris pejores, inquit D. Augustin. serm. 52 de Tempore. Nulla enim bestia est, quæ non filiis suis blandè murmuret, et cùm terreat homines, parvulos fovet. Fremit leo in sylvis, ut nemo transeat ; intrat in speluncam ubi habet filios suos, omnem rabiem feritatis deponit ; foris eam ponit, cum ipsâ non ingreditur : hi verò parentes è contra eam statim ac domum ingrediuntur suscipiunt, et nonnisi adversùs familiam rugiunt ac debacchantur ; immoderatè igitur filios corripientes, verberantes, notabiliterque lædentes, mortaliter peccant, per se loquendo.

Parentes itaque, sicut Dei vices gerunt in regimine filiorum, etiam ipsum in correptione imitari debent. Deus autem ex amore sapienter et dulciter flagellat nunc filios suos, ad erudiendum, ad perficiendum ac à morte liberandum. Sic parentes ex dilectione notarum et odio vitiorum ad correptionem procedere debent, tanquàm medicinam proportionatam qualitati delicti et complexioni infirmi, moderatè et sapienter eos flagellando, ex desiderio quod habent, ut hâc pœnâ adducantur ad fugam mali et prosecutionem boni, et non ut iracundiæ et passioni propriæ satisfaciant, prout videtur innuere Apostolus quando dicit ad Ephesios 6 : *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplinâ et correptione Domini*, seu ad modum quo Deus suos corrigit et flagellat, quos amat, et cum amore, mansuetudine, ac clementiâ castigat. Hi parentes peccant per excessum : alii verò in aliud extremum declinantes peccant per defectum, vitia filiorum palpantes, dissimulantes, blandè, segniterque corrigentes. Hos patres remissos et ignavos, peccato redarguit Catechismus Tridentinus loco citato dicens : *Si qua culpa commissa est, cùm necessaria sit castigatio et objurgatio, ne quid liberis per indulgentiam remittant : sæpè enim filii parentûm nimiâ lenitate et facilitate depravantur. Quamobrem à dissolutâ indulgentiâ deterreat exemplum Heli summi sacerdotis, qui quòd in liberos indulgentior fuerat, maximo supplicio est affectus.* Reprehendit quidem Heli filios, ut legitur 1 Regum, cap. 2, v. 13 ; verùm nimis blandè, cùm severissimè in re tanti momenti deberet in illos animadvertere. *Horum iniquitas*, inquit Theodoretus, q. 10, ad hunc locum, *non egebat lenibus medicamentis, sed acerrimis et asperrimis. Oportebat ergo, cùm post primam et secundam monitionem perseverâssent in nequitiâ, eos à templi ambitu expellere*, etc. Non satis erat blanditiis nimiùm paternis, imò penè femineis eos corripere ; sed adhuc tenebatur eorum obstinationem severis objurgationibus palàm confundere, dignamque disciplinam et pœnam, quâ refrenarentur, addere ; nempe alapas, verbera, à suo conspectu amotionem, officiorum privationem, etc. Ex hoc igitur, quòd in hos pater, cùm essent tales, non se vehementem et rigidum censorem, correctorem, percussorem ac punitorem exhibuerit, conqueritur Deus de illo 1 Regum 3 : *Eò quòd noverat indignè agere filios suos, et non corripuerit illos*, quasi non sit corripere omninò, dùm in his casibus blandè corripiuntur filii. Inde Heli adversùs eos et seipsum clementissimi alioqui Dei iracundiam concitavit, et divinæ justitiæ flagellis attritus fuit. Inde moritur ultimus auditâ populi victi à Philistæis ruinâ et clade, filiorum nece, et capturâ arcæ, ut acerbiùs puniretur, non modò suam luendo pœnam, sed etiam suorum calamitatem intuendo, ut inde graviori cruciatu torqueretur.

Expendamus, quæso, et genus mortis quo sublatus est : *Cecidit de sellâ retrorsùm juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est*, 1 Reg. 4. Non moritur in sellâ sedens sed de illâ cadens, ut qui filios probè non instituit, magisterii cathedrâ indignus censeretur : oportuit enim non solùm à pontificatu removeri, sed penitùs extingui, ne ad eum ampliùs rediret. Non cadit in faciem, sed in tergum, ut qui filiorum scelera, ut par erat, non advertit, quò ipse tandem rueret ignoraret. Cecidit juxta ostium templi in quo filios suos in sacrilegia ruere permisit, ut ubi culpa commissa est, ibi infligeretur, et pœna, ut ait D. Gregor. : *Ibi cecidit, ubi deliquit*, et locum quem filii suis sceleribus profanârant, pater suo cruore lavaret ac expiaret. Cervicibus effractis occubuit, quia filiis peccantibus clementer in-

dulsit eorumque cervices indomitas non subegit. Caput cadendo illisit, quia sedendo, capitis proprium officium in familiâ administrandâ non curavit, sed neglexit. Vide D. Chrysost., Homil. 9 in 1 Epist. ad Timoth.

Quid de parentibus dicendum filiorum peccata palpantibus, excusantibus, aliquando et laudantibus; qui conniventes dissimulant, et ne eos molestent, subtrahunt disciplinam, contra Domini præceptum Proverb. 23, facientes : *Tu virgâ percuties eum, et animam ejus ab inferno liberabis.* Si hæc patiantur à Deo flagella, qui filios verbis tantùm, et non dignâ ultione emendant, quid illis fiet parentibus qui ad mala hortantur, et peccando attrahunt? Si Heli summus sacerdos, licet in se bonus existeret, cùm nullius proprii peccati arguatur, licet ætatis suæ nonagesimum octavum ageret, et caligâssent ejus oculi nec videre posset, cæcus, debilis, decrepitus, licet filios grandævos, utpote uxoratos, admonitionibus salutiferis ac urgentibus à peccatis corrigere tentaret, quia tamen non dignâ ultione efficaciter emendavit, in se pariter et in ipsis tantam animadversionis divinæ excepit vindictam : quanto tremore concuti debent parentes, ne si ignavâ ergo filios indulgentiâ ac impunitate utantur ac virgæ parcant, Dei flagellis unà cum filiis involvantur, sibique et illis æternæ amaritudinis calicem propinent?

Ex his patet mansuetudinem et severitatem in filiorum correctione conjungendas esse; quamvis enim parentes primas lenitati tribuere debeant, secundas saltem severitati et punitioni minimè denegent, exemplo Samaritani, alligando vulnera spiritualia liberorum, infundant oleum et vinum; ut per vinum mordeantur vulnera, et per oleum foveantur, ac demulceantur, faciendo quoddam temperamentum ex utroque, ut neque multâ asperitate exulcerentur filii, neque nimiâ benignitate solvantur, et virga districtionis ac manna dulcedinis in parentis pectore, sicut olim in arcâ, simul contineantur. Idque facilè assequetur ac mediocritatem in correctione filiorum servabit, si ad illam ex charitate procedat, de quâ ait D. Bernardus, Epist. ad Fulconem : *O bona charitas, quæ sive infirmos foveat, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos! Cùm te arguit mitis est, cùm blanditur simplex est, piè solet sævire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari*, etc. Lege D. Chrysost., Homil. 21 in Epist. ad Ephes, et lib. 3 adversùs vituperatores vitæ monasticæ, cap. 3, usque ad 8. August., sermone de Tempore 94, aut nunc 13; et in Psalm, 50. D. Bern., serm. 10 in Psalm. *Qui habitat*, et Gratianum, causâ 5, q. 5, can. *Non osculatur*.

Articulus IV.

Quòd puerilis ætas aptissima eruditioni et morum informationi rectè censeatur, et sit.

Omnia tempus habent, inquit Sapiens, et omni negotio tempus est ac opportunitas : tempus erudiendis et informandis filiis aptum, est juventus et adolescentia, ut passim in Scripturâ et Patribus declaratur, nec non rationibus, similitudinibus, ipsâque experientiâ comprobatur. Ecclesiast. 6 : *Fili, à juventute tuâ excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam.* Ita ut Spiritus sanctus velit homines à teneris annis excipere sapientum hominum instructionem, ut eligant tunc et præ omnibus arripiant doctrinam, ad instrucadum. Se tradant, nec detrectent monita et documenta salutaria suscipere, et sapientes atque prudentes usque ad canos evadent. Hinc elaborandum est parentibus ut filios à juventute ad normam virtutis effingant; nam quod pueri hauserint sive pium illud sit, sive secùs, velut charactere quodam animæ impresso et imbibito, ad ultimum usque senectutem servant. Proverbium est, inquit Salomon, quod ego non edidi, sed inveni jam antea omnium ore celebratum ac communiter receptum, satis superque experientiâ comprobatum : *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit non recedet ab eâ*, Proverb. 22. In Hebræo, Cajetanus legit : *Assuefac puerum super os viæ; etiam cùm senuerit non recedet ab eâ.* Quo monet Salomon ut non differatur instructio pueri, sed in ore viæ, hoc est, in ipso aditu, in ipso principio pueri, cùm incipit patere ingressus in ejus animum, ipsum parentes assuefaciant ad virtutem. Quamvis enim non sit capax doctrinæ, est tamen capax consuetudinis, quæ est altera natura, et ea quæ primùm imbibimus ordinariè retinemus etiam in senectute. Dùm ergo est adhuc in bivio puer, eique sicut olim Herculi patent duæ viæ, virtutis scilicet et vitii, parentibus incumbit eum veluti manu ducere in viam rectam et per semitas justitiæ, ipsique calcar addere ut eam teneat, et vitiorum latam viam deserat. Unde alii legunt : *Initia erudi puerum super os viæ*, veritatis et justitiæ, etc. Pagninus legit : *Imbue puerum*, etc. Bonitas enim vitæ profundiùs infigitur, ait Philosophus, cùm inveniat subjectum magis tenerum; sic vasa sapiunt quidquid primùm acceperunt, juxta illud poetæ :

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diù.

Idem docent Quintilianus, 1 Instit., cap. 1; Philo in lib. quòd omnis probus sit liber; et D. Hieron. Epist. 7, ad Lætam, ubi sic ait : *Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt; lanarum conchylia, quis in pristinum candorem revocat? recens testa diù et saporem retinet, et odorem, quo primùm imbuta est.* Naturâ tenacissimi sumus eorum quæ primis annis didicimus. Idque confirmatur ex lib. Job., cap. 20, ubi de impio dicitur : *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient.* Ubi non dicit, caro implebitur, sed ossa ejus, etc., quia sicut quæ ossibus adhærent et insunt, cum ipsis durescunt et durant : ita planè vitia juventutis, ut ait D. Gregorius, lib. 15 Moral., cap. 5, quotidiè duriora existunt, adeòque inolescunt, ut in senectute solidentur, imò in sepulcro cum peccatore reponantur.

Equum indomitum et veluti feram belluam juventutem vocat D. Chrysost., Homil. 4 in 1 ad Timoth. Ideò tunc domandi sunt filii et ad virtutem assuefaciendi, aliàs mali et incorrigibiles evadent; et ut ait Quintilianus, citiùs franges, quàm corriges quæ in pra

vum obduruerunt, ut constat de animalibus et feris quæ nisi dùm adhuc teneræ sunt, mansuefiant, nunquàm postea cicurari possunt; et de plantis curvis, quæ nisi tunc dùm pullulant, torqueantur et in rectum dirigantur, postea arbores factæ faciliùs rumpuntur et scinduntur, quàm flecti valeant. Inde Sapiens Eccles. 30, ait : *Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet præceps. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus, dùm infans est, ne fortè induret, et non credat tibi.* Sumptâ nimirùm metaphorâ à bobus et juvencis, dùm imposito jugo ad terram invertendam et excolendam domantur. Sic filii sunt domandi et curvandi sub jugo virtutis à pueritiâ, in quâ sunt faciliùs domabiles et dociles; et quod tunc capiunt, firmiter retinent, sicut ramusculus recens faciliùs flectitur quàm ramus qui crevit in solidum; sicut cera mollis de facili tunc recipit impressiones, et ut ait D. Hieron., Epist. 12 ad Gaudentium : *Ut aqua in areolâ digitum sequitur præcedentem, ita ætas mollis et tenera in utramque partem flexibilis est, et quòcumque duxeris trahitur.* Sed nescio quomodò adolescentia, etsi in utramque partem facilis, in vitia tamen magis declinat quàm in virtutes : idcòque ad illam tunc sunt filii incurvandi, et à parentibus, tanquàm peritis naucleris, per hujus mundi procellosum mare, ad portum salutis dirigendi. Nam quemadmodùm ignis dùm parvus nutritur et cautè custoditur, utiliter lucet ac calefacit : è contra verò dùm licenter grassari permittitur, in incendium laxatur, ita puer bonis moribus nitet, si tunc probè instruatur, malis verò cupiditatibus flagrat, si negligatur et nimis indulgenter tractetur. Tandem sicut ex materno ubere sugitur lac, quo omnia infantis membra reficiuntur et ad sanam aut malam complexionem et indolem efformantur usque ad senectutem, ita ex juventute hauriuntur mores quibus reliquæ ætates imbuuntur, ita ut senectus sit veluti echo juventutis, et sentina nedùm corporis defectuum, sed et animi vitiorum in pueritiâ contractorum.

Unde ex malâ juventutis educatione, certissimum malæ senectutis vaticinium est desumendum, prout olim D. Gregor. Nazianzenus dùm esset Athenis, et malâ Juliani adhuc Juvenis institutione, futura scelera apostatæ prophetavit : è contra verò qui benè educati in juventute bonis moribus florent, magnis virtutibus in decursu vitæ tanquàm fœcundæ arbores usque ad senectutem fructificabunt, prout de justo vaticinatur Jeremias, Thren. 3 : *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentiâ suâ; sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit se supra se.* Ubi *bonum* sumitur pro *sano*, quia virtus, quam in juventute discimus, sana est et fortis, nec ullo morbo debilitateque laborat. Item sumitur pro *perfecto*, virtus enim quæ à juventute non sumit exordium, vix perfecta esse potest, aut partibus sibi nècessariis constans; quæ verò à juventute incipit et incrementa capit, omnibus numeris ordinariè absoluta et perfecta est, et quasi consurgens aurora, et lux splendens crescit usque ad perfectam diem. Tandem bonum hîc accipi potest pro *facili*. Nam si quis virtuti à juventute assuescat, nullo negotio ejus exercitium sibi comparabit, bonum itaque est viro, cùm portaverit jugum legis et mandatorum Dei ab adolescentiâ; cùm assueverit disciplinæ, mortificationi, pœnitentiæ, etc. Sic enim fiet sanctitate illustris. Ita Christus à suo præsepio cœpit pauperem et duriorem vitam agere. Unde ait : *Pauper sum ego, et in laboribus à juventute meâ.* Sic Joannes Baptista vix bimulus secessit in eremum indutus cilicio, et meruit fieri Christi paranymphus. Sic D. Nicolaus à pueritiâ jejunabat. Sic S. Benedictus pueros passim in suam religionem recipiebat, ut à teneris assuescerent austeritati et disciplinæ monasticæ.

Ecce fructus hujus puerilis educationis : *Sedebit solitarius et tacebit,* securus, quietus, impavidus in virtute persistet, feriatus, inquit D. Ambros., Psal. 118, ab omni interpellatione mundanæ sollicitudinis aut voluptatis; sedebit ille singulariter, quasi is qui non inveniat facilè æqualem, singulariter donatus præmiis; singulariter remotus à strepitu interpellantium passionum, et quietus silebit : cui non est necesse jurgari cum corpore, et decertare cum variis cupiditatibus; multâque corporis et animæ tranquillitate perfruetur, et singulari Dei familiaritate præmiabitur. Hujus rationem reddit Propheta, quia scilicet *levavit se supra se*, nempe à terrenis ad cœlestia; seipsum supergressus, libravit se à mundo in æthera, quia ut ait D. Bernard., serm. 2 in festo Apostolorum : *Cùm adolescens esset, et lubricæ ætatis sentiret ardorem, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat*, LEVAVIT SE SUPER SE, *quia non respexit ad se, sed ad illum qui est super se*, SEDEBIT ENIM ET TACEBIT *etiam modò à strepitu diabolicarum suggestionum, à strepitu carnalium desideriorum, à strepitu mundi. Felix anima, quæ linguas istas non exaudit, audiat licet.*

Nolite errare, inquit Apostolus ad Galatas 6 : *Deus non irridetur : quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne suâ, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Qui vult tempore messis colligere bonos fructus, debet bonum semen in terram projicere tempore serendi opportuno. Juventus autem est tempus serendi; senectus verò metendi. Unde qui in juventute malis et vitiis incumbunt, seminant in carne, et in senectute metent corruptionem ac damnationem æternam : qui verò in pueritiâ virtutibus bonisque operibus solliciti sunt operam dare, in spiritu seminant, in senectute metent spiritualium bonorum præmium, nempe vitam æternam, Eccles. 25 : *Quæ in juventute tuâ non congregâsti, quomodò in senectute tuâ invenies?* Et ibidem, cap. 6, ait Sapiens : *Fili, à juventute tuâ excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam* E contra verò si juvenes voluptatibus et passionibus in adolescentiâ laxent habenas, ait Ecclesiastes, cap. 11, v. 9 et 11, *scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium*, quando scilicet dicet messoribus suis : *Colligite primùm zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum. Aufer iram à corde tuo, et amove malitiam à carne tuâ : adolescentia enim et voluptas vana sunt.*

Tandem Ecclesiastes ibidem cap. ultimo utiliter his

verbis nos admonet : *Memento creatoris tui in die juventutis tuæ.* Hinc discant parentes studiosè et diligenter pueros bonis moribus informare ostendendo illis Dei beneficia et mandata, juxta illud Deuteron. 6 : *Narrabis ea filiis tuis*, etc. Sic Tobias docuit filium suum ab infantiâ timere Deum et recedere ab omni peccato. Tunc enim maximè formanda est ætas hominis quia simulandi nescia est, ac præcipientibus tanquàm cera mollis facilè cedit. Item de fidei catholicæ mysteriis, de doctrinâ christianâ, de principiis nostræ Religionis sunt ab infantiâ erudiendi : ita ut si possibile esset, sacram doctrinam unà simul cum lacte matris imbiberent. Tum quia cùm ea quæ sunt fidei transcendant rationem, expedit ut proponantur et addiscantur in illâ ætate, quæ dictorum rationem non quærit, sed simpliciter acceptat : hæc autem est prima et puerilis ætas. Tum quia in omni gente, quæ sub aliquâ lege vivit, primò eruditi solent pueri in divino cultu. Tum quia his quæ sunt fidei firmissimè ac inseparabiliter assentiendum est per totam vitam : ea autem quæ ab infantiâ tenere consuevimus, fiunt in nobis quasi altera natura, proindeque immutabilia et indelebilia permanent. Tum quia prima ætas cùm non sit in aliis distracta, ex suâ teneritudine sicut mollis cera faciliùs, distinctiùs, et elegantiùs recipit impressiones, ut constat de idiomate vulgari, quod in infantiâ addicitur faciliùs, et perfectiùs ac elegantiùs profertur ; nec ita facilè discitur neque tam eleganter profertur comparatum in ætate adultâ. Idem etiam patet de studio litterarum : ridiculus enim censeretur senex qui tunc vellet addiscere theologiam aliasque difficiles scientias : nulla autem ars difficilior quàm vivere christianè et secundùm Christi Evangelium. Ideòque à tenerâ ætate, doctrina christiana est tenenda, ac suscipienda : nam ars longa, vita brevis.

Plus videntur parvuli indigere custodiâ et eruditione quàm animalia irrationalia, inquit D. Thomas, lib. 4 de Erud. princ. cap. 2; illa enim à naturâ timent sibi nociva et fugiunt, ac salutem suam appetunt et quærunt. Manet columba super rivos aquarum, ut videns umbram accipitris, eum fugiat; aves et animalia in retia et pedicas non incidere conantur; vix potest ita cautè lapis accipi ac projici, quin cognoscant et fugiant, etc. Pueri aliter se habent, noxia appetunt, et salubria refugiunt. *Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ*, Genesis 8. Unde multùm damnosa est negligentia circa puerorum eruditionem : bona enim quæ non agnoscuntur, non desiderantur, non quæruntur, non obtinentur. Hanc lamentans philosophus Crates apud Plutarchum, lib. de Educ. puer. ait : *Quò tenditis, homines, qui rei faciendæ nimium impenditis studium ; filiis verò instituendis, quibus vestras opes relinquatis, per exiguum?* Subdit autem Plutarchus : *Quibus ego adderem, tales patres perinde agere, ac si quis de calceo sit sollicitus, de pede nihil curet.* Item Juvenalis, satyrâ 14, parentem carpit qui plus expoliendis ædibus, quàm erudiendis filiis incumbit, item D. Hieronymus, Epist. ad Lætam ait : *Si tanti vitrum, quare majoris non sit pretii margaritum?* Id est, quare animas filiorum gemmis pretiosiores ita negligenter custoditis? Tandem D. Thomas loco citato docet hanc parentûm negligentiam reprehensibilem ostendi ex curâ quam circa res viliores habent : *Diligentes enim sunt circa pecora custodienda et opportuna tempore edomanda; multique parentes videntur chariores habere porcos, quàm filios suos. Dixit Augustus Cæsar de Herode, qui proprios filios occiderat : Mallem esse porcus Herodis quàm filius, quia pascit porcos, et filios occidit; quodammodò etiam filios occidunt, qui defectu custodiæ et disciplinæ eos perire permittunt.* Negligentia ista parentûm multùm quoque est exosa Deo, ut patet in Heli, 1 Regum 3, in pueris insultantibus Elizæo Prophetæ, 4 Reg. 2, pueri quinquennis inter parentis amplexus subitò in gehennam à dæmonibus arrepti, et aliorum exemplis, quos Deus in ipso ætatis flore de medio sustulit, et acriter punivit. Idque satis indicavit regius Psaltes Psalm. 57, dicens : *Priusquàm intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes, sic in irâ absorbet eos.* Id est, antequàm filii vestri, quos tanquàm spinas parvas sinitis degere, intelligant sentiantque se adolevisse, eòque excrevisse ut rhamnum exæquent altitudine, duritie et acumine, existentes adhuc in eâ immaturâ ætate planè vegeti et virentes ; Deus in irâ suâ absorbet eos, violentâque morte exscindet, non sinens in malitiâ crescere et roborari : sicut optimus agricola succrescentes in agro suo teneras adhuc spinas radicitùs evellit, ne in rhamni robur pervenientes, durissimis aculeis pungant et cruentent hominum manus.

Articulus V.

De pædagogo filiis præficiendo.

Quemadmodùm viri nobiles aut divites, bonorum fortunæ administrationem committunt œconomo, ut negotia gerat, sic filiorum curam et regimen pædagogo tradere expedit, cùm per seipsos omnibus familiæ officiis et oneribus vix sufficere possint. Et sanè si pro curandis possessionibus, agris, et brutis, ac mercibus omni studio laborent ut inveniant hominem in his peritissimum, vigilem, laboriosum et fidelem, quantò magis pro erudiendis et formandis filiis, hominem probum, prudentem et peritum inquirere debent? Lege D. Chrysostomum, hom. 9 in Epist. 1 ad Timoth. Pædagogus in regendis et erudiendis filiis est patris vicarius, et filio sicut auriga equo lascivienti : cùm enim puer deficiat in usu et actu rationis intrinsecæ, donec ad perfectiorem deveniat ætatem, necesse est illi assignare aliquid directivum et regulativum extrinsecum, ut laudabiliter et moraliter vivat, ejusque appetitus irascibilis et concupiscibilis frenetur ac dirigatur Auriga autem non dirigit equum, nisi freno, calcaribus, et verberibus, eò quòd sit animal irrationale ; sed pædagogus docere debet puerum rationis capacem ; et ideò verbis, documentis, admonitionibus, minis et verberibus, maximèque bono suo exemplo est erudiendus, ita ut in omni suo operi exteriori bonorum morum eidem se præbeat exemplum, suis admonitionibus conforme; nihilque vitiosum, leve, aut temerè factum coram puero ostendat : faciliùs enim mala

quàm bona exempla imbibit. Græcorum narrat historia Alexandrum Magnum in moribus et in incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc puerulus fuit infectus : sic proclivis et malorum æmulatio, ait D. Hieron., Epist. 7 ad Lætam, et quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia. Inde Apost. ad Rom. 2, mirè invehitur in hos doctores, qui aliud docent, aliud faciunt. Inprimis igitur pædogogus debet in se habere vitæ et morum probitatem, cùm sit veluti exemplar puero sibi commisso.

Insuper debet esse prudens in agibilibus, ad hoc ut seipsum et discipulum in agendis benè regulare valeat. Ad quod necesse est ut advertat ea in quibus discipulus deficit ac declinat à debitis moribus, et studeat suâ sagacitate obliquum ac quasi tortuosum paulatim vertere in bonam partem, rectumque efficere. Item debet prævidere futura, ut scilicet per debita media conservetur in bonis moribus, removendo incentiva et occasiones, quibus posset redire ad pristinam obliquitatem, et circumspectè se gerendo ad dignoscendum in singulari inclinationes pueri : neque enim iisdem mediis utendum est cum omnibus; v. g., puer mansuetus, benignè est erudiendus, et cholericus magis asperè, etc. Item oportet eum esse vigilem et cautum, ne discipulum doceat verum admixtum falso, et ne illi proponat bonum sub specie mali, nec è converso. Isaiæ 5 : *Væ qui dicitis malum bonum!* etc. Tandem pædagogus debet esse sufficienter instructus in illis scientiis in quibus debet erudire puerum, ut eum brevi temporis spatio juxta illius docilitatem et capacitatem erudire valeat, cum methodo et claritate procedendo. Vide plura apud D. Thom., lib. 5 de Eruditione principum, cap. 9, et apud Javellum, tract. 3, Œconomiæ christianæ, cap. 5.

Peccant igitur pædagogi, præceptores et scholarum magistri, primò, si profectum discipulorum in litteris non promoveant sedulò, nec curent quòd segniter studeant et tempus terant; si horis debitis scholas non intrent aut solitas lectiones non faciant; si non se reddant habiles et aptos ad cum methodo, absque confusione et obscuritate docendum, suoque officio satisfaciendum; si ex proposito falsa doceant ut vera, vel superstitiosa et saluti noxia tradant; si plures admittant discipulos quàm erudire valeant; si in his et similibus officio suo notabiliter desint; peccant etiam contra justitiam solita stipendia accipientes et retinentes, proindeque obligantur ad restitutionem. Similiter peccant, dùm stipendium exigunt majus justo pretio, vel quàm consuetudo aut gymnasii leges ferant.

Peccant insuper si peccata discipulorum dissimulent, et non corrigant quando possunt; si non doceant bonos mores, eos deterrentes à vitiis communibus pueris, ut mendaciis, juramentis, parvis latrociniis, contentionibus, ludis inhonestis, familiaritate cum personis alterius sexûs, aliisque malis, adhibendo ad monitiones, objurgationes, minas, correctiones, ferulas, flagella, aliasque pœnas, juxta mensuram delictorum, et complexionem ac conditionem delinquentis, admixtâ quâdam benignâ et non austerâ et tyrannicâ auctoritate, ut videantur, magis amore, quàm timore discipulos regere; cùm juxta Ciceronem, præstet diligi quàm metui, et juxta Senecam, generosus sit hominis animus, magisque amore quàm vi trahatur. Licet ut verum fatear, ex hoc quòd juventus impetu quodam feratur ad illicita, sitque prona ad vitia, indigeat severiori disciplinâ flagroque frequenter refrenari, sicque timore pœnæ abstrahatur à noxiis. *Ornamenta juvenilis ætatis*, inquit D. Ambros., lib. 1 de Offic., c. 17, *sunt timorem habere, parentibus deferre, honorem exhibere senioribus, castitatem tueri, humilitatem non aspernari, diligere clementiam, verecundiam; hæc est corona gratiarum.*

Peccant insuper, si eos non instruant de doctrinâ, de elementis fidei, de modo orandi, de præceptis Dei et Ecclesiæ, de modo ritè sumendi Sacramenta, præsertim confitendi, communicandi, et debitè audiendi sacrum. Non enim culpâ vacant si ex desidiâ sinant discipulos hæc et similia ignorare, et non addiscere. Præterea eos adducere debent ad exercenda et in praxim redigenda bona hæc documenta, applicando illos ad bonum, ad orandum, ad sacrum devotè audiendum, ad confitendum, communicandum et operibus christianis pro modulo suo vacandum : parùm enim prodesset retrahere puerum à vitiis et à societate pravorum, nisi etiàm de necessariis ad vitam christianam instruantur, et ad virtutem sectandam officiaque christiana implenda compellantur. Aliàs pædagogi assimilarentur medico insipienti, qui prohibet infirmo nociva, et non assignat illi congruum vitæ regimen ac nutrimentum opportunum; tunc enim paulatim deficit et moritur, quia virtus naturalis, sicut removenda est à malis debilitantibus, sic fovenda est bonis confortantibus. Peccant præterea, si malis moribus imbutos, et aliunde scandalosos ac perniciosos ad scholas cum aliis admittant, vel ex iis non removeant. Item si ipsismet discipulis sint malo exemplo; ut enim ait Seneca : *Hunc elige doctorem, quem mireris, cùm videris, magis quàm cùm audieris.* Hunc elige magistrum, inquit Boetius, cap. 6 de Discipl. scholari, qui sit in sermone verax, in judicio justus, pius in affatu, virtute insignis, bonitate laudabilis, mansuetus, rigidus, non negligens, nec arrogans, etc., ita ut seipsum discipulis bonorum operum præbeat exemplum. Et ut ait D. Hieron., Epist. 83 ad Oceanum : *Perdit auctoritatem docendi, cujus sermo opere destituitur.* Peccant denique rectores et magistri denegantes doctoratûs insignia dignis, et conferentes indignis, quod Navarrus dicit esse peccatum mortale, præsertim in theologiâ, jure canonico, civili, et medicinâ : secùs in aliis materiis et artibus. Vide Cajetanum in Summâ, verbo *Doctoratus.*

Ex magistrorum moribus aut doctrinâ seminarium fit reipub., apud illos enim est officina scientiæ vel ignorantiæ, pietatis vel impietatis, formatio vel corruptio puerilium ingentorum, columna et fundamentum, bonum vel malum communitatis, quia illinc pro-

dcunt, qui ad eam administrandam evocantur. Quare interest magistratibus, interest populis, interest reipub. scholarum summam habere curam, et videre num ibi præpositi doctores et magistri tales sint, ex quibus respub. juvari aut lædi possit, ac eligere speculorum instar, in quibus non sit macula vitæ vel doctrinæ, quia juxta parentûm mores filii componunt suos, velutique simiæ imitantur præceptorum facta, dictaque sequuntur, cum quibus velint nolint consuescunt, ex illis veluti fontibus derivantur rivuli; ex puris, boni; ex corvo malum ovum; vixque aliter fieri potest, quin si non omnia, saltem aliquid ex doctrinâ et moribus docentium retineant. Sic fertur Alexandrum ab intemperato præceptore hausisse intemperantiam. Item instructi à Pharisæis, dicebantur à Joanne, *genimina viperarum*, etc.

Discipuli erga præceptores non pauca tenentur officia præstare, cùm juxta Philosophum, ipsis nequeant beneficiis acceptis æquale reddere. *Quid majus*, inquit Chrysostomus, Hom. 60 in Matth., *quàm adolescentulorum fingere mores?* Quid difficilius, quid laboriosius, quàm juventutem per se corruptam ad vitia pronam, ad lapsum facilem promovere ad virtutem? puerorum autem præceptores in hoc laborant, diversarumque personarum partes in hâc curâ assumunt: assimilantur enim parentibus, quia puerorum animos quasi regenerant, ac benè esse tribuunt: unde à discipulis tanquàm patres et animorum formatores coli debent; cùm etiam in Scripturâ Genesis 45, num. 8, 2 Paralip. 2, num. 13; Esther 13, num. 6, parentis nomen magistro et pædagogo accommodetur.

Item assimilantur medicis, quia à morbis animæ discipulos curant. Item agricolis qui priùs illorum animos tanquàm agros spinosos et steriles purgant à sentibus, noxiisque herbis; postea arantes, bonum semen respergunt, inserunt, et innovant arborum, seu propensionum naturalium qualitates. Item figulis, rudes pueros in vasa honoris efformantibus, qui aliàs vasa contumeliæ erunt evasuri, instar ursæ paulatim lambendo. Item statuariis, ex rudioribus lapidibus, et impolitis lignis primùm superflua detruncantibus, et deinceps statuas præstantissimas conficientibus. Item ducibus et pastoribus super gregem vigilantibus, tam in temporalibus quàm in spiritualibus.

Hinc discipuli peccant, si præceptoribus et pædagogis honorem et reverentiam non exhibeant, tum interiùs tum exteriùs. Item si bonis eorum documentis dociles non se præbeant; si eos contemnant, aut conviciis vel contumeliosis verbis traducant. Si acquisitioni scientiæ non incumbant, et seguiter studeant, aut tempore studiorum lusui vacent, aut ab scholâ, et lectione sine justâ causâ absint, aut alios etiam secum retrahant; si cum condiscipulis rixis et clamoribus contendant; si cum eisdem in scholâ confabulentur indeque impediatur lectio; si malo fine studeant. Si pecunias parentûm, studiorum causâ datas, inutiliter in aliis vanis et noxiis expendant, aut dilapident. Si gymnasii sui leges, vel academiæ statuta non servent. Si addiscant scientias superstitiosas aut vetitas, vel libros prohibitos legant: si stipendium præceptori debitum non solvant, cùm possint. Si erga illum ingratos se præbeant, nolentes servitia et beneficia quæ ex se pendent, facilèque rependere valent, eidem exhibere. Si præceptoribus et pædagogis obedire renuant in rebus ad studium, vel bonos mores spectantibus. Si ab iis admoniti aut castigati, se emendare neglexerint ab eo delicto, sed obmurmuraverint, aut nutu minas intentaverint, aut superbè et protervè ocuti fuerint. *Mira perversitas!* exclamat D. Bern., erm. 42 in Cantica, *medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti!* dæmoni scilicet, vitiorumque tela in animam vibranti!

Ratio horum omnium est, quia inter præceptores et discipulos est quodammodò eadem obligatio quæ inter parentes et liberos, cùm præceptor sit quasi patris vicarius, ejus locum tenens vicesque gerens in his quæ pertinent ad eruditionem, instructionem et morum informationem suorum liberorum.

Articulus VI.

De officio mariti erga uxorem, et uxoris erga maritum.

De officiis conjugatorum ad invicem tractant Catechismus romanus, p. 2, titulo de Matrimonio, § 21 et 22; S. Carolus in Instructionibus; D. Gregorius Pastoralis, p. 3, admonitione 28; Apostolus ad Ephesios 5; ibidem Chrysostomus, Hom. 20, et alii interpretes. Ad mutuum amorem tenentur conjuges, ita ut sicut sunt una caro, habent unum torum, unam mensam, unam hæreditatem, ita sint unus spiritus, et unum cor, habeant unum velle et unum nolle, et amoris conjugalis vinculo conglutinentur. *Ubi una caro, unus et spiritus*, inquit Tertull., lib. 2 ad uxor. cap. 9. Unde amor iste debet esse castus, firmus, inviolabilis, fidelis, patiens, qui faciat alter alterius onera portare, datamque mutuò fidem in facie Ecclesiæ, promissionem et donationem usque ad obitum observare; aliàs non sapiet conjunctionem cœlestem in Spiritu sancto, nec significabit Christi unionem cum suâ Ecclesiâ, cui tamen conformari debet et ad vivum exprimere in ratione sacramenti.

Viri, inquit Apostolus ad Ephes. 5, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ ut eam sanctificaret*, etc. Quia certè ex amore quem habet vir ad uxorem, magis castè vivit, et pacificè uterque se habet: si autem vir aliam magis diligit quàm suam, se et eam discrimini exponit. Alteram rationem ponit Apostolus: *Ita ut viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua;* sunt enim *duo in carne unâ*. Nullus unquàm carnem suam odio habuit: et ideò sicut peccaret contra naturam, qui seipsum odio haberet, ita et qui uxorem. Nam id quod pro viribus conservamus, diligimus: quilibet autem nutrit et fovet carnem suam, propter conservationem. *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit: nemo enim unquàm carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut Christus Ecclesiam.* Hunc denique amorem probat idem Apostolus auctoritate Scripturæ: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ.* Quæ auctori-

tas habetur Genesis 2, ubi Adam hujusmodi verba protulit, videns uxorem de costâ suâ formatam; et triplicem conjunctionem viri ad mulierem designat. Primam per affectum dilectionis, quia tantus est utriusque conjugis amor, ut patres relinquant; secundam per conversationem; tertia est per carnem conjunctionem. Ita D. Thomas. Ex his etiam colligitur vicissim uxores debere diligere viros suos, primò sicut Ecclesia diligit Christum; secundò sicut corpora sua et carnem suam; tertiò, quia propter virum relinquunt patrem ac matrem, eique adhærent, fiuntque una caro cum ipsis.

Domus et divitiæ dantur à parentibus; à Domino autem propriè uxor prudens, inquit Sapiens Proverb. 19. Septuaginta Interpretes legunt : *A Domino aptatur mulier viro.* In optimo enim conjugio in quo Deus præsidet, in quo sacramentum suam contulit gratiam, amor iste conjugalis est sanctus et sanctificans, immaculatus, benè ordinatus, patiens, inalterabilis, perseverans. Ubi tales nuptiæ, inquit D. Ambros., lib. 8, in Lucam cap. 16, ibi harmonia : Deus enim illos junxit. Harmonia dicitur conveniens et apta rerum omnium commissa connexio. Sicut ergo in optimâ harmoniâ omnes inter se voces diversæ pro ratâ proportione concorditer respondent, et æqualiter attemperantur, ita in optimo matrimonio omnia inter se conjugum non solùm externa facta, sed etiam interna desideria concinere debent et concordare : inter conjuges summa regnare debet charitas, concordia et pax. *Ubi harmonia non est, ibi pugna atque dissensio, quæ non est à Dao, quia Deus charitas est.* Amor ille inordinatus exiguo floret tempore, sæpè vertitur in odium, et quod deterius est, in perfidiam.

Ad fovendum amorem istum, debent primò conjuges sibi invicem compati suæque partis ferre corporis et animi defectus. Si enim Apostolus ad Galatas 6, hanc tolerantiam omnibus commendet et præcipiat, dicens : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*, quantò magis decet conjuges mutuam supportationem exercere, tum defectus patientes tolerando, tum mutuæ necessitati subveniendo. Maritus quidem, utpote fortior et robustior, uxori tanquàm infirmiori vasculo, debet supportationem : ut enim ait Cassianus, Collat. 16, cap. 23, sustentans ac tolerans proximum, sani et validi obtinet locum. Et in proposito hæc Apostoli verba ad Galat. 6, applicari possunt : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Uxor verò, utpote viro subjecta, non minùs illum supportare tenetur, data illi à Deo in adjutorium simile, ac de ejus costâ procreata. Unde verbis contumeliosis ex passionis impetu ac imperiosè non debet mariti defectus reprehendere, sed amore reverentiali, prece, lacrymis cum omni humilitate et patientiâ ipsum admonere, ac quæ decent eorum statum ac familiæ bonum mansuetè repræsentare. Secundò juvat ad hanc concordiam et dilectionem fovendam, mutuus honor, adimplentes illud Apostoli ad Rom. 3 : *Honore invicem prævenientes.* Nullus enim potest verè diligere eum quem despicit; nec cum hoc contemptu potest amor conservari. Ista autem honoratio, quæ est dilectionis effectus, debet esse velox et prompta, ut indicat τὸ *prævenientes.* Maritus quidem uxorem honorare, et non despectui habere, neque serviliter tractare, cùm non sit serva, sed socia; ut enim ait August., Epist. 99 : *Qui viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed socia, nec de capite, nec de pedibus, sed de latere erat producenda.* Idque D. Petrus, Epist. 1, cap. 3, commendat dicens : *Viri, similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo mulieri impartientes honorem, tanquàm et cohæredibus gratiæ.*

Uxorem, honorem et reverentiam debere marito, tanquàm capiti et domino certo certiùs constat. Mira in hoc fuit Annæ erga virum Elcanam reverentia; ad primam enim illius vocem dicentis : *Cur fles?* quamvis tristitiæ fluctibus demersa, statim exiliit, dominum cum vocans et dicens : *Ecce ego, domine;* imitata Saram, quæ maritum ob honorem, dominum suum appellare solebat. Tertiò, amor iste conjugis ad suam compartem ita limitari ac restringi debet, ut non solùm omnem alterius contactum, et familiaritatem, sed etiam desiderium et concupiscentiam debeat eliminare; ita ut nihil faciat aut dicat, quod vel minimam redoleat infidelitatem, ejusque speciem referat, ne inde occasionem suspicionis et zelotypiæ capiat alter conjux. Sicut vermis ingenerari solet pomo etiam delicatissimo, sic zelotypia oritur ex amore nimis tenero et excessivo; et sicut vermis pomi corrumpit substantiam, sic illa amoris veritatem, inducitque dissidia et contentiones, odia, judicia temeraria, detractiones, contumelias, aliaque gravia peccata, quandoque et homicidia; ultra continuam mentis inquietudinem, felleam cordis amaritudinem, diramque nocte dieque vexationem, domûs ac familiæ perturbationem et eversionem, etc. Quartò, amor conjugum debet esse in Domino : valdè enim culpabilis est, si vir ad complacendum uxori, vel uxor ad satisfaciendum viro, aliquod Dei præceptum violent : sic peccavit Adam nolens uxorem contristare, ex amicabili benevolentiâ, quâ sæpè offenditur Deus, ne offendatur amicus. Sic sapientissimus Salomon uxorum excæcatus amore, ad cultum etiam idolorum deflexit. Et tunc urget illud quod Christus dicit Lucæ 14 : *Qui non odit adhuc et uxorem, non potest meus esse discipulus.* Amanda quidem est uxor à viro, sed post Deum, minùsque Creatore; similiter et uxor debet amorem et obedientiam viro, sed *in Domino*, ut dicit Apost. ad Coloss. 3, et non contra Dominum. Hic amor charitate, quæ primariò et principaliter Deum respicit, regulandus est, eâque conjuges se ad dilectionem et timorem Dei, illius legis observantiam, ad pietatis et virtutis opera juxta statum suum peragenda mutuò exhortari ac impellere decet : ne conjugium à Deo in auxilium mutuum ordinatum, nedùm ad domesticæ rei gubernationem, sed et ad spiritualem profectum, felicisque et æternæ vitæ adjumentum, utrique conjugi in laqueum et in scandalum ce-

dat. Quintò amor iste non debet castitatem conjugalem excludere, quæ restringit immoderatum conjugii usum, illumque ad honestatis et rectæ rationis limites reducit et retinet : *Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, et non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum*, 1 ad Thessal., cap. 4; quod multi non attendentes, falsò putant in conjugio omnia sibi li ere cum suâ, et ita *fiunt sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*. An non quis ex suo dolio bibens vinum immoderatè, inebriari potest? nihil fœdius, inquit Hieronymus, quàm amare uxorem quasi adulteram. In alienâ uxore, omnis amor turpis est, in suâ nimius ; et D. August., lib. contra Julianum ait : *Intemperans in conjugio, quid aliud nisi quidam adulter uxoris est?* audiant hi intemperati conjuges, et sectentur monita angeli ad Tobiam, cap. 6, et Tobiæ ad uxorem, cap. 7.

Articulus VII.

De peccatis viri et uxoris.

Peccant conjuges si debitâ intentione non contrahant matrimonium, ut si illud ineant non propter finem intentum à Deo qui illud instituit, nempe prolem, fidem et sacramentum, quæ se habent per se ad illud ; sed propter alios fines extrinsecos, qui solùm per accidens se habent ad illud, puta propter divitias, aut pulchritudinem, aut sanitatem, aut componendam pacem, aut comparandam nobilitatem et potestatem ex parentelâ, aut ob alias similes causas. Quidam volunt esse peccatum mortale moveri ex his tanquàm ex causis principalibus et primariis ad contrahendum matrimonium ; quia cùm sit verum sacramentum, non potest in eo principaliter intendi finis ille extrinsecus ac omninò per accidens se habens ad ejus intentionem, absque injuriâ et abusu rei sacræ, sicut peccaret mortaliter, qui principaliter susciperet Baptismum propter sanitatem, vel quæstum, ob eamdem rationem. Verùm D. Antoninus, 3 p., tit. 1, cap. 19, § 9; Sylvester, v. *Matrimonium*, q. 4, num. 3, hanc opinionem dicunt esse multùm duram, quia multos involvit, et videtur esse contra factum David, 3 Regum 1, qui Abisag Sunamitem duxit in uxorem, non spe prolis, nec vitandæ fornicationis gratiâ, cùm eam non cognoverit, sed præcisè, ut eum calefaceret : nec inde peccavit. Unde si ad vitandam fornicationem in seipso matrimonium principaliter etiam intendatur, licet sit tantùm finis secundarius, adhuc non est peccatum mortale, sicut nec tali fine uxorem cognoscere, sed est tantùm veniale respectu illius personæ, quæ juxta spem communem potest habere prolem, utpote præponendo contra rationis ordinem secundarium finem primario et principali. Secùs verò respectu senis qui non potest generare, nullaque est spes de prole habendâ, sed est timor de fornicatione, tunc nullum est peccatum ; aliàs non possent senes contrahere absque peccato. Ridiculum quippe est ut hi contrahant solà vel principali spe generandi, cùm spes vel intentio, vel electio non sint de impossibili. Quando autem finis principalis est impossibilis, ut in sene et sterili spes generandi, tunc licitum est de fine secundario, nempe de vitandâ fornicatione, facere principalem. Vide D. Thomam in 4 Sententiarum dist. 34, art. 2, ad 3; et dist. 31, q. 2, art. 2, et ad 4.

Aliæ causæ jam recensitæ contrahendi matrimonium, ut acquisitio divitiarum, nobilitatis, honoris, etc., licet in se sint honestæ, et secundariò per matrimonium intendi possint, non tamen primò et per se, cùm ad hæc matrimonium non sit principaliter ordinatum ; sicut vir cognoscens uxorem propter sanitatem aut delectationem, peccat venialiter, perinde ac ille qui Baptismum ob sanitatem corporalem recipit. Ita D. Antoninus, Sylvester, et Paludanus in 4 Sent. dist. 31. Item peccant conjuges, si absque dispensatione prætermittant solitas publicas proclamationes. Item si sacramentum matrimonii existentes in mortali peccato recipiant, quod lethale constat esse peccatum. Item ex D. Anton., 3 p., tit. 1, cap. 19, § 21, conjuges mortaliter peccant, si in contractu matrimonii utantur fictione in damnum partis, ut si unus non adhibeat verum consensum, nec intendat contrahere, sed alium decipere ad copulam ab eo extorquendam, vel aliud hujusmodi. Item peccat lethaliter qui habens votum castitatis, non habità priùs dispensatione matrimonium contrahit. Item qui sciens se esse excommunicatum, ducit uxorem, juxta D. Anton., et tandem qui violenter cogit aliquem ad ineundum matrimonium, eò quòd gravem ipsi injuriam inferat. Porrò circa peccata quæ conjugati committere possunt circa usum matrimonii, exercendo actum conjugalem absque debito fine et modo, vide in 2 p. Decalogi in explicatione sexti præcepti, ubi materia hæc à nobis examinatur.

Vir nequit tractare uxorem ut ancillam, sed ut sociam et tanquàm caput commembrum suum ; consequenter debet eam regere mansuetè, non cum tyrannide, austeritate aut rigore, sed verbis, non verberibus, amore, et non timore, dulcedine, non amaritudine. Unde Apost. ad Coloss. 3 dicit viris : *Nolite esse amari ad illas*. Et D. Anton., 3 p., tit. 14, cap. 9, § 1, addit quòd viri debent corrigere uxores secretò et non cum confusione et verecundiâ, publicè vel contemptibiliter. Hinc viri peccant primò, si contumelias cum verbis turpibus, seu verba aliqua ad infamandum apta uxori dicant, ut quòd sit meretrix, ebriosa, etc., aliàve injuriâ afficiant, et inde sequatur infamia, aut probabile periculum illius, etiamsi absque animo infamiam aut injuriam inferendi protulerint; nam in corrigendo et reprehendendo eas, discretio est necessaria. Ita quòd moderatè procedant, talibusque utantur verbis, ut exinde non infamentur, neque exasperentur. Advertendum tamen quòd inter conjuges viles, non multùm ponderantur et æstimantur contumeliosa quædam verba, quæ inter nobiles et honorabiles censerentur gravia, ut tu mentiris, insana es, etc., aliaque convicia in se notabilia, quæ nihilominùs inter ipsos parùm æstimantur, fiuntque sine intentione honorem graviter lædendi ac subitæ passioni adscribuntur : sunt enim rixosi, et ad invicem clamorosi, sed mox pacati fiunt, et potiùs ex animi levitate pravâque consuetudine hæc convicia effutiunt. Peccant secundò

viri, qui atrociter percutiunt aut verberant uxores, cùm hoc modo nec etiam servum cædere liceat : ut enim ait Sotus lib. 5 de Justitiâ q. 2, art. 1, nisi gravissima urgeat necessitas, cui aliter non possit occurri, et uxor semel atque iterùm admonita se emendare recuset, dedecus est viro percutere uxorem, adeòque nefas uti tali jure superioritatis. Curandus est enim uxorum honor, nec ad castigationem veniendum, nisi adeò sint agrestes, inhonestæ, talesque earum mores, ut recta ratio dictet esse puniendas et corrigendas : et tunc moderatè licet eas verberare habitâ ratione conditionis et statûs, etc.

Peccat tertiò maritus, si cùm possit alimenta uxori non suppeditet, quam cum dote accepit. Idque verum est, etiamsi uxor ex culpâ mariti ab eo recedat, quia æquum non est, ut quis commodum ex peccato suo reportet. Secùs si uxor propriâ culpâ à marito recesserit; nam uxor tenetur in viri obsequio et cum illo commorari ad usum matrimonii, si velit ab eo sustentari, nisi per accidens ob illius sævitiam cogatur ab eo recedere. Quando uxor ex mariti culpâ recessit, et cessante sævitiâ, aliâve causâ separationis redire recusat, tunc maritus eam alere non tenetur. Quòd si ob utriusque culpam recessit, maritus non tenetur eam alere, si optans et quærens ei reconciliari, ipsa nolit : è contra si ipsa redire velit, et maritus nolit eam in suum consortium admittere, illam alere tenetur. Item maritus tenetur alere uxorem etiam quando accepta dos casu fortuito periit; nihil enim æquius videtur, quàm fortuitis casibus uxoris maritum, vel uxorem fortuitis casibus mariti, participem esse, ff. *Solut. matrim.*, l. *Si cùm dotem*, § *Maritus*. Maritus qui duxit uxorem absque mentione dotis censetur cessisse juri suo, quo poterat eam exigere, ipsamque uxoris personam accepisse pro dote, et tenetur eam alere, nisi ipsa dives extiterit : tunc enim tacitè videtur promisisse dotem; unde si nolit marito eam sibi constituere, non tenetur maritus ipsam alere.

Peccat quartò maritus circa spiritualia uxoris, si eam impediat ab impletione præceptorum Dei et Ecclesiæ absque legitimâ causâ, ut audiendi Missam diebus festivis, etc. Si verò illam impediat sine causâ circa ea bona opera quæ sunt tantùm de consilio, ut confitendi, communicandi, etc., tunc peccat venialiter. Aliquando etiam mortaliter juxta Sayrum, quando scilicet uxori multùm expediret his operibus vacare, atque marito constaret magna utilitas, quam uxor inde percipit. Peccat quintò maritus, qui cum uxore cohabitare recusat, vel absque justâ causâ diù abest, vel negligit gubernationem domûs aut rem familiarem, vel bona prodigaliter expendit ac dilapidat. Item qui permittit uxorem uti nimiis vanitatibus et ornatibus, aut ire ad loca dissolutionibus plena, sine causâ, juxta D. Anton. loco citato, non est immunis à culpâ.

Quomodò autem in conversatione se gerere debeat erga uxorem quoad politiam et bonum regimen, in hoc certa regula assignari non potest propter varias conjugum conditiones. Si itaque vir habeat uxorem superbam, non se ei exhibeat nimis familiarem et affabilem; nam elevabit se supra virum humilem et benignum, et tandem despiciet eum, ut legitur 2 Regum cap. 6 de Michol, filiâ Saülis, respectu viri sui David. Si verò uxor humilis et mansueta extiterit, vir se ei exhibeat benignum ac gratiosum, potiùs leniendo et adhortando ac precando, quàm durè admonendo et exasperando, sicut se gessit Elcana erga Annam uxorem, 1 Regum 1. Si uxor prudens et discreta videatur viro, tunc si quid corrigendum in eâ apparuerit, admoneat illam verbis gravibus et adhortatoriis, et non injuriosis aut comminatoriis, ne nimis inde exacerbetur; nam indignata mulier ingeniosa malum machinatur. Si autem uxor imprudens et temeraria fuerit, vir asperis modis comprimat eam : se habet enim velut animal irrationale, quod nonnisi minis et verbere domatur. Et sic de aliis.

Uxor in iis quæ spectant ad domûs gubernationem et bonos mores, tenetur obedire marito, quasi domino, et capiti, ut declarat Apost. ad Ephesios 5, et ad Coloss. 3. Hinc graviter peccat si in his notabiliter inobedientem se præbeat, si marito spreto gubernare velit; si eo invito se ingerat in administrationem negotiorum, nisi adesset justa causa, puta quia maritus prodigus bona familiæ dilapidat. Quando igitur ex contemptu quodam vel pertinaciâ marito rigorosè præcipienti rem notabilem in his in quibus est illi subjecta, obedire non vult, peccatum lethale committit Secundò graviter peccat uxor quando, sciens aut scire debens maritum ad magnam iram, ad juramenta, vel blasphemias fore excitandum, si verba verbis addat, si respondeat ejus mandatis obmurmurando, nihilominùs ipsa non desistit oblocutione et murmuratione iram mariti provocare. Ratio est quia tunc videtur mariti salutem spiritualem contemnere, eidem præbens peccati mortalis occasiones, cùm facilè posset ac deberet tacendo id vitare, utpote quia inferior debet cedere superiori, tantâque reverentiâ decet uxorem virum prosequi, ut tota ab illâ discat domus et familia quantum illi honorem debeat.

Tertiò peccat uxor, si absque gravi fundamento, solâque zelotypiâ malè judicet de continentiâ mariti; si quid notabile expendat contra viri voluntatem, et consuetudinem feminarum similis statûs, nisi hoc faciat de bonis paraphernalibus. Item si eum ad inopiam redactum alere recuset, cùm possit : aut eidem inservire dùm ægrotat. Imò plures docent uxorem etiam nobilem, ex vi contractûs matrimonii, ideòque ex justitiâ teneri ad omnia obsequia licita erga maritum, quantùmvis vilia, ut lavare illius pedes, cibos condire, domum verrere. Alii hoc negant, dicentes uxorem non teneri nisi ad ea obsequia, quæ illius dignitatem et nobilitatem decent; unde si plura exhibeat, remuneratione sunt digna. Existimo tamen uxorem ordinariè per se, aut per famulos et famulas teneri curam habere rerum quæ intùs sunt, scilicet in domo, juxta leges à viro præscriptas, eaque præstare obsequia ad bonum familiæ necessaria, ita ut si negligat, aut dilapidet bona, nec curet de bonâ administratione, peccet. Quartò peccat uxor si nolit sequi virum domi-

cilium mutantem, dummodò possit sine periculo vitæ et salutis : tenetur enim sub mortali eum comitari, nisi inter ipsos pactum contrarium præcesserit, seu ante matrimonium pacti fuerint de non migrando in aliud domicilium. Hoc tamen pacto non obstante uxor tenetur virum sequi interveniente aliquâ justâ necessitate illinc discedendi, aliò migrantem; ut si superveniat gravis morbus, aut capitalis inimicitia, aliave justa causa non prævisa. Si maritus tantùm post nuptias effectus fuerit vagabundus, non tenetur uxor illum comitari; secùs si ante matrimonium vagari solebat, et hunc mariti morem non ignoravit uxor, sed novit à principio.

QUÆSTIO TERTIA.

DE OFFICIIS SUPERIORUM ET INFERIORUM AD INVICEM.

Hîc sermo est de superioribus et inferioribus tam in temporalibus quàm in spiritualibus, nempe quomodò se gerere debeat servus erga dominum, et dominus erga servum. Item episcopi et parochi erga oves suas, et oves erga suum parochum, ac episcopum : et quid sibi debeant ad invicem in vi hujus præcepti.

ARTICULUS PRIMUS.

De officiis dominorum et famulorum ad invicem.

Non loquimur hîc de servis qui mancipia nuncupantur, respectu quorum dominus habet imperium despoticum. Hi enim in religione christianâ rari sunt, nec habentur apud nos Francos; sed tantùm de servis est sermo quos servitores, famulos, aut ministros appellamus, qui serviunt stante eorum libertate quoad personam, suaque obsequia mercede alteri locant per unum vel plures annos, seu illi locant seipsos ad ministrandum prout opus fuerit. In quo differunt ab operariis qui vel diurnas tantùm operas, vel ad certum genus operis faciendum locant.

Officia patrisfamiliàs erga servos, eadem ferè sunt ac erga filios. Comprehenduntur quippe illis Apostoli verbis 1 ad Timoth. 5 : *Si quis suorum et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Hujusmodi autem officia Spiritus sanctus variis Scripturæ locis tradit Eccles. 7, v. 22 et 23. Item cap. 30. Item ad Ephes. 6, ad Coloss. 4. De iis tractat D. August., lib. 19, de Civit., cap. 16. D. Gregorius, in Pastor. part. 3, admon. 6. Consistunt autem :

Primò in hoc quòd eorum animæ saluti spirituali prospiciat, et det operam ut instruantur de doctrinâ christianâ, ut à peccatis abstineant, præcepta Dei et Ecclesiæ impleant, et catholicè vivant. Tum quia, ut dicitur Eccles. 17 : *Mandavit Deus unicuique de proximo suo;* à fortiori domino mandavit curare salutem servi sui, utpote domestici et proximioris; tum quia servus in domo habet conversari cum uxore, filiis, filiabus et ancillis, unde si sit moribus improbus, puta maledicus, susurro, fur, ebriosus, impudicus, etc., totam corrumpet familiam, juxta commune effatum : *Corrumpunt bonos mores colloquia et exempla prava.* Adde quòd si mali extiterint, Dei iram et maledictionem supra domum et familiam attrahere poterunt : sicut è contra benedictionem, si boni ac virtuosi fuerint. Hinc peccant domini quando sunt notabiliter negligentes circa famulorum salutem spiritualem, puta si non curent, quantùm in ipsis est, ne assuescant juramentis, blasphemiis, detractionibus, aliisque peccatis; ut debitis temporibus confiteantur, communicent, Missam audiant, ut ignorantes addiscant mysteria fidei; ut cum ancillis domi nimis liberè ac familiariter non conversentur, tollendo multorum peccatorum occasiones, eorumque actionibus invigilando. Secundò hujusmodi cura consistit in correctione et punitione delictorum Eccl. 3 : *Panis et disciplina et opus servo.* Quia cùm domini sint servorum superiores et patres, ex quo tenentur eos ad salutem æternam dirigere, possunt uti mediis ad hunc finem necessariis, nempe eorum peccata manifesta corrigere, ipsosque moderatè verberare, objurgare, etc. Unde D. Aug., 19 de Civit., cap. 16, sic monet patremfamiliâs : *Pro omnibus tibi subditis, qui in domo tuâ sunt, oportet te rationem reddere.* Et D. Chrysost. ait : *Divinas planè leges violat et jura naturæ, qui negligit suos : maxima pœna, supplicium que paratum est immensum illis qui servos neglexerint.* Imò si hâc moderatâ objurgatione et castigatione emendari nolint, tenetur dominus illos domo expellere, nisi inde ociores evasuros probabiliter timeat.

Hinc peccant domini qui non corrigunt et non castigant famulos peccantes, vel nimis durè ac crudeliter eos plectunt; absque gravi causâ gravibus injuriis illos afficiunt, diabolos, canes, hæreticos, etc., appellantes. Unde Apost. ad Ephes. 6, postquàm mandavit servis ut obsequia debita præstent dominis suis, statim subdit : *Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud Deum.* Quasi diceret : Et vos, domini, similem humanitatem, benignitatem, et amorem tanquàm in naturâ et Religione proximis, exhibete servis; nolite superbire nimisque imperiosè ac inhumaniter eos tractare, quia communi Deo servitis, qui à vobis severam rationem exiget tyrannidis in servos; talemque Dominus se exhibebit, quales vos servis exhibuistis : non enim respicit personam hominis.

Tertiò, curare debent ut servi otio non vacent, quoniam tanquàm equi impinguati recalcitrabunt, et de his loquitur Sapiens Eccles. 33, dicens : *Jugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ; mitte illum in operatione ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas; in opera constitue eum; sic enim condecet illum. Verùm sine judicio nihil facias grave. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem, sic cum tracta,* etc. Inde insolitis et extraordinariis laboribus ac oneribus non sunt opprimendi, idque prohibet Dominus Levit. 25, dicens : *Mei enim sunt servi; ne affligas eos per potentiam, sed metuito Deum tuum;* juxta Hebræum habetur : *Non subjugabis*

eum in fractione, seu in multo nimioque labore frangente et exhauriente vires servi ad tempus, quasi essent boves, aut equi; sed cum debitâ moderatione ac discretione sunt exercendi. Et ad hoc impelli debent domini timore Dei, cujus sunt servi, et qui illorum afflictionem in dominos vindicat, ut legitur Exodi 3.

Quartò, non debent quidem domini nimis delicatè sustentare servos; ut enim dicitur Proverb. 29 : *Qui delicatè à pueritiâ nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Verùm alimenta necessaria et convenientia illis subministrare tenentur; et peccant, si illis desint in victu necessario, vel ob nimios labores in ægritudinem conjiciant, et in eâ denegent subsidium. Non tenentur tamen solvere mercedem famulo pro tempore quo absque illorum culpâ ægrotare contingit, nisi aliter inter ipsos conventum fuerit, aut consuetudo aliud postulet : sicut conductor domûs aut equi non tenetur solvere pensionem pro tempore quo rei conductæ non potest habere usum absque ullâ propriâ culpâ. Nec etiam videntur domini teneri famulum suis expensis à gravi infirmitate curare : ideòque si morbus fuerit periculosus, gravis, et qui nonnisi notabilibus sumptibus curari valeat, licitum est ad hospitalem domum illum transferre; quamvis leviter ægrotanti, cibaria tenuesque expensas per decem aut quindecim dies negare non debeant : videtur enim à christianâ charitate alienum, proximo apud te egenti negare aliquod leve subsidium, cùm facilè præstare possis. Imò in defectum aliorum tenentur domini servo in extremâ necessitate constituto subvenire; quando domini animo se compensandi curant in domo servum ægrotum, æquum videtur ut de hâc suâ intentione illum admoneant si sumptus tales sint futuri, quos famulus sciens à se solvendos, nollet ibi remanere, eoque modo sibi provideri, sed ad hospitale transiret, aut parciori victu, vilioribusque medicinis uteretur. Sed heu! quàm pauci apud Christianos exercent erga servos ægrotantes charitatem quam habuit centurio vir infidelis erga suum, qui pro illius salute sic sollicitè festinabat, inquit Chrysost., hom. 21 Oper. imperf., quasi non damnum pecuniæ, sed propriæ salutis in morte illius passurus! Nullam enim differentiam æstimabat inter servum et dominum; quia etsi dignitas diversa est inter illos, una tamen est illis natura. Servus erat illi pretiosus, et tanquàm puerum in domo habebat. Unde dicebat Matth. 8 : *Puer meus jacet in domo paralyticus, et malè torquetur;* sed imitantur potiùs domini christiani crudelitatem viri Amalecitæ, de quo servus ejus Ægyptius sic conquestus est 1 Regum 30, respondens David à quo refocillatus et interrogatus fuerat quisnam esset : *Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ : dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudius tertius.*

Quintò, tenetur dominus sub mortali solvere famulis justum stipendium, quia dignus est operarius mercede suâ : dummodò fideliter laboraverint et debitam præstiterint operam, ac nisi ipsi ex conventione liberè factâ, minori contenti sint stipendio; possunt enim cedere juri suo, non tantùm ex parte, sed etiam ex toto. Nec tamen putandum, quando famulus relinquit domino determinationem stipendii, fas esse domino illi dare quod libuerit : tenetur enim saltem ei tradere stipendium quod juxta receptam loci consuetudinem infimum est intra latitudinem justi pretii; cùm tunc censeatur esse tacita servi intentio, non famulari omninò gratis, sed quòd dominus juxta regulas æquitatis ac prudentiæ determinet pretium pro more patriæ. Hinc peccant graviter domini qui integrè non solvunt famulis stipendium justum, et de quo ab initio conventum fuit, sed absque legitimâ causâ, et tantùm frivolis avaritiæ rationibus, vel totum, vel partem sibi retinent. Contra quos tela vibrat Scriptura Jacobi 5 : *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Peccant adhuc quando debitæ mercedis solutionem procrastinant : idque Dominus vetat Levit. 19, dicens : *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Et quædam homicidii species reputatur Eccles. 34 : *Qui effudit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Peccant insuper domini absque justâ causâ servum dimittendo ac expellendo domo ante terminum constitutum, et per so loquendo tenentur ad integri stipendii solutionem, quia conductor tenetur solvere pensionem, quando præcisè ob suam culpam, aut voluntatem aut impedimentum ipsi superveniens, non est usus re conductâ. Hinc etiam fit quòd si dominus operâ famuli conducti, quem apud se retinet propriâ culpâ non utitur, tenetur per se loquendo promissum stipendium eidem solvere. Per accidens tamen, puta si famulus expulsus statim operas suas alteri locavit æquali pretio, ac servatur indemnis, tunc minimè tenetur. Item si famulus domi remanens, interim pro mercede, alteri inservivit, potest dominus illi de stipendio promisso tantùm detrahere quantùm ab alio accepit.

Si verò ipse famulus sponte suâ ante terminum statutum recedat à domo et obsequio domini absque legitimâ causâ, redire tenetur ac inservire, si dominus eum recipere velit : aliàs tenetur ad compensationem domino, si aliquod damnum inde patiatur, ad cujus ratam potest ei denegari, aut retineri salarium debitum. Si autem promisit ruri servire per annum, inquit Sylvester, v. *Familias* 6, et elapsis sex mensibus hiemis, discedat, tunc non debetur ei medietas salarii juxta Bartol., sed computabitur crassum cum macro. Verùm hæc omnia fusiùs à nobis ventilata fuerunt tom. 3 de Just., q. 6, art. 1, § 2 de Locatione famulorum ac mercenariorum.

Officia servorum erga dominos assignat Apostolus ad Ephes. 6, dicens : *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus : scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber.* Idem docet ad Coloss. 3. Servi itaque debent habere pro dominis primò amorem et timorem.

quia sunt illis loco parentum, et Apostolus non tam conditionis necessitate, quàm officii delectatione, bonâ voluntate, atque erga Dominum benevolentiâ monet eos servire. *Dicit tibi Christus*, inquit D. August. Psal. 124: *Prior servivi indignis; non ideò christianus factus es, ut dedigneris servire.* Quantò magis non debet homo dedignari, ex toto animo, ex totâ bonâ voluntate, cum totâ dilectione servire domino, etiam malo? et Tertull. in Apolog. ait : *Dominum Dei vicem dicam.* Amori addendus est timor; habet enim dominus erga famulos dominium et regimen patronale, quod ex parte patroni fundatur in potestate : ex parte autem servi et ministri, in timore et amore. Secundò, debent servi dominis honorem et reverentiam, ob dignitatem et superioritatem. *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur*, inquit Apost. 1 ad Timoth. 6. Ideòque peccant illos contemnendo, irridendo, odiendo, desideria vindictæ concipiendo, verbis contumeliosis et imprecationibus impetendo, malè de eis loquendo, superbè ac arroganter respondendo, non assurgendo, non salutando, non discooperiendo caput, etc.

Tertiò, dominis obedire tenentur servi in iis quæ justè præcipiunt : habent enim auctoritatem et imperium. Eorum voluntati tanquàm regulæ directivæ subjiciuntur in actionibus suis, suntque principia secundaria gubernationis, post supremum omnium Dominum. *Servi*, inquit D. Petrus Epist. 1, cap. 2, *subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis et modestis, sed etiam discolis.* Ideòque servi peccant protervè nolentes exequi dominorum justa mandata, quæ scilicet bonam familiæ gubernationem concernunt, nec ipsorum vires excedunt, nec sunt contra Deum : cùm enim tanquàm servi Christi et ex amore Dei tantùm, dominis obedire debeant, non possunt absque deordinatione et peccato, eorum mandata quæ sunt contra Dei voluntatem et legem, exequi, ut indicat Apostolus dicens: *Cum bonâ voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus. Sic*, inquit D. August., *milites christiani servierunt imperatori infideli; et quando dicebat : Producite aciem, ite, pugnate contra illam gentem, statim obtemperabant. At ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat.* Unde famuli nequeunt sine peccato ferre internuntia vel litteras, vel referre hinc inde horam dominis ad peccandum cum concubinâ, vel facere excubias vel custodiam, dùm cum feminâ peccatum committunt, sed tenentur eorum famulatum deserere dùm his turpibus commerciis applicantur cooperantes ipsorum peccatis, juxta illud Matth. 5 : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te.* Cujus sensum esse dicit D. August., serm. in monte cap. 13, quidquid illud est quod ita diligis ut pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, erue illud et projice abs te. Vide in tractatu de Justitiâ, articulo de Restitutione, ubi materia ista fusiùs ventilatur. Si verò domini non exigant à servis et ancillis res de se intrinsecè malas et contra legem Dei, sed tantùm contra Ecclesiæ præcepta, ut non audire sacrum, serviliter laborare diebus festivis, vesci carnibus vetitis diebus, etc., tunc recedendum est è domo ac obsequio illorum, si hæretici existentes id præcipiant in odium fidei, et contemptum Religionis, potiùsque est moriendum quàm parendum. Quando verò ex avaritiâ aliove motivo ducti, hæc à servis exigunt unâ aut alterâ vice, possunt ipsis obtemperare servi, si ad id cogantur, autumantes fortè ex necessitate aliâve justâ causâ dominos moveri ad hoc mandandum quòd si talia mandata frequenter iterent, et quasi in consuetudinem deducere velint, tunc servi etiam ante terminum præfinitum deserere debent hujusmodi famulatum, si absque gravi incommodo recedere valeant; aut saltem expleto jam termino ad alium dominum accedere.

Quartò, famuli juxta conventionem factam laborare tenentur, cùm non aliter debeatur ipsis stipendium. Unde qui non sufficienter laborat, prout debet, nequit totum stipendium accipere, et tenetur ad restitutionem excessûs : imò etiam ad compensationem damni emergentis ac lucri cessantis cùm per injustitiam illius causa extiterit. Cùm autem dominus non teneatur ex justitiâ dare aliquid famulo supra id de quo inter ipsos conventum fuit, nefas est famulo occultâ uti compensatione subripiendo aliquid de bonis domini, etiamsi stipendium ipsi non videatur suolabori et obsequiis præstitis adæquatum, ut ostensum est fusiùs in tractatu de Justitiâ. Sanè periculosa res est famulis in hâc parte indulgere, ut sibi de bonis dominorum compensationem faciant, tum quia homines in re propriâ soleant sibi favere, proindeque furtis innumeris aperiretur via, tum quia hæc clancularia acceptiones non paucis subjacent scandalis et periculis infamiæ ac punitionis corporalis famulorum, si deprehendantur. Quintò, tenentur famuli fidelitatem dominis servare, tum debito obsequio illos non fraudando, tum non revelando secreta silentio tenenda, tum nihil de bonis ipsorum furando, tum illis non nocendo aut dissipando, tùm impediendo quantùm possunt ne dominus in personâ aut rebus suis damnum patiatur, etc.; fidelem enim curam in rebus dominorum tuendis censentur polliceri. Ideòque tenentur in foro conscientiæ de damno ex culpâ levi ipsis illato, illudque resarcire, quod passi sunt domini; tenetur famulus eo sciente et non impediente dùm obstare commodè potest, si res illæ furto sublatæ specialiter in ejus custodiâ et curâ erant demandatæ : tunc enim ex officio et ex justitiâ obligatur ad damnum illud avertendum si possit. An autem idem sit dicendum de aliis servis quibus specialiter res non est commissa, quidam affirmant, eò quòd ex proprio famuli officio diligenter curare debeat res domini, et plusquàm alii extranei ejus damnum avertere teneatur; quilibet autem alius ex lege charitatis tenetur damnum proximi impedire, si possit, proindeque famulus ad id tenetur ex obligatione justitiæ. Alii docent famulum ad id quidem magis obligari quàm extraneos, ex charitate tantummodò, et non ex justitiâ, quia res non fuit specialiter ejus custodiæ et curæ commissa, nec de eâ respondere debeat. Alii tandem communiter docent

omnes famulos teneri impedire ex officio et ex justitiâ ne extranei res domesticas furentur; solùmque ex charitate teneri impedire aut denuntiare aliorum domesticorum furta, ut scilicet ab iis desistant, eaque reparent secretò ac fraternè hunc monendo conservam. Si verò nulla sit emendationis spes, damnumque continuetur ac perseveret et notabile existat, nec aliter quàm denuntiando vitari possit, tunc servus sciens alterius famuli furta, tenetur sub peccato mortali domino illum prodere ac denuntiare; aliàs non erit à confessario absolvendus, prout ostenditur tract. de Just. q. de Restit.

Articulus II.

De officio parochorum et ovium ad invicem.

Tenentur primò Ecclesiarum rectores ad residentiam in suâ parochiâ, gregi invigilare et assistere, prout præcipitur in Trident. sess. 23, cap. 1 de reformatione; alioqui in conscientiâ fructus non faciunt suos, et pro ratâ absentiæ restituere tenentur fabricæ Ecclesiæ, vel piis operibus. Possunt tamen ex justâ causâ et licentiâ episcopi abesse ad breve tempus, providendo interim de alio idoneo ministro, qui eorum vices obeat. Tenentur secundò, præcepto divino omnes quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, et pro his sacrificium offerre, ex Trident. Ibidem. Iline Sotus libro 9 de Justitiâ, quæst. 3, art. 1, et in 4 Sent. dist. 13, quæst. 2, art. 2, sentit parochum ad quotidiè celebrandum teneri vel per se, vel per alium, si sit dives, ut parochiani quotidiè Missam audire valeant. Ratio est quia hi habent congruam sustentationem de illorum decimis, oblationibus et eleemosynis, sicque pro ratione decimarum et stipendii, vel quotidiè vel aliquando profestis diebus celebrare tenentur. Alii tamen communiter asserunt parochos solùm teneri ad celebrandum in illis diebus in quibus parochiani tenentur ex præcepto audire Missam, vel quando urget aliqua necessitas communicandi infirmum et non sunt reservatæ species consecratæ, vel propter nuptias, nisi aliquâ consuetudine aut constitutione particulari, aut superioris mandato astringerentur ad sæpiùs aut etiam quotidiè celebrandum vel per se, vel per alium. An autem, quando ex officio vel ex constitutione aut præcepto incumbit parochis celebrare et pro ovibus suis offerre sacrificium, adhuc pro eo in illis diebus oblato accipere stipendium et pro petentibus offerre possint, videre est hujus difficultatis resolutionem in tractatu de Justitiâ.

Tenentur tertiò, administrare parochianis suis ea sacramenta quæ possunt, nempe Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, extremæ Unctionis, et solemnizationis matrimonii, pigros ad eadem suscipienda exhortari ac urgere, præsertim dùm versantur in periculo mortis, nihilque omittere eorum quæ possunt eos uvare ad felicem consequendam mortem : ita ut tam in vitâ quàm in morte curent eorum salutem spiritualem omnibus viis ac subsidiis possibilibus, tanquàm si nutrix foveat filios suos, 1 ad Thessalon. 2. Tenentur quartò eos pascere nedùm sacramentorum administratione, sed et verbi Dei prædicatione, ex Trid. loco citato, ubi nihil decernitur de tempore quo obligantur ad populum concionandum. In sess. 5 tamen cap. 2, mandatur : *Ut per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro suâ et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salùtem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant.* Vide Bonacinam circa 3 Decalog. præcept., disp. 5, q. unicâ, punct. 2, num. 29. Item Trident. sess. 24 de Reform. cap. 4, ubi mandat ut parochi singulis diebus Dominicis et festis solemnibus populo doctrinam christianam explicent per se vel alium, idque sub gravi obligatione, cùm ad id cogi possint à prælatis sub pœnâ excommunicationis.

Obligantur igitur pastores animarum ex officio ad pascendam plebem sibi commissam concionibus, monitis salutaribus et instructionibus, publicè et privatim docendo Christianorum officia et excitando ad rectè vivendum, arguendo in omni patientiâ et doctrinâ, ne impleatur illud Thren. 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis;* aut ne sibi hanc Dei maledictionem attrahant Ezech. 34 : *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, et greges meos non pascebant!* Tenentur quoque vitia publica et scandala reprehendere, corrigere, aut impedire, vel ea deferre episcopo, aut magistratibus corrigenda. Ipsorum tamen correctiones et reprehensiones debent esse paternæ, discretione, prudentiâ et lenitate conditæ. Tenentur quintò frequenter visitare infirmos, ac consolari afflictos, ex cap. 1 de Celebratione Missarum; maximèque pauperum curam habere, ex Trident. sess. 25, cap. 8 de Reformatione, et sess. 23, cap. 1 de Reform. Tenentur denique bonorum omnium operum exemplo pascere plebem, ex Trident. sess. 23, cap. 1 de Reform., et ex 1 ad Timoth. 4 : *Exemplum esto fidelium in verbo, in charitate, in conversatione, in castitate,* ut scilicet non scandalizent parochianos verbis, gestis, actionibus sacerdotali charactere indignis, sed etiam ut studeant modestiâ, gravitate humili, vitæque sanctitate illos ædificare, præbendo se formam, normam et exemplar virtutum, quod omnes intueantur et imitentur, iisque se conforment tanquàm legi animatæ, inquit Chrysost. Magis enim docent et auctoritatem sibi conciliant exemplo sanctæ vitæ, quàm eruditè docendo et concionando, quia, ut inquit Seneca, plus homines oculis quàm auribus credunt. Et D. Petrus Epist. 1, cap. 5, præscribit pastoribus, ut fiant *forma gregis;* nec non et Christus Dominus dicit : *Vos estis sal terræ; si sal infatuatum fuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi; si lumen quod in te est tenebræ sint, totum corpus tenebrosum erit. Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Vide D. Gregorium parte 2, cap. 1 et 3 in Pastorali, et homil. 17 in

Evang. super cap. 10 Lucæ; D. Hieronymum in Epitaphio Nepotiani; Tridentinum sess. 14, in Proœmio de Reformatione, et sess. 22, cap. 1 de Reformat.; Isidorum, lib. 3 de summo Bono, cap. 36; Chrysost., homil. 4 Epist. ad Titum; D. August., serm. 46 de Pastoribus, cap. 3, 5 et 6.

Officia verò parochianorum erga pastores suos hæc sunt : nempe honore colere, obedientiam præstare, et debita stipendia ac jura solvere. Si enim parentibus carnalibus honor et obedientia debeatur, eò quòd ab eis accipiamus vitam et alimentum corporale, quantò magis illis debemus à quibus vitam et alimentum spirituale suscipimus? Unde et patres spirituales eos vocare solemus. *Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*, dicebat Apost. 1 ad Corinth. 4. Non solùm fideles pariunt, sed et lacte ex uberibus Ecclesiæ deducto, ac sacramentorum administratione alunt, et perficiunt, juxta illud ad Galat. 4 : *Filii mei, quos iterùm parturio donec formetur Christus in vobis.* Vide paterna, imò materna viscera; vide anxietatem, ejulatum quem emittit Apostolus multò tristiorem quàm solet esse parturientis, quasi diceret : Uti B. Virgo Christum corporaliter peperit, at sine dolore, sic et ego quasi spiritualis puerpera Christi, imò ingenti cum labore et dolore parturio, et enitor ut Christum efformem in vobis. Unde non solùm ob dignitatem sacerdotalem debent fideles honorare parochos, sed ob curam et laborem eos regendi, sicut patres filii; ideòque hujusmodi observantia hoc quarto Decalogi præcepto etiam comprehenditur. *Nam sacerdotes non modò plus revereri debemus quàm principes, sed etiam quàm proprios parentes*, inquit Chrysost. lib. 3 de Sacerd. Porrò hic honor obligat parochianos, ut benè de parocho suo loquantur, eumque tum corde interiùs, tum verbo et signo exteriùs, veneratione prosequantur, ejusque defectus non prodant nec exaggerent, sed quantùm est in se supportent, ac excusent. Item, ut justum illius procedendi modum non reprehendant, ut non ipsum contemnant, nec ejus personam irrideant, neque imitentur impietatem maledicti filii Cham, timeantque vindicem Dei manum, cujus honor læditur in suis ministris et vicem gerentibus, juxta illud Lucæ 10 : *Qui vos spernit, me spernit.* Et Zachariæ 2, v. 8 : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et Exodi 22, volens Deus homines avertere ab inhonoratione superiorum ecclesiasticorum, dicit : *Diis non detrahes.*

Tenentur insuper fideles eorum verbis ac monitionibus deferre, in his quæ ad peccata vitanda vel ad bonum spirituale consequendum spectant, seu tenentur ipsis obedire in spiritualibus, et animæ salutem concernentibus. Unde Apostolus sic eos admonet ad Hebr. 13 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim non expedit vobis.* Sicut enim gregi ovium, ut à lupo salvæ sint, et ad bona pascua deducantur, expedit sequi pastorem, ejusque vocem audire, ita et fideles promptè debent suo obedire pastori, ut subitò proficiant et salventur : ut enim dicit Dominus Lucæ 10 : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Imò à Christo præceptum est ut vel improbis pastoribus obtemperemus, Matth. 25 : *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi*, etc. Tenentur tandem fideles ad sustentationem pastoribus debitam promptè ac fideliter exsolvendam, idque voluit Apostolus indicare 1 ad Timoth. 5, dicens : *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo et doctrinâ. Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti.* Et : *Dignus est operarius mercede suâ.* Ubi Apostolus illo duplici honore intelligit et observantiam et subsidium temporale, prout indicant hæc verba : *Non alligabis os*, etc. Idemque colligitur ex 1 ad Corinth. 9, à vers. 7 usque ad v. 15 : et in eodem sensu intelligit Catechism. Trid., p. 3 de hoc quarto præcepto § 16, refertque D. Ambrosium in Commentario hujus loci.

PRÆLOQUIUM DE JUSTITIA ET INJUSTITIA

Sex Decalogi præcepta, quæ supersunt explicanda, dantur de justitiâ communiter dictâ, quæ inter æquales attenditur. Sicut enim per partes justitiæ debitum redditur aliquibus determinatis personis, quibus homo ex aliquâ ratione speciali obligatur : ita etiam per justitiam propriè dictam, aliquis debitum reddit communiter omnibus. Et ideò post tria prima Decalogi præcepta pertinentia ad partem potentialem justitiæ, nempe Religionem, quâ redditur debitum Deo; et post quartum, quod est pietatis, quâ redditur debitum parentibus, in quo includitur omne debitum, quod ex aliquâ speciali ratione debetur, necesse fuit, quòd ponerentur consequenter aliqua præcepta pertinentia ad justitiam propriè dictam, quæ indifferenter omnibus debitum et æquale reddit. Ita D. Thomas, 2-2, q. 122, art. 6, in corp.

Generaliter autem homo quantùm ad omnes ordinatur, ut nulli injustitiam et nocumentum inferat, neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo, quandoque in propriam personam, quantùm ad consistentiam personæ, et hoc gravius est cæteris nocumentis, et prohibetur per hoc quod dicitur : *Non occides;* quandoque autem in personam conjunctam, quantùm ad propagationem prolis. Et hoc est gravius quàm usurpatio bonorum exteriorum, et prohibetur cum dicitur : *Non mœchaberis;* quandoque autem in rem possessam, quæ ordinatur ad utrumque, tanquàm adminiculum, scilicet propriæ vitæ, ac personæ conjunctæ, et quantùm ad hoc dicitur : *Non furtum facies.* Nocumentum autem oris prohibetur, cùm dicitur : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Nocumentum

verò cordis prohibetur, cùm dicitur : *Non concupisces ;* quo prohibentur actus interiores. Sed quia delectatio adulterii, et utilitas divitiarum, sunt propter seipsa appetibilia in quantum habent rationem boni delectabilis et utilis : ideò oportuit in eis prohiberi non solùm opus, sed et concupiscentiam. Homicidium verò et falsitas sunt secundùm seipsa horribilia, quia vita proximi et veritas naturaliter amantur, et hæc crimina non desiderantur nisi propter aliud. Unde non oportuit circa peccatum homicidii et falsi testimonii, prohibere peccatum cordis, sed solùm operis. Adde quòd omnes passiones irascibilis derivantur à passionibus concupiscibilis ; et ideò in præceptis Decalogi, quæ sunt quasi prima elementa legis, non erat mentio facienda de passionibus irascibilis, sed solùm concupiscibilis. Ita D. Thomas, 1-2, q. 100, art. 5, in corp. et ad 5 et 6 ; et 2-2, q. 122, art. 6, ad 4. Omnia alia nocumenta quæ proximis inferuntur, reduci possunt ad ista quæ his præceptis prohibentur, tanquàm ad quædam communiora et principaliora, ut ostendit D. Thomas ibidem ad 1 ; quia autem communiter ad hoc obligatur homo, ut nulli inferat nocumentum, ideò præcepta negativa, quibus prohibentur nocumenta quæ possunt inferri proximis, tanquàm communia fuerunt proponenda inter præcepta Decalogi. Ea verò quæ sunt proximis exhibenda, diversimodè exhibentur diversis ; et ideò non fuerunt inter præcepta Decalogi ponenda de his affirmativa præcepta. Ita divus Thomas ibid. ad 1.

Ad penetrandam igitur hujusmodi præceptorum naturam et extensionem, præmittenda est brevis justitiæ delineatio, de quâ fusè agit D. Thomas, 2-2, q. 58, et de injustitiâ q. 59, et in sequent. Justitiam autem in genere, prout est una ex quatuor virtutibus cardinalibus, convenienter definiri ostendit, quòd sit *perpetua et constans voluntas, jus suum unicuique tribuens.* Quo modo etiam justitiam communiter explicant D. Augustinus, Cicero et omnes juristæ cum Ulpiano ff. de Just. et Jure, omnesque theologi. Hanc autem definitionem D. Thomas sic in formam reducit, dicens quòd *justitia est habitus secundùm quem aliquis constanti et perpetuâ voluntate jus suum unicuique tribuit.* Per prima verba, justitia convenit cum aliis habitibus virtutum ; ad hoc enim ut aliquis actus circa quamcumque materiam sit virtuosus, requiritur quòd sit voluntarius, et quòd sit stabilis et firmus. Per ultima verò vocabula ab aliis differt. Cùm enim omnis virtus sit habitus, qui est principium boni actûs, necesse est quòd virtus definiatur et distinguatur per actum bonum circa propriam materiam virtutis. Est autem justitia circa ea quæ sunt ad alterum unicuique quod suum est tribuendo, tanquàm circa propriam materiam et objectum : unde est specialis virtus moralis, et inter quatuor cardinales reposita, existens in voluntate tanquàm in subjecto proximo : non enim justi dicimur per hoc quòd rectè aliquid cognoscimus. Sicque justitia non ordinatur ad dirigendum actum cognoscitivum, neque est in intellectu, sed ex hoc quòd aliquid rectè agimus ; proximum autem principium actûs est vis appetitiva. Cùm ergo justitia nequeat residere in appetitu sensitivo, eò quòd apprehensio sensitiva non se extendat ad hoc quòd considerare valeat proportionem unius ad alterum, quando redditur unicuique quod suum est, sed hoc sit proprium rationis, restat ut justitia tantùm subjectari possit in appetitu rationali, seu in voluntate. Adde quòd peculiaris est difficultas in voluntate ad tribuendum alteri jus suum, quæ non invenitur in hoc quòd voluntas eligit proprium bonum : nam respectu alieni voluntas retardatur, et impeditur ab ipsâ utilitate proprii boni ; quocirca requiritur specialis constantia et firmitas in justitiâ. Ad quod denotandum dicitur Sap. 5 : *Induet pro thorace justitiam, pro galeâ judicium certum, scutum inexpugnabile æquitatem*, etc. Et per hoc etiam differt ab aliis virtutibus moralibus, quia ipsa sola in voluntate tanquàm in subjecto residet, ad hoc ut eam determinet ad promptè et delectabiliter eligendum, et operandum bonum rationis, quod est ad alterum.

Proprium namque justitiæ est ut ordinet hominem in his quæ sunt ad alterum, cùm importet quamdam æqualitatem, prout ipsum nomen demonstrat. Dicuntur enim vulgariter ea quæ adæquantur, *justari ;* nihil autem est sibi æquale, sed alteri ; aliæ verò virtutes perficiunt hominem solummodò in his quæ ei conveniunt per ordinem ad seipsum ; quatenùs scilicet hujusmodi actiones per ordinem ad operantem sufficienter rectificantur, rectificatis passionibus per temperantiam et fortitudinem, quæ resident in appetitu sensitivo, in quo est tota difficultas ad agendum illarum bonum ; sed actiones quæ sunt ad alterum indigent speciali rectificatione, non solùm per comparationem ad agentem, sed etiam per comparationem ad alium ad quem sunt. Illud enim in opere nostro dicitur esse justum, quod respondet secundùm aliquam æqualitatem alteri, puta recompensatio mercedis debitæ pro servitio impenso, etiam non considerato qualiter ab agente procedat, sive ex irâ, sive ex invidiâ, aut vanâ glorià, etc.

Hinc fit justitiam non versari circa passiones propriè loquendo, sicut versantur temperantia et fortitudo : tum quia justitia subjectatur in voluntate cujus motus vel actus non sunt passiones, sed solummodò motus appetitûs sensitivi ; tum quia per passiones interiores non ordinamur immediatè ad alterum, unde justitia tantùm versatur circa actiones externas per quas homo ordinatur ad alterum, seu quibus homines inter se communicare possunt aliquid sibi tribuendo, vel subtrahendo : ita tamen ut ipsæ res sint materia remota justitiæ, actiones verò exteriores sint materia illius proxima. Advertendum autem, quòd operationes exteriores mediæ sunt quodammodò inter res exteriores, quæ sunt earum materia, et inter passiones interiores, quæ sunt earum principia. Contingit autem quandoque esse defectum in uno eorum, sine hoc quod sit defectus in alio : sicut si aliquis subripiat rem alterius, non cupiditate habendi, sed voluntate nocendi ; vel è converso, si aliquis rem alterius concupiscat,

quam tamen subripere non velit. Rectificatio ergo operationum secundùm quòd ad exteriora terminantur, pertinet ad justitiam : sed rectificatio earum secundùm quòd à passionibus oriuntur, pertinet ad alias virtutes morales, quæ sunt circa passiones. Unde subreptionem rei alienæ justitia impedit quatenùs est contra æqualitatem in exterioribus constituendam : liberalitas verò impedit eam in quantum procedit ab immoderatâ concupiscentiâ divitiarum. Sed quia operationes exteriores non habent speciem ab interioribus passionibus, sed magis à rebus exterioribus, sicut ex objectis : ideò per se loquendo operationes exteriores magis sunt materia justitiæ, quàm aliarum virtutum moralium.

Hinc rectè dicitur justitiam habere medium rei, alias verò virtutes morales medium rationis. Cujus sensus est proprium justitiæ esse tantùmdem reddere quantùm debetur, sine ullo ordine ad ipsum operantem; sive enim sit sanus, sive æger, sive vir, sive mulier, sive senex, sive juvenis, etc., debet exhibere æqualitatem inter opus exhibitum et jus alterius, quia justitiæ materia est operatio exterior, secundùm quòd ipsa vel res, cujus est usus, debitam proportionem habet ad alteram personam. Et ideò medium justitiæ consistit in quâdam proportionis æqualitate rei exterioris ad personam exteriorem : æquale autem, est realiter medium inter majus et minus; seu medium rei vocatur quod in æqualitate rerum consistit, puta pretii et rei venditæ. Atverò medium quod attenditur ab aliis virtutibus, quæ circa passiones versantur, non est sic determinatum in re et ex naturâ rei, sed juxta regulas prudentiæ potest et debet variari, per ordinem ad operantem, variasque illius circumstantias. Unde cùm valdè diversæ sint hominum complexiones et conditiones, certissimum est non posse unum et idem medium rei in materiâ temperantiæ et fortitudinis pro omnibus constitui, sed singulis illud assignandum esse, quod juxta rationem rectam cujusque dispositioni, et viribus magis congruit, sicque medium in adæquatione conditionum in eis à rectâ ratione hìc et nunc determinabitur; v. g., medium in actu temperantiæ non est comedere unam libram panis, sed pro loci, temporis, laboris, et complexionis personarum circumstantiis, aliquando medium erit sumere sex uncias, aliquando plus, prout à rectâ ratione judicabitur. Ratio hujus est quia istæ virtutes morales principaliter consistunt circa passiones, quarum rectificatio non attenditur nisi secundùm comparationem ad ipsum operantem, cujus sunt passiones, nempe secundùm quòd irascitur et concupiscit, prout debet juxta diversas circumstantias.

Objectum justitiæ est jus seu justum alteri debitum et æquale, quod proinde supponit in alio jus exigendi, et respectu talis juris dicitur suum, debitum et æquale : ideò enim debeo tibi decem nummos, quia est in te jus eos à me repetendi. Et rursùs ideò illud opus solutionis hujusmodi summæ dicitur æquale, quia commensuratur juri quod habes ad nonnisi decem nummos à me exigendum. Unde quando dicitur quòd justitiæ actus est reddere unicuique quod suum est, significatur proprium ejus munus esse constituere æqualitatem per ordinem ad jus alterius, ita scilicet ut opus exhibitum commensuretur cum jure quod alius habet hìc et nunc exigendi. Quâ ratione reddens quod potest, etsi non reddat totum quod debet, censetur exercere actum justitiæ, quia creditor pro tunc non habet jus exigendi majorem summam : et extante re furto acceptâ, non sufficiet reddere æqualem, quia dominus habet jus in rem illam tanquàm suam in individuo. Illud porrò debitum, quod justitia attendit et respicit, non debet esse tantùm morale, seu quòd ex virtutis honestate solùm debeatur, sive sit adeò necessarium ut sine eo honestas morum conservari non possit, quale est debitum quod attendunt veritas, gratitudo, et vindicatio, sive sit tantùm necessarium secundùm quid ad conservandum morum honestatem; quâ ratione liberalitas, affabilitas, et amicitia debitum respiciunt; sed debet esse legale, seu ad quod reddendum aliquis lege astringitur, ita ut illud non reddens sit injustus. Et istud est duplex : unum simpliciter, quod requirit, ut simpliciter sit debitum, ut constituat æqualitatem simpliciter, et tandem ut sit simpliciter ad alterum saltem quoad voluntatum, jurium seu dominiorum distinctionem. Aliud verò secundùm quid, quando scilicet deficit vel perfecta æqualitas, vel alteritas et distinctio inter illos homines : sic inter dominum et servum, patrem et filium, quatenùs concipiuntur ut sunt quid unum, non est justum simpliciter, sed tantùm est justitia secundùm quid, quæ scilicet tendit ad servandum jus secundùm quid, eò quòd non versetur inter personas omninò distinctas, neque perfectam adæquationem habere possit; licet aliunde sit naturaliter magis debitum, magisque perfectum quàm jus legale quod inter æquales versatur, et quod est simpliciter debitum. Hinc habetur quomodò Religio erga Deum, et pietas erga parentes deficiant à perfectâ ratione justitiæ : cùm æquale reddere non possint, licet ad alterum, nempe Deum, Religio ordinetur eique reddat debitum cultum : indeque istæ virtutes dicuntur virtutes justitiæ annexæ, seu partes illius potentiales propter quamdam affinitatem et connexionem, quam ratione objecti habent cum illâ.

§ 1. *De divisione justitiæ perfectæ in suas partes subjectivas.*

Explicatâ jam naturâ et definitione justitiæ cardinalis, nunc dividenda est in suas species. D. Thomas duas ponit subalternas, nempe generalem seu legalem et particularem. Prima dicitur generalis secundùm virtutem et influentiam, in quantum scilicet ordinat actus omnium aliarum virtutum ad suum finem, nempe ad bonum commune eas movendo per imperium : sicut charitas potest dici virtus generalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum divinum. Quia tamen charitas respicit bonum divinum tanquàm proprium objectum, ideò est specialis virtus secundùm essentiam ab aliis distincta. Ita justitia est ista spe-

cialis quædam virtus ab aliis essentialiter distincta, secundùm quòd respicit bonum commune tanquàm proprium objectum; nec dicitur generalis per prædicationem, sicut animal est generale ad hominem et equum et alia hujusmodi; ideòque non est essentialiter omnis virtus, seu idem per essentiam cum omni virtute, sed tantùm imperativè, quatenùs actus omnium virtutum possunt ad justitiam pertinere secundùm quòd ordinat hominem ad bonum commune. Et quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune, inde est quòd talis justitia dicitur legalis, quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune.

Justitia ista legalis ordinat bona singulorum civium ad bonum commune tanquàm bona partium ad bonum totius, in quo non est tam perfecta ratio alterius, sicut inter duos cives, sicque ex hâc parte non habet justitiæ rationem tam exactam, sicut habet justitia particularis; cum quo tamen stat, quòd eam excedat in ratione debiti, quæ est potissima conditio justitiæ; et aliunde est ad alterum in communi consideratum, ratioque æqualitatis propriè et perfectè in eâ invenitur, quia per illam homo reddit, quantum debet reipub. reddere secundùm legem. Unde absolutè loquendo hæc justitia perfectiorem rationem habet quàm justitia particularis. Justitia legalis residet in principe principaliter et quasi architectonicè: in subditis verò secundariò et administrativè. Est tamen una et eadem secundùm speciem in illis, eò quòd sit idem objectum formale in eis, et secundùm se non habeat magis imperare in principe quàm in subditis, sed tantùm per accidens ex parte subjecti.

Dividitur in epiikiam seu æquitatem, et in justitiam legalem strictè sumptam tanquàm in duas species infimas. Ratio hujus divisionis desumitur ex hoc quòd lex, à quâ denominatur justitia legalis, habet duplicem finem, alterum intrinsecum et immediatum, quem ipse legislator immediatè respicit; alterum extrinsecum et mediatum, sed magis principalem, quem ipse legislator principaliter et ultimatè intendit. V. g., lata est lex de non aperiendis portis civitatis tempore belli, ne hostes civitatem occupent et irruant: iste est finis intrinsecus et immediatus hujus legis, eumque immediatè et expressè verba legis præ se ferunt. Finis verò remotus, sed magis principalis est salus et incolumitas reipub. quæ ex ingressu hostium periclitaretur. Justitia legalis ut sic et in amplâ acceptione considerata, respicit indifferenter utrumque finem. Epiikia verò, sivè æquitas, respicit finem legis remotum, sed magis intentum à legislatore tanquàm proprium objectum, et prætermissis verbis ipsius legis, aliquando eam interpretatur et sequitur, secundùm quòd postulat æquitatis ratio et communis utilitas: nam salus et tranquillitas reipub. est regula et mensura, per quam judicandum est an illo tempore hostes arceri debeant, an introduci in civitatem, si inde ipsorum interneciones probabiliter sperentur. Tandem justitia legalis strictè sumpta, quam ob penuriam nominum sic appellàrunt auctores, finem legis proximum tantùm respicit, et ad ejus verba, sicut scripta sunt, rigorosè attendit. Sicque hæc justitia procurat bonum commune per regulas et leges ordinarias et præscriptas. æquitas verò seu epiikia illud procurat præter regulas communes, et per altiora principia attendit et sequitur voluntatem legislatoris, aliter interpretando quàm ejus verba sonant, in quo sanè est major difficultas quàm in alio.

Secunda species subalterna justitiæ cardinalis et perfectæ, dicitur justitia particularis, quæ scilicet ordinat hominem immediatè circa ea quæ sunt ad singularem personam. Bonum enim commune civitatis, et bonum singulare unius personæ, non differunt solùm secundùm multum et paucum, sed secundùm formalem differentiam: alia est enim ratio boni communis et boni singularis, sicut alia est ratio totius et partis; et ideò Philosophus in 1 Polit. ait quòd non benè dicitur civitatem et domum, et alia hujusmodi differre solùm multitudine et paucitate, non verò specie. Quo fit ut præter justitiam legalem, quæ immediatè respicit bonum commune, solùmque mediatè hominem ordinat ad bonum unius singularis personæ, admittenda sit alia justitia specie distincta, quæ immediatè ordinet hominem circa particularia bona quæ sunt ad alteram singularem personam, sicut oportet esse aliquas virtutes particulares, quæ ordinant hominem ad seipsum, aut in seipso.

Hæc justitia particularis subdividitur in duas species, nempe in distributivam et commutativam. Ratio hujus divisionis est, quia privata persona ad quam justitia particularis ordinatur, comparatur ad communitatem sicut pars ad totum. Potest autem ad aliquam partem duplex ordo attendi: unus quidem partis ad partem, cui similis est ordo unius privatæ personæ ad aliam, et hunc ordinem dirigit justitia commutativa, quæ consistit in his quæ mutuò fiunt inter duas personas ad invicem. Alius ordo attenditur totius ad partes, et huic assimilatur ordo ejus quod est commune ad singulas personas. Quem quidem ordinem dirigit justitia distributiva, cujus proprium est distribuere bona communia secundùm proportionalitatem: et ideò sunt duæ species justitiæ particularis, scilicet commutativa et distributiva, cujus est ordinare bonum commune ad personas particulares per distributionem; sicut è contrario ad justitiam legalem pertinet ordinare ea quæ sunt privatarum personarum in bonum commune.

Justitia distributiva et commutativa non tantùm distinguuntur secundùm unum et multa, sed etiam secundùm rationem debiti: alio enim modo debetur alicui id quod est commune, et alio modo id quod est proprium. Item medium non accipitur in illis eodem modo; nam in justitiâ distributivâ medium sumitur secundùm proportionem geometricam; eò quòd in tali justitiâ detur aliquid personæ privatæ in quantum id quod est totius, est debitum parti; quod quidem tantò majus est, quantò ipsa pars majorem habet principalitatem in communitate. Et ideò in justitiâ distributivâ, non accipitur medium secundùm æqualitatem rei ad

rem, sed secundùm proportionem rerum ad personas. Ut scilicet sicut una persona excedit aliam, ita etiam res quæ datur uni personæ, excedit rem quæ datur alteri. In justitiâ verò commutativâ medium sumitur secundùm quantitatem arithmeticam. Nam in commutationibus redditur aliquid alicui singulari personæ propter rem ejus quæ accepta est, ut maximè patet in emptione et venditione : et ideò oportet adæquare rem rei; quantò plus iste habet, quàm suum sit de eo quod est alterius, tantumdem restituat ei cujus est. Ut si ab initio uterque habeat quinque, et unus eorum accepit unum de eo quod est alterius, iste habebit sex, et alteri relinquentur quatuor : erit ergo justitia, si uterque reducatur ad medium, et accipiatur unum ab eo qui habet sex, ac detur ei qui habet quatuor. Sic enim uterque habebit quinque, eritque æqualitas secundùm arithmeticam medietatem, quæ attenditur secundùm parem quantitatis excessum, sicut quinque est medium inter sex et quatuor; nam in unitate excedit, et exceditur. Advertendum tamen quòd in actionibus et passionibus, conditio personæ facit ad quantitatem rei : major enim est injuria si percutiatur princeps, quàm si percutiatur privata persona. Et ideò conditio personæ in distributivâ justitiâ attenditur secundùm se : in commutativâ autem secundùm quòd per hoc etiam diversificatur res, seu injuria compensanda; unde solùm per accidens antecedenter et præsuppositivè respicit aliquando dignitatem personæ, ut ad æqualitatem valeat injuriam compensare. Eadem est utriusque justitiæ materia remota, nempe personæ, res, et opera; possunt enim distribui à communi in singulos, et commutari de uno in alium. Diversa verò materia proxima, videlicet actiones principales quibus utimur personis, rebus, et operibus : una siquidem justitia est directiva distributionum; alia verò commutationum quæ attendi possunt inter duas personas, quarum quædam sunt voluntariæ, et quædam involuntariæ.

Commutationes voluntariæ sunt, quando uterque actus, scilicet *dare et accipere*, fiunt animo commutandi; et aliquis voluntariè transfert rem suam in alterum. Et quidem si transferat rem suam simpliciter in alterum absque debito, sicut in donatione, non est actus justitiæ, sed liberalitatis : in tantum autem voluntaria translatio pertinet ad justitiam, in quantum ibi est aliquid de ratione debiti. Quod quidem contingit multipliciter : uno modo quando quis transfert simpliciter rem suam in alterum pro recompensatione alterius rei, sicut accidit in emptione et venditione; alio modo quando aliquis tradit rem suam alteri concedens ei usum cum debito recuperandi rem; quem si gratis concedat, vocatur usufructus in rebus quæ aliquid fructificant, vel simpliciter mutuum, in rebus quæ non fructificant, ut sunt denarii. Si verò neque ipse usus gratis conceditur, vocatur locatio et conductio. Tertio modo aliquis rem suam tradit ut recuperandam non ratione usûs, sed vel ratione conservationis, ut in deposito, vel ratione obligationis, sicut cùm quis rem suam pignori obligat, aut pro alio fide jubet. De his aliisque omnibus contractibus acturi sumus in septimo Decalogi præcepto, tract. de Restitutione in particulari.

Commutationes verò involuntariæ sunt, quando actus, nempe damnificatio, tam ex parte recipientis quàm ex parte illam inferentis, non fit animo commutandi, ut scilicet reddatur æquale, sed aliquis utitur re alterius eo invito. Et quidem si hoc faciat occultè per fraudem, est furtum : si autem manifestè per violentiam, est rapina. Si verò id præstet in personam alterius propriam, eam lædendo quantùm ad consistentiam personæ, dicitur percussio vel homicidium; si lædat quantùm ad dignitatem personæ per verba occultè, est detractio; si verò manifestè, est contumelia. Tandem si lædat in personâ conjunctâ, ut in uxore cum eâ concumbendo, est adulterium, de quibus agemus in sequentibus.

In omnibus autem hujusmodi actionibus sive voluntariis, sive involuntariis, est eadem ratio accipiendi medium secundùm æqualitatem recompensationis. Et ideò omnes istæ actiones formaliter ad unam speciem justitiæ pertinent, scilicet commutativam, utpote quæ est species infima justitiæ particularis; justumque commutativum consistit formaliter in æqualitate rei ad rem, seu actus justitiæ commutativæ est dare et reddere æquivalens quod non variatur nisi materialiter, per reddere æquivalens in tali vel tali materiâ, et per consequens justitia commutativa non diversificatur nec multiplicatur specie propter diversitatem materiæ. Item multitudo vitiorum oppositorum non est signum multitudinis virtutis oppositæ, cùm malum consurgat multifariàm, et ex quibuscumque singularibus, bonum verò tantùm ex integrâ causâ.

§ 2. *De injustitiæ naturâ et divisione.*

Postquàm D. Thomas egit de Justitiâ, 2-2, q. 58, statim tractat de Injustitiâ, q. 59, eamque dividit in injustitiam illegalem, quæ secundùm essentiam est speciale vitium, in quantum respicit speciale objectum, scilicet bonum commune quod contemnit; quantùm verò ad intentionem et influentiam, est vitium generale, quia per contemptum boni communis potest homo ad omnia peccata deduci : et in injustitiam particularem, ut dicit inæqualitatem quamdam ad alterum, prout scilicet homo vult habere plus de bonis, puta divitiis et honoribus, et minus de malis, puta laboribus et damnis. Et sic injustitia habet specialem materiam, et est particulare vitium, justitiæ particulari oppositum. Tandem cùm contrariorum eadem sit ratio, eodem ferè modo ratiocinandum est de injustitiâ, ac locuti sumus de justitiâ. Eadem quippe materia circa quam versatur justitia, est materia circa quam versatur injustitia, quamvis ratio formalis objecti debeat esse diversa et opposita.

Per se et formaliter loquendo, nullus potest injustum vel facere nolens, vel pati volens. Ratio est quia actio de suî ratione procedit ab agente : passio autem secundùm propriam rationem est ab alio. Unde non potest esse idem secundùm idem agens et patiens, ut

dicitur in 3 et 8 Physic., cap. 40; principium autem proprium agendi in hominibus est voluntas, et ideò illud propriè homo per se agit, quod volens facit. Et è contrario illud propriè homo patitur, quod præter voluntatem suam patitur, quia in quantum est volens, principium est de seipso : et ideò in quantum est hujusmodi magis est agens quàm patiens. Per accidens tamen et quasi materialiter loquendo, potest aliquis id quod est de se injustum, vel facere nolens, sicut dùm quis præter intentionem operatur, vel pati volens, sicut cùm aliquis plus alteri dat suâ voluntate, quàm debeat. Iste enim non facit propriè nec injustitiam nec inæqualitatem, quia cùm homo per suam voluntatem possideat res, non est præter proportionem vel pro positum, si aliquid ei subtrahatur de rebus exterioribus quarum est perfectè dominus, dando voluntariè cui non debet.

Dicendum ergo est quòd aliquem facere, et alium pati injustum materialiter loquendo, semper se comitantur, quia id quod est materialiter in his, attenditur secundùm id quod exterius agitur, prout in se consideratur : passio autem est effectus actionis exterioris. Sed si formaliter loquamur, potest aliquis facere injustum hoc intendens; alius tamen non patietur injustum, quia volens patietur. Et è contra potest aliquis injustum pati, si nolens patiatur id quod est injustum : at tamen ille qui hoc facit ignorans, non faciet injustum formaliter, sed materialiter tantùm, quia id quod est ibi formale et per se, attenditur secundùm voluntatem agentis et patientis, ut jam dictum est. Consensus itaque et voluntas patientis tollit rationem formalem injusti, dummodò non procedat ex ignorantiâ : talis enim consensus tunc censetur involuntarius, cùm ignorantia causet involuntarium. Item non debet oriri ex violentiâ et injustitiâ agentis : aliàs non erit omninò liber, si non procedat ex liberâ et spontaneâ voluntate ipsius patientis. Item non debet talis consensus habere aliquid admixtum involuntarii : tunc enim non aufert rationem formalem injusti, ut constat de eo qui latroni minitanti mortem, offert pecunias, ut vitam salvet. Item de mutuatario, qui fœneratori solvit usuras; hi enim et similes patiuntur formaliter injustum. Tandem non sufficit quòd utcumque sit liber consensus, sed requiritur ut respectu injustum inferentis sit etiam simpliciter liber absque ullâ admixtione involuntarii. Sic quamvis Christus Dominus simpliciter voluntariè mortem pateretur consensu orto ex obedientiâ Patris et charitate erga homines, respectu tamen Judæorum et crucifigentium, nullum habuit consensum, sed tantùm permissionem et patientissimam tolerantiam, sicque patiebatur simpliciter injustùm ab illis. Et idem de martyribus proportionabiliter dicendum. Hinc manavit istud axioma : *Scienti et liberè consentienti non fit injuria.*

Injustitia, quâ quis per se, seu ex intentione facit injustum in quàcumque materiâ, seu intendens rem, aut famam, aut honorem, aut membrum, etc., tollere, est peccatum mortale ex genere suo, quia est illativa nocumenti : omne autem nocumentum alteri illatum ex se charitati repugnat, quæ movet ad volendum bonum alterius. Item est contra justitiam, cùm semper consistat in nocumento proximi. Tandem est contra legem Dei, quia vel reducitur ad furtum, vel ad adulterium, vel ad homicidium, vel ad aliquid hujusmodi, ut patebit ex sequentibus. Injustitia verò materialiter, quâ solùm per accidens aliquis injustum facit, puta quia nec intendit offendere in aliquo proximum, nec scit per actum suum se lædere quemquam, non est peccatum mortale, nisi magnitudo nocumenti illati, aut negligentia sciendi reducat actum in naturam suæ formæ seu injustitiæ, ut si quis ex loquacitate mulierem communiter pro pudicâ habitam notabiliter in famâ lædat. Item si quis jaciendo sagittam interficiat hominem ibi existentem, quia non adhibuit omnem diligentiam suam in inquirendo an ibi esset homo qui sagittâ lædi posset : et licet ignorantia facti excuset eum qui adhibuit aliquam diligentiam ad eam vincendam prout tenebatur, non tamen quando fuit negligens. Ignorantia verò juris ordinariè non excusat, ut si quis violenter ejiciat propriâ auctoritate hominem jam olim possidentem agrum suum, quia putat licere sibi rem sibi propriam vindicare. In hujusmodi enim, actus redit in naturam injustitiæ. Quando igitur facere injustum materialiter sit peccatum mortale, et quando non, ad illud dignoscendum, oportet ex parte facientis causam pensare, et ex parte patientis quantitatem nocumenti; contingit enim ignorantiam quandoque excusare, et quandoque non.

Tandem injustitia quamvis sit ex genere suo peccatum mortale, potest tamen esse solùm veniale in individuo, vel propter imperfectionem actûs, qui non est cum plenâ deliberatione et advertentiâ, ut sunt primi motus : vel ex parvitate materiæ, ut in re minimâ. Qui enim in parvis facit injustitiam, deficit à perfectâ ratione ejus quod est justum facere, in quantum potest reputari non esse omninò contra voluntatem ejus, qui hoc patitur : puta si quis auferat alicui pomum unum, vel aliquid tale, de quo probabile sit quòd ille non lædatur, nec ei displiceat, etc.

EXPOSITIO
QUINTI PRÆCEPTI DECALOGI :

Non occides.

Nonnulli stolidè dixerunt, omnem omninò quorumcumque animalium ac brutorum occisionem, hoc præcepto fuisse vetitam, prout de Manichæis refert D. Augustinus, lib. de Hæresibus, hæresi 47, et lib. 6

contra Faustum, cap. 6 et 8; et lib. 2 de Moribus Manichæorum, cap. 14; et 15; et libro 1 de Civitate, cap. 2, quos ibidem confutat. Cùm audimus, inquit, *non occides*, non accipimus hoc dictum esse de frutetis, quia nullus eis est sensus; nec de irrationalibus animalibus, quia nullâ nobis ratione sociantur; restat ergo ut intelligamus de homine. Hunc Augustini locum refert D. Thomas, 2-2, q. 64, art. 1 in *Sed contra*, et probat quia omnia animalia sunt propter hominem, quibus utatur in usum et cibum, ex ipsâ ordinatione divinâ, quod sine ipsorum mortificatione fieri nequit. Alii extiterunt hæretici hanc prohibitionem ad omnem prorsùs hominem extendentes, ita ut nullum ex ipsis ex quàcumque causâ occidere, etiam auctoritate publicâ, esset licitum, prout refert Alphonsus à Castro libro undecimo, verbo *Occidere*. Scotus in 4 Sent. dist. 15, negat ullum hominem etiam malefactorem, auctoritate privatâ aut publicâ licitum esse occidere, nisi in certis casibus in lege veteri expressis, in quibus Deus dispensare voluit, nempe ariolos, homicidas, blasphemos, adulteram, quæ tamen in novâ lege non potest morte puniri, eò quòd Joannis 8 hujusmodi pœna à Christo Domino fuerit revocata. Hinc etiam infert non esse licitum furem diurnum suspendere, quia in Scripturâ id non exprimitur, nec bullâ speciali super hoc descendente de cœlo constat. Idemque dicendum de aliis malefactoribus.

Verùm hæc sententia ab omnibus reprobatur tanquàm falsa, periculosa, contraria bono communi, legibus justis, et consuetudinibus ubique receptis; quibus constat incendiarios, fures domesticos, patriæ proditores, læsæ majestatis reos, monetarum falsarios, milites desertores, hæreticos, aliosque similes malefactores, in illâ legis divinæ exceptione nullatenùs comprehensos, extremo supplicio justè per judicis sententiam affici. Aliàs nulla esset civibus securitas, tantòque licentiùs mali eos vexarent et grassarentur, quantò certiùs nôssent, propter hujusmodi scelera, non fore morte puniendos. Nec favet D. Aug. lib. 1 de Civit., cap. 21. Ibi enim ait : *Et ideò nequaquàm contra hoc præceptum fecerunt, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm ejus leges, hoc est, justissimæ rationis imperium, sceleratos morte puniunt.* Quando autem subdit et concludit : *His igitur exceptis, quos vel justa lex generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur;* Bannes docet 2-2, q. 64, art. 2, ad 3, D. Augustinum per legem divinam intellexisse legem naturalem, quæ est lex Dei, quæ dictat puniendos esse malefactores secundùm jura statuta, et præter hos occidi etiam posse, quos Deus speciali revelatione jusserit interfici, prout jussit Abraham occidere filium suum : et aliquando D. Augustinum appellare exceptiones hujus præcepti, quæ potiùs dicerentur explicationes. De quo magis constabit art. sequenti.

Alii sic coarctant istud præceptum : *Non occides*, supple *innocentes* Juxta illud Exod. 23 : *Innocentem et justum non occides.* Verùm hoc est falsum, quia ille qui etiam nocentem propriâ auctoritate occidit, nisi hoc faciat per accidens in suî justam defensionem cum moderamine, homicidium committit, et contra istud præceptum peccat, ut infra ostensuri sumus. Ergo non coarctatur ad innocentes. Dicendum igitur est cum D. Thomâ 1-2, q. 100, art. 8 ad 3, *quòd occisio hominis prohibetur hoc Decalogi præcepto, secundùm quòd habet rationem* INDEBITI, *seu* INJUSTI. *Sic enim præceptum continet ipsam rationem justitiæ. Lex autem humana hoc concedere non potest, quòd licitè homo indebitè occidatur; sed malefactores occidi, vel hostes reipub., hoc non est indebitum. Unde hoc non contrariatur præcepto Decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod isto præcepto prohibetur, ut August. dicit in 1 lib. de liber. Arbit., c. 4.* Hactenùs D. Thomas. Ex quo Bannes rectè infert istud præceptum esse naturale, quòd de se prohibet ea quæ sunt contra rectam rationem, proindeque omnem et solam hominis occisionem, quæ jure naturæ est indebita, et à rectâ ratione aliena. Cùm enim hujusmodi præcepta Decalogi sint veluti conclusiones deductæ ex primis juris naturalis principiis, *quod tibi fieri non vis*, etc., mensurari et explicari debent juxta rectæ rationis regulas et dictamen. Unde si alicui auferatur quod suum erat, si debitum et justum est quòd ipsum amittat, rectaque ratio dictet quòd ab eo auferatur, hoc non est furtum aut rapina, quæ Decalogi præcepto prohibentur. Similiter et Abraham, dùm consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum et rectæ rationi consonum erat occidi, per mandatum Dei, qui est Dominus vitæ et mortis.

Isto igitur præcepto, *Non occides*, omnis et sola hominis occisio prohibetur, quæ intrinsecam habet deformitatem ad rectam rationem, et à justitiâ deviat, et appellatur homicidium, quod de se intrinsecè et semper est malum, et non solùm quia prohibitum. Ad hoc autem semper est attendendum, tanquàm ad regulam generalem in hâc materiâ, non verò ad exceptiones in lege veteri factas, quæ erant potiùs interpretationes quædam juris naturalis, quas recta ratio dictabat. Vel enim illæ Dei ordinationes et concessiones de occidendis homicidis, blasphemis, erant legales et judiciales, vel naturales et morales. Si primum dicatur, cùm jam legalia cessaverint, homicidas nunc occidere non foret licitum. Si verò admittatur secundum, ergo etiam nunc licitum erit alios malefactores occidere, quando lex naturæ, rectaque ratio id exiget, nec ad Bullas imaginarias recurrendum erit.

QUÆSTIO PRIMA.

DE HOMICIDIO.

Totam hujus præcepti materiam duabus quæstionibus complectemur. Prima et principalis erit de homicidio, de quo agit D. Thomas, 2-2, q. 64, per octo articulos, quos hîc brevi explicatione et commentario perstringemus; fusiùs enim ventilantur à nobis tom. 2 de Justitiâ et Jure, q. 3, p. 2. In alterâ verò quæstione tractabimus de quibusdam aliis vitiis tam into-

rioribus quàm exterioribus ad istud præceptum reductivè pertinentibus. Ut enim ait D. Thomas, 1-2, q. 100, art. 5, ad 5, et 2-2, q. 122, art. 6, ad 2, omnia nocumenta quæ inferuntur in personam proximi comprehenduntur, ac prohiberi intelliguntur sub prohibitione homicidii, tanquàm sub principali et famosiori analogato. Neque necesse fuit Deum hujusmodi vitia prohibere speciali præcepto, prout fecit de peccato luxuriæ, et de peccato furti, eò quòd homicidium secundùm se non sit delectabile, sed horribile, cùm non habeat rationem alicujus boni concupiscibilis, sicut habet luxuria, nec boni utilis, ut habet furtum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm sit licitum occidere peccatores auctoritate publicâ.

Dico id esse licitum, imò et necessarium. Ita D. Thomas, 2-2, q. 64, et art. 2, et cum eo communiter auctores. Probat D. Thomas, 1° ex Scripturâ. Exod. 12: *Maleficos non patieris vivere.* Psalm. 100 dicebat David: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, etc. Item ad Rom. 13 de principe et judice seculari dicit Apostolus: *Dei minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time; non enim sine causâ gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei qui malum agit.*

Probat D. Thomas 2° hâc ratione: Omnis pars naturaliter est propter totum, et ad illud se habet sicut perfectum ad imperfectum, et propter hoc videmus quòd si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicujus membri, puta cùm est putridum, vel corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter et salubriter abscinditur. Atqui quælibet persona singularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum. Ergo si aliquis homo sit periculosus communitati, et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occidetur, ut bonum commune conservetur: *Modicum enim fermentum totam massam corrumpit*, ut dicitur 1 ad Corinth. 5. Idque incumbit iis quibus reipub. et boni communis cura commissa est, ut colligitur ex Apostolo ad Rom. 13, talisque malefactorum punitio est omninò necessaria ad conservationem et vitam hominum, politicam et quietam.

Probat 3° D. Thomas: Licitum est occidere bestias, ut jam ostensum est. Atqui homo, peccando, ab ordine rationis recedit, ideòque decidit à dignitate humanâ, prout scilicet homo est naturaliter liber, et propter seipsum existens, et incidit quodammodò in servitutem bestiarum, ut scilicet de ipso ordinetur, secundùm quod est utile aliis, juxta illud Psalm. 48: *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Et Prov. 11, dicitur: *Qui stultus est, serviet sapienti.* Ergo quamvis hominem in suâ dignitate manentem occidere, sit secundùm se malum, tamen hominem peccatorem occidere, potest esse bonum, sicut occidere bestiam: pejor enim est malus homo, quàm bestia, et plus nocet, ut Philosophus docet in 1 Polit. et in 7 Ethic. Hinc Dominus, Matth. 13, prohibuit extirpare zizaniam, per quam repræsentantur filii nequam, ut tritico parceretur, id est, bonis, ut ostenderet malos esse ac disponi, non propter seipsos, sed propter bonos, et salutem bonorum esse rationem quare mali non sint eradicandi de terrâ viventium Quando igitur nequeunt occidi mali, quin simul occidantur boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos sequaces, ita quòd sine bonorum periculo interfici non possunt, sinendum est eos vivere: secùs verò quando non imminet periculum bonis, sed magis tutela et salus. Ita D. Thomas hìc ad 3.

Dico secundò judices non posse licitè malefactorem condemnare ad mortem absque accusatore saltem virtuali, sine testibus, eoque non citato, nec illi loco defensionis concesso, et non servato juris ordine. Ita D. Thomas, 2-2, q. 67, art. 3, et cum eo communiter auctores.

Probatur, quia quandò judex omittit juris ordinem quoad hæc essentialia et substantialia, non procedit juridicè, neque ut jus servans et dicens. Ergo nequit hoc modo damnare ad mortem aliquem reum, etiamsi fuerit morte dignus, absque homicidii reatu. Scriptum est enim Deuteron. 16: *Justè, quod justum est, exequeris.* Hinc Cajetanus in Summâ (v. *Homicidium*) docet reos esse homicidii occidentes veneno, vel aliàs secreto de mandato dominorum, aliquem non citatum, non auditum, non damnatum, etiamsi læsæ majestatis reus diceretur. Nec excusat auctoritas principis hoc mandantis, etiamsi illi constaret quòd iste meretur mille mortes, quoniam scientia et potestas currunt pari passu, id est, quòd oportet potestatem publicam moveri à scientiâ publicâ, et secundùm illam regulari. Nec hoc est de jure positivo, ut possit princeps solutus legibus non servare, sed est juris naturalis. Exigit enim natura actûs publici (qualis est justa occisio hominis ex publicâ potestate) ut sit ex publicâ potestate et publicâ scientiâ. Alioquin causæ non sunt sibi invicem commensuratæ, quando potestas est publica, et scientia privata: nec adhibentur causæ effectui commensuratæ, dùm actio potestatis publicæ ponitur exire à scientiâ privatâ, prout contingit in nostro casu: scientia enim publica non habetur, nisi servato juris ordine. Subdit autem Cajetanus se non propterea damnare judices, qui repertos in flagranti crimine notorio (ut latrones in viis et hujusmodi) statim suspendi jubent. Siquidem ibi intervenit notorium facti loco accusatoris et testium, faciens publicam scientiam, et excitans publicam voluntatem et potestatem ad publicum actum justitiæ. Scientia quippe publica tripliciter haberi potest; scilicet vel ex propriâ rei confessione judiciali, vel ex probatione judiciali, vel ex notorio facto. Quidam tamen à reatu homicidii excusant principes id mandantes, et alios consulentes, et denique exequentes occisiones hujusmodi in quibusdam rarissimis casibus, puta dùm consuetus juris ordo servari nequit absque gravissimo publico incommodo, scandalo, seditione civili, familiæ principis infamiâ, etc. Videtur tamen quòd etiam tunc hujus facinorosi causa

secreto et absque strepitu tractanda foret ac discutienda, ut certò constaret de delicto per legitimam probationem, et conservaretur, quantùm fieri potest, ordo judicialis, omniaque christiano modo perage-rentur, ac saluti animæ rei occidendi provideretur. verùm hanc difficultatem fusiùs ventilare proderit in tractatu de Justitiâ.

Quæres primò an quandò reus morte puniendus non est in statu gratiæ, neque vult ad eam se præparare per debita pœnitentiæ remedia, judex debeat eum morte afficere, etiamsi in æternum damnatur?—Resp. quòd judex christianus curare debet quantùm potest de salute spirituali hujus hominis, et ad hunc finem aliquantulùm differre supplicii executionem, si nihil obstet in contrarium. Si tamen obstinatè in suâ impœnitentiâ perseverare velit, morte plectendus est, quia judex non attendit ad bonum ejus qui punitur, sed bono communitatis : atqui bono communi maximè adversaretur, si eo prætextu supplicium remitteretur, aut nimium differretur; daretur enim occasio scelera-tis habendi vel fingendi semper impœnitentiam, ut pœnam effugerent. Ergo debet judex istum morte punire. Ipse sibi imputet et damnationem æternam, cùm noluerit suæ saluti consulere. Ita Sotus, lib. 5 de Just., q. 1, art. 2, ad 1.

Quæres secundò an princeps aut respubl. possit cuilibet privato concedere facultatem occidendi bannitos, diffidiatos, et aliquos malefactores insignes, generaliter. — Respondeo id per se non esse licitum ante latam contra ipsos sententiam mortis condemnatoriam, ob scilicet rationem superiùs, allatam; quia jus naturale, aut saltem jus gentium non patitur quòd non citatus nec auditus prætermisso juris ordine pœnâ mortis afficiatur. Per accidens tamen aliquando multùm expedit aliquem sceleratum interimere propter damnum reipub. imminens, si non potest aliter capi, ut solito modo ac supplicio puniatur, urgetque gravissima causa. Tunc enim respub. jure defensionis naturalis, potest sibi hàc viâ consulere, cùm privatis etiam sit licitum occidere invasorem injustum, existentem in peccato mortali, ad se ab eo defendendum; quia id totum ab ipsius malitiâ provenit, quia non vult desistere à nocumentis et ad pœnitentiam converti. Sic alicubi privatis conceditur permissio occidendi bannitos aliosque sceleratos, proposito etiam præmio occisori. In quo casu, iste non occidit auctoritate privatâ, sed publicâ principis deputantis omnes ut ministros ad exequendam sententiam capitalem contra illos reos. Vide, Bannem 2-2, q. 64, art. 3. Unde tunc isti diffidiati possunt quidem fugere ne ab istis comprehendantur; nequeunt tamen eis vi resistere, præsertim cum ipsorum occisione; quia jus se isto modo defendendi per legem et justam judicis sententiam ipsis ablatum est, sicut ob hoc non est licitum reo justè ad mortem damnato resistere ministris justitiæ, aliàs daretur bellum ex utrâque parte justum, quod nullatenùs est admittendum. Ex D. Thomâ, 2-2, q. 69, art. 4.

Articulus II.

Utrùm privatæ personæ sit licitum occidere malefactores.

Divus Thomas, 2-2, q. 63, art. 3, movet istud dubium, et non loquitur de occisione factâ ab homine privato ad justam sui defensionem. De hoc enim solummodò tractat art. 7 sequenti. Concludit D. Thomas personæ privatæ non esse licitum occidere hominem peccatorem, et cum eo sentiunt communiter auctores. Probât hâc ratione : Occidere malefactorem in tantum est licitum, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis. Ergo occisio hæc ad illum solummodò pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ; sicut ad medicum pertinet præscindere membrum putridum, quandò ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Atqui cura boni communis commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem, qui soli sunt Dei ministri, et vindices gladium portantes, juxta Apostolum, non verò homines privati. Ut enim dicit D. August., lib. 1, de Civit., cap. 26, qui sine aliquâ publicâ administratione, malefactorem occiderit, velut homicida judicabitur, et tantò ampliùs, quantò sibi potestatem à Deo non concessam usurpare non timuit.

Confirmatur ex eodem D. Thomâ loco citato ad 3; quamvis enim sit licitum cuilibet privatæ personæ facere aliquid ad utilitatem communem, quod nulli nocet; si tamen sit cum nocumento alterius, hoc non debet fieri, nisi secundùm judicium ejus ad quem pertinet æstimare quid sit partibus subtrahendum, pro salute totius, qui minister est Domini vitæ et mortis; Dei scilicet qui dixit : *Mihi vindicta et ego retribuam*, à quo accepit talempotest atem, cui ordinationi, ut par est, populi communiter se submiserunt, renuntiantes vindictæ à seipsis propriâ auctoritate faciendæ, eamque petendo et expectando à publicis Dei ministris, ut sic pax et tranquillitas conservaretur, innumerisque cædibus et malis obviaretur; et per hoc constat rationem D. Thomæ esse demonstrationem, et non bonam tantùm congruentiam, ut dicit Delugo. Igitur privatâ auctoritate occidere hominem etiam malefactorem extra casum justæ defensionis, et præcisis aliis adjunctis, ut si fiat jussu Dei, sicut contigit Levitis, qui ex mandato Domini, per Moysem eis intimato, occiderunt proximos et amicos, prout legitur Exod. 32, est de se omninò illicitum, eò quòd habeat rationem aggressionis et vindictæ, quam natura personis privatis non concessit. Et meritò, cùm nemo in propriâ suâ causâ possit esse rectus judex, nemoque foret qui se ultra justum et æquum non vindicaret, passione iræ, et dolore injuriæ illatæ obcæcatus et percitus, ut contingit in plurimum. Nec ex hoc quòd homo peccator comparetur bestiis, inferri potest quòd sicut cuilibet privato licitum est occidere bestiam sylvestrem, maximè nocentem, ita etiam liceat propriâ auctoritate occidere hominem peccatorem. Nam D. Thomas hîc, ad 2, negat paritatem, quia bestia naturaliter est ab homine distincta : unde super hoc non requiritur aliquod judicium an sit occidenda, si sit syl-

vestris : si verò fuerit domestica, requireretur judicium, non propter ipsam, sed propter illius domini damnum. Atverò homo peccator non est naturaliter distinctus ab hominibus justis : et ideò indiget judicio publico, ut discernatur an sit occidendus propter communem salutem.

Objicitur primò : Marito invenienti uxorem suam in flagranti adulterio, concessum est ac proinde licitum, tunc eam occidere propriâ auctoritate, et ante sententiam judicis, ut probatur variis legibus apud Covarruviam in 4 decret., p. 2, cap. 7. § 7, et alios, qui leges id concedentes afferunt tanquàm expediens ad bonum publicum. Ergo conclusio nostra non est universaliter vera. — Resp. leges civiles id tantùm permisisse, solùmque ob justum mariti mœrorem tunc conceptum, aut quasi furorem, eidem pœnam homicidii judiciariam in foro externo remisisse : nullatenùs verò tanquàm licitum concessisse, neque eum à culpâ in foro interno eximere potuisse, prout colligitur ex causâ 33, q. 2, can. *Inter hæc*, et cap. *Admonere*, et cap. *Si quid verius*. Sicque jure canonico reprobantur, si quæ sint tales leges civiles, tanquàm injustæ ; et meritò Alexander papa VII hanc damnavit propositionem : *Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Idque etiam reprobaverat D. Thomas in 4 sent. dist. 57, q. 2, art. 1, in corp., et in additionibus ad p. 3, q. 60, art. 1.

Objic. secundò : Moyses, Exod. 12, occidit Ægyptium propriâ auctoritate, qui Hebræum vexabat : nondùm enim publicâ auctoritate fungebatur. Ergo, etc. — Resp. D. Thomas 2-2, q. 60, art. 6 ad 2, quòd Moyses videtur Ægyptium occidisse, quasi ex inspiratione divinâ auctoritatem adeptus, ut innuitur per hoc quod dicitur Actuum 7, quòd percusso Ægyptio æstimabat intelligere fratres, quoniam Dominus per manum ipsius daret salutem Israel. Vel potest dici quòd Moyses occidit Ægyptium defendendo eum qui injuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nam D. Ambros. dicit in lib. 1, c. 3 de Officiis, c. 3, quòd qui non repellit injuriam à socio, cùm potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit, et inducit exemplum Moysis. Vel potest dici cum D. Augustino, lib. 2 super Exodum, cap. 2, et lib. 2 contra Faustum, cap. 7, quòd sicut terra ante utilia semina, herbarum inutilium fertilitate laudatur, sic illud Moysis factum, vitiosum quidem fuit, sed magnæ fertilitatis signum gerebat ; in quantum scilicet erat signum virtutis ejus quâ populum liberaturus erat. Hæc D. Thomas ; et ibidem loquens de Phinee, ait quòd ex inspiratione divinâ, zelo Dei commotus, occidit filium Zambri, Num. 25, vel quia, licet nondùm esset summus sacerdos, erat tamen filius summi sacerdotis, et ad eum hoc judicium pertinebat, sicut et ad alios judices, quibus hoc erat præceptum.

Objic. tertiò : Nihil deperit veritati à quocumque dicatur, sed à quocumque accipienda est : ergo etiam nihil deperit justitiæ à quocumque justum determinetur, quod pertinet ad rationem judicii, et executioni mandetur, proindeque et à privato malefactor occidatur auctoritate propriâ, si mortem mereatur. — Respondet D. Thomas, 2-2, q. 60, art. 6, ad 1, negando paritatem, eò quòd veritatis pronuntiatio non importet compulsionem ad hoc quòd suscipiatur, sed liberum sit unicuique eam recipere, vel non recipere prout vult. Judicium verò importat quamdam impulsionem et vim coactivam, et ideò injustum est quòd aliquis judicetur ab eo qui publicam auctoritatem non habet, et quòd non ab ejus ministris de ejus mandato, sed à privatis personis propriâ auctoritate occidatur

Articulus III.

Utrùm occidere malefactores liceat clericis auctoritate publicâ fungentibus.

Divus Thomas 2-2, q. 61, art. 4, hoc non esse licitum probat duplici ratione : *Primâ quidem, quia sunt electi ad altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi occisi ; « qui cùm percuteretur, non repercutiebat », ut dicitur 1 Petri 2 ; debent autem ministri suum dominum imitari. Nec obstat quòd Deus etiam corporaliter malefactores occidat ; non enim propterea oportet quòd omnes in hoc eum imitentur. Nam Deus universaliter in omnibus operatur, quæ recta sunt ; in unoquoque tamen secundùm ejus congruentiam ; et ideò unusquisque debet Deum imitari in hoc quod sibi congruit. Secundâ, quia nunc clericis committitur ministerium novæ legis, in quâ non determinatur pœna occisionis vel mutilationis corporalis : et ideò ut sint idonei ministri novi Testamenti, à talibus abstinere debent. Nec valet dicere D. Petrum interfecisse Ananiam et Saphiram : non enim propriâ auctoritate vel manu eos occidit, sed magis divinam sententiam de eorum morte promulgavit. Neque ex hoc quòd potestas spiritualis sit major, et Deo conjunctior quàm temporalis inferri debet, quòd sicut potestati temporali licitum est occidere malefactores, multò magis sit licitum clericis. Quia eorum ministerium est in melioribus ordinatum, quàm sint corporales occisiones, scilicet in his quæ pertinent ad spiritualem salutem, et ideò eis non congruit quòd se minoribus ingerant.* Hactenùs divus Thomas.

Bannes in Commentario hujus art. probat non esse prohibitum clericis occidere malefactores jure naturæ, duplici ratione : Primâ, quia rectæ rationi nullatenùs repugnat quòd judex ecclesiasticus malefactores sibi subditos mortis supplicio afficiat, et officium justitiæ vindicativæ reipub. tam necessarium exerceat. Secundâ, quia jus naturæ semper manet unum et idem apud omnes : constat autem Exod. 32, Levitas et sacerdotes hujusmodi ministerium exercuisse ; Eliam sacerdotes Baal ; Samuelem, regem Amalec Agag occidisse, etc.

Probatur insuper hanc prohibitionem non esse introductam jure divino positivo, cùm nec in Scripturâ, neque ex Traditione habeatur. Nec refert illud Apost. 1 ad Timoth. 3 : *Oportet episcopum non percussorem esse.* Ibi enim loquitur de episcopo nondùm creato, sed creando, et describuntur virtutes et conditiones quibus gaudere debet ille qui ad episcopatum eligitur, juxta Sayrum. Verùm Apostolus ibi docet quibus do-

tibus prædiți esse debent episcopi, ostenditque debere esse episcopum *non iracundum, non vinolentum, non percussorem :* nam percussio sequitur ad iram, et ebrii de facili percutiunt. Talis itaque esse debet, qui non sit sævus objurgator, nec ad contumelias ac convicia pronus, nec linguâ feriat, nec manibus percutiat, non sæviat, nec sit asper in domesticos et subditos. Ita Chrysost. et alii Patres Græci. D. Thomas autem in argumento *Sed contra* non semper concludit, neque Scripturæ locum in sensu litterali adducit, sed juxta quamdam congruentiam, interdùm arguit in oppositum, quomodò hîc procedit ad ostendendum ex Apost. patientiam, mansuetudinem, et modestiam episcopo necessariam : ad quam perficiendam Ecclesia deinde prohibuit omnibus clericis etiam publicam potestatem temporalem ac spiritualem simul habentibus, malefactores occidere. Ita Bannes.

Itaque hujusmodi prohibitio est solùm de jure ecclesiastico antiquissimo, ut colligitur ex dist. 45, can. *Sententiam*, ne clerici vel monachi, et in tit de Clerico percussore, et introducta est ob statûs decentiam et munditiem, quæ inesse debet locis et vasis sacris, et à fortiori ministris altaris, proindeque sanguinis effusione non polluendis, et ob alias duas rationes à D. Thomâ allatas ; ideircò, concludit Bannes quòd sine urgenti necessitate non debet in hoc statuto dari dispensatio. Hinc clerici in sacris, sententiam mortis ferentes absque dispensatione aut privilegio, peccant mortaliter ; alii verò tantùm venialiter, quia cùm careant ordine sacro, nequeunt illi facere injuriam, et ideò non peccant mortaliter, sicut qui sunt in sacris : faciunt tamen contra decentiam statûs, se immiscendo in causâ sanguinis. Cùm autem papa sit supra jus ecclesiasticum, potest ob reipub. utilitatem, et gravem necessitatem dispensare clericos ad hoc ut per seipsos, licitè sibi subditos possint condemnare malefactores ad mortem, quando habent dominium temporale et spirituale. Possunt tunc, si careant tali privilegio papæ, eligere judices in suis ditionibus, eisque concedere auctoritatem condemnandi malefactores ad mortem, prout recta ratio et justitiæ leges dictabunt, ut expressè docet D. Thomas hîc, ad 3, et tenet Glossa super canones citatos. Idque jure communi ipsis competit, quia scilicet per hanc delegationem et commissionem in generali, non amittitur mansuetudo ecclesiastica. Unde etiam concionatores licitè possunt exhortari prætores et judices, ut malefactores secundùm leges puniant. Item confessarius monere potest et debet judicem suum pœnitentem in foro conscientiæ, ut justè exerceat suum officium etiam in criminalibus, eique absolutionem denegare, si notabiliter illi desit. Idem de casuistis dicendum, nempè quòd interrogati, possunt licitè aperire mentem suam, et consulere judicibus quid faciendum in generali circa causas sanguinis. Hinc inquisitores non incurrunt irregularitatem, quando hæreticos brachio seculari puniendos tradunt, quamvis certi sint, quòd inde sequetur eorum mors · debent tamen servare formam in cap. *Novimus*, de verb. Signif. præscriptam, nempe rogare judices ut benignè circa illos se gerant. Igitur non est indecens, imò necessarium, ut prælati habentes jurisdictionem temporalem, possint licitè exercere judicium sanguinis saltem per judices delegatos, ex quo id non possunt per semetipsos ; cùm ad rectam gubernationem, et reipub. tranquillitatem expediat quòd malefactores puniantur, sicut et ipse legislator, qui leges justas de malefactoribus in communi occidendis tulit, non amisit mansuetudinem, nec incurrit irregularitatem.

D. Thomas, 2-2, q. 40, art. 2, ostendit clericis et episcopis illicitum esse exercere bellum, et pugnare tum quia cùm bellica exercitia maximas habeant inquietudines retrahentes animum à contemplatione divinorum, interdicuntur clericis, sicut et negotiationes ; tum quia ut imitentur opere quod gerunt ministerio altaris in quo repræsentatur passio Christi, non competit illis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo qui, Matth. 26, Petro in personâ episcoporum et clericorum dixit : *Converte gladium tuum in vaginam*, etc. Inde meritò jure ecclesiastico prohibetur clericis exercere bellum. Causâ 22, q. 8.

Si tamen respub. in extremâ aut gravissimâ necessitate constituta foret, aut fides catholica vel Ecclesia periclitaretur, tunc licitum esset clericis in bello pugnare, quia necessitas non habet legem, et est de jure naturali quòd quisquis in his casibus pugnet pro patriâ, præsumendumque est quòd in his, si pontifex adesset, dispensaret ab eâ prohibitione ecclesiasticâ.

Articulus IV.

Utrùm licitum sit alicui occidere seipsum.

Divus Thomas, 2-2, quæst. 64, art. 5, concludit in nullo prorsùs casu licitum esse seipsum directè occidere, et cum eo conveniunt omnes auctores.

Probatur 1° ex D. Augustino, lib. de Civitate, cap. 20, ubi ait : *Restat ut de homine intelligamus, illud quod dictum est :* Non occides, *nec alterum, nec te ; neque enim aliud quàm hominem occidit, qui seipsum occidit.* Legendus est D. Augustinus à cap. 17 usque ad 27, ubi refellit rationes et causas quibus aliqui falsò existimare poterant licitum esse seipsum occidere.

Probat insuper D. Thomas triplici ratione. Primò quia scilicet vetatur isto præcepto quælibet occisio rectæ rationi repugnans. Atqui nihil magis rectæ rationi repugnat quàm seipsum occidere ; quia quælibet res seipsam amat naturaliter, se in esse conservat, et corrumpentibus resistit, quantùm potest ; ergo seipsum occidere est contra rationem et contra inclinationem naturalem, idque damnârunt etiam gentiles, Cicero lib. 1 de Officiis, et in 1 quæst. Tusc., et lib. de Somnio Scipionis. Item Aristoteles 3 Ethic., cap. 7, et lib. 5, cap. 11 et alii. Semperque est peccatum mortale, utpote semper contra legem naturalem, et contra charitatem quâ quilibet seipsum diligere debet. In quo differt ab occisione proximi, seu alterius, quæ non semper est contra rationem, ut occidere malefactores auctoritate publicâ, etc. Secundò, quia quælibet pars,

id quod est, est totius. Sed quilibet homo est pars communitatis, proindeque id quod est, communitatis est. Ergo seipsum interficiendo, injuriam illi facit, privando eam membro et parte, ut docet Arist. 5 Ethic., cap. ultimo. Hinc meritò respub. cadavera eorum qui se interimunt remittit carnifici suspendenda, deinde per vicos et plateas publicè raptanda, et tandem in sterquilinium projicienda, absque sepulturâ. Jure etiam canonico, causâ 23, q. 5, can. *Tu dixisti*, can. *Non est*, et can. *Placuit*, prohibetur ne pro istis homicidis, fiant ullæ oblationes et commemorationes, et ne cum Psalmis cadavera hæc ad sepulturam deducantur. Tertiò, quia vita est quoddam donum divinitùs homini attributum, et ejus potestati subjectum, qui occidit, et vivere facit; et ideò qui seipsum vitâ privat, in Deum peccat, sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum cujus est servus, et sicut peccat ille qui usurpat sibi judicium de re sibi non commissâ; ad solum enim Deum pertinet judicium mortis et vitæ. Deuteron. 32 : *Ego occidam, et ego vivere faciam*, et homo non est dominus suæ vitæ.

D. Thomas in resp. ad 1 argum. concludit quòd homicidium est peccatum, non solùm contra justitiam, sed etiam contra charitatem; et ex hâc parte occisio suî ipsius est peccatum contra charitatem, per comparationem ad seipsum. Per comparationem verò ad rempub. et ad Deum, habet rationem peccati etiam per oppositionem ad justitiam. Joannes à S. Thomâ multis argumentis probat istum solùm peccare contra justitiam legalem et generalem : Bannes verò hìc contendit peccare etiam contra justitiam particularem et commutativam, esseque verè homicidam, et solùm per accidens à restitutione excusari ex impossibilitate, nempe quòd ejus vita ad reipub. custodiam redire non possit, idque colligi potest exemplo servi quo utitur D. Thomas.

An verò quidam possint invincibiliter ignorare, in omnibus casibus suî occisionem directam esse lethale peccatum, affirmat Diana, tom. 8 Coord. resol. 49 et 50; negant verò Cajetanus, 2-2, q. 124, art. 5, et alii. D. Aug., lib. 7, de Civit., cap. 17, ait : *Tantò quis fit nocentior, cùm se occiderit, quantò innocentior in eâ causâ fuit, quâ se occidendum putavit.* Hinc D. Thomas hìc, ad 2 infert quòd non est licitum ob quodcumque peccatum commissum, occidere seipsum, nec etiam judicii : ille enim qui habet publicam potestatem, potest malefactorem occidere per hoc quòd potest de ipso judicare : nullus autem est judex suî ipsius. Ei tamen licet se committere judicio aliorum, et D. August., lib. 1, de Civit., cap. 17, ait : *Judas cùm se occidit, sceleratum hominem occidit : et tamen non solùm Christi, verùm etiam suæ mortis reus finivit hanc vitam, quia licet propter scelus, alio scelere suo occisus est.* Tempus salubre pœnitentiæ sibi adimit, qui hoc facit. D. Thom., ad 3. Hinc nemini licet seipsum occidere ad vitandum peccatum futurum ob timorem, scilicet ne in illud consentiat, ait D. Thomas, ad 3, quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, vel ut vitentur mala, præsertim minora, et minùs certa. Incertum enim est an aliquis in futurum consentiat in peccatum : potens est enim Deus hominem quàcumque tentatione superveniente liberare à peccato, et D. August., lib. 1, de Civit. cap. 25 et 27, id mirè reprobat. Hinc nemini licet seipsum occidere ad vitandam in se violentiam et peccatum alterius. Sic non licet mulieri, ait D. Thomas, seipsam occidere, ne ab alio corrumpatur : quia non debet in se committere crimen maximum, quod est suî ipsius occisio, et vitet minus crimen alienum. Non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit : quia non inquinatur corpus nisi de consensu mentis, ut B. Lucia dixit. Constat autem minus esse peccatum fornicationem vel adulterium, quàm homicidium, et præcipuè suî ipsius. De hoc legendus est D. August., lib. 1, de Civit., cap. 18, et c. 19, ubi factum Lucretiæ egregiè ventilat. Nec D. Hieronymus contrarium sensit, dùm super cap. 1 Jonæ ait : In persecutionibus non licet propriâ manu perire, *absque eo ubi castitas periclitatur.* Nam *τὸ absque*, hìc non dicit exceptionem et exclusionem, sed continuationem et inclusionem sicut Cant. 4 dicitur : *Absque eo quod intrinsecùs latet ;* et 2 ad Corinth. 11 : *Præter ea quæ extrinsecùs sunt*, etc. Sic enim doctores communiter D. Hieronym. interpretantur, additque Bannes quòd dùm laudat Lucretiam et similes feminas, non proponit exempla à christianis feminis imitanda, sed ad eas confundendas, quæ à levioribus commodis abstinere nolunt ad castitatis custodiam. Hinc nemini est licitum seipsum interficere ut infamias, labores, ægritudines, paupertatem, aliasque hujus vitæ miserias et ærumnas evadat; quia, ut ait D. Thomas, ultimum malorum hujus vitæ, et maximè terribile est mors, juxta Arist. in 3 Ethic., ideòque inferre sibi mortem, ad alias hujus vitæ miserias evadendas, est majus malum assumere ad minus vitandum. Subditque angelicus doctor, quòd sibi mortem inferre ad vitanda mala pœnalia, habet quidem speciem quamdam fortitudinis, propter quod quidam seipsos interfecerunt, æstimantes se fortiter agere, de quorum numero fuit Razias 2 Machab. 14; non tamen est vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi non volentis mala pœnalia sustinere, ut docet Aristot. 3 Ethic., cap. 8, D. August., lib. de Civitate, cap. 22, 23, 24 et 25.

Hinc denique infert D. Thomas non licere homini seipsum interficere, ut ad immortalem et feliciorem vitam transeat quia transitus de hâc vitâ ad aliam feliciorem, non subjacet libero hominis arbitrio, sed potestati divinæ, sicut et ejus ingressus per nativitatem, prout ponderant Lactantius, lib. 3, cap. 18, et Tullius locis citatis, et D. Aug., lib. 1 de Civit., cap. 20. Rationem hujus radicalem affert D. Thomas hìc, nempe quòd homo constituitur dominus suî ipsius per liberum arbitrium : et ideò potest de seipso disponere quantùm ad ea quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur, non tamen quantùm ad ea quæ non subjacent sub arbitrio.

Ad exempla Samsonis, Eleazaris, et quarumdam sanctarum mulierum, quæ tempore persecutionis

seipsas occiderunt, quarum memoria in Ecclesiâ celebratur, ut Pelagia, Apollonia, resp. D. Thomas hìc ad 4, ex D. Augustino, lib. 1 de Civit., cap. 21, ubi ait: *Nec Samson aliter excusatur, quòd seipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat;* et cap. 26, loquens de illis mulieribus, ait: *Si hoc fecerunt, non humanitùs deceptæ, sed divinitùs jussæ, nec errantes, sed obedientes, sicut de Samsone: aliud nobis fas non est credere.* Similiter Eleazarum speciali Dei instinctu, sese morti exposuisse, par est credere. Vel dicendum quòd nec Samson, nec Eleazar seipsos directè occiderunt et ex intentione, sed tantùm ob commune bonum et hostium ruinam, sese exposuerunt periculo, operantes virtutis actionem, ex quâ per accidens fuerunt interfecti, quod esse licitum mox ostendemus. Ut enim ait Cajetanus Judicum, cap. 16, in hujusmodi casibus, non eligitur mors propria in seipsâ, sed per se eligitur mors hostium, et concomitans propria mors toleranda admittitur, propter bonum ultionis hostium.

§ 1. *Utrùm in aliquo casu liceat seipsum indirectè occidere.*

Constat ex dictis nunquàm esse licitum directè et positivè operando ac ex intentione, seipsum interficere, ut se suspendendo, jugulando, confodiendo, comburendo, præcipitando, etc. Difficultas solùm restat an seipsum occidere indirectè, negativè, per accidens et remotè, non faciendo scilicet id quo vita conservari potest, sit etiam illicitum in omni casu.

Supponimus autem quòd nullatenùs homo propriam necem intendat, nec ad hunc finem consequendum aliquid operetur vel omittat, sed quòd sui occisio omninò remotè, solùmque per accidens sequatur ex aliquâ actione, aut omissione quam præstare vel relinquere non poterat, aut non tenebatur: ita ut neque in causâ, neque indirectè sit intenta et voluntaria ejus occisio. Tunc enim nullum erit peccatum, quia omne peccatum debet esse voluntarium. Imò quandoque erit opus laudabile et heroicæ virtutis non defendere propriam vitam, sed eam certo mortis periculo exponere, exercendo alicujus virtutis actus. Aliquando erit necessarium, et de præcepto sese mortis periculo exponere, si id ad salutem reipub. expediat. Aliquando verò solùm de consilio, propter scilicet aliorum exemplum et ædificationem: secùs verò dicendum quando sui occisio censetur voluntaria in causâ, quatenùs sequitur ex aliquâ actione vel operatione, à quâ homo poterat commodè abstinere, et tenebatur, et non fecit. Et ex istâ regulâ generali resolvi possunt omnes casus particulares qui agitari solent, et afferri possunt in hâc materiâ. Eamque insinuavit D. Thomas hìc, ad 5, ubi ait, quòd ad fortitudinem pertinet ut aliquis ab alio mortem pati non refugiat, propter bonum virtutis, et ut videt peccatum.

Hinc infertur 1° quòd ex debito officii milites justè, laudabiliterque mortis periculo sese exponunt in bello justo, et in statione periculosâ, in quâ à duce constituuntur. Item parochi sacramenta administrantes, et alii inservientes peste infectis, aut baptizantes infantem cum periculo mortis; item missionarii evangelium infidelibus annuntiantes. Item subditi se exponentes telo, quo princeps erat confodiendus, aut tabulam jam occupatam illi cedendo in naufragio, vel panem in tempore famis, et extremæ necessitatis. Item fideles coram tyranno, proprio sanguine fidem confitentes, quando per omissionem illius confessionis subtraheretur honor Deo debitus, et utilitas proximo impendenda; imò non solùm pro fidei defensione, sed etiam pro cujuscumque virtutis tutelâ, id est licitum, ut constat de D. Joanne Baptistâ, de D. Thomâ Cantuarensi, et aliis, ut probat D. Thom., 2-2, quæst. 124, art. ult.

Hinc 2° infertur injustè invasum, si prudenter existimet se esse in statu gratiæ Dei, licitè permittere posse suam occisionem potiùs quàm occidere invasorem ne damnetur, nisi foret ipse persona publica reipub. vel filiis, aut aliis multùm utilis. Ratio est, quia cùm aliquid propriâ suâ vitâ præstantius, nempe salutem spiritualem proximi, habeat pro objecto, non prodigit suam vitam, sed actum heroicum superabundantis charitatis exercet.

Hinc infertur 3° quòd si aliquis mulieri necem minitetur, nisi se violari sinât, potest illa ob bonum servandæ castitatis, potiùs necem pati quàm ei copulam permittere, quamvis ad hoc non teneatur, dùm non timet consensum in peccatum. Tunc enim merè negativè se habendo, interiùs, exteriùsque resistendo, et quantùm potest actum impediendo, non peccat; quia tamen in re tam lubricâ, et ob vehementem naturæ inclinationem, valdè periculosâ, difficillimum est non consentire, licitè potest hujusmodi periculum prævenire se defendendo ac morti exponendo. Homo verò cui tyrannus aut alius minitaretur mortem, nisi cum feminâ consentiente et paratâ copulam vetitam haberet, absolutè teneretur mortem pati potiùs, quàm venire ad actum, quia cùm activè concurrat, nequit hanc copulam absque consensu, cooperatione et peccato exercere.

Hinc infertur 4° licitum et laudabile, esse personæ privatæ propriam vitam exponere, pro vitâ corporis sui amici, aut alterius conditionis, ut docet D. Thom. in 3 sent., dist. 29, q. 15, art. 5, ad 3. Item lib. 1 de Regim. principum c. 10; et 2 2, q. 126, art. 4, ad 2; et art. 5, ad 3. Item D. Hieronym. in c. 7 Michææ. D. Ambros. lib. 5 de Officiis, c. 12. D. August. lib. de Amicitiâ, c. 10. Lactant. lib. 3 divin. Inst. c. 18; et colligitur ex Christi Domini oraculo, Joan. 15: *Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ratio est, quia tunc homo iste non vult majus bonum amico suo quàm sibi, sed solùm præfert bonum honestum amicitiæ et charitatis, propriæ vitæ corporali, majusque et præstantius illa bonum sibi eligit. Vide Sotum lib. 3 de Just., q. 1, art. 6.

Infertur 5° quòd homo ad prolongandam vitam non tenetur uti cibis exquisitis et delicatioribus, etiamsi

possit, sed sufficit quòd sumat communes, necessarios ac sufficientes ad conservationem sui individui, et decentes officiorum suorum functiones. Id enim non est se occidere, aut velle vitam minuere, sed tantùm non prolongare mediis omnibus exquisitis et extraordinariis, ad quod minimè tenetur, sicut si aliquis certò sciret, quòd in Indiâ salubriorem et clementiorem auram habendo, diutiùs viveret, non tenetur illùc se recipere. Advertunt nihilominùs Victoria, Aragonius, Lopez et alii, quòd si quis singulari inediâ, vel cibo nocivo, ut fungis, herbis crudis, etc., uteretur, cùm facilè posset vesci bonis, ita ut proprià experientià, vel peritorum medicorum sententiâ adverteret vitam brevi cessare, non excusaretur à peccato, quia hoc non esset tantùm vitam non prolongare, sed positivè tollere, nisi fortè id faceret peculiari consilio et revelatione divinâ; quo modo credendum est fundatores monachorum elegisse loca incommoda et insalubria ad monasteria ædificanda, victumque parcum et adhuc alimentorum grossiorum duntaxat usum monachis suis præscripsisse, quantùmvis inde vita abbreviaretur per accidens; solùm enim intendebant finem spiritualem, nempe carnis mortificationem, animæ profectum, et faciliorem cum Deo unionem.

Infertur 6° licitum esse assumere austeritates, pœnitentias, abstinentias, labores ex intentione domandi corpus, superandi tentationes, virtutes assequendi, et Deo pro peccatis satisfaciendi, etiamsi prævideatur vitam inde fore abbreviandam, dummodò homo id non intendat, sed tantùm permittat ob profectum spirituale, quem per se ut finem ex amore Dei intendit; quia id non est procurare vitæ abbreviationem, cùm per accidens respectu illius contingat, sed solùm non conservare et non prolongare eam, ad quod non tenetur. Inde non peccat qui majoris perfectionis desiderio, et securitatis circa salutem animæ, religionem strictiorem ingreditur, licet sciat valetudinem non ita firmam sibi futuram, et periculum brevioris vitæ incurrere. Nam si monialis ex suo monasterio exire nequeat per aliquod tempus morbis causâ, sed in eo permanere debeat, etiam cum mortis periculo, exceptis tribus casibus in bullâ B. Pii V contentis, scilicet epidemiæ, lepræ et incendii, cur non poterit novitius permanere in religione, etiam cum periculo abbreviationis vitæ? sicut miles potest non deserere stationem et licitè velle subire mortis periculum. Quòd si novitius breviùs vivat in religione ob deliciarum et melioris cibi carentiam, non ipse se interimit, sed mori tur ob naturæ suæ debilitatem et ægritudinem, quam non tenetur exquisitis et extraordinariis mediis adhibitis ex se et ex innatâ infirmitate deficientem sublevare. Fateor tamen non esse licitum pœnitentiis indiscretis abbreviare sibi notabiliter vitam; ille enim non solùm non impedit mortem, sed directè et positivè eam sibi procurat, quod est prorsùs illicitum. Circa hoc legenda est præclara D. Thomæ doctrina in 4 sent., dist. 15, q. 3, art. 1, q. 2, ad 3. Item quodlib. 5, art. 18; et 2-2, q. 141, art. 6. D. Bernard. serm. 3 de Circumcisione, D. Greg. lib. 30 Moralium.

Hinc infertur 7° Carthusianos etiam extremè decumbentes, licitè ac laudabiliter ab esu carnium perpetuò abstinere, etiam cum mortis periculo. Quia hoc non est vitam abrumpere, sed duntaxat non conservare nec protelare per omnia media exquisita ob bonum virtutis et commune illius religionis: iste autem cibus in eâ censetur alienus et extraordinarius. Undè sanctissimum istud statutum, jam per plura secula promulgatum, et ab ipsis Carthusianis religiosè observatum fuit, pluresque vixerunt usque ad perfectam senectutem corpore et animo incolumes: à D. Bernardo laudatum, ab Ecclesiâ nunquàm abrogatum, imò saltem tacitè approbatum, quatenùs ob austeram quam degunt vitam, aliis religiosis concedit transitum ad illam religionem. Miraculo incœptum narratur, quo carnes pro Carthusiano decumbente paratæ, in pisces sunt conversæ. Laudantur Ægypti deserta incolentes, qui tantùm cæpes, legumina, radices et herbas in victum adhibebant, et juxta D. Hieronymum, aliquid coctum edere, luxuriam reputabant, etiam dùm infirmabantur. Cur ergo Carthusianis perpetua à carnibus abstinentia vitio tribueretur? Quinimò Carthusianus extremè decumbens, nedùm licitè à carnibus abstinere potest, sed adhuc ad hoc sub peccato tenetur. Quotiescumque enim id quod lege humanâ præcipitur, ita conducit ad bonum commune, ut illud sit majus et præstantius, quàm propriam vitam conservare, tunc lex humana, etiam cum periculo vitæ, cives obligat, ut multis exemplis ostensum est à nobis in tract. de Legibus. Atqui conservatio vigoris disciplinæ, austerioris pœnitentiæ, et strictioris observantiæ in Carthusianis, quæ per hujusmodi carnium usum paulatim relaxaretur est majoris momenti, quàm vita Carthusiani infirmi, ut patet; ergo pro illo bono communi, tenetur subire periculum vitæ. Adde quòd non ordinariè, nec frequenter mors ex eâ abstinentiâ præcisè incurritur.

Infertur 8° quemlibet hominem teneri ad sumendum cibum saltem communem, necessarium et sufficientem ad vitæ conservationem; aliàs graviter peccaret, tum quia faceret contra inclinationem naturalem, et contra sui dilectionem naturalem, reusque homicidii foret. Unde D. Thomas, 1 p., q. 97, asserit quòd etiam Adam peccâsset si necessarium cibum non sumpsisset. Hinc etiam ægrotus et morti proximus, si possit sumere cibum cum aliquâ spe vitæ, ad hoc tenetur. Addit tamen noster Victoria in relect. de Temperantiâ, quòd si animi dejectio tanta sit, et appetitivæ virtutis tanta perturbatio et consternatio, ut nonnisi per summum laborem, et quasi cruciatum ægrotus cibum sumere valeat, jam censetur adesse quædam impossibilitas, ideòque tunc videtur à mortali excusandus, maximè ubi est exigua aut ferè nulla spes vitæ.

An autem eadem sit ratio de pharmaco ac de alimento, negat idem Victoria, quia cibus est medium à naturâ ordinatum ad vitam animalis tuendam, non verò medicina. Unde dicebat B. Agatha: *Medicinam carnalem corpori meo nunquàm exhibui;* pluresque sunt nationes, nec medico neque medicinis utentes. Homo

autem non tenetur omnia media possibilia ad vitam conservandam, sed ea duntaxat adhibere, quæ à naturâ per se sunt ad hoc ordinata. Quare aliud est mori ex defectu alimenti, aliud defectu sumptionis pharmaci. Primum est sibi mortem violentam inferre : secundum verò est tantùm mori, ex vi morbi naturaliter ingruentis, solùmque non impedire mortem aliunde imminentem, seu non prolongare vitam omnibus mediis, ad quod non tenetur homo. Si tamen haberet certitudinem moralem, quòd per pharmacum reciperet incolumitatem, eoque neglecto moreretur, non videretur tunc posse illud respuere absque gravi peccato, sicut peccaret si illud non daret alteri ægroto in pari casu. Verùm quia vix de hoc haberi potest certitudo, ideò non videntur de peccato lethali damnandi, qui in universum ab omnibus pharmacis abstinent; quamvis absolutè non sint laudandi, eò quòd Deus creaverit medicum propter necessitatem, ut ait Sapiens. Tamen propter amorem Dei, ex motivo pœnitentiæ et mortificationis in aliquibus morbis dolorosis, ut capitis, iliacis, aliisque similibus mortis periculum non inferentibus, remedia laudabiliter respuere possunt.

Infertur 9° licitum esse navigare, bella gerere, per multum tempus in studiis laborare, aliisque exercitiis, ut cursorum et similium operam dare, etiam cum periculo abbreviationis vitæ, quia hujusmodi artes sunt valdè reipublicæ necessariæ, et aliundè non adeò periculosæ, quin sit aliqua spes evadendi mortem : constat enim non omnes eas exercentes perire.

Infertur 10° non esse peccatum reo, ex motivo pœnitentiæ et expiationis criminis, se offerre judici eum quærenti ad pœnam infligendam. Id enim non est se occidere, sed solùm se manifestare, ut judex pro suo placito de eo disponat, actumque honestum et laudabilem justitiæ exerceat; nec censetur concurrere ad suam mortem, sed solùm ex bonâ causâ eam non impedire, se occultando aut fugiendo. Ob eamdem rationem reus jam damnatus ad mortem, etiamsi possit e carcere fugere, licitè tamen potest in eo remanere, quantùmvis sciat quòd ducendus est ad supplicium. Non potest tamen justè condemnari ad se trucidandum, ad sibi propinandum venenum, aut venam abscindendam, ut perdat totum sanguinem cum vitâ, etc., nec reus obedire licitè potest. Unde tunc niti debet quantùm in suâ potestate est, ut non recipiat aut deglutiat venenum, etc., ne scilicet judicis peccato cooperetur, solùmque potest passivè se habere patiendo mortem ab alio sibi inferendam.

Pro cujus majori elucidatione advertendum est in proposito esse duplex actionum genus, quarum aliæ solùm remotè disponunt ad mortem, ad quas scilicet nec proximè, nec efficienter sequitur mors, sed ad eam faciliùs patiendam conducunt, ut scalam patibuli ascendere, reponere, extendere et inclinare caput truncandum, linguam extrahere ut scindatur, etc. Aliæ verò sunt, quibus homo disponitur ad necem proximè et immediatè ac efficienter ad illam conducunt, seu sunt ipsamet occisionis causa, ut è scalâ et furcâ, fune ad collum ligato, se projicere, venenum haurire, etc. Esto igitur quòd reus per se teneatur actiones primi generis exequi, quantùm necesse est ad patiendam et permittendam suî necem : nullatenùs tamen potest licitè exequi actiones secundi generis, quia tunc censetur proximè et directè se occidere, sicut carnifex diceretur eum occidere, talia agendo : id autem omninò repugnat naturæ, ut de se patet.

§ 2. *Proponuntur quidam casus particulares, de quibus est controversia.*

Homo dupliciter peccare potest contra obligationem conservandi vitam. Primò positivè, faciendo aliquid mortis inductivum, ut si ferro se percutiat, si in ignem aut in flumen se præcipitet. Secundò negativè, seu non fugiendo mortis pericula, dùm potest, ut leonem furiosum ad eum venientem, incendium, etc. Aliquando talia pericula provenire possunt ex causis naturalibus et necessariis, ut ex incendio et inundatione aquarum, ex ferâ, etc.; tunc enim non potest expectare, et in periculum vitæ se conjicere, sed tenetur fugere si possit, aliàs censetur suæ mortis auctor. Qui enim vult causam necessariam, et ex se hîc et nunc determinatam ad talem effectum, videtur eum velle. Aliquando verò proveniunt ex causis liberis, ut si quis sciat aliquem ad necem eum quærere; et tunc non tenetur semper fugere, sed ex bonâ et gravi causâ potest quandoque patienter expectare et pati mortem; cùm enim solùm contingenter occisio sequatur à causâ liberâ, illam non fugiendo, sed tantùm permissivè se habendo respectu illius, non videtur semper velle effectum. His positis,

Quæres primò utrùm reus per sententiam damnatus ad fame moriendum, non solùm licitè possit cibos sibi oblatos comedere, sed etiam ad hoc teneatur? — Resp. affirmativè cum D. Thomâ, 2-2, q. 69, a. 4, ad 2, ubi ait quòd in isto casu cibum non sumere clanculùm oblatum, esset seipsum occidere, quod nemini licet; nec ab homicidio excusari potest eò quòd habeat justam causam non sumendi cibum, puta ad se conformandum justæ sententiæ. Non enim potest justè condemnari ut non comedat, si occultè cibos accipere valeat, quia foret contra jus naturæ, et idem esset ac illi præcipere ut seipsum occideret, quia non solùm dicitur aliquis se interimere quando ferro se occidit, sed etiam quando mediis communibus vitam non conservat. Nec aliter in hoc casu judex dicitur ipsum interimere, nisi impediendo ut comedat, solùmque huic reo præcipitur ut hoc mortis genus patiatur, dùm ipsi non ministratur cibus, prohibendo ministris, et alios impediendo ne ei alimentum conferant; qui tamen, si non fuerint justitiæ officiales, non peccant, sicut dùm adjuvant ad fugiendum è carcere. Sic laudabiliter Rues Atheniensis Cymonam patrem suum in carcere lacte proprio pavit, ne inediâ moreretur, ad quod fuerat condemnatus. Itaque conformare se justæ sententiæ judicis non est ratio sufficiens ut reus possit abstinere à cibo ut moriatur; nunquàm enim committi potest reo executio sententiæ capitalis : aut si id non

sit executio sententiæ, nec sui occisio, posset etiam innocens injustè ad fame moriendum damnatus, respuere cibos sibi oblatos, quod tamen falsum esse constat. Neque est eadem ratio de non fugiendo è carcere, quod reo licitum esse jam ostendimus, quia hoc solùm est mortem expectare ab extrinseco infligendam : at verò nullatenùs comedere est sibi inferre mortem ab intrinseco provenientem, et ex causis naturalibus ac necessariis.

Quæres secundò an licitè possit aliquis velle potiùs mortem imminentem ex aliquo morbo pati, quàm illi adhibere remedium valdè periculosum et dolorosum, v. g., ustionem aut abscissionem membri? etc. — Resp. affirmativè, quia è duobus malis, licitum est eligere quod apparet minus, quando simul ambo devitari nequeunt. Sed aliquando hujusmodi remedia sunt ipsâ morte duriora. Ergo tunc valet istud : *Non est tanto digna dolore salus*. Unde recusare tunc talem curationem, non est se occidere, sed duntaxat vitam non conservare cum tanto dispendio ac dolore, mediisque extraordinariis ac laboribus, unâque brevi morte, solummodò permissâ et nullatenùs intentâ aut procuratâ, se à pluribus tormentis et morbis liberare. Aliunde non adest certitudo moralis, quòd adhibitis hujusmodi remediis morbus curetur, vitaque conservetur ut suppono. Ergo viro privato licitum est illa respuere.

Nec ad hoc cogi potest à superiore, quando illa ustio vel abscissio membri, præcisè respicit salutem infirmi, ne scilicet moriatur, quia superiores absolutè non possunt omnia licita et honesta, sed tantùm quæ moderata et non excedunt vires aut constitutiones præcipere ; quæ verò difficillima sunt, actusque heroici, ut acerbissimos cruciatus, morte duriores pati, non cadunt sub hominis obedientiâ. Idque in præsenti casu videtur insinuare D. Thomas, 2-2, q. 65, art. 1. Adde quòd superior aut respub. non habet jus in corpora subditorum aut civium, nisi in ordine ad bonum commune. Si tamen iste infirmus esset persona publica, aut subditus foret ita necessarius communitati, ut eo mortuo, non inveniatur alius similis, et aliundè probabilis sit spes quòd per hujusmodi abscissionem, vitabit mortem, tunc propter bonum commune, maximum hunc cruciatum subire tenetur, et ad hoc à repub. vel à superiore compelli potest.

Hinc puella aut femina cancro aliove morbo in verendis et secretis partibus laborans, non tenetur admittere inspectionem ac curationem à medicis et chirurgis, quamvis licitè possit. Ratio est, quia plerùmque ob custodiam pudicitiæ ab hoc non minùs abhorrent feminæ quàm ab ipsâ morte. Deinde non tenentur admittere id cui periculum turpis motûs et carnalis delectationis inesse pôtest, satiusque tunc est dicere : *Malo mori quàm fœdari*. Hinc laudantur quidam viri graves et perfecti, calculo laborantes, qui in his partibus se tangi aut inspici ad morbi curationem omninò recusârunt, dicentes se satis vixisse, si aliud non suppeteret remedium ad vitandam mortem. Quidam tamen auctores volunt quòd si curatio hujusmodi ab obstetricibus aut aliis mulieribus adhiberi potest, tunc femina illam admittere teneatur, eò quòd cessent rationes jam adductæ.

Quæres tertiò an licitè posset aliquis sumere venenum ad experiendam virtutem theriacæ? — Resp. id non esse de facili admittendum neque consulendum, cùm sit valdè periculosum : et aliunde nulla sit necessitas, cùm tale experimentum æquè benè fieri possit in brutis : post factum tamen auctores illud excusant à mortali, si adsint hæ conditiones : Prima quòd ille qui theriacam composuit pro homine legali habeatur, probèque sciat optimam componere, eamque spectantibus peritis ac insignibus medicis solito more juxta artis præcepta confecerit. Secunda quòd priùs ac sæpiùs illius virtutis experimentum fecerit, eamque comprobaverit supra aliquod brutum. Tertia quòd tam ille qui dat, quàm qui sumit venenum, certò sciant theriacam ita efficacem esse, ut nullum prorsùs subsit mortis aut notabilis damni periculum ; si enim illi se exponeret, mortaliter peccaret.

Quæres quartò an aliquis, domo conflagrante, ut incendium et certam mortem effugiat, possit licitè è fenestrâ aut tecto altissimo se projicere, cum mortis periculo? — Resp. id esse licitum, dummodò aliqua saltem tantilla spes evadendi mortem per hanc præcipitationem appareat, quantùmvis sit periculum gravis vulneris, aut confractionis membrorum. Idque naturali instinctu faciunt animalia ; constat enim mures inde fugere, etiam cum periculo quòd extra domum conflagrantem capiantur et occidantur. Ratio est, quia tunc homo habet justissimam causam fugiendi crudelem mortem ex incendio, quod nequit facere, nisi se præcipitando è tecto, ut suppono, eamque fugam per se et directè eligit, et per accidens est respectu illius, quòd sit conjuncta cum periculo mortis.

Quæres quintò an sit licitum militibus injicere ignem in pulverem tormentarium ad evertendam turrim hostium, ex quo certum sit eos milites momento dissipandos. Item an ipsis liceat comburere naves proprias, ne in hostium manus perveniant, etiamsi certò sin perituri? — Resp. id esse licitum, dummodò sit probabilis spes quòd qui ignem injiciunt, evadant periculum et ruinam. Tunc enim ex justâ causâ boni communis ex mandato regis aut ducis se periculo possunt mortis exponere, et ita communiter fieri solet, ni fallor, in eversione turrium, et combustione navium hostilium. Item si spes modicissima sit evadendi, aliundè tamen certa sit mors ab hostibus sustinenda, poterunt vel in aliam navim se conferre, vel in mare se projicere et natare, vel tentare ea omnia ad cladem hostium, etiam cum morali periculo pereundi in illâ ruinâ communi. Imò quidam docent id esse licitum, etiam quando certum est non posse mortem vitari, dummodò directè non intendatur, sed tantùm debilitatio et clades hostium, si accedat ducis aut regis mandatum, et gravissima causa boni publici, ne scilicet integræ naves ad hostium manus perveniant, qui hujusmodi prædâ illecti, audaciores et fortiores evadent, ardentiùsque ad alias naves deprædandas advolabunt. E contra verò, si hâc prædâ careant, et ti-

meant idem illis eventurum, non audebunt sic naves ingredi. Nec militibus id licitum est facere ob alias leves causas, puta ne capti ab hostibus in servitutem redigantur, neque ad vindicandam mortem ab eis sibi inferendam, et ob alias similes rationes, quia, ut dictum est supra, non est licitum se occidere ad vitandas hujus vitæ ærumnas, et hìc adaptari potest id quod Martialis poeta de quodam dixit :

Hostem cùm fugeret, se Phaunius ipse peremit;
Dic, rogo, num furor est, ne moriare mori?

Valet tamen ad hanc actionem justificandam, si spes aliqua modica fuerit evadendi à morte, et communi periculo, vel natando, vel se constituendo priùs in loco minùs periculoso, ut jam dixi.

Quæres sextò, an qui exercent hastiludium, torneamentum, agitationes taurorum, etc., peccent mortaliter. Respondet Cajetanus in Summulà, v. *Hastiludium* (quo pro exercitatione bellicâ, aut pro solemnitate festivæ alicujus jucunditatis regiæ, armati equites duo contra se invicem currunt cum lanceis), ex suo genere peccatum mortale non esse, si verum est quod supponimus, scilicet quòd in pluribus mors aut mutilatio, aut quodcumque notabile nocumentum personæ, aut hujusmodi periculum non intervenit; quoniam actus humani, ex eo quòd ut in pluribus invenitur, judicantur, et hujusmodi ludi militares, ex hâc solâ causâ solummodò sunt perniciosi, nempe ex nocumento personali. Torneamentum (id est, ludus, quo ad virium ostentationem et audaciæ, milites multi ex condicto conveniunt et congrediuntur temerè), si sæpè mortes hominum inde proveniant, peccatum esse mortale, constat ex pernicie vitæ humanæ, sive in effectu, sive in periculo frequenti absque rationabili causâ. Unde tales ibi propterea mortui, carent ecclesiasticâ sepulturâ, etiamsi ad pœnitentiam conversi fuerint, ut canonica jura disponunt. Ita Cajet. Certum est autem ut in plurimùm inde mutilationes et cædes evenire, ideòque esse illicitum. Taurorum agitationes, eâdem regulâ sunt mensurandæ, nempe si cum probabili periculo mortis, aut gravi nocumento fiant, et ut in plurimùm mortes accidant, sunt condemnandæ : secùs si fiant eâ moderatione et cautelâ, ut prorsùs absit tale periculum. Eas sub gravibus pœnis damnavit B. Pius V in Constitutione quæ incipit, *De Salute gregis*, quam deinde Gregorius papa XIII ad instantiam Philippi III, Hispaniarum regis, moderavit quoad censuras latas contra seculares et superiores illas permittentes; intactam et immutatam nihilominùs illam reliquit quoad pœnas latas contra clericos tam regulares quàm seculares habentes beneficia ecclesiastica, vel in sacris ordinibus constitutos, quibus prohibitum fuerat, ne eisdem spectaculis intersint, sub pœnâ excommunicationis.

§ 3. *An et quando liceat seipsum mutilare.*

Mutilatio est abscissio et separatio membri à corpore, quòd ideò tunc dicitur mutilum, seu non integrum, eò quòd aliquâ suî parte sit orbatum, et dici potest particularis quædam occisio, quatenùs membrum truncatum animæ influxu, vitâque privatur.

De illâ agit D. Thomas, 2-2, q. 65, art. 1, et concludit primò, quòd cùm membrum aliquod sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum, unde disponendum est de membro corporis humani, secundùm quod expedit toti. Membrum autem humani corporis, per se quidem utile est ad bonum totius corporis : per accidens tamen contingere potest, quòd sit nocivum, puta cùm membrum putridum est totius corporis corruptivum. Ergo tunc est licitum, de voluntate ejus cujus est membrum, illud præscindere propter salutem totius corporis, quia unicuique commissa est cura propriæ salutis : et eadem est ratio, si fiat voluntate ejus, ad quem pertinet curare de salute illius qui habet membrum putridum et corruptivum. Aliter autem aliquem membro mutilare non est licitum.

Concludit secundò D. Thomas, quòd si membrum sanum fuerit, et in suâ naturali dispositione consistens, non potest præscindi absque totius corporis detrimento ab aliquâ privatâ personâ, etiam volente eo cujus est membrum; quia per hoc fit injuria communitati cujus est ipse homo, et omnes partes ejus. Unde quia ipse totus homo ordinatur tanquàm in finem à communitate, cujus est pars, potest contingere quòd abscissio membri, etsi vergat in detrimentum totius corporis, ordinetur tamen ad bonum communitatis, in quantum infertur alicui in pœnam ad cohibitionem peccatorum. Ideòque sicut per publicam potestatem aliquis licitè privatur totaliter vitâ, propter aliquas majores culpas, ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores.

Ex istis duabus conclusionibus tanquàm principiis, omnes casus particulares, in hâc materiâ occurrentes, facilè resolvi possunt. Nec valet dicere mutilationem esse contra naturam à Deo institutam, quæ exigit ut corpus hominis sit integrum membris. Respondet enim D. Thomas hìc ad 1, quòd *nihil prohibet id quod est contra particularem naturam esse secundùm naturam universalem, sicut mors et corruptio in rebus naturalibus est contra particularem naturam illius quod corrumpitur, cùm tamen sit secundùm naturam universalem. Et similiter mutilare aliquem membro, etsi sit contra naturam particularem corporis ejus qui mutilatur, est tamen secundùm naturalem rationem in comparatione ad bonum commune.* Hactenùs D. Thomas. Nomine autem membri, quidam intelligunt partem hominis, quæ habet officium per se distinctum ab aliis partibus, et est quasi integrum instrumentum proximius alicujus actionis, ut oculus visionis, per deambulationis, idque colligunt ex Aristotele, lib. de Animalibus; et ex Apostolo 1 ad Corinth. 12. Cajetanus verò, Sotus et alii existimant inter membra computandas esse partes non solùm quæ habent actum separatim, sed etiam quæ habent conjunctim, aliisque opem ferunt, ut patet de testiculis quibus carentes eunuchi inter mutilos reponuntur, dist. 55 de Corporibus vitiatis, quia sufficit ut sit pars sodalis et accessoria, satisque est ut specialem habeat cooperationem ad officium membri principalis; hinc auricula et digitus sunt verè mem-

brum, secùs verò pars digiti. Infertur primò, non esse licitum homini seipsum mutilare, quando membrum est sanum, nec aliunde per accidens nocivum, quia sicut non est dominus suî, ita nec suarum partium, cùm homo sit omnes suæ partes simul. Si tamen habens manum aut pedem ligatum, invaderetur à ferâ, vel ab hoste, aut ab incendio cum imminenti periculo vitæ, quod aliter evadere nequit nisi per fugam, et sui membri abscissionem, tunc licitè se mutilare posset, quia licet non sit dominus suî ipsius et membrorum, est tamen administrator et gubernator illorum. Ideòque dùm abscissio alicujus membri necessaria foret ad vitæ conservationem, illud separare et truncare potest, cùm partes ordinari debeant ad totum, et consequenter bono totius postponi. Quando autem D. Thomas dicit non esse licitum abscindere membrum, quando est sanum, loquitur de corpore extra istas angustias, et in plenâ incolumitate constituto, neque hoc et similes casus comprehendere voluit, et quos recta ratio dictat licitos esse.

An autem quis licitè possit se mutilare, dùm hostis aut tyrannus id jubet, eique necem minatur, nisi pedem sibi abscindat, quidam affirmant : potest enim quis sibi eruere unum oculum ne alter duos eruat. Sic naturâ duce, castor dentibus sibi genitalia amputat, eaque venatoribus relinquit, ut illâ prædâ contenti, à persequendo desistant, et hujus membri jacturâ vitam propriam conservet et redimat. Sic etiam Josephus lib. 3 de Bello Judaïco, cap. 27, refert quòd, jubente imperatore, ipse sibi lævam amputavit, ut aliam retinere posset. Nec faciendum est hîc discrimen, an illa dependentia vitæ et salutis totius corporis ab abscissione membri, proveniat ex causâ naturali, ut quia cancer membrum invasit, aut vipera momordit : an ex violentiâ et voluntate alterius, aut ex aliâ causâ extrinsecâ. Utrobique enim est par ratio, nec id est peccato tyranni cooperari, sed potiùs volenti majus malum et scelus inferre, minus peccatum consulere. Tandem omnes concedunt, quòd si aliquis ligatus detinetur in carcere, et non potest mortem injustam à tyranno inferendam evadere, nisi abscindendo sibi manum quâ catenatus est, fugiat, potest eam sibi amputare. Ergo idem facere potest in nostro casu; parùm enim refert quòd abscissio illa necessaria sit ex præcepto et intentione tyranni, vel præter illius intentionem, cùm in utroque casu necessaria sit ad fugiendam mortem, et recta ratio, prudensque membrorum administratio, ad vitam tuendam illam dictat in utroque casu.

Alii verò negant, quia dùm confractio et abscissio membri est necessaria ad vitandam mortem imminentem à ferâ, aut ab incendio, etc., tunc eligitur minus malum ad vitandum majus, et aliunde hoc non est cooperari peccato alterius, prout contigit dùm quis obedit tyranno præcipienti, ex cujus malitiâ mutilatio hic et nunc solummodò est necessaria ad vitandum majus malum, totum ab ejus iniquâ intentione proveniens : indeque non est faciendum minus malum ad vitandum majus, neque consulendum. Alii tandem hoc limitant in casu, quo tyrannus intenderet per hanc mutilationem injuriam facere naturæ rationali, et creatori, in ejus scilicet contemptum, aut odium fideï in præcipiendo. Tunc enim non posset homo absque peccato illi obedire, etiam ad vitam conservandam, ut de se patet. Si verò tyrannus non eo animo, sed ex crudelitate, aliove simili motivo procedat, tunc homo sibi membrum abscindendo, non peccat, et probant rationes pro primâ sententiâ adductæ. Infertur secundò, quòd licet per publicam potestatem possit reus mutilari, non potest tamen condemnari ad exequendam illam sententiam, amputando sibi membrum sanum. Id enim nimis crudele et inhumanum foret ac contra naturalem inclinationem. Unde judex id præcipiendo peccaret, similiter et reus illi obediendo ejusque peccato cooperando. Infertur tertiò ex D. Thomâ hîc, ad 3, quòd membrum non est præscindendum propter salutem corporalem totius, nisi quando aliter subveniri non potest toti ; saluti autem spirituali semper potest aliter subveniri, quàm per membri præcisionem, quia peccatum subjacet voluntati. Et ideò in nullo casu licitum est membrum præscindere propter quodcumque peccatum vitandum, neque ad virtutem exercendam. Porrò factum D. Marci Eremitæ, qui sibi ex humilitate, ne sacris initiaretur, pollicem amputavit, si vera sit historia, non est laude dignum, solùmque excusari potest, si ex Dei speciali impulsu et revelatione id egerit. Neque alius etiam de ejus voluntate licitè potest alicui amputare membrum sanum ob hunc finem, quia per hoc fit injuria communitati. Infertur quartò ex eodem D. Thomâ ibidem, non esse licitum castrare seipsum, neque permittere se ab alio castrari, etiam absque vitæ periculo, ad faciliùs carnis tentationes vincendas, ad securiùs cum feminis, quarum curam spiritualem aliquis habet conservandum, citatque D. Chrysost. sic exponentem illud Matth. 10 : *Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum*, non per membrorum abscissionem, sed malarum cogitationum interemptionem. Maledictioni enim est obnoxius qui membrum abscindit. Etenim qui homicidæ sunt, talia præsumunt. Et postea subdit : Neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior. Aliunde enim habet fontes sperma quod in nobis est, et præcipuè à proposito incontinenti et mente negligente : nec ita abscissio membri comprimit tentationes ut cogitationis frenum. Hactenùs D. Thomas. Idem docent D. Ambros., lib. de Viduis, cap. 13. D. August. lib. 6 contra Julianum, cap. 14. D. Basilius, lib. de verâ Virginitate, et Epist. 87 ad Simpliciam. Idemque prohibent decreta ecclesiastica can. 22 Apostolorum : *Si quis abscindit*, dist. 55, can. *Significavit*, de Corp. vitiato ; can. *Qui partem*, et can. primo concilii Nicæni, cui videtur occasionem dedisse Leontius presbyter, cui cùm fuisset interdicta habitatio suspecta cum feminâ nomine Eulaliâ ab Eustachio Antiocheno antistite, virilia sibi amputâsse fertur, ut ab eâ non recederet consuetudine ; verùm tanquàm duplici reus crimine, fuit ab illo depositus. Item Origenis eviratio ob eumdem finem facta, tanquàm facinus ab Ecclesiâ im-

probata fuit, etsi zelo fecisset Dei, sed non secundùm scientiam, ut ait D. Hieronymus.

Ex quo à fortiori colligitur nullatenùs licitam esse evirationem ad vocis suavitatem conservandam, quâ quis sibi lucrum comparare possit, aut ad fidelitatem circa feminas servandas in aliquo principum palatio, vel ob alias similes causas et utilitates. Infertur denique solummodò ad vitam et totius corporis salutem conservandam, licitam esse evirationem et membri abscissionem, quando scilicet non potest ei aliter subveniri. Tunc enim aliquis in istâ ægritudine et angustiâ constitutus, non solùm permittere potest tale membrum sibi ab alio amputari, sed etiam potest ipsemet illud sibi abscindere, si periti chirurgi, aut alterius copiam non haberet, et periculum esset in morâ, neque suppeteret alia via evadendi mortem. Ratio est, quia hoc rectæ rationi ac prudenti administrationi et gubernationi membrorum congruit. An autem quilibet teneatur abscissionem cum ingenti cruciatu pati ad servandam vitam, dictum est in § præcedenti.

Articulus V.

Utrùm liceat in aliquo casu interficere innocentem.

Supponimus ex D. Thomâ, 2-2, q. 64, art. 6, quòd Deus habet dominium mortis et vitæ. Ejus enim ordinatione moriuntur et peccatores et justi. Et ideò ille qui mandato Dei occidit innocentem, talis non peccat, sicut nec Deus, cujus est executor, et ostenditur Deum timere, ejus mandatis obediens, prout fecit Abraham, dùm perrexit ad occidendum filium suum Isaac. De hoc non procedit præsens difficultas, sed solummodò de justitiâ humanâ, an possit in aliquo casu interficere innocentem, re et judicio existimatum talem. Dico : In nullo casu licitum est per se directâ intentione innocentes occidere, benè tamen aliquando indirectè, per accidens et præter intentionem. Ita D. Thomas loco citato, et communiter auctores. Probat D. Thomas ex illo Dei mandato Exodi 23 : *Insontem et justum non occides ;* probat insuper ratione, ex hoc quòd aliquis homo dupliciter considerari potest : uno modo secundùm se, alio modo per comparationem ad aliud. Secundùm se quidem considerando hominem, nullum occidere licet, quia in quolibet etiam peccatore, debemus amare naturam quam Deus fecit, quæ per occisionem corrumpitur ; sed occisio peccatoris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur, ut supra dictum est. Vita autem justorum est conservativa et promotiva boni communis, quia ipsi sunt principalior pars multitudinis : et ideò nullo modo licet occidere innocentem.

Dices 1° : Licitum est abscindere membrum, quando saluti totius corporis humani expediens erit, eò quòd ordinetur ad bonum totius. Atqui similiter innocens est pars reipub. et ad eam ordinatur tanquàm imperfectum ad perfectum. Ergo licitum est illum directè occidere, quando bono communitatis id expedierit. — Respondeo esse maximam differentiam inter hominem innocentem et membrum, eò quòd manus, v. g., naturaliter non est propter seipsam, sed propter totum. At verò homo ex naturâ suâ est aliquid totum in se, immediatè ordinabile in finem beatitudinis, habetque solùm rationem partis secundùm conversationem humanam, et communem convictum politicum. Hinc fit quòd quamdiù non peccat contra leges, nequit respub. illum directè vitâ privare, etiamsi ex illius nece sequatur reip. salus ; quantùmvis manum sanam et integram liceat amputare pro totius corporis salute, ad quam duntaxat ordinantur omnia membra seorsim, nec habent utilitatem propriam, quæ intendi debeat, neque de se sunt capacia injuriæ, et quasi despoticè gubernantur ab homine. Cùm tamen respub. solùm politicè regat cives, et illorum vitæ dominium non habeat, ita ut possit de illis ad libitum disponere in suam utilitatem, inde non potest occidere civem in suâ hominis dignitate manentem, quatenùs scilicet non se redegit per peccatum ad conditionem bestiarum et servorum, ut possit de ejus vitâ disponere, sed remanet liber et per seipsum existens.

Dices 2° : Licitum est reipubl. occidere hominem innocentem peste infectum, tanquàm membrum putridum, ne scilicet alios inficiat. Respondet Bannes quòd nullâ ratione id est licitum, eò quòd iste homo nullam adhuc propter infirmitatem illam incurrat culpam. Ipse tamen tenetur ex charitate et ex justitiâ se ab aliis separare, et cavere eorum infectionem, et potest respub. id ei præcipere ; quod si non fecerit, et periculum infectionis inde immineat, tunc licitè potest respub. in pœnam peccati illum occidere, prout magis constabit ex dicendis.

Dices 3° : Tantò majus videtur esse peccatum quod committitur in proximum, quantò gravius infertur damnum ei in quem peccatur. Atqui occisio plus nocet peccatori quàm innocenti, qui de miseriâ hujus vitæ ad cœlestem gloriam transit per mortem. Ergo cùm liceat in aliquo casu occidere peccatorem, multò magis licebit occidere innocentem vel justum. Resp. D. Thomas hîc, ad 2, quòd in pensandâ gravitate peccati magis est considerandum id quod est per se, quàm id quod est per accidens. Unde ille qui justum occidit gravius peccat quàm ille qui occidit peccatorem. Primò quidem, quia nocet ei quem plus diligere debet : et ita magis contra charitatem agit. Secundò, quia injuriam infert ei qui est minùs dignus, et ita magis contra justitiam agit. Tertiò, quia privat communitatem majori bono. Quartò, quia magis Deum contemnit, juxta illud Lucæ 10 : *Qui vos spernit, me spernit.* Quòd autem justus occisus ad gloriam perducatur à Deo, per accidens se habet ad occisionem.

Ex dictis colligitur neque esse licitum occidere eum, qui in præsenti est innocens ; prudenter tamen et probabiliter timetur ac vehementer quòd postea in futurum erit reipub. hostis valdè noxius. *Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona,* et ut vitentur alia mala ; et ne quidem Deus actu punit hominem pro peccato futuro. Neque justum est ac rationi consonum, mediis illicitis providere bono communi ; et in

præsenti casu aliis viis occurri potest malo quod timetur, scilicet exilio, custodiâ, observatione diligenti, bonâ instructione, etc. Inde non est licitum infantes Turcarum occidere, etiamsi timendum sit quòd adulti effecti, contra Christianos pugnabunt. Potest quidem Deus utpote vitæ et mortis dominus, pro peccatis parentum innocentes eorum filios morte plectere, et è converso; id tamen non conceditur justitiæ humanæ, cùm non habeat illorum vitæ dominium, ut docent D. August. in 7 caput; Josue, cap. 8; et D. Thomas, 2-2, quæst. 87, art. 8, nisi filii imitentur pravos mores, et sequantur peccata parentum. In quo sensu duntaxat intelligi debet Scriptura Exodi 20, et Matth. 23. Solùmque potest justitia humana filios innocentes privare honoribus, bonisque temporalibus, in exilium mittere, ob peccata parentum. Idemque repetit D. Thomas, 2-2, q. 108, art. 4, ad 1.

Probatur secunda pars nostræ conclusionis, nempè quòd indirectè, per accidens, et præter intentionem, ex gravissimâ causâ, dando operam rei licitæ ac necessariæ, licitum sit occidere innocentes, quando aliter vitari nequit ipsorum mors : etenim nemo jure suo utens, alteri censetur injuriam facere, ut fert commune axioma. Atqui aliquando mors innocentum contingit ex aliquâ actione, quam homo jure suo facit, nec eam omittere tenetur. Ergo tunc mors innocentis illi non imputatur.

Sic in bello justo directè intenditur victoria et nocentum internecio, ex quâ per accidens occiduntur etiam innocentes, qui cum illis sunt permixti et discerni nequeunt; nec tenentur milites abstinere ab evertendis turribus, expugnandis urbibus, aut domibus incendendis, ne simul pueri et innocentes, qui ibi reperiuntur, pereant; aliàs victoriam non obtinerent, neque bono communi reipub. consulerent. Neque tunc moraliter et in ordine ad actionem humanam, innocentum mors illis imputatur, dummodò illam non intendant, neque ut finem, neque ut medium. Unde si filios hostium obsessorum haberent in suis castris, eos occidere non possent, ut per hoc cogerent parentes ad urbem reddendam pro filiis à nece liberandis, quia tunc directè intenderent innocentum necem tanquàm medium ad hunc finem, quod non est licitum. Solùmque possunt velle causam, nempe urbis expugnationem, non propter conjunctionem quam habet cum tali effectu, nempe occisionem innocentum; sed cum alio, nempe nocentum necem, quos aliter lædere non possunt, ad quod per accidens se habet quòd sit connexa cum innocentum clade.

Sic invasus ab injusto aggressore, qui se infante tanquàm clypeo protegit, si non possit vitam suam tueri, nec se defendere etiam cum moderamine, nisi feriendo infantem, potest ad necessariam vitæ suæ defensionem percutere illum, gladium directè vibrando in aggressorem injustum, esto quòd per accidens et præter intentionem, illo ictu simul lædatur infans ipso invito interpositus, propter scilicet localem conjunctionem ibidem repertus. Nequit tamen infantem priùs et directè impetere, ut illo occiso et sublato, altero ictu aggressorem feriat, utpote quia mors innocentis non potest intendi tanquàm medium, cùm tunc directè eligatur et ametur propter utilitatem, quam habet ad finem volitum.

Sic quidam docent quòd ille qui equo fugit hostem insequentem ad occidendum, nec potest aliter mortem vitare quàm currendo per iter angustum aut angulum, in quo jacet infans aut claudus, quem equi pedibus proteret, debet quidem omnem diligentiam et curam adhibere, ne illi noceat, declinando à viâ rectâ per aliam partem; et si id fieri non possit ergere debet calcaribus equum, ut per saltum relinquat infantem intactum, vel alia media adhibere, quæ in illâ necessitate et celeritate occurrent. Iis tamen adhibitis, non tenetur sistere, sed licitè cursum prosequi potest ad salvandam vitam, quando aliunde extrema necessitas spiritualis infantis, puta si nondùm sit baptizatus, non obstat. Ratio est, quia tunc occisio innocentis contingit per accidens et omninò præter intentionem agentis, qui ordinat illum cursum ad salvandam vitam, per viam communem, ad quod jus habet velletque ibi non reperiri infantem.

Alii verò, etsi concedant posse istum excusari, quando intervenit dubium an ex illo cursu infans sit occidendus, cùm tunc non teneatur certæ morti se tradere ad vitandam alterius incertam, si tamen certè sciat inevitabilem prorsùs esse innocentis mortem, nec habere spem tantillam ipsum salvandi, tunc cum illâ morali certitudine, negant excusari posse ab homicidio, etiamsi præter ejus intentionem contingat, quia isti innocentes nullatenùs sunt injusti invasores. Aliunde habent jus ad locum communem, et sunt in possessione illius viæ; sicut illicitum est extremè indigenti auferre panem quem jam assecutus est, vel tabulam quâ extremè indiget ad vitandum naufragium, etiamsi qui auferre tentat, in eâdem extremâ necessitate sit constitutus, ob parem rationem.

§ UNICUS. *In quo resolvuntur aliqui casus controversi et difficiles circa indirectam innocentum occisionem.*

Quæres primò, an sit licitum innocentem tradere tyranno urbis excidium minitanti, nisi illum tradant ad occidendum, sicut olim Atheniensium hostis petebat Demosthenem? — Respondeo circa hunc casum metaphysicum, varias esse sententias, ut fusè ostenditur in tractatu de Justitiâ, quas nunc sub brevitate transcurrimus.

Prima affirmat id esse licitum, quia tunc respub. habet jus ad abscindendum membrum illud propter incolumitatem et salutem totius corporis, ne scilicet tota gens pereat, cùm et homo membrum etiam sanum pro salute et vitâ sui corporis abscindere valeat. Insuper talis innocentis traditio non est intrinsecè mala, nec est eum occidere; aliàs ne quidem ipsi innocenti foret licita. Sed ex eâ solùm per accidens consequitur ejus mors ab extrinseco, nempe ex tyranni malitiâ, et nihil aliud est quàm innocentem exponere certissimo mortis periculo ob bonum commune, se defendendo isto modo contra tyrannum, quo-

modò cùm urbs obsidetur, exponuntur cives ad illius defensionem, illorumque vita postponitur bono communi.

Secunda sententia negat licitum esse tradere innocentem tyranno ad occidendum directè et immediatè, quia hoc idem esset ac ipsum directè occidere, et cooperari malitiæ tyranni, eique ministrare in re turpi, quod in nullo casu est licitum; aliàs Pilati et Judæorum facinus occidendo Christum propter metum Romanorum posset excusari. Deinde talis innocens habet jus se defendendi contra tyrannum, et contra omnes qui ejus malitiæ cooperantur et ministrant; proinde et contra rempub., quæ proinde jus non habet ipsum directè tradendi in manus tyranni, aliàs daretur bellum ex utràque parte per se justum, nisi tunc innocens vellet juri suo renuntiare. Non enim respub. habet dominium despoticum supra vitam civium, sicut habet homo supra corporis sui membra, prout jam dictum est.

Tertia docet in hoc casu rempub. non posse huic innocenti præcipere, ut ipsemet se tyranno tradat, neque eum teneri, imò nec posse licitè ire ad tyrannum, ut ab eo occidatur. Ratio est, quia hujusmodi traditio vel est intrinsecè mala, vel non. Si primum dicatur, nequit ab innocente exerceri, sicut nec à repub. præcipi. Si verò dicatur secundum, tunc sicut ob hoc potest innocens se tradere ob boni communis defensionem, idem etiam à reipub. fieri immediatè poterit, quia tenetur assumere media non mala, sed licita ab bonum commune tuendum, quod eodem modo procuratur et intenditur, ac ab innocente seipsum immediatè tradente.

Quarta asserit tunc innocentem teneri seipsum tyranno tradere, idque rempub. ipsi præcipere posse, qui si facere renuerit, hoc ipso nocens efficitur, et consequenter respub. acquirit jus illum morte plectendi, et multò magis tyranno tradendi. Quia ex charitate saltem tenetur propriam vitam communi civium cladi postponere, postquàm respub. adhibitis omnibus mediis licitis non potuit aliâ viâ quàm ejus morte se liberare, et cum Jonâ prophetâ dicere: *Tollite me, et mittite in mare; scio enim quòd propter me venit hæc grandis tempestas super vos.* Incipit enim tunc esse causa moralis ruinæ urbis. Ideòque respub. potest hoc ei præcipere, æquè benè ac si civis foret in extremâ necessitate constitutus, et unum panem solummodò haberet, posset eum cogere ad panem dandum principi in eâdem extremâ necessitate constituto, etiamsi si fame moriturus esset; et quotidiè præcipitur militibus, ut maneant in statione periculosâ, et loco in quo certa mors illis imminet, pœnaque capitis imponitur, si mandatum transgrediantur. His positis,

Pro verâ sententiâ dico rempub. ad has angustias redactam, licitè posse deserere hunc innocentem, seu illum non defendere, et non impedire quin capiatur à satellitibus ad hoc à tyranno missis, imò et portas civitatis ipsis aperire, aut innocentem foràs expellere. Ratio est, quia etsi respub. per se et ordinariè loquendo, teneatur cives suos à grassatoribus defendere ac protegere, per accidens tamen, quando inde ruina boni communis imminet, ut contingit in nostro casu, non tenetur cum tanto periculo, sed potest illos certæ mortis periculo exponere, neque ad eam protectionem cives etiam innocentes jus habent, ut constat exemplis adductis. Ille autem innocens in nostro casu sic derelictus et expositus, laudabiliter potest non fugere, nec se defendere, sed velle mortem pati et expectare: tunc enim cessat obligatio præcepti naturæ conservandi vitam, ob ruinam communem. Sicut dùm percutitur caput, manus se exponit obtruncationi ad ejus malum avertendum. Et martyres Christi è carcere exire nolebant, etiamsi commodè possent, expectantes ibi mortem pro fidei defensione subeundam. An autem tunc innocens iste licitè fugere possit, vitamque salvare, quidam affirmant, ex hoc quòd jure naturæ jus habet ad vitam conservandam. Alii verò negant, quia tunc nedùm cessat obligatio præcepti conservandi vitam, sed adhuc urget aliud præceptum strictiùs obligans, nempe conservandi bonum commune, quod proprio est præferendum; et addunt quòd si ad tyrannum placandum hoc minimè sufficeret, teneretur etiam, ad illum animosè pergere, et cum eo aut suis satellitibus pugnare, vitamque suam certo mortis periculo exponere pro Reipub. salute, prout dictum est de militibus.

Quæres secundò, utrùm judex inferior non solùm licitè possit, sed etiam teneatur ad mortem damnare eum quem scientiâ privatâ novit innocentem esse, et reverà talis est, qui tamen secundùm allegata et probata in judicio, convincitur esse reus?

Respondet D. Thomas hîc, ad 2, quòd judex, si scit aliquem esse innocentem, qui falsis testibus convincitur, debet diligentiùs examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem nec hoc potest, non peccat secundùm allegata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem: minister autem judicis, si sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire: aliàs excusarentur carnifices, qui martyres occiderunt. Si verò non contineat manifestam injustitiam, non peccat præceptum exequendo: quia ipse non habet discutere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed judex cui ministerium exhibet.

Et fusiùs probat, 2-2, q. 67, art. 2, tum ex DD Ambrosio et August., qui dicunt judicem bonum nihil ex arbitrio suo facere, sed secundùm leges et jura pronuntiare; tum ratione efficaci, quia judicare pertinet ad judicem, secundùm quòd fungitur publicâ potestate: et ideò debet informari in judicio, non secundùm hoc quod ipse novit, sed secundùm id quod sibi innotescit, tanquàm personæ publicæ. Hoc autem sibi innotescit, et in communi, et in particulari. In communi quidem per leges publicas, vel divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet. In particulari autem negotio aliquo, per instrumenta et testes, et alia hujusmodi legitima docu-

menta, quæ debet sequi in judicando magis, quàm id quod ipse novit tanquàm privata persona. Ex quo tamen adjuvari potest, ut districtiùs discutiat probationes inductas, ut possit earum defectum investigare; quòd si eas non possit de jure repellere, debet, prout dictum est, eas in judicando sequi. Hactenùs divus Thomas. Sentit igitur S. doctor, quòd judex debet quidem tunc omnem curam adhibere, omniaque media tentare ad infirmandam et repellendam accusationem, tum examinando et rejiciendo testes, vel quia sunt ignoti, vel infames, vel urgendo de circumstantiis loci, temporis, aliisque, ut possit dissidentes invenire: tum dissimulando, differendo, et sinendo reum è carcere secretò fugere, si absque incommodo et scandalo fieri possit; tum remittendo judicium ad supremum judicem, et coram illo testificando quòd hujus hominis innocentiam probè novit, ut ipse faciat, quod postea voluerit.

Si autem omnibus tentatis, nequeat eum liberare, quidam dicunt quòd debet coram populo asserere veritatem, et innocentiam illius, quam novit, probare. Alii dicunt quòd officio suo potiùs renuntiare debet, quàm illum condemnare. Verùm cùm judex utatur jure suo, nulli facit injuriam, nec proinde officio renuntiare, damnumque reportare ad cavendum alterius damnum, quod ipse non dat, obligatur. Igitur in nostro casu, si judex ad instantiam partis aut populi, et ad vitandum scandalum, aliasve ob causas et circumstantias abstinere nequeat à judicando, et sententiam proferendo, tunc sive in criminalibus, sive in civilibus, non solùm potest, sed etiam tenetur in conscientiâ, judicare secundùm allegata et probata, ac mutilationis aut mortis pœnâ condemnare hunc hominem, qui secundùm leges et probationes convincitur eam mereri, quantùmvis privatâ scientiâ, certò cognoscat esse innocentem. Ita D. Thomas omnesque ejus discipuli, et innumeri alii auctores insignes extranei.

Ista conclusio demonstratur ratione D. Thomæ jam allatâ. Actus enim publicus, qualis est condemnatio juridica, sive in criminalibus, sive in civilibus, per se habere debet causas publicas, nempe personam, potestatem et scientiam, seu notitiam publicam: non enim judex agit tanquàm persona privata, sed publica, fungens auctoritate publicâ, cui tanquàm concausæ connexæ, correspondet solummodò notitia publica. Hujusmodi autem scientia facti in aliquo particulari negotio publica, non habetur nisi per processum, per instrumenta, per testes et allegata ac probata, sicut scientia publica juris habetur per leges publicas. Ergo ut ritè suo officio publico fungatur, potest, imò tenetur secundùm hujusmodi causas publicas judicare tam in criminalibus quàm in civilibus. Confirmatur. Dùm iudex in nostro casu condemnat reum, quem scientiâ privatâ novit innocentem, aut committit injustitiam, aut non: si dicatur primum, tunc nec etiam in civilibus posset hoc modo judicare, quia committeret injustitiam. Si verò dicatur secundum, habemus intentum. Sicut enim judex propter commune bonum, potest civem privare bono temporali, ita et vitâ, quando in facto probatur juridicè nocens. Et in hoc casu respub. habet jus non solùm in bona fortunæ, sed etiam supra vitam illius hominis, bonumque commune præferendum est particulari. Neque judex sic judicando, contra conscientiam suam agit, quod nunquàm est licitum, sed agit contra scientiam suam privatam et speculativam de innocentiâ hujus hominis, rectèque judicat hìc et nunc tanquàm persona publica morte condemnandum esse, ex hoc quòd in judicio legitimis probationibus convincatur de crimine, proindeque non agit contra conscientiam, utpote quæ in judicio practico consistit; et sic procedit judex: Mihi ex officio consurgit obligatio judicandi secundùm allegata et probata. Atqui iste homo pro reo ex illis habetur, proindeque juxta leges est morte plectendus; ergo debeo illum condemnare. Ut enim rectè ait D. Thomas hìc, ad 4, homo in his quæ ad propriam personam pertinent, debet informare conscientiam suam ex propriâ scientiâ; sed in his quæ pertinent ad publicam potestatem, debet formare conscientiam suam, secundùm ea quæ in publico judicio sciri possunt, etc.

Dices 1°: Si judex scientiâ privatâ sciret aliquam legem iniquam esse, non posset secundùm illam judicare, etiamsi à pluribus probaretur esse justam. Ergo Neque in nostro casu potest condemnare, etc. Resp.: Neg. conseq. et paritatem. Tum quia bonitas legis non pendet à judicio hominum iniquorum aut ignorantium, sed ex hoc quòd lata est ab habente auctoritatem, et est conformis æquitati et legi naturæ: atverò veritas facti in judicio pendet ex illius notorietate et ex testium probationibus. Tum quia judex potest facilè et publicè demonstrare iniquitatem legis: secùs verò falsitatem facti, dùm per instrumenta publica probatur et verificatur, ut contingit in nostro casu, nam per ejus scientiam privatam, nequit haberi publica et juridica probatio.

Dices 2°: Medium non debet eligi quando contrariatur fini intento; sic prudens medicus non adhibet medicinam, quam certò scit esse infirmo noxiam, quantùmcumque alii medici probent esse utilem. Ergo prudens judex testium probationes, quas scit pervertere veritatem, respuere debet. Resp. quòd ut judex prudenter agat, et teneatur istud medium adhibere, sufficit quòd omninò requiratur et conducat ad manifestandam juridicè veritatem, quantùm in judicio publico manifestari potest et debet, non verò secundùm quòd est à parte rei et in se, cùm hoc non sit semper necessarium nec possibile, indeque innumera orirentur inconvenientia. Nec exemplum medici est ad propositum. Curatio enim per se solùm ordinatur hìc et nunc ad salutem hujus infirmi: sententia verò judicis ordinatur ad pacem et tranquillitatem reipub., quæ exigit ut in judiciis unicuique tribuatur jus suum secundùm allegata et probata.

Dices 3°: Ex nostris principiis facilè excusari posse Pilati facinus condemnantis Christum ad mortem contra propriam notitiam quam habebat de ejus innocentiâ, ob scilicet allegata et probata à Judæis contra ipsum. Resp. iudicium Pilati fuisse iniquissimum, ut

ostensum est in tractatu de Justitiâ, et insuper quia Christi innocentia omnibus erat manifestissima, sicut et malitia Judæorum, nihil prorsùs nisi mendacia et contradictiones apertas proferentium, quas proindè Pilatus facilè per juridicam exceptionem à testificando repellere poterat et debebat; et non, utpote partes et accusatores, admittere tanquàm testes. Adde quòd Pilatus, non ex Judæorum probationibus Christum condemnavit, sed ex timore humano, ne scilicet displicere Cæsari, et in crimen transivit alienum, relinquendo judicium proprium. Tandem nostra sententia probari potest ex hoc quòd judex nequeat condemnare eum quem certò novit privatâ scientiâ esse reum, quem ipse vidit patrantem homicidium; qui tamen probatur innocens in judicio per allegata et probata, aut per propriam confessionem secretam et extrajudicialem, ut habetur in can. *Sacerdos*, de officio ordinarii; et de jure naturali ac divino statuitur ut *in ore duorum vel trium stet omne verbum*, ob scilicet rationem à nobis allatam.

Quæres tertiò utrùm licitum sit matri gravidæ infirmæ sumere, aut præbere pharmacum ad sanitatem recuperandam, aut mortem vitandam, tendens ad ejectionem fœtûs et abortum. Abortus est ejectio fœtûs inanimati aut animati cum quâdam violentiâ ex utero matris ante tempus debitum. Fœtûs informis et inanimati abortio non est quidem homicidium propriè et physicè loquendo, cùm nondùm sit completè homo. Morali tamen æstimatione censetur esse homicidium, et ad illud accedit, atque hoc quinto Decalogi præcepto prohibetur, quando directè intenditur, aut studiosè et voluntariè procuratur, quia quantùm in se est ad hoc tendit ut tollat vitam hominis jam inchoatam, sicque occiditur homo, non qui talis adhuc est actualiter, sed qui generabatur. *Non enim refert*, inquit Tertullianus, lib. 9 Apolog., *natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, et qui est futurus. Etiam fructus omnis jam in semine est.* Porrò ex medicorum consensu ac rationibus invictis, item ex Aristot., lib. 9 de Animalibus, ex D. Thomâ in 3 sent., q. 5, art. 5, constat fœtum animâ rationali animatum esse longè ante tempus nativitatis suæ, idque supponunt utrumque jus civile et canonicum, dùm tantas pro abortu fœtûs animati imponunt pœnas : meritòque Innocentius XI hanc propositionem damnavit : *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in utero est, carere animâ rationali; et tunc primùm incipere eamdem habere cùm paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Idque reprobatur ex Script. Jeremiæ 1, qui sanctificatus fuit in utero matris, sicut et Joannes Baptista, et Exodi 21 : *Qui percusserit mulierem prægnantem*, etc. Ex quibus colligitur in nullo casu licitum esse abortum de industriâ et ex intentione procurare, sive fœtus fuerit animatus, sive non. Ita Tertull. in Apolog. Minutius Felix in Octavio, Lanctantius, lib. 5, cap. 20 divinar. Institut. D. Ambros., lib. 5 in Hexameron., cap. 18. D. Aug., lib. 1 de Nuptiis, c. 15, et serm. 244 de Temp. D. Hieronym. Epist. 22 ad Eustochium, cap. 5, D. Thomas in 4 sent., dist. 31.

Abortum tanquàm ingens facinus reprobârunt canones, extra de Homicidio, cap. *Si aliquis*. Item jus civile ff. de Pœnis. L. *Si quis aliquid*, et ff. de Sicariis ad L. *Corneliam*, et ad L. *Pompeiam*, de Parricidiis. L. *Divus*. L. *Necare*, ff. de Liberis agnoscendis. L. *Si mulierem*, ff. de Lege Aquil., ubi imponitur mortis pœna. Item pontifices Sixtus Papa V in suâ Constitutione quæ incipit *Effrenatam*, imponit irregularitatis pœnas aliasque graves, et Gregorius Papa XIV id confirmat, quando fœtus fuerit animatus, cætera verò in Bullâ Sixti V contenta, reducit ad juris communis terminos. In suâ Constit. *Sedes Apostolica*, istud peccatum est reservatum ordinariis. Imò quidam sentiunt quòd confessarius debet esse ad hoc specialiter deputatus, habereque in particulari facultatem ab excommunicatione, et ab hoc casu absolvendi, quando fœtus est animatus. Tandem Innocentius Papa XI damnavit hanc propositionem : *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella devrehensa gravida occidatur, aut infametur.* Censetur autem fœtus animatus circa diem quadragesimum, si fuerit masculus : circa verò octogesimum, si sit femina, in dubio autem an sit femina, præsumitur animatus post diem à conceptione quadragesimum, juxta praxim sanctæ Pœnitentiariæ Romanæ.

Probatur ratione. Non est licitum directè velle pollutionem procurare, neque eam intendere, sive tanquàm finem, sive tanquàm medium ad sanitatem, etc., prout ostensuri sumus in sexto Decalogi præcepto. Ergo à pari, imò et à fortiori nunquàm est licitum procurare directè et ex intentione abortum, etiam quando fœtus nondùm est animatus. Prob. conseq. : Non minùs est de se intrinsecè malum ac rationi repugnans, imò magis est contra naturam, prodigere ac perdere semen virile, jam in matricem receptum, commixtum cum muliebri semine, coagulatum, etc., quàm simpliciter semen effundere per pollutionem, quia tunc propinquiùs ad propagationem speciei, et ad naturam humanam accedit, cùm sit inchoativè proximè futurus homo. Ergo si pollutio sit ita de se intrinsecè mala, ut in nullo casu licitum sit eam ex intentione procurare, eò quòd natura seminis effusionem solummodò ordinaverit ad propagationem speciei, et non ad salutem individui : à fortiori in omni casu illicitum erit procurare directè abortum, fœtu etiam nondùm animato, cùm sit magis contra naturæ finem, magisque contrarietur propagationi speciei. Unde D. Thomas in 4 Sent., dist. 31, dicit *esse grave peccatum, et inter maleficia deputandum, et contra naturam, quia etiam bestiæ fœtus expectant.* Hinc non est licitum præbere matri gravidæ infirmæ pharmacum tanquàm medium ad procurandum sanitatem illius per abortum; id est, si aliter non conducat ad sanitatem aut vitam matris, nisi quatenùs expellit fœtum etiam inanimatum, dare non licet; eò quòd tunc etiam directè intendatur abortus, non quidem per se, sed propter alium finem, ut scilicet sequatur effectus sanitatis matris, quem aliter consequi non posset.

Quando igitur fœtus nondùm est animatus potest

matri infirmæ præberi pharmacum utile ad ejus sanitatem aut vitam tuendam, quæ in sumptione hujus remedii per se et directè solummodò intendi debet, absque tamen probabili periculo abortûs et intentione eum procurandi, etiam indirectè; sed si casu inde proveniat, id totum per accidens et præter intentionem contingat. Sicut est licitum infirmis sumere remedium ad pravos humores expellendos utile, et curandum morbum, ex quo per accidens ac præter intentionem expellitur etiam semen, et obtinetur sanitas aliunde. In istis enim casibus abortio et pollutio non censentur procuratæ et voluntariæ, sed tantùm permissæ istis infirmis jure suo utentibus. Talia remedia possunt esse benigna purgatio, fortè etiam venæ sectio modica, et alia quæ non tendunt ad nocendum fœtui, aut expulsioni seminis, nisi remotè et negativè, purgando scilicet pravos humores.

Major autem est difficultas quando fœtus est animatus, tunc enim occiditur homo innocens, quod nec etiam potestati publicæ licitum est. Quidam volunt eodem modo ratiocinandum esse, ac de fœtu nondùm animato, nempe adhiberi posse remedium ex quo solùm per accidens et præter intentionem sequatur abortus, quando non suppetit alia via conservandi vitam matris. Alii negant, quia hominis innocentis occisio honestari nequit ex periculo vitæ matris, cùm *non* sint *facienda mala, ut eveniant bona*, et D. Ambrosius, lib. 3 de Officiis, cap. 9, rectè dixerit : *Si aliter subveniri non possit, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvare, quàm alterum gravari.* Quando igitur probabiliter timetur periculum abortûs, inde etiam solùm per accidens et præter intentionem secuturi, non est licitum præbere matri tale remedium, etiamsi de se non sit mortiferum sed dubium (1).

Verùm quidquid sit de hoc, quod in variis casibus et circumstantiis hìc et nunc in facti contingentiâ occurrentibus diversimodè determinari potest, nempe si non adhibito isto remedio probabile esset utrumque moriturum; si matre moriente, fœtus quoque periret, et utriusque salus esset desperata, etc.; item quid-

(1) Illa quæstio, sicut præcedentes, solvitur ope principiorum de cooperatione : scilicet administratio remedii quod directè et immediatè alium habet effectum præter fœtûs abortum, est per se actus indifferens; igitur poni poterit quoties omnibus attentis bonus effectus censebitur compensare malum : tum enim bonus, qui est curatio matris, solus ab agente intenditur, et malus, seu ejectio prolis, sequitur per accidens præter intentionem; è contra ab illâ remedii administratione abstinendum erit, si prævaleat malus effectus. Hinc fluunt pleraque consectaria quæ Mayol admittit : sic licebit administratio remedii, si nulla spes affulgeat prolem baptizandi, nam salus matris ad minùs tanti est quàm salus temporalis et momentanea prolis, imò magis præponderat; illicitum erit, si spes probabilis affulgeat baptizandi prolem; salus enim æterna illius evidenter prævalet vitæ temporali matris... Hæc ratiocinandi methodus plurimùm inservit ad solvendos multos casus qui in hâc materiâ occurrent; hæc tria semper attendantur, an actus ponendus sit per se indifferens; an duo effectus bonus et malus æquè immediatè et probabiliter sequantur; tandem an bonus quem solum agens intendit prævaleat malo aut saltem illum compenset.

quid sit, an comparando præcisè mortem corporalem matris, aut ejus periculum, cum filii morte etiam corporali, licitum sit aut non, eam alteri præferre; omnes tamen conveniunt quòd si de salute spirituali filii sit periculum, tunc nulla est comparatio facienda. In casu itaque quo medici probabilem haberent spem fore ut matre cum suæ vitæ periculo, non sumente tale pharmacum, fœtus animatus in lucem prodire posset vivus ut baptizaretur : è contra eo adhibito, absque baptismate moreretur, tunc ab eo sumendo, mater omninò abstinere tenetur, quia infans est in extremâ necessitate animæ salutis, à quâ nequit se liberare, sed mater tenetur illi succurrere ordine charitatis postponendo suam vitam corporalem saluti spirituali filii, qui ejus curæ est commissus. Sicut teneretur sacerdos puerum in extremâ salutis spiritualis necessitate constitutum baptizare, dùm non est alius à quo possit baptizari, etiam cum propriæ vitæ periculo.

Si ex medicorum judicio, aliove indicio credatur matre mortuâ adhuc infantem vivere, secandus est ejus uterus, ut infans baptizetur; imò eâ adhuc in extremis agente, et desperatâ sanitate, os ejus tenendum est apertum, si id deserviat ad impediendum ne infans suffocetur. An autem liceat ejus uterum secare dùm adhuc vivit, ad hunc finem ut infans educatur et baptizetur, alii affirmant, imò et ad hoc patiendum eam teneri volunt, quando aliter infans educi nequit, ob scilicet rationem mox allatam. Aliis verò hoc durissimum videtur, quia scindere matrem, est innocentem directè ac positivè occidere, aut mortem accelerare, quod est per se malum, neque ob bonum finem baptizandi infantem, cohonestari potest. Quamvis enim lege charitatis teneamur vitam corporalem, pro salute spirituali proximi, periculo exponere, non tamen cum tanto cruciatu, ac tam horrendâ morte. Unde videtur quòd tunc divinæ ordinationi circa pueri salutem standum foret, ne fortè etiam mater aliunde ex morbi dolore cruciata, et mortis imminentis honore turbata, his additis extremis cruciatibus, præ impatientiâ et desperatione vitam spiritualem cum corporali perdat.

An autem id sit licitum, saltem quando mater jam ob sua delicta à judice capite damnata fuit, et interim cum prædicto periculo ægrotat, et an possit judex hanc ei pœnam uteri incisionis imponere, supponunt auctores quòd dùm femina rea gravida condemnatur ad mortem, differenda est sententiæ executio, donec pepererit, ut habetur in lege, et communiter observatur ab ipsis etiam tyrannis Christianorum persecutoribus. Baron. enim ad annum 205, narrat de B. Felicitate, quòd cùm esset in carcere prægnans, ne post sociorum certamina, suum ob hoc diù expectare cogeretur, fusis ad Deum precibus maturitatem partûs octavo mense impetravit. Cùm autem instantis dolore partûs vehementiùs augeretur, quidam insultans dixit ei : Quomodò cras mortem feres, quæ ita perturbaris dùm parturis? cui illa respondit : *Naturæ debitas pœnas naturali tantùm virtute ægrè sustineo; quæ autem cras pietatis causâ subire cogar, quantùmvis inmania, superabit gratia divina.*

Hoc supposito, ad casum propositum resp. quidam non esse licitum Cæsareâ incisione illius feminæ partum prævenire, ut educto et baptizato infante, mater subeat mortis sententiam, quia talis sectio non potest non valdè nocere fœtui, vixque tunc extraheretur vivus. Alii verò affirmativè respondent, maximè si major sit spes, quòd hâc viâ proles baptizari possit, quàm quòd mortuâ matre supervivere valeat, ut baptizetur. Quia tunc servatur justitia, nec fit contra jus, neque injuria infertur matri, quam judex legitimè potest suo jure, eo mortis genere punire. Nec tunc purè et simpliciter occiditur ad extrahendum infantem, sed ad ejus crimina debitâ pœnâ plectenda, ex quâ occasione procurari potest etiam bonum proli; quod tamen cum periti medici consilio, et experti chirurgi operatione, et servato juris ordine fieri debet.

Ex dictis infertur, quòd qui mulierem percutit gravidam, aut cum eâ concumbens cum agitatione nimiâ, nullâque moderatione ac cautelâ adhibitâ, ne sequatur abortus, peccat mortaliter ob probabile periculum illius. Si tamen non intendat eum procurare, etiamsi prævidisset, si inde oriatur abortus, non videtur incidere in censuras à Sixto Papâ V latas, quia studiose et de industriâ illum non quæsivit. Item femina gravida peccat mortaliter, quæ saltando, laborando nimisque se agitando, aliudve faciendo, exponit se gravi periculo abortûs. Item si per latam culpam negligens fuerit in eo cavendo, non caret culpâ mortali tunc aboriendo.

Infertur etiam nullatenùs licitum esse feminæ sumere, aut præbere potionem ad sterilitatem procurandam, ut colligitur ex cap. *Si aliquis*, extra de Homicidio, et habetur in Pœnitentiali Romano, tit. de Homicidio, cap. 32. Item ex Bullâ Sixti Papæ V, *Effrenatam*, in quâ talia facientes gravibus censuris, variisque pœnis plectuntur et tanquàm homicidæ reputantur. Item ex D. August., lib. 1 de Nuptiis et Concup., cap. 15; ex D. Hieronym., Epist. 22 ad Eustochium. Ratio est, quia cùm penitùs obstet conceptioni prolis, est contra intentum ac ordinem naturæ, et finem copulæ, nulloque bono motivo cohonestari potest. Unde sive mater consueverit prolem morbidam vel mortuam parere, sive experta fuerit se vitæ discrimen pariendo subituram, aut quia nimis arcta habet foramina, aut quia præ uteri angustiâ prolem ferre non potest, et aliâ causâ, id non licet, sanè si quoties contravenitur modo naturali concubitûs; ut ex naturâ facti, generatio sequi non valeat, peccatum lethale committatur contra naturam, eò quòd virile semen frustretur fine, ad quem natura ipsum destinavit. Non minùs erit peccatum mortale, per petitionem sterilitatis semen fine propagationis privare, quàm per talem concubitum, aut per pollutionem, ut de se constat.

Articulus VI.

Utrùm liceat occidere aliquem se defendendo.

Divus Thomas hîc, art. 7, concludit licitum esse vitam suam defendere contra injustum aggressorem, quia secundùm omnia jura, vim vi repellere licet, dummodò invasus servet moderamen inculpatæ tutelæ, et nullomodò intendat occisionem, neque ut finem, neque ut medium ad defendendam vitam propriam, nec ipsum præveniat, sed duntaxat in actuali conflictu vim repellat, adhibeatque omnes conditiones ad justam sui defensionem requisitas, ex quarum explicatione et penetratione tota hæc materia pendet, ideòque sunt priùs à nobis sigillatim explicandæ.

Quinam censeatur injustus aggressor? — Omnis ille qui auctoritate privatâ aliquem invadit ad eum occidendum, censetur injustus aggressor; et quidem si ex proposito, cum plenâ libertate et advertentiâ id faciat, dicitur aggressor injustus formaliter, cujuscumque gradûs et conditionis fuerit, sive superior, sive subditus, sive clericus, sive religiosus, sive pater, sive filius, sive invasus dederit causam culpabilem aggrediendi, sive non. Si verò alium aggrediatur absque sufficienti libertate et notitiâ, ut si sit ebrius aut amens, aut puer, aut ignorantiâ invincibili laborans, putet alium esse occidendum, tunc dicitur aggressor injustus solùm materialiter, quia etsi non peccet invadendo, infert tamen realiter damnum indebitum, vel saltem modo indebito, sicque non censetur habere jus vitam suam retinendi cum invasi occisione, neque illi auferre jus quod habet ad vitam suam defendendam contra quemlibet invasorem, etiam cum occisione illius, quando ad hoc nulla alia suppetit via, et tunc ferè perinde se habet, ac si invaderetur à ferâ. Si tamen invasus fugere potest, aut alio modo se tueri, quàm ipsum occidendo, tenetur id facere.

In quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ. — Moderamen inculpatæ tutelæ consistit in hoc quòd injustè invasus nihil plus faciat quàm quod sufficit ac præcisè requiritur ad justam et necessariam vitæ suæ defensionem et conservationem, nec utatur majori violentiâ quàm oportet, ut se defendat; alioquin excessus foret illicitus, quia tunc non esset propriè vim vi repellere et se defendere, sed potiùs aggredi, et vim inferre, quod non licet. Ita ut si invasus percutiendo aut vulnerando leviter aggressorem, possit sufficienter avertere malum quod timet, aut fugâ non ignominiosâ, aut objiciendo aliquod obstaculum parietis, ostii, aut cujusvis alterius rei, quâ hostiles ictus arceat, tenetur hujusmodi media adhibere. Nec potest aggressorem graviter vulnerare, nec plura ei vulnera inferre, si damnum sufficienter per unum avertere valeat; multòque minùs illum interficere licet. Item juxta aliquos auctores, ad hoc moderamen requiritur paritas in armis aut saltem, quòd non interveniat disproportio notabilis, qualis censetur esse, si aggressor pugno tantùm invaderet, et invasus ense illum impeteret. Verùm per accidens contingere potest aliquem armis indigere, ut se defendat ab aliquo potentiori aggressore inermi. Quis enim dicat puerum aut debilem non posse ferro uti ad se defendendum contra gigantem, qui manibus valet eos suffocare si velit, aut in flumen projicere? Non est hîc semper attendenda armorum proportio, sed necessitas se justè et sufficienter defendendi.

Qualis debeat esse intentio invasi, dùm se defendit?

— Docet D. Thomas, *nullatenùs tunc licitum esse invaso directè intendere injusti invasoris occisionem, nec tanquàm finem et objectum suæ voluntatis, quia sic foret homicida. Nec tanquàm medium ordinatum hîc et nunc ad suî conservationem.* In hoc enim art. 7, dicit S. doctor, *licere alicui se defendendo, invadentem occidere, quia potest non intendere invadentis occisionem. Nihil enim prohibet unius actûs esse duos effectus, quorum alter sit in intentione, alius verò sit præter intentionem*, etc., *nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quàm vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non licet nisi publicâ auctoritate propter bonum commune, illicitum est quòd homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad suî defensionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes, et in ministro judicis pugnante contra latrones, quamvis etiam isti peccent, si privatâ libidine moveantur.* Hæc D. Thomas. Ergo censet illicitum prorsùs esse privatæ personæ privatâ auctoritate fungenti, eligere velle et intendere occisionem aggressoris tanquàm medium ad vitæ suæ defensionem, cùm id sit tantùm concessum militibus ac judicibus auctoritate publicâ fungentibus ad boni communis defensionem, quibus plus in hâc parte licet quàm privatis, ut art. 3 ostendit D. Thomas, dicens, quòd occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis : et ideò ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ. Ergo nunquàm est licitum privatis personis, occisionem malefactoris intendere, et eam assumere, etiam tanquàm medium ad bonum proprium, vitæque suæ conservationem.

Confirmatur : D. Thomas dicit illicitum esse quòd homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem, qui hoc refert ad bonum publicum. Atqui intendere occisionem hominis ut finem, nemini licet, nec etiam habenti publicam auctoritatem; ut enim licita sit et honesta, ordinari debet ad bonum publicum, quod privatis non est concessum, sed personis tantùm publicis, quibus cura communitatis est commissa. Ergo occisio hominis à nemine intendi potest ut finis sistendo in eâ; proindeque quando D. Thomas concedit personis publicis intendere occisionem malefactoris, idque denegat privatis, loquitur præcisè de intentione circa medium, et nullatenùs circa finem. Nec unquàm dixit quòd occisio hominis sit medium licitum privatæ personæ, ad conservationem vitæ, sed quòd ipsa defensio est medium ad conservationem vitæ, et quòd ipsa occisio aggressoris est tantùm effectus per accidens et præter intentionem consecutus.

Quapropter effectus ille nullâ ratione dici potest moralis et voluntarius ipsi se defendenti, nec directè, ut patet, neque indirectè; quia non tenetur illum effectum vitare, dùm se defendit cum moderamine. Sicut medicus præbendo potionem infirmo, intendit quidem sanitatem : nullatenùs verò ejus debilitatem tanquàm effectum consequentem, quamvis eam prævideat, sed tantùm permittit illam vel negligit propter majus bonum, etiamsi mallet ægrotum curare, sine illâ, si posset. Idem dicendum in proposito de invaso occidente injustum aggressorem. Solùmque debet intendere actum suî defensivum, quatenùs est vitæ suæ conservativus : non verò quatenùs habet pro effectu occisionem invasoris; qui tamen non habet necessariò consequi ex vitæ defensione. Si enim dùm ego defendo vitam meam, ipse aggressor se separet, non sequitur occisio illius : atverò si persistat adhuc, et ego me non possim aliter defendere, tunc necessariò ex suppositione consequitur occisio aggressoris, non ex ipsâ defensione, ut est operatio se defendentis, volita et moralis; sicque respectu illius dici debet effectus per accidens.

Unde tunc idem actus materialiter est suî defensio et alterius occisio. Defensio est bona, eò quòd se teneat ex parte injustè invasi, et consideretur tanquàm medium proportionatum fini, nempe vitæ conservationi. Occisio verò est mala, et se tenet respectu aggressoris, quia non invadere debebat, aut se ab eo periculo subtrahere : ideòque censetur ei voluntaria indirectè. Cæterùm ille qui se defendit est quidem causa physica hujus occisionis, nullatenùs verò moralis; effectus enim qui non intenditur, sed præter intentionem agentis, et consequenter per accidens solùm contingit, agens non censetur causa moralis, etiamsi talis effectus physicè ab eo procedat. Sicque in genere moris, mors ista est defensio, non verò occisio respectu invasi.

Duo autem documenta affert Bannes ad judicandum quinam dicantur effectus per accidens, et in quo casu teneatur homo relinquere actionem aliàs bonam, ne inde consequatur malum. Primum est quando actio bona secundùm se (ex quâ sequitur aliquis effectus secundùm se illicitus vel nocens alteri) est tamen mihi necessaria ad conservationem illius, ad quod habeo jus. Et tunc mihi licitum est, in illâ bonâ actione perseverare; dummodò effectus ille per accidens consecutus non sit notabiliter noxius bono communi, et multò magis licitum erit perseverare in illâ actione, quando est promotiva boni communis. Hoc documentum verificatur in actione defensionis propriæ vitæ, ad quam sequitur occisio aggressoris, et in sumptione medicinæ, ad quam sequitur per accidens ebrietas, vel effusio seminis. Verificatur etiam in bello justo, quando milites occidunt per accidens innocentes. Secundum est, quando illa actio quæ bona est, aut certè non mala secundùm se, tamen non est mihi necessaria, sed potiùs parùm utilis, et si ab eâ cessem, parùm aut nihil nocumenti mihi accidit, ex aliâ verò parte sequitur aliquod grave nocumentum proximo, tunc teneor ex charitate ab eâ actione cessare, vel etiam ex justitiâ; v. g., si quis animi recreandi gratiâ, velit jaculari dùm videat hominem transeuntem, et nihilominùs jaculetur et occidat hominem : occisio illa non potest dici effectus per accidens, et præter

intentionem jaculantis, sed censetur ei indirectè volita occisio illa, eò quòd tenebatur abstinere ab illâ actione, ex quâ parùm aut nihil damni reportatur, quamvis aliàs haberet jus et potestatem jaculandi.

Solida hæc D. Thomæ doctrina quibusdam recentioribus apparet nimis scrupulosa, dura, impossibilis in actuali conflictu. Fragilitas quippe humana nullatenùs permittit invaso hujusmodi abstractionem metaphysicam facere, instante tunc urgentissimo vitæ periculo. Verùm nullatenùs deserenda est veritas neque justitia, propter difficultatem et arduitatem, quæ secum affert in praxi, aliàs mandata Dei et Ecclesiæ, aut principum statuta, non obligarent. Eâdemque ratione non teneretur invasus servare moderamen inculpatæ tutelæ se defendendo; difficillimum quippe est, quòd tunc insurgente iræ motu, ac livore vindictæ, non majori vi utatur quàm oportet, taliterque se possideat, ut non excedat. Tandem tentatio urgens et subita non permittit invaso difficilem hanc deliberationem et abstractionem metaphysicam facere, nempe sibi licitum esse intendere occisionem aggressoris solummodò tanquàm medium aut effectum connexum cum suâ defensione, nullatenùs verò tanquàm finem; et tamen adversarii concedunt ad id teneri. Ergo istud adversariorum fundamentum non est solidum. Adde facilius videri quòd invasus solummodò intendat suî defensionem, et ob hoc, non solùm repellat ac retundat aggressoris ictus, sed etiam si opus fuerit, ipsum impetat, feriat, gladium intra ejus viscera immittat, nihilque eorum, quæ ad moderatam ac necessariam suî defensionem requiruntur et sufficiunt, omittat, etiamsi inde per accidens et præter ejus intentionem occisio aggressoris eveniat. Hoc enim modo æquè benè ac facilè potest se defendere, ac si directè eam intenderet, cùm actio physica pugnandi ac feriendi sola in his angustiis conducat ad defensionem, non verò actio moralis et intentio occidendi (1).

Nec valet dicere, licitum esse velle et intendere quod licet facere. Sed in nostro casu licitè invasus occidit aggressorem. Ergo, etc. Adde quòd licitum est optare malum temporale et mortem injusti persecutoris. Ergo et eam intendere. Non valet, inquam. Ad primum enim argumentum respondent Bannes et Joannes à S. Thomâ, distinguendo majorem. Licet intendere, quod absolutè per se licitum est facere, concedunt. Quod solum est licitum facere physicè et per accidens, seu potiùs quod non est illicitum in suâ causâ per accidens, quomodò tantùm licita est aggressoris, negant. Ideò enim non est illicita, quia defectu voluntarii excusatur à peccato, nec est moralis, et omninò per accidens sequitur ad actum honestum defensionis; si verò intenderetur, esset moralis et haberet formaliter rationem objecti voliti, sicque non excusaretur à peccato. Unde tantùm sequitur licitum esse intendere defensionem propriæ vitæ, ad quam materialiter et per accidens sequitur aggressoris occisio.

Resp. ad secundum argumentum privatam personam solummodò posse optare mortem injusti persecutoris, ob bonum commune, ei à judice, seu magistratu, vel à Deo inferendam, si advertat, nonnisi per mortem illius bonum commune absolutè conservari posse. Secùs verò licitè velle aut optare mortem alicujus à seipso, aut ab aliâ personâ privatâ formaliter, et ex intentione inferendam, etiam per ordinem ad bonum commune, quia privata persona nullam habet auctoritatem occidendi aliquem, nec etiam ex motivo servandi bonum commune. Ex quo directè consequitur quòd nec licitè potest intendere aut velle occisionem malefactoris à seipsâ faciendam, etiam ex motivo conservandi bonum commune, et quòd multò minùs licitè possit intendere aut velle occisionem aggressoris à se inferendam ex motivo conservandi vitam propriam ab eo invasam, sed quòd habeat solummodò facultatem seipsam defendendi; esto quòd ad eam moderatam et necessariam defensionem sequatur per accidens, et præter intentionem occisio invadentis. Quare pro defensione passivâ, et vitæ propriæ conservatione, potest eam ac-

(1) Theologi communissimè recedunt ab eâ Thomistarum opinione, et tenent licitum esse quandoque intendere mortem inimici ut medium evadendi proprium periculum. Hæc videntur ratione magis fundata; enimverò supponi potest invasum in his versari angustiis ut non possit vitam suam servare nisi per actionem directè occisivam alterius; ergo in eo casu mors inimici est medium ipsi licitum, et quod proinde potest intendere; nam dùm intendit ut medium actionem directè occisivam ut vulnus in cor, excussionem cerebri, simul mortem intendit, quùm hæc duo sint per se naturâ suâ inseparabilia... Rationes et paritates adductæ in favorem prioris opinionis nos parùm movent. 1° Supponunt instar principii Deum auctoritati publicæ solùm demanâsse jus nocentem occidendi ad procurandum bonum publicum; hoc est gratuitò assertum si sumatur ad sensum adversariorum; quidni diceretur Deum illud jus unicuique dedisse pro casu injustæ aggressionis, ad tuendos homines probos contra audaciam malorum? Si in eâ repulsione servetur moderamen inculpatæ tutelæ, non læditur charitas, nam amor suî præponderat amori debito proximo, unde quisquis potest præferre propriam vitam vitæ injusti aggressoris, nec læditur justitia; qui enim alium impetit, eo ipso agnoscere debet jus in eodem bonorum genere, injuriam repellendi quantùm satis est ad vitandum detrimentum; ergo Deus præsumitur illud singulis permittere, et hunc ordinem providentiæ nobis manifestat, tum instinctu naturali nobis invito, tum sensu communi juxta quem licet vim vi repellere. 2° Non magis probat exemplum medici qui remedium ægroto administrat; nam vel debilitas virium est medium necessarium aut utile ad recuperationem sanitatis, vel non: si priùs, illam debilitatem intendit ut medium proportionatum ad finem; si posterius, non est cur illam debilitatem medicus intenderet. 3° Tandem, ad exemplum ducis militaris evertentis turrem, unde secuturam prævidet necem plurium innocentum, responderi potest, magnum esse discrimen: illa turris eversio duos effectus immediatè producit; bonus solus intenditur, et alter per accidens et præter intentionem accidit; è contra si quis gladio transfodiat aggressorem, illa actio unicum habet effectum immediatum, nempe mortem, quem effectum non per accidens, sed naturâ suâ producit... Igitur licet quandoque intendere mortem inimici, non quidem quatenùs illius malum vel ut finem actûs, sed ut medium necessarium vitandi proprium vitæ discrimen. (Edit.)

tionem elicere, quæ formaliter sit suî defensio, et sit tantùm materialiter alterius occisio; seu debet esse suî defensio tam physicè, quàm moraliter, eò quòd per eam actionem intendatur suî defensio. Actiones autem humanæ desumunt speciem moralem ab eo quod intenditur; occisio verò invadentis physicè tantùm, eò quòd nullatenùs intendatur, nec proinde peccaminosa sit, licet prævisa et prænognita, ut non volita et fortuita, nec approbata, sed permissa tantùm, et tolerata materialiter; ita ut in hoc moraliter non agat, sed eam patiatur invitus, solùmque contingat occisio aggressoris ex necessitate, quia non vult desistere ab aggrediendo, et invasus nequit aliâ viâ propriam vitam conservare. Proptcrea non omittit suam defensionem, nec tenetur ab eâ cessare, etiamsi prævideat inde necem aggressoris eventuram præter intentionem, quia cæteris paribus plus tenetur vitæ propriæ, quàm alienæ consulere. Neque hoc erit in praxi difficile : sicut enim suî defensio est distincta ab occisione invasoris, et sine hâc dari potest, ita etiam sine illâ intendi ab invaso, nec est certus quòd ictus vibratus sit lethalis, et quòd inde alterius mors sit secutura, toto tempore antecedente mortem aggressoris. Inflicto verò vulnere lethali, et jam secutâ ejus morte, potest invasus ita suam mentem rectificare, ut non eam approbet, sed tantùm suam defensionem, et de illâ solâ gaudeat. Sicut eadem Christi crucifixio, ex parte Judæorum considerata, impia et detestanda erat : ex parte verò Christi patientis, sancta et approbata. Ecce solidissimum doctrinæ Thomisticæ principium et fundamentum contra quod nullatenùs prævalebunt omnes adversarii ejus.

§ 1. *Utrùm defenaendo propriam vitam, liceat injustum aggressorem in ipso conflictu occidere servatis conditionibus allegatis.*

Respondeo affirmativè cum D. Thomâ et aliis communiter, et habetur nostra conclusio Exodi 22, quem locum refert D. Thomas hîc in *Sed contra*, cum D. Augustini expositione. Habetur etiam in jure canonico extra de homicidio can. *Significâsti*, et can. *Interfecisti*. Item dist. 1, can. 7, et dist. 83, can. *Consentire*. Item causâ 11, quæst. 3, can. *Qui consentit*, causâ 23, q. 5, can. *De occidendis*. Item tit. de sent. excom., can. *Si verò*. Item ex concilio Viennensi, caus. *Si furiosus*, in quibus juribus asseritur quòd vim vi repellere, omnia jura permittunt, dummodò id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad propulsandam injuriam. Idem colligitur ex jure civili ff. de vi armatâ. De Just. et Jure L. *Ut vim*. De Injuriis L. *Injuriarum*. Ad legem Aquiliam L. *Etsi*, et L. *Itaque*.

Probatur conclusio, quia, ut ait D. Thomas, actus quo intenditur vitæ propriæ conservatio, non habet rationem illiciti, cùm jus naturale dictet licitum esse unicuique conservare vitam propriam, quantùm potest omni modo licito et necessario, et secundùm jura, vim vi repellere, licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Neque est necessarium ad salutem, ut homo actum illum prætermittat, et à suî necessariâ defensione abstineat, ad evadendam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ suæ providere quàm alienæ. Confirmatur, quia aliàs jus naturæ esset occasio iniquitatis, et esset melior conditio hominum iniquorum quàm bonorum. Tunc enim quique pessimi justos invaderent, spoliarent et occiderent, scientes se tunc non posse licitè ab eis interfici. Igitur jure naturæ unicuique licitum est se defendendo cum moderamine, occidere quemcumque aggressorem injustum etiam solùm materialiter; qui etiamsi invadendo non peccet, cùm tamen realiter damnum indebitum, aut saltem modo indebito alteri inferat, habet invasus jus se contra ipsum defendendi, etiam cum ejus occisione, si nequeat aliter se tueri; præcisè enim comparando vitam unius cum vitâ alterius unusquisque præferre potest vitam propriam vitæ alterius personæ privatæ.

Imò etiamsi invasus dederit causam aggressionis ex suâ culpâ, adhuc potest se defendendo cum moderamine occidere aggressorem, quando non suppetit ipsi alia via conservandi vitam suam. Quamvis enim iste aliàs peccaverit, feceritque huic personæ privatæ injuriam, cùm tamen aggressor sit injustus, eò quòd careat jure et auctoritate ipsum puniendi et occidendi, sed hoc sit reservatum personæ publicæ, habet jus conservandi vitam suam, etiam cum occisione illius. Hoc enim jus non fundatur in eo quòd quis non suâ culpâ invadatur, sed in eo quòd injustè à privatâ quâcumque personâ impetatur. Hinc adulter deprehensus in flagranti et invasus à marito, potest licitè se cum moderamine defendere etiam cum ipsius occisione. Id etiam licitum est ei qui invaditur ab eo quem injuriis lacessivit : non enim justè possunt hujusmodi personæ se vindicare hoc modo, sed tantùm eam petere et expectare, à personâ fungente auctoritate publicâ. Nihilominùs potest invasus qui moraliter certus est se esse in statu gratiæ ex motivo charitatis vel alterius virtutis, hoc jure non uti, et velle non conservare vitam suam, ne occidat aggressorem, indeque damnetur, ut supra ostensum est. Si tamen aggressor esset rex, aut alia persona publica reipub. valdè necessaria, aliundè verò invasus foret persona vilis, cujus vita nihil ad bonum publicum confert, non potest illam defendere et conservare, cum occisione illius, sed tenetur tunc mortem potiùs ferre quàm inferre, quia bonum commune præferendum est particulari. Quod etiam magis verificatur, si invasus dederit causam aggressionis ex suâ culpâ. Supposito autem quòd invasus sit innocens, tenetur adhuc pati illam mortem : non licet tamen alicui tertio, cui nota sit ejus innocentia, tunc juvare principem in occisione istius, nisi fortè videat istum, cùm fugere posset, velle tamen pugnare, et immittere periculum vitæ principis.

Objicitur primò D. Augustinum negâsse nostram conclusionem, lib. 1 de libero Arbit., cap. 5, et Epist. 154 ad Publicolam. Item plures alios Patres contrarium sensisse. Resp. D. August. nostram communem sententiam expressè docuisse, quæst. 84 in Exodum. In locis verò allatis, solùm velle non esse licitum præ-

venire invasorem, ipsum ante vel post conflictum occidendo; aut loqui solùm de eo qui absque moderamine ipsum occidit, vel de illis qui ex odio, livore aut vindictâ eum interficiunt. S. Thomas hîc, ad 1, ait verba Augustini intelligenda esse in eo casu, quo quis intendit occidere hominem, ut seipsum à morte liberet; unde signanter dixit, *pro his rebus*, in quo designatur intentio. Colligitur etiam hujusmodi expositio ex verbis Augustini ad Publicolam, ubi ait : *De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publicâ functione teneatur*, etc. His quippe solùm conceditur directè intendere malefactoris necem tanquàm medium, ut patet ex dictis. Eodemque modo exponendi sunt alii Patres, vel dicendum est eos loqui solùm de consilio ac majori perfectione : cùm enim in lege non prohibeatur justa defensio, evangelici tamen consilii est, ab eâ abstinendo, patienter injurias ferre, exemplo Christi, qui, *sicut agnus coram tondente se obmutuit*. Tandem Christianos hortantur ad hanc animi præparationem, ut scilicet sint dispositi, non resistere malo, vel non se defendere, si opus fuerit.

Objicitur secundò : Secundùm ordinem charitatis, debemus præferre salutem spiritualem proximi nostræ vitæ corporali. Ergo et nunquàm aggressorem occidere. Resp. dist. antecedens. Quando proximus est in eâ necessitate constitutus ut vita nostra corporalis sit necessaria ad salutem ejus spiritualem, aliàs eam consequi nequeat, concedo; secùs, nego. In nostro autem casu invasus in nullo est hujus necessitatis, sed solùm iniquæ voluntatis articulo constitutus, cùm ipsemet sponte et ex suâ malitiâ se conjiciat in tale periculum, à quo etiam facilè posset se liberare, si se separaret, et invadere desisteret. Illi ergo imputatur mors corporalis et spiritualis, et non se defendenti, qui jure suo utitur.

Objicitur tertiò, nullum esse christianum sic occidentem, quem conscientia de peccato non torqueat, et qui audeat mori sine hujus occisionis confessione. Unde pœnitentiæ subjicitur, et si fuerit clericus, ab altaris ministerio arcetur, donec ipsi dispensatio Sedis apostolicæ auctoritate concessa fuerit, ex decreto concilii Trident., sess. 14 de Reform., cap. 7, et olim ex eo contrahebatur irregularitas, ut habetur in decretis, dist. 50, can. *De his clericis*, ex Nicolao papâ, et refertur à D. Thom. hîc, ad 3. Resp. quòd dùm quis omninò certus est non excessisse moderamen, nullatenùs debet angi de peccato, nec obligatur ad illius confessionem, nec est pœnitentiæ subjiciendus, etc. Quando autem quis dubitat an debitum moderamen servaverit et an ex intentione occiderit, vel certus est in hoc excessisse, tunc, cùm sit reus in foro conscientiæ, subjicitur confessioni et pœnitentiæ. Vix autem contingit ut iræ impetu abreptus, moderationem servet. Irregularitas autem quandoque consequitur actum homicidii, etiamsi sit absque peccato, ut patet in judice qui justè aliquem condemnat ad mortem. Porrò nunc Ecclesia in casu nostro abstulit hujusmodi irregularitem, in concilio Viennensi, Clementinâ *Si furiosus*. An autem condiderit jus novum antiquo contrarium; an solùm explicaverit et confirmaverit antiquum, volens quòd irregularitas olim imposita fuerat solummodò propter homicidium absque moderamine et illicitè patratum : secùs verò si servetur debitum moderamen, prout nunc etiam decernitur : parùm refert.

§ 2. *Utrùm liceat futurum aggressorem prævenire.*

Ille dicitur futurus aggressor, qui est jam determinatus et dispositus ad invadendum, ac in eo proposito permanet, etiamsi nondùm de facto invadat, aut forsan non aggredietur : prævenire verò in præsenti est inimicum impetere et damnificare antequàm actualiter invadat et noceat. Quando autem post unum actum quem contra me fecit, prævenio alterum, quem probabiliter prævideo, ac prudenter timeo esse futurum in meum damnum, non censetur simpliciter, sed tantùm secundum quid prævenio. Certum est non esse licitum prævenire eum qui nondùm te invadere et occidere decrevit; scis tamen quòd cras id decernet, vel ex revelatione, vel ex conjecturis humano modo certis, quando habebit notitiam de offensâ quam ei intulisti, attentâ ejus naturâ et ingenio prudenter times quòd se vindicare volet, et te occidere : quia istud periculum est valdè remotum ac incertum; et hic homo tunc est adhuc verè innocens, nec de hoc cogitare cœpit, neque ista prævenio est propriè defensio, sed vera aggressio formalis, et directè occisio hominis ordinata ad propriæ vitæ conservationem.

Difficultas solùm est an liceat prævenire eum qui jam decrevit te occidere, vel aliquid jam fecit ad exequendum tale propositum, ut si paravit arma, venenum, etc., solùmque expectat opportunitatem aggrediendi; an, inquam, medio tempore illo, antequàm invadat et instet tuum damnum, possis licitè illum occidere, etiamsi pro tunc maneat quietus. Affirmant recentiores esse licitum, indeque plures casus particulares justificant. I. Si quis falsis criminibus, apud judicem agat in mortem alterius, neque aliàs sit spes effugii, quàm per mortem talis accusatoris, aut falsorum testium, licitum est illos occidere. II. Si quis vadit ut solvat canes, aut leonem, aut vocet famulos contra te, qui sine dubio te interficient, licitum tibi est illum prævenire et interficere. III. Si uxor in eodem cubiculo conclusa et in lecto cum marito decumbens deprehendat pugionem sub cervicali, certòque sciat quòd à marito sit occidenda, potest eum præveniendo interficere dormientem. IV. Si quis in oppidulo vel domo aliquâ conclusus, unde nullum pateat effugium, sed necesse habeat, per manus inimici transire ipsum expectantis ut occidat : potest illum prævenire ac interficere. Dico tamen in nullo ex prædictis casibus, aliisque similibus, et nunquàm licitum esse prævenire et occidere futurum aggressorem, sed solùm licet in actuali conflictu, cum moderatâ defensione illum præter intentionem occidere.

Conclusio nostra colligitur ex D. Thomâ hîc, art. 7, ubi quæstionem sub hoc titulo proponit : *Utrùm alicui liceat aliquem occidere defendendo se*; et respondet af-

firmativè, volens per hoc indicare quod occisio illa accidat solùm in conflictu, dùm aliquis aggreditur, actualiter, et *defendendo se* fortuitò interficiat invadentem. Unde non posuit in titulo hanc formulam : Utrùm liceat aliquem occidere ad sui defensionem, quia potest esse ambigua, an ante vel post conflictum id liceat; nec tam benè explicat, quòd illa occisio potest solùm fieri fortuitò et in ipso conflictu. Idque tanquàm certissimum supponit D. Thomas, dùm citat jura illa, *vim vi repellere licet*. In quibus decernitur, quòd *subitò* vis vi est repellenda. In cap. *Si verò*, de sent. Excom., quod quidem non fit nisi cùm actu et physicè infertur vis, et supponitur tanquàm necessarium ad justam defensionem, ut vis sit illata personæ. Ergo actio quâ quis lædit illum qui adhuc personaliter eum non læsit, nec lædere incœpit, non est defensio, sed aggressio, nec tendit ad propulsandam injuriam, sed ad sumendam vindictam, quod est illicitum. cap. *Significâsti*, 2 de Homicidio.

Probatur insuper conclusio : Ut defensio sit licita, debet servari moderamen inculpatæ tutelæ. Sed qui occidit insidiantem et solùm parantem arma ad eum aggrediendum, toto tempore medio antequàm aggrediatur, et inferat actualiter damnum, et quo adhuc quietus manet, longè excedit istud moderamen. A fortiori quando solùm decrevit eum interficere, nihilque egit aut agat in ordine ad aggressionem. Ergo id nullatenùs potest esse licitum. Prob. min. : istud moderamen necessariò exigit, et in eo consistit, ut non major adhibeatur violentia et conatus, quàm requiritur et sufficiat ad propulsandam injuriam se defendendo contra invadentem. Atqui iste majorem violentiam infert. Ergo, etc. Prob. minor. ; de facto enim actu aggreditur et occidit alium, qui præsentialiter et actu non invadit, sed solùm id facere decrevit aut comminatus est, vel præparat tantùm necessaria ad offendendum ; ad quod damnum vitandum et se moderatè defendendum, satis superque esset ut iste etiam apud se decerneret se munire, pararet arma, omniaque necessaria ad se ritè defendendum, quandò personaliter et actualiter physicè adversarius aget, vel agere incipiet, ac invadet. Ergo, etc.

Confirmatur. Voluntas et propositum aliquem damnificandi non est ipsa damnificatio. Item sola præparatio armorum ad aliquem lædendum, non est vis et læsio illata; et adhuc ista voluntas mutari potest, et præparatio armorum, non sortiri suum effectum. Ergo ex hoc, non censetur aliquis vim pati, ut possit vi et occisione istius eam repellere, sed tantùm dùm physicè ab eo invaditur; nam ante conflictum non debet dici propriè aggressor neque ante potest alius eum occidere ad vitam suam defendendam, cùm defensio illa debeat esse ad repellendam offensam illatam, et non ad repellendam futuram, quia defensio respicit offensam tanquàm correlativum, proindeque cùm sit in actu, etiam offensa debet esse physica præsens et in actu secundo illata. Aliàs actu defendens seipsum, non defenderet se ab offendente, sed à se præparante ad offendendum, et actio illa esset potiùs aggressio quàm defensio. Quare licet defensio non sit ad offensam factam et completam, est tamen in ordine ad offensam incœptam : offensio autem non dicitur incœpta, nisi dùm persona in se aut in bonis suis offenditur.

Nec tamen propterea volumus quòd invadendus debeat quietus ac immotus expectare, quod inimicus eum aggrediendo graviter læserit ac vulneraverit antequàm se defendat gladiumque distringat, etc. Imò debet quantùm potest se tueri et impedire ne vulnus ab eo recipiat, et dùm videt illum accedentem et in procinctu paratum et determinatum ad lædendum, ipse quoque distringat ensem, et pugnet propulsando offensam, et defendendo vitam suam etiam cum occisione aggressoris, si aliter nequeat eam conservare. Sed tantùm volumus quòd ante conflictum actualem non liceat eum prævenire lædendo, sed duntaxat se determinando ad justam defensionem, parandoque arma aliaque necessaria ad illam ; ita ut defensio offensioni proportionetur, sitque solùm virtualis, si suum correlativum fuerit tantùm virtuale.

Hinc justificari nequeunt casus particulares quos tanquàm licitos, recentiores in exemplis mox relatis admittunt; inprimis enim Alexander papa VII damnavit istam propositionem : *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.* Et meritò, quia pestilens hæc doctrina innumeris cædibus viam aperit; cùm enim in omnibus ferè litibus homines facilè credant se injustè opprimi et injustitiam pati, dùm condemnantur; nunquàm accusatores, testes et judices, possent esse securi, si liceret litiganti, qui causâ casurus est ad justam suî defensionem eos occidere. Adde quòd occidere istos non est medium per se ordinatum ad eam injuriam repellendam ; nam iste occisor tunc extremo supplicio ob hoc facinus puniretur; unde solùm potest se juris ordine defendere. Ex quo patet primum casum allatum esse illicitum. In damnatione autem hujus casûs, damnantur pariter alii tres, et omnes similes de prævention inimici. Nam falsus accusator, et falsi testes, jam aliquid egerunt adversùs accusatum, illum accusando et testificando apud judicem, et judex ipse processum fecit; sicque omnes isti incœperunt eum lædere ac injustè invadere. Ergo summus pontifex definivit non esse licitum prævenire et occidere inimicum, etiamsi incœperit aliquid agere ad aggrediendum. Tandem post illatam injuriam, et quando aggressio omninò cessavit recedente aggressore, non est licitum eum persequi, propriâque auctoritate lædere : jam enim non foret defensio licita, sed aggressio, et præteritæ injuriæ vindicatio ac punitio, quæ tunc ad judicem duntaxat pertinet. Solidissima D. Thomæ doctrina supra explicata (nempe quòd occisio malefactoris et injusti aggressoris, nequit licitè à personâ privatâ unquàm intendi tanquàm medium volitum ad propriæ vitæ conservationem et suî defensionem) istorum errorum monstra penitùs elidit. Qui enim aut præveniendo, aut postea persequendo, occidit injustum aggressorem extra conflictum actualem directè vult ac

intendit ejus occisionem, eamque tanquàm medium ordinat ad vitam suam conservandam.

§ 3. *Utrùm liceat propria bona temporalia defendendo, eorum raptorem interficere.*

Dico id esse licitum, si fuerint bona magni momenti, si nullâ aliâ viâ recuperari valeant, si occisio furis fiat subitò, et cum moderamine inculpatæ tutelæ, neque à defendente directè intendatur. Ita D. Thomas hìc et communiter auctores. Probat D. Thomas in *Sed contra* ex illo Exodi 22 : *Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Ex quo D. Thomas infert quòd cùm id sit licitum, multò magis licebit defendere propriam vitam cum occisione aggressoris, quàm propriam domum. Supponit igitur hujusmodi verba Exodi ita esse intelligenda, ut pro domûs defensione liceat furem occidere.

Dices ibi sermonem esse duntaxat de fure nocturno; statim enim additur : *Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur*, fortè quia fur nocturnus præsumitur venire etiam ad occidendum; secùs verò fur diurnus, sed solùm ad rapiendum. Ergo ob solam bonorum spoliationem non licet furem occidere. Contra est, quia ista lex judicialis condemnat furis occisorem in foro externo, non absolutè, sed in casu quo aliter possit quis defendere ac recuperare bona sua; præsumitur enim quòd fur diurnus ordinariè repelli potest absque occisione, sive advocando cives ad auxilium; sive quia potest deprehendi aut cognosci, et bona quæ aufert in judicio repeti possunt ac recuperari, ac proinde ipsum occidens censetur ordinariè excedere moderamen. Atverò occisor furis nocturni ordinariè excusatur, quia nec tam facilè ac securè repelli potest, nec tam distinctè agnosci, ut rem ab eo ablatam dominus in judicio repetere valeat; noctu enim ablata sunt ferè irrecuperabilia. In foro tamen conscientiæ interfector furis nocturni reus erit homicidii si reverà aliâ viâ poterat sibi cavere, et moderamen excesserit : et interfector furis diurni innocens erit in casu quo non potuit aliter bona sua defendere, etiam cum moderamine.

Idem D. Thomas in eodem art. 7, ad 1, exponens hæc verba D. August., lib. 1 de lib. Arbit. : *Quomodò apud divinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt?* resp. intelligenda esse in eo casu quo quis intendit se defendendo occidere hominem. Ergo censet D. Thomas licitum esse pro his rebus, quas contemni oportet, ut sunt bona temporalia, licitam esse occisionem, modò non intendatur, et serventur conditiones jam allatæ.

Prob. 2° nostra conclus. ex can. *Olim* de Restit. spol. et cap. 2 de Homicidio ; ex cap. *Dilecto*, de sent. Excommun. Item ex jure civili l. *Furem*, dig. ad legem Corneliam de Siccariis, l. 4, dig. ad legem Aquiliam. Et ex Cicerone orat. pro Milone.

Dices : In can. *Interfecisti*, extra 2 de Homicidio, *si interfecisti, te tuaque liberando, non peccâsti;* ergo id tantùm est licitum quando fur venit armatus et cum periculo personæ bona rapit; secùs verò ob solam bonorum conservationem. Contra est. Nam juxta Cajetanum, illa verba *te, tuaque*, licet ponantur copulativè, intelligenda tamen sunt disjunctivè : alioquin non sufficeret ut invasorem occidere posset, solum motivum liberandi *te*, vitamque conservandi, nisi simul tunc interveniret etiam necessitas liberandi tua bona. Aut frustra additum fuisse *tuaque* cùm sola necessitas defendendi vitam excuset ab homicidio; aut si præcisa necessitas defendendi bona non excuset propter copulationem, nec etiam præcisè necessitas liberandi personam excusabit. Ideò autem pontifex hoc modo loquitur quia in casu de quo consultus fuerat, necesse erat, res, et personam simul liberare, solùmque voluit damnare occisionem furis, quando absque illâ deprehendi poterat, aut bonâ recuperari.

Prob. 3° ratione. Bona fortunæ sunt adminicula vitæ et virtutis, mediaque ordinata ad ejus conservationem, et necessaria, non solùm præcisè ut vivamus, sed etiam ut convenienter vivamus. Ergo sicut licitum est vitam tueri, ita et hæc bona. Alioquin daretur ansa et occasio furibus et latronibus viros probos spoliandi bonis, nihilque ab illis esset tutum, si defensio necessaria non possit opponi. Hàc autem semel concessâ, concedi etiam censetur occisio furis per accidens et præter intentionem, sine quâ sæpè nequeunt etiam cum moderamine defendi, idque conceditur omnibus etiam clericis ac religiosis, ut colligitur ex can. *Dilecto* de sent. excomm. quibus sicut et aliis pontifex in hàc bonorum defensione applicat istud juris axioma, *vim vi repellere licet* (1).

(1) Huic sententiæ suffragantur plurimi theologi maximi ponderis; non paucos tamen reperimus qui contrariam propugnent. Fagnanus, vir in jure canonico peritissimus, re maturè discussâ sub vario respectu, sic concludit . *Quidquid sit de jure civili, certè secundùm canones in foro saltem pœnitentiali et quoad Deum absolutè credimus non posse laicum sine peccato occidere spoliatorem* SECUNDUM COMMUNEM CANONISTARUM SENTENTIAM. T. 3 de Homicidio, cap. *Interfecisti*, n. 22. Ita Billuart diss. 10 de Justitiâ, art. 6; Patuzzi, Th. in quintum Decalogi præceptum, cap. 3, n. 11; Collet, t. 6, p. 201, et multi alii tum veteres, tum recentiores. Hoc probant 1° auctoritate SS. Patrum qui nedùm permittant occisionem raptoris bonorum fortunæ, vix et summâ difficultate explicari potest an illud concedant contra invasorem vitæ; item SS. Pontificum, quorum textus reperiuntur in jure canonico; hæc testimonia reperiuntur apud Patuzzi, n. 12, 13, 14. 2° Ratione. Cùm præceptum non occidendi sit gravissimi momenti et valdè generale, admittere non debet exceptionem nisi firmâ ratione fundetur et legitimâ compensatione; at hìc non habemus rationem illam sufficientem, legitimam compensationem, moderamen inculpatæ tutelæ; nam illud moderamen non supponit solummodò injustam invasionem, sed insuper aliquam proportionem inter bonum servandum et medium quod ad id assumitur; non datur illa proportio inter bonum temporale et vitam, quæ est ordinis certè præstantioris; unde aiebat Fagnanus loco citato : *Non servatur hoc moderamen si tu aufers mihi bona, et ego auferam tibi vitam; nam injuria corporalis major est reali*, n. 19. Igitur qui furem occidit sola bona fortunæ eripere molientem, majus malum illi infert eo quod vitare studet. 3° Pravis consectariis quæ ex contrariâ opinione deducerentur; inde legitimè conclu-

Dices : Secundùm ordinem charitatis, plus tenemur diligere vitam proximi, quàm nostra bona ; ergo et eam illis præferre, etc. Contra est, quia, ut rectè ait Cajetanus, cuilibet imminet cura rerum suarum in ordine præcipuè ad virtutem; non autem cura alienæ vitæ, nisi in casu necessitatis. Constat autem, quòd plus tenetur quis providentiam habere eorum quorum cura sibi imminet simpliciter et absolutè, quàm eorum quorum cura sibi imminet, nisi in casu necessitatis. Idque manifestatur ex iis quæ docentur, 2-2, q. 35, art. 8, nempe quòd non tenetur homo ex charitate singulos proximos in speciali diligere. Si ergo non teneor absolutè invasorem in speciali diligere, sequitur quòd nulla sit mihi commissa cura de illius vitâ : è contra verò constat quòd debeo habere curam de adminiculis vitæ meæ et virtutum. Igitur ille ordo charitatis non me obligat, nisi quando proximus est in urgentissimâ necessitate perdendi vitam, nec potest ipsemet ab eâ se liberare, et quando extremè indiget meis bonis; quod minimè contingit in proposito cùm invasor spontè seipsum ponat in eo casu et periculo, possetque se liberare ac conservare vitam cessando ab injuriâ inferendâ; nec tantis bonis meis indiget, sed ex suâ malitiâ et rapacitate vult ea occupare, meque redigit ad illius occisionem, cùm non possim aliter ea liberare ac moderatè defendere. Et certè cùm ob hanc rationem possim defendere, et præferre vitam meam corporalem saluti æternæ invasoris, quantumvis illi præponderet, cur non potero defendere facultates meas cum dispendio vitæ corporalis illius, etiamsi sit illis pretiosior ?

Porrò ut furis occisio sit licita, debent ea bona quæ defenduntur, esse magni valoris, et ex quorum amissione dominus reportet notabile damnum. Quamvis enim unusquisque se suaque tuendi jus habeat, ratio tamen recta dictat pro re exiguâ non esse vitam proximi prodigendam, conferendumque damnum quo tibi caves, cum illo quod furi infers, indignumque ac inhumanum esse pro minimo tuo nocumento, eidem malum irreparabile inferre. Nec valet dicere tunc furem injuriosum et contumeliosum etiam esse, et non solùm lædere dominum in re suâ, sed adhuc in honore, ideòque occidi posse; non valet, inquam, quia animi generosi ac liberalis est, parvi facere hanc minimam ablationem, et reputare furem potiùs ex necessitate quàm animo injuriandi rapuisse, ac præ verecundiâ illam ab eo in eleemosynam petere non ausum fuisse. Tunc christianum decet consilium Christi Matth., cap. 5 sequi de remittendâ tunicâ aut pallio ei qui aufert ea : quod in præparatione animi, quando scilicet proximus illis extremè indiget, est etiam præceptum. Undè meritò innocentius papa XI damnavit hanc propositionem : *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei;* regulariter enim nummus etiam aureus non est ita necessarius ad vitam, ut sine ipso nedùm simpliciter, sed etiam commodè subsistere nequeat, nec multùm virtutum acquisitioni nocere potest per se loquendo. Per accidens tamen in aliquo casu potest id contingere, puta cùm totum alicujus inopis patrimonium, et necessaria vitæ sustentatio in eo nummo consisteret. Unde Pontifex consultò apposuit, *Regulariter*. Requiritur præterea ut res ablata nullatenùs possit aliter recuperari quàm per furis occisionem se defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, eamque non intendendo; et de hoc dominus sit moraliter certus. Unde priùs monendus est fur ut desistat, si fieri potest, terrendus ut restituat ablata. Item si dominus eum cognoscat et testes habeat, indeque possit convenire in judicio, et per viam juridicam aliamve commodam facilè repetere valeat ablata illum occidendo, non servat moderamen : item si furem apprehendere et detinere valeat, etc. Tandem requiritur ut furis occisio fiat subitò, et non ex intervallo; censetur autem quis subitò furem percutere, non solùm quando actualiter rapit, sed etiam quando adhuc incœpta invasio et defensio continuatur; ut si fur cum bonis ablatis fugiat, et monitus ac perterrefactus nolit sistere ac bona ablata dimittere, nec sit spes aliâ viâ recuperandi ea quàm telo aut sagittâ eum occidendo, antequàm se recipiat in locum tutum, aut rem occultet. Quia scilicet toto illo tempore censetur esse in flagranti ac vim inferre, quàm proinde aliâ vi repellere licet, nisi tunc rem ablatam dimittat. Quando verò jam se recepit in locum tutum aut furtum occultavit, tunc nequit dominus ei vim inferre, nec ablata propriâ

deretur illum qui injuriam gravem passus est, posse etiam post longum tempus furem occidere qui rem in loco tuto posuit, si non alia sit via rem recuperandi ; imò vix ulla dari potest ratio cur non liceret occidere illum qui obsistit ut habeamus bonum ad quod habemus jus inchoatum, v. g., ad hæreditatem; hæc autem et alia istius modi quantùm perturbarent societatem nemo non videt. Concludendum igitur foret non licere in statu saltem civili sua bona sic defendere. Auctoritas publica supplet defensionem privatorum, et sic simul coercentur latrones et servatur ordo publicus; quòd si aliquando illud medium sit insufficiens ad vitandum damnum, hoc fit per accidens, nec ideò induci debet principium periculosum. Extra statum civilem, et ubi nulla subest auctoritas publica quæ tueatur privatos, aliter probabiliter dicendum foret; hæc defensio forsitan necessaria esset ad servanda bona et cohibendam audaciam malorum. Hinc societates quæ nullum superius tribunal agnoscunt bellum justè gerunt adversùs alias gentes à quibus læsæ sunt in bonis temporalibus.

Adversarii opponunt 1° axioma : *Vim vi repellere licet ;* sed nihil inde in eorum favorem; nam necessariò subauditur : *Modò servetur moderamen et legitima proportio;* alioquin sequerentur multa quæ ipsi rejicere coguntur. Solùm nos ex illo axiomate deducimus posse aliquem vi repellere furem, et si fur ut se expediat et iratus illâ defensione vitam invasi impetat, tunc licebit ei vitam propriam tueri cum alterius occisione, si necesse sit; jam enim non sua, sed seipsum defendit. Idem dicemus de casu quo ablatio rei aliquem conjiceret in extremâ necessitate, quia qui aufert necessarium vitæ subsidium, non fortunam, sed ipsam vitam aggreditur. Opponunt 2° legem Exodi quæ pronuntiat innocentem à sanguine qui furem nocte, domum effodientem occiderit; sed canonistæ, duce S. Augustino, communiter respondent, sic fuisse statutum, quia aggresso per noctem incertum est an fur venerit animo occidendi vel furandi, et ita subest periculum simul personæ et rerum. E contra lex statuebat furem diurnum non debere occidi, quia discerni potest an fur tantùm ad furandum occidat. (Edit.)

auctoritate repetere. Quia jam cessavit aggredi, nec est amplius invasor, sed solùm iniquus detentor. Natura autem et jura non permittunt percussionem illius à privatâ personâ factam, ne scilicet innumeris cædibus, ac inconvenientibus aperiretur via, si unicuique liceret sibi facere justitiam. Et iste fur tunc habet jus ut ablata non auferantur ab eo per vim, quam proindè aliâ vi repellere potest, sed solummodò per viam juridicam.

Hinc meritò Innocentius papa XI damnavit hanc propositionem : *Non solùm licitum est defendere, defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.* Item damnavit aliam huic affinem solùmque ab eâ tanquàm particularem à communi, differentem, nempe : *Licitum est tam hæredi quàm legatario, injustè impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et jus habenti ad cathedram vel præbendam, contra eorum possessionem injustè impedientem.*

Ratio hujus pontificiæ condemnationis, et discrimen harum propositionum à nostrâ conclusione, consistit in hoc : Primò, quia id esset prævenire invasorem, quod nullatenùs licet : secùs verò quando actualiter fur rapit bona jam possessa. Secundò, hic actus occisivus minimè est defensivus ex se, nempe repulsivus illius actionis impedientis ea ad quæ jus habemus, sed solùm directè et per se ordinatus ad occisionem illius, tanquàm medium intentum ad propriam defensionem : secùs verò contingit in occisione furis, quæ solùm per accidens sequitur defendendo bona possessa. Tertiò tandem, quia alia suppetit via ad jus suum obtinendum, nec occidendo impedientes, servatur justum moderamen, utpote qui non sunt proximè auferentes rem, sed solùm ita remotè ut vix moraliter possit contingere casus, in quo aliud remedium adhiberi non valeat ad futurum illud damnum vitandum. Cùm enim intercedat ordinariè aliqua diuturnitas temporis, novæ semper provenire possunt circumstantiæ, et via aperiri ad impedimentum illud repellendum aliter quàm per occisionem injustè invadentis : secùs verò in casu nostræ conclusionis dùm fur bona rapit. Unde conclusio nostra inde roboratur magis, sicut et ex hâc propositione jam allatâ, nempe : *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.* Ubi pontifex solùm prohibet occisionem furis pro parvâ ablatione ; et consequenter non putavit esse licitum pro conservandâ aut recuperandâ re maximi momenti, servatis debitis conditionibus supra positis. Imò in duabus propositionibus allatis, videntur damnati, qui non ponebant discrimen inter ea quæ actu possidemus, et illa ad quæ solùm jus habemus, quantùm ad illorum defensionem etiam cum occisione alterius.

§ 4. *Utrùm pro defensione honoris et famæ licitum sit calumniatorem occidere.*

Præ horrore, fateor, decidit calamus, tremunt manus, viscera commoventur, dùm considero opinionum portenta execratione digna, quibus novelli probabilitatum patroni istud strictissimum de non occidendo præceptum, laxare in hâc parte moliuntur. Satius foret horrendas has assertiones, Vaticano fulmine percussas, æterno oblivionis tumulo consepelire quàm eas referre et refellere.

Quidam enim docuerunt licere calumniatorem occidere, etiam ante injuriæ illationem, quando scilicet id decrevit aut comminatus est facere, quod satis superque refellitur ex dictis supra : nempe quòd etiam ad necessariam vitæ defensionem, nullatenùs licitum est prævenire injustum aggressorem. In casu enim determinationis et comminationis calumniæ spargendæ, quæ fortassis non inferetur, nondùm est aggressor, neque calumniator, nec desunt alia media licita ad famam conservandam et defendendam cum moderamine. Unde Alexander papa VII hanc damnavit propositionem : *Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem, de se, vel de suâ religione gravia crimina spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni publicè et coram gravissimis viris prædicta crimina impingere, nisi occidatur.* Quidam ex ipsis docent licitum esse occidere calumniatorem aut injuriantem, etiam post injuriam jam irrogatam ; ut si vir nobilis, fuste vel alapâ percussus, ad eam abstergendam, illum cessantem et se reparantem repercutiat. Et à fortiori licitum esse docent calumniatorem et dehonorantem occidere in ipso conflictu, dùm scilicet jam physicè et actu in alicujus personam inferre nititur injuriam. Contra quos

Dico non esse licitum alicui honorem et famam defendendo, actualiter et physicè suam personam dehonorantem aut calumniantem occidere. Nullumque dari casum quo pro solius famæ et honoris defensione præcisè, liceat adversarium occidere.

Prob. 1° : Non est licitum se defendendo excedere moderamen inculpatæ tutelæ. Sed qui defendendo honorem et famam, occidit adversarium, illud longè latèque excedit. Ergo peccat et censendus est homicida. Prob. min. : Istud moderamen consistit in hoc quòd lacessitus non utatur majori violentiâ quàm opus fuerit ad vim repellendam, nec per se loquendo potentioribus armis utatur, ut supra ostensum est. Sed qui occidit dehonorantem se et calumniantem, utitur majori vi quàm oporteat, ac potentioribus armis. Ergo. Prob. minor. : Iste adversarius non impetit alium vi et armis, ut suppono, sed verbis duntaxat et injuriis ; neque tendit ad vitam alteri auferendam, solùmque vult illum dehonorare. Ergo si propter hoc præcisè armis impetatur et occidatur, ei sine dubio major vis infertur quàm oporteat, cùm sufficiant verba, scripta, probationes contrariæ ad injuriam illam verbis retundendam, nec desint alia media, præter adversarii occisionem, ad vitandum aut reparandum honoris et famæ damnum, scilicet per testes, per viam juris, per satisfactionem petendam, et per alia licita, magisque efficacia. Non enim amissio illa famæ et honoris est malum irreparabile, sicut amissio vitæ et bonorum quandoque, sed resarciri potest interventu

amicorum aut judicis cogentis adversarium ad se retractandum, ac satisfaciendum.

Nec dici potest, quòd per juris remedia aliasque hujusmodi vias, honor læsus apud homines non censetur sufficienter reintegrari, sed solummodò per adversarii occisionem. Contra est, quia apud homines probos, hæc media satis superque sufficiunt, qui juxta rationem rectam et secundùm legem Dei de vero honore judicant. De errore autem vulgari et de improbis hominibus, non est multùm curandum; judicant enim secundùm leges diaboli, qui, ut dicitur Joan. 8, *Homicida erat ab initio*, et qui ut damnabilem vindictam ex tartareâ ejus officinâ prodeuntem foveret ac ampliaret, honorificam, speciosamque hujusmodi sanguinariam defensionem exhibuit, ut sic homines feris assimilaret, mundumque tam animarum quàm corporum cædibus repleret.

Confirmatur, simulque adversariorum fundamentum destruitur : quamvis enim honor et fama sint bona præstantiora divitiis et facultatibus, dato etiam quòd ipsâ vitâ sint potiora, tamen quoad propositum spectat, in hoc differunt, quòd occisio injusti aggressoris potest esse medium necessarium hîc et nunc ad conservandam vitam invasi et per accidens consequi, quando scilicet nulla alia suppetit via : idemque dicendum de furis occisione. Honor verò et fama aliter defendi ac resarciri possunt, et nunquàm occisio adversarii potest esse medium necessarium ac conveniens ad hoc præstandum. Ideò enim infamatus illum occidit, non ut ab illo recipiat satisfactionem, ac recuperet honorem ablatum, cùm ex ejus morte hoc reddatur impossibile, sed duntaxat ut recuperet alium honorem de novo advenientem ex judicio hominum insensatorum, qui inde generosum ac fortem existimabunt, eò quòd valeat injurias vindicare; falsoque eo honore vindictæ putat se compensare honorem ablatum, quem potuisset reparare, si non reduxisset conviciantem in statum impossibilitatis satisfaciendi, illum occidendo.

Inde non defendit tunc honorem, nec recuperat ablatum, sed vindictam solummodò exercet truculentam, ex quâ magis infamatur; eò quòd tunc ejus peraussio ac dehonoratio reddatur publica et ad omnium aures perveniat, nec inde probantur esse falsa et injusta convicia ipsi illata quæ evulgantur, sed tantùm quòd ea impatienti ac iniquo animo tulerit. Sæpè autem iniquo animo feruntur et ea quæ verè justèque sunt dicta, et veritas odium et indignationem quandoque parit. Confirmatur tandem. Si enim honoris et famæ defensio esset de jure naturali, sicut et defensio vitæ ac bonorum, æquè clericis, religiosis, plebeis, et omnibus competeret; atqui, non esse licitum his occidere adversarium pro defensione honoris et famæ, sed nobilibus tantùm, docent ipsimet adversarii, ut mox ostensuri sumus; ergo, etc. Hinc meritò Innocentius papa XI hanc propositionem damnavit : *Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequeat. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste perculiat, et post alapam impactam, vel ictum fustis, fugit.* Hinc etiam infertur non esse licitum viro nobili, à fortiori nec aliis insequi et ex intervallo repercutere adversarium recedentem et fugientem post illatam injuriam, prout declaravit pontifex, et rationes à nobis mox allatæ demonstrant : quia etiam non est ampliùs defensio, sed vindicta, quæ auctoritate privatâ semper est illicita, perinde ac si quis tibi manum abscidisset, eumque postea impeteres ac ejus manum abscinderes. Nec eadem est ratio de fure dùm fugit et nondùm se recepit in locum tutum : adhuc enim censetur aggressor, quia secum defert rem ablatam, quæ extat in specie et in individuo, eamque recuperare possum insequendo ac percutiendo. Qui verò ab alio recepit alapam aut dehonoratus fuit, illum insequendo et percutiendo nihil recuperare potest, vulnus enim acceptum remanet et honor ablatus non reparatur. Consistebat enim in illâ æstimationis notâ, quam offensor debebat exhibere, quam quidem non exhibet percussus, et multò minùs occisus. Tandem intenditur tunc directè occisio offensoris, tanquàm utilis ad acquirendum honorem æquivalentem per vindictam damnabilem. Ex quo colligitur hæc et alia errorum portenta processisse vel ex neglectu doctrinæ solidæ D. Thomæ, vel ex contrario huic principio, videlicet nunquàm licere personæ privatæ intendere directè invasionem aggressoris ob suam defensionem.

§ 5. *An ad salvandum honorem puellæ gravidæ, liceat abortum procurare; et an licitum sit feminæ suam pudicitiam defendere etiam cum occisione aggressoris.*

Incipiendo à primo casu, probabilistæ quidam asserunt id licere quando fœtus nondùm est animatus : contra quos stant communiter auctores, cum quibus

Dico, quòd sive fœtus fuerit animatus sive non, minimè licet abortum procurare, etiamsi aliter puellæ infamia, aut mors ab extrinseco solùm proventura, vitari nequeat. Prob. conclusio. *Non* enim *sunt facienda mala, ut eveniant bona;* sed abortus fœtûs etiam inanimati est ita de se extrinsecè malus, ut in nullo prorsùs casu licitum sit eum directè et ex intentione procurare, non minùs, imò magis quàm pollutionem voluntariam, aut sterilitatis potionem, ut supra ostensum est. Ergo ad salvandum puellæ gravidæ famam et vitam, nullatenùs licitus esse potest et cohonestari : aliàs pari modo foret licitum reo, propter delictum cujus habet testes, ad mortem damnando, eos interficere, ut mortem evadat : fœtus enim non aliud damnum infert matri, quàm innocenter prodendo ac testificando illius peccatum.

Dices primò, fœtum esse aggressorem vitæ et famæ matris, quæ nequit aliter se tueri, nisi per ejus occisionem in his circumstantiis. Contra est primò, quia fœtus nullatenùs est aggressor injustus, neque ullo modo invadit; ergo adversarium fundamentum est falsum. Prob. antecedens. Non enim voluntariè aut liberâ suâ actione ac per se matri nocet, sed necessariâ et naturali sequelâ duntaxat est occasio quòd parentes cognoscant ejus delictum, per hoc præcisè

quòd sit repositus in tali loco, nempe in illius utero. Ergo non ex suâ culpâ, sed eorum solummodò qui eum ibi reposuerunt, provenit matris nocumentum, quod proinde totum sibi imputare debet, non verò innocenti. Contra secundò, quia non minùs, imò magis fœtus animatus posset dici aggressor et occidi ac fœtus inanimatus : ergo non est aggressor. Prob. antecedens, quia fœtus animatus non minùs est occasio infamiæ aut necis puellæ, cùm non minùs, imò magis ejus uterum tumefaciat, delictum parentibus ac cæteris manifestet, indeque infamia aut mors illius sequatur. Ergo, etc.

Dices secundò, è duobus malis, minus est eligendum, quando alterutrum vitari non potest; sed quando fœtus nondùm est animatus, procurare ejus abortum, est minùs malum quàm infamia vel mors puellæ, supposito quòd tale ejus nocumentum sit inevitabile. Ergo, etc.

Contra primò, quia ex hoc sequerentur plura inconvenientia. Nam majus malum est occidere hominem, quàm perdere bona. Ergo non esset licitum occidere furem etiam nocturnum ; quod tamen constat esse falsum. Sicut enim illa mors furis ei imputatur ex eo quòd voluntariè et ex culpâ suâ huic periculo se exposuerit, ita in nostro casu infamia et mors puellæ est illi imputanda ob eamdem rationem. Contra secundò, quia minus videtur malum quòd fœtus etiam animatus pereat, quàm quòd sanctimonialis interficiatur et infametur, simulque et totum monasterium ; quòd parentes occidant complicem, digladientur, aliaque mala oriantur : quod tamen non est licitum. Unde esto quòd abortus posset esse minus malum per comparationem ad personas particulares, non tamen per comparationem ad bonum commune speciei hominum, quorum propagatio multùm læderetur ex hoc, si foret licitum.

Dices tertiò, quòd quando fœtus non est animatus, nulli prorsùs fit injuria, cùm illius non sit capax, benè tamen quando est animatus. Ergo, etc. Contra, quia semper fit injuria naturæ et speciei ac communitati humanæ; natura enim tunc frustratur suo fine : non enim concessit homini facultatem effusionis seminis extra actum conjùgalem, et multò minùs ejectionem fœtûs, quia etiam bestiæ fœtus expectant, et quantùm possunt, conservant. Hinc meritò Innocentius papa XI hanc propositionem damnavit : *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

Dico secundò pro alterius casûs resolutione feminam defendendo suam castitatem licitè posse occidere aggressorem, si alia via non suppetat. Ita communiter sentiunt auctores (1).

(1) Plures qui negant licitum esse occidere invasorem in bonis fortunæ, idem tenent de invasore pudicitiæ ; nam pudicitia considerari potest, vel sub respectu virtutis, vel sub respectu fortunæ, honoris, integritatis carnis ; in quantum refertur ad virtutem, non potest ab invitâ auferri et ipsa violentia horrorem injicit qui removet periculum consensus interni ; in quantum verò refertur ad bonum fortunæ, etc., est ordinis vitâ inferioris, quapropter non debet servari cum invasione occisoris. Hinc S. Augustinus lib. 1 de libero Arb. cap. 3, profitetur se non invenire quo pacto defendere posset eos qui interficerent invasorem pudicitiæ. Hæc nobis speculativè verisimiliora videntur, sed in praxi ponderandum est periculum peccati in quo quis ob suam fragilitatem conjicitur per illam violentiam externam ; adest quidem, præter mortem invasoris, aliud medium vitandi offensam Dei, quod est in gratiâ ; sed cùm illud medium, quod plerùmque supponit satis eximiam animi fortitudinem, sit observatu difficile, non facilè damnandus foret qui suam pudicitiam tueretur per vim quæ etiam impelleret aggressorem in vitæ discrimen. (Edit.)

Probatur, quia femina tunc in re tanti momenti utitur jure suo, vim vi repellendo, non minùs quàm in defensione suorum membrorum, facultatum, et bonorum, quæ virtuti castitatis sunt postponenda. Imò ad hanc defensionem tenetur, si cognoscat sibi imminere probabile periculum consensûs in peccatum ; quod in re tam lubricâ videtur esse timendum. Tunc enim saluti suæ spirituali magis providere debet quàm vitæ aggressoris ; ita tamen ut non intendat directè occidere illum, sed se defendere, etiamsi prævideat ex eâ defensione mortem illius sequi posse. In hâc enim castitatis defensione, sicut et vitæ ac bonorum, mulier debet uti moderamine inculpatæ tutelæ, unde priùs fugere debet, si possit, aut clamare, contra niti, resistere, percutere aggressorem, etc. Quòd si hæc non sufficiant, nec possit aggressorem repellere aut occidere, nullo modo debet cooperari ad hanc actionem, accommodando corpus suum, seque componendo ad turpem congressum. Item tenetur motu corporis, pedibus manibusque, aliove motu illum impedire. Nec potest quieta remanere ac passivè se habere, id est, absque substractione positivâ sui corporis aut aliquo motu huic actui contrario, sed debet quantùm potest, membrum et semen virile non recipere, continuò se agitando, retrahendo, stringendo crura, adversarium mordendo, etc. Ratio est, quia illa requies non censetur resistentia, sed cooperatio, qualis esse potest ad turpem congressum ex parte fœminæ, quæ merè passivè se habet ad copulam. Hinc aliqui putant rarò in praxi contingere feminam in nostro casu violari absque ullâ suâ culpâ : quia rarissimum est quòd sic resistendo, non possit copulam impedire præsertim si fuerit virgo aut arcta. Sed ob metum, aut ob animi imbecillitatem, quandoque etiam latentis lasciviæ affectum invita succumbit. Tandem, si femina firmissimum habeat propositum non consentiendi tunc delectationi venereæ, se Dei adjutorio cum fiduciâ committendo, nec timeat quòd sit probabile periculum consensûs, licitum erit illi non occidere invasorem, sed se defendendo citra occisionem, ac resistendo quantùm poterit, involuntariè pati integritatis amissionem corporalem, ne ille jacturam vitæ et salutis æternæ faciat.

§ 6. *Utrùm ad proximi vitam, aut pudicitiam, aut bona defendendum, licitum sit occidere injustum invasorem.*

Dico 1° licitum esse personæ privatæ, cum modera-

mine, aliisque conditionibus ad necessariam defensionem requisitis, defendere vitam ac pudicitiam proximi invasi, etiam cum occisione injusti aggressoris (1).

Prob. Nam ex præcepto charitatis, quilibet potest et tenetur diligere proximum sicut seipsum, eique in necessitate constituto succurrere ac facere quod sibi fieri vellet. Ergo et hunc invasum defendere, etiam cum occisione injusti aggressoris. Hinc D. Thomas, 2-2, q. 60, art. 6, ad 2, excusat Moysem dùm occidit Ægyptium aggredientem Israelitam, ipsum defendendo; et refert hanc D. Ambrosii auctoritatem : *Dùm quis non liberat alium patientem, dùm potest, tàm est in vitio quàm qui injuriam facit.* Idque maximè verificatur dùm persona invasa est illi amicitiâ aut affinitate conjuncta, vel necessaria reipubl. et bono communi; et aliunde ex aggressoris morte, nullum provenit communitati nocumentum. Confirmatur. Supposità aggressoris malitiâ necesse est ut sequatur vel mors illius, vel invasi. Atqui magis prospiciendum est vitæ innocentis injuriam patientis, cæteris paribus, quàm vitæ malefactoris. Ergo quando quis nequit utrumque salvare, magis succurrere debet invaso, eum defendendo cum nece aggressoris, dùm aliter innocenti prospicere non potest. Eodemque modo licitum est unicuique opem ferre mulieri à corruptore vi oppressæ, defendendo illius pudicitiam, etiam cum morte aggressoris. Si tamen innocens non velit hoc modo suam vitam defendere, cùm posset, ac nolit ab alio defensione occisivâ defendi, malitque mortem pati quàm invasorem occidi et damnari, ex motivo charitatis, tunc non tenetur persona particularis extranea, invasum defendere, saltem cum invadentis occisione. Idemque dicendum est de feminâ oppressà à corruptore, si se defendere, aut ab alio defendi nolit, aut valdè tepidè se habeat, nec clamet, nec adjutores ac defensores advocet. Tunc enim corruptorem occidere non licet personæ privatæ extraneæ; si tamen ea injuria et vis illata redundaret in alium, puta patrem aut matrem feminæ possent isti defendendo cum moderamine ejus pudicitiam occidere corruptorem, si desistere nolit ab eâ injuriâ inferendâ, neque alia via suppetat ad eam impediendam, ut quidam docent.

Cæterùm si femina talem concubitum abhorreat, et ideò non clamet, quia timet ne ex manifestatione hujus violentiæ et invasionis, aliquam infamiæ notam contrahat, tunc persona privata etiam extranea quæ id probè et certò sciret posse licitè huic feminæ opem ferre, eamque defendere cum invasoris occisione.

Hinc graviter peccat persona privata, etiam si sit clericus aut religiosus, quæ certò sciens conspirationem injustam contra alterius vitam, ipsi non manifestat, ut se incolumem servet, quando aliâ viâ non potest huic nocumento obviari. Idem dicendum de eo qui scit latrones decrevisse ad de nocte alterius domum invadendum, furandum, et fortè occidendum, non admonet de hoc dominum per se, vel per alium, ut sibi caveat. Idque revelare tenetur etiamsi sub secreto hujusmodi conspirationis notitiam habuerit: non enim tenetur quando vergit in grave nocumentum innocentis aut boni communis, aliâque viâ averti nequit. *Unicuique enim mandavit Deus de proximo suo;* et Proverb., cap. 24, dicitur unicuique : *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et eos qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.*

Dico 2° : Quando persona privata defendendo proximi bona, necesse habet occidere furem, idque præstare nequit absque gravi suarum rerum damno, vitæque propriæ probabili periculo, quamvis tunc possit eam defensionem exhibere, ad hoc tamen in isto casu minimè tenetur. Probatur prima pars conclusionis. Quamvis enim cùm duo nostri proximi sunt in eâ necessitate constituti, ut unus habeat perdere vitam, alius verò solùm bona temporalia, teneamur magis succurrere primo, quàm secundo, cæteris paribus, non tamen in nostro casu, quia, ut supra dictum est, latro non est censendus in articulo necessitatis perdendi vitam, cùm ipsemet ex propriâ malitiâ se tali periculo exponat, et facilè possit se ab eo liberare. Unde sicut propter hoc invasus habet jus se suaque defendendi cum moderamine, etiam cum occisione furis, ita etiam habet jus vocandi amicos aut alios, ut ei opem ferant in eâ defensione, qui proindè licitè poterunt ei succurrere. Idque confirmari adhuc potest rationibus supra adductis.

Probatur secunda pars conclusionis : Lex enim charitatis non obligat ad succurrendum proximo, cum majori nostro proprio nocumento, ut scilicet nos exponamus periculo mutilationis aut necis ad ejus bona temporalia conservanda. Et certè cùm ipsemet dominus ob timorem perdendi vitam, possit sua bona non defendere, et eorum ablationem pati multò magis id licebit aliis. Stante igitur gravi illo periculo persona privata non tenetur, sufficitque ut moneat, furem denuntiet, clamet, aliove modo impediat furtum, si possit. Sunt aliqui ex officio obligati ad bona proximi defendenda, nempe principes, prætores, gubernatores, et magistratus, eorumque satellites, atque etiam milites et feudatarii ac famuli stipendiarii, aliique quibus ex officio aut ex stipendio commendata est cura et tutela aliorum.

Utrùm autem omnes isti ex justitiâ obligati teneantur proximos defendere etiam cum propriæ vitæ periculo, resp. auctores, circa hoc non posse dari unam certam regulam universalem, sed expendendas esse varias circumstantias ad dignoscendum quando et cum quanto periculo ac damno proprio hujusmodi personæ teneantur alienum damnum impedire, nempe quantitatem et gravitatem periculi, quod ministris publicis inde imminet. Item probabilitatem impediendi damnum innocentis. Item stipendium quod ministro datur.

(1) Hæc sunt intelligenda in sensu præcedentium assertionum, unde non plus licet ad proximi defensionem quàm in propriam; qui succurrit injustè invaso non agit virtute publicæ auctoritatis, quæ nocentes plectit gravibus pœnis ad bonum publicum, sed tantùm nomine invasi qui, cùm possit per alium quod posset per seipsum, meritò defenditur iis mediis quæ sibi jure naturali sunt permissa. (Edit.)

ad eam obligationem suscipiendam : præsertim si illud recipiant ad hoc ut iis dominus stipatus quasi armatâ familiâ securus incedat : isti enim cum majori periculo proprio tenentur defendere dominum quàm alii servi conducti ad ministrandum. Milites adhuc cum majori vitæ periculo ad cives defendendum, quàm alii ministri publici. Gubernator verò civitatis, qui magis est minister ad pacem, quàm ad bellum, et cujus persona magis est necessaria ad bonum publicum non debet sed tanto periculo exponere, quanto ejus satellites, dùm mittuntur ad capiendum aliquem malefactorem.

§ 7. *De monomachiâ et duellistarum cædibus.*

Duellum dicitur quasi duorum bellum, et in jure monomachia appellatur, seu unius cum altero conflictus, aut paucorum inter se certantium ex condicto, certo tempore, ad locum designatum sese de industriâ conferentium, ad dimicandum cum vitæ periculo.

Dico istud singulare certamen esse de se intrinsecè malum, illicitum, et omni jure prohibitum. Ita communiter auctores.

Probatur 1°, quia alium ad duellum provocans est verè aggressor, et de industriâ intendit ac eligit mortem illius; quod in nullo casu potest esse licitum, ut sæpè dictum est. Illud verò acceptans transit in crimen alienum, nec censetur adhuc invasus ab alio, ut possit licitè vim vi repellere cum debito moderamine, cùm semper aliâ viâ justè se suaque tueri valeat. Potest enim et debet christianè et honorificè duellum non acceptare, ac respondere se nolle ex condicto singulare certamen inire, ne Deum, Ecclesiam et principem offendat; posse tamen sibi justâ licitâque defensione consulere, si à quoquam injustè invadatur, et ensem ferre ad se tuendum : hoc autem modo vim moderatè repellit. Si verò postea adversarius absque pacto et conventione per occursum ipsum aggrediatur, et armis impetat, tunc in actuali illo conflictu, licitè poterit se armis defendere cum moderamine, etiamsi per accidens et præter ejus intentionem sequatur mors aggressoris. Unde acceptatio duelli nullatenùs est licita, neque necessaria ad ignominiæ dedecoris et ignavi animi notam vitandam, cùm apud viros sapientes et verè christianos id summæ tribuatur laudi et honori, et legibus poli et fori duellistæ reputentur infames, ac puniantur ut tales. Satis enim vir nobilis suam generositatem ostendit, dùm non fugit, nec domo se reclusum servat, nec per vias indirectas incedit, etc., sed modo solito conversatur, suaque negotia peragit nihil timens, paratus se defendere si invadatur. Hinc meritò Alexander Papa VII hanc propositionem damnavit : *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

A fortiori non erit licitum acceptare duellum, propter alias causas, quas refert ac refellit Cajetanus in utràque Summâ. Inprimis ad ostentandas vires, aut artis digladiandi dexteritatem, ut legitur 1 Regum 17 de Goliath. Est enim mortale peccatum, pro tam vano fine vitam propriam corporalem et spiritualem periculo exponere. David autem nonnisi à Spiritu sancto specialiter excitatus, cum Philistæo gigante pugnavit. Idem dicendum putat Cajetanus, quando absque justâ necessitate, designantur plures in pari numero milites utriusque exercitûs ad singulare certamen ineundum ex condicto, et ad vires ostentandas, quia finis belli locum non habet in isto singulari certamine, cùm non ordinetur ad bellandum, minuendumque vires hostium, sed ad vanam hominum ostentationem. Concedit tamen Cajetanus licitum esse bellum justum resolvere in duellum : quando scilicet una pars habet justum bellum, videt se viribus imparem, et meritò timet infelicem exitum, si pugnam generalem cum toto exercitu suscipiat. Iste enim dux in eo casu sibi cautè et prudenter providet, ac viribus suis utitur meliori modo quo potest ad vitandam communem suorum militum et subditorum cladem. Inde etiam constat non esse licitum duella voluptatis aut spectaculi gratiâ inire, ut olim in circo Romano fieri solebat. Digladiatores tamen excusantur, qui joco et exercitii causâ certant ad invicem, unde etiam militaria exercitia quæ non ad cædem aut vulnerationem ordinantur, nec per se afferunt illius periculum, non censentur duella.

Nec etiam licitum est duellum ad litem terminandum, quia justitia causæ exponitur periculo, et qui eam habet, succumbere potest : unde non est medium ad hoc ordinatum, et aliunde valdè periculosum et atrocissimum. Neque tandem adhiberi potest duellum ad purgationem criminis objecti, ac manifestationem innocentiæ et veritatis : id enim fit cum usurpatione divini judicii et tentatione Dei. Nec est verum testimonium illius, sed diabolica inventio, sortilegium ac superstitionem redolens; inter purgationes vulgares ab Ecclesiâ damnatas reponitur à D. Thomâ, 2-2, q. 95, art. 8, ad 3. Denique non est medium aptum ad talem finem consequendum, cum innocens possit ab adversario occidi.

Utrùm verò judex possit offerre duellum innocenti injustè accusato et damnando ad mortem, aut eum damnare, nisi duellum cum injusto accusatore acceptet; utrùm, inquam, licitè illud acceptare valeat, quidam affirmant, eò quòd licet judex et accusator peccent, duellum offerendo, iste tamen injustè accusatus, non peccat illud acceptando, ut quâ possit viâ vitam propriam et innocentiam valeat defendere. Alii verò id non admittunt, quia judex instar agentis naturalis debet habere vim et virtutem restitivam ac propulsativam multò fortiorem, ut subjiciat reum, et uti mediis licitis. Unde peccat in nostro casu : videtur autem illius peccato cooperari, qui duellum acceptat. Si tamen falsus accusator ipsum gladio impeteret ad occidendum; posset tunc in eo actuali conflictu se defendere etiam cum aggressoris occisione, per accidens et præter ejus intentionem proveniente.

Prob. 2° nostra conclus. Duella reprobantur in jure canonico causâ 2, q. 5, can. *Monomachia*, et tit. de Cler. pugn., cap. *Henricus*, et cap. *Cura*, extra de Purgat. vulgari. In concilio Trident. sess. 25 de Reform.,

cap. 19, ubi duellistis imponitur pœna excommunicationis ac omnium bonorum proscriptionis, et perpetuæ infamiæ, et tanquàm homicidas puniendos esse decernitur Item ecclesiasticâ sepulturâ privantur, si in ipso conflictu decesserint; censuris etiam subjiciuntur consulentes, cooperantes, spectatores, etc. Item in Bullis Gregorii Papæ XIII, quæ incipit *Ad tollendum;* et Clementis Papæ VIII, quæ incipit *Illius vices*, et Alexandri Papæ VII loco citato.

Cæterùm Ecclesiæ Gallicanæ antistites experimentis addiscentes, per hujusmodi pœnas et reservationes pontificias, Gallorum duella nullatenùs emendari, sibi hujus atrocis criminis absolutionem in publicis totius Gallicani cleri Comitiis reservârunt, atque circa hoc missis ad regem oratoribus nova pœnalia edicta impetrârunt, cum solemni promissione nullo casu has pœnas remittendi, easque præsertim, quæ infamiam ac ignobilitatem personis ac familiis nobilissimis inurunt (1).

§ 8. *De bello et militum occisionibus.*

Bellum à duello differt, quòd non est certamen unius vel paucorum pari ac designato numero inter se pugnantium, sed eorum numerus liber relinquitur, et turmatim prælium initur. Bella gerere licitum esse constat : unde D. Augustinus meritò impugnat Faustum dicentem ea esse damnanda, lib. 23, c. 74 et 75, cùm illa Deus quandoque imperaverit, ut colligitur ex Script. Num. 25. Item in libris Regum, et in Psalmis, et Lucæ 3, ubi D. Joannes Baptista non dixit militibus quòd arma abjicerent ac militiæ renuntiarent, sed solummodò, ut eam justè exercerent : *Neminem concutiatis, contenti estote stipendiis vestris*, etc. Sicut enim judex illatas civibus injurias potest resarcire, et malefactores punire ac occidere, sic princeps et respublica licitè possunt injurias, quæ in damnum publicum redundant indicto bello vindicare, quamvis inde hostium cædes consequantur. Imò licitum est militibus in bello justo in suî defensionem illas intendere tanquàm medium, ordinando illas in bonum commune tanquàm ad finem, ut docet D. Thomas, 2-2, q. 64, art. 7.

De bello agit ex professo D. Th., 2-2, q. 40, per 4 articulos. In primo probat non semper esse peccatum, sed esse licitum si fuerit justum, proindeque cædes in eo factas, non esse homicidia. Porrò ad justitiam belli, has tres conditiones exigit. Primò auctoritatem in movente bellum, nempe ut sit supremus princeps, non habens supra se alium apud quem conqueri possit, et ab eo expectare vindictam ac justitiam. Secundò requiritur causa justa, ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam, talem impugnationem mereantur; ex defectu harum duarum conditionum, bellum est injustum, et obligat ad restitutionem damnorum injustè læsis illatorum. Undè sicut judex antequàm sententiam ferat, tenetur litigantium causas diligenter examinare, ita princeps antequàm bellum contra alium moveat, debet priùs per se et per viros prudentes ac probos expendere causas, et tentare alia media dirimendi controversiam, si nempe debita satisfactio pro injuriâ acceptâ, absque vi et armis obtineri valeat. Requiritur tertiò, ut sit intentio bellantium recta, quâ scilicet intenditur, vel ut bonum commune promoveatur, vel ut malum vitetur; propter autem pravam intentionem, nocendi cupiditatem, ulciscendi crudelitatem, implacatum et implacabilem animum, feritatem rebellandi, libidinem dominandi, odii aut invidiæ impulsum, et si quæ sunt similia, bella sunt culpabilia et peccaminosa contra charitatem; sicut dùm judex legitimus justè quidem reum damnat ad mortem, peccat contra charitatem, si cum aliquo odio aut irâ id faciat.

Igitur causa legitima indicendi bellum, est injuria accepta, ut ait D. August. super Josue, quæ aliâ viâ, quàm armorum vi resarciri nequit. Nec ad hoc. quælibet injuria sufficit, sed debet esse gravis judicio prudentum : si enim ob levem injuriam bellum indiceretur, reparatio damni, quæ inde speratur, multùm excederet quantitatem nocumenti illati, propter cædes, incendia, vastationes maximas, aliaque atrocia, quæ in bello contingunt. Ut autem dicitur Deuteron. 25, juxta mensuram delicti, debet esse plagarum modus. Item, hæc gravis injuria debet esse illata principi, vel toti reipub., vel majori ejus parti, et non præcisè aliquibus privatis, quia æquum non videtur omnes universaliter pati, et rempub. perturbari pro paucorum privatorum nocumento, si directè non redundet contra bonum commune.

In bello justo licet omnia facere quæ necessaria sunt ad vindicandam injuriam, et ad boni communis defensionem, ut vastare, obsidere, destruere arces, nocentes interficere absque nimiâ atrocitate aliaque damna inferre, quantùm necesse est ad habendam pacem et securitatem ab hostibus. Ut enim ait noster Victoria de jure belli, princeps supremus non solùm habet auctoritatem in suos subditos, sed etiam in extraneos ad coercendum illos ut ab injuriis inferendis abstineant; et hoc jure gentium et totius orbis auctoritate et consuetudine. Imò videtur quòd etiam de jure naturali hoc illi concedatur; quia nisi esset penès aliquos vis et auctoritas deterrendi improbos ac coercendi ne innocentibus noceant, perturbaretur nec posset stare mundus. Ea autem quæ sunt necessaria ad gubernationem et conservationem orbis, sunt de jure naturali, et hostes tunc obnoxii sunt principi tanquàm judici proprio, ratione delicti. Hinc in ipso conflictu prælii, vel in oppugnatione aut defensione civitatis et quamdiù res est in periculo, licitum est indifferenter occidere omnes qui contra pugnant.

An verò partâ jam victoriâ, et ubi periculum ab hostibus cessat, liceat interficere omnes qui contra tulerunt arma, vel ad bellum iniquum cooperati sunt, resp. quandoque id esse licitum dummodò id recta ratio dictet, puta si probabiliter timeatur, quòd isti futuri sint boni communis perturbatores, ac arma iterùm contra sumpturi, nec aliter pax firma et securitas

(1) Vid. bullam Benedicti XIV, *Detestabilem*, ann 1752. Bullar., t. 10, ed. Mechliniensis.

haberi possit in posterum, nisi timore supplicii hostes ab injuriâ denuò inferendâ contineantur. Quamvis secundùm jus et consuetudinem inter Christianos hactenùs usitatam, parcendum sit multitudini, et sæviendum in capita, ut punitio paucorum sit exemplum et cautela plurimorum. Imò, juxta nostrum Victoriam, non semper licet omnes nocentes interficere solummodò ad vindicandam injuriam, quia etiam inter cives ubi esset delictum commune totius civitatis, aut provinciæ, non liceret interficere omnes nocentes, nec in communi rebellione perdere totum populum. Unde pro simili facto, D. Ambrosius Theodosio imperatori interdixit ingressum Ecclesiæ. Id enim foret contra bonum publicum, quod tamen est finis belli et pacis. Ergo nec etiam licet omnes nocentes ex hostibus interimere, sed habenda est ratio injuriæ ab hostibus illatæ, eamque justè quidem vindicare, seclusâ omni atrocitate et inhumanitate. Possunt tamen in captivitatem redigi dùm bellantes capiuntur, non quidem eo fine ut perpetuò libertate priventur, sed solùm ad tempus, donec pecuniam pro suâ redemptione solverint; qui tamen aufugere possunt, si valeant, dummodò id non faciant animo vagandi sed ad suos suamque patriam redeundi. Digest. de Captivis, L. *Nihil interest*, et ex Instit. de rerum Divis. § *Item ea*, circa quod servandum est jus gentium, bellique leges sunt attendendæ.

An verò saltem obsides, qui vel tempore inducirum, vel peracto bello recipiuntur, interfici possint, si hostes conventioni non steterint, fidemque fregerint, resp. auctores id esse licitum, si obsides sint nocentes et perturbatores, imò etiamsi innocentes extiterint, ut aliqui volunt, quia frangenti fidem fides servari non debet, et huic periculo videntur exponi obsides, ut puniantur, pro aliis, ac tanquàm fidejussores pro illis solvant, si promissis non stent. Tandem id quandoque censetur necessarium, ad hoc scilicet ut terreantur hostes, ac talis pœnæ metu fidem servent. Aliis hoc videtur inhumanum et illicitum : nunquàm enim licet, etiam in bello, per se ac directè occidere innocentes. Innocentes autem sunt in duplici differentiâ : alii enim sunt innocentes jure naturæ, ut pueri, senes, mulieres et alii qui arma gestare nequeunt, nec bello, per se loquendo, cooperari. Alii verò sunt innocentes ex præsumptione juris, ut rustici, clerici, religiosi; cùm enim eorum status alienus sit à militiâ, præsumuntur innocentes per respectum ad illam, nisi fortè tam de prioribus quàm de posterioribus contrarium constaret. Posset enim contingere mulieres, senes, etc., consilio, suasione, aut etiam auctoritate concurrisse ad bellum. In quo casu censerentur reipsà nocentes. Si tamen sint reverà innocentes, nunquàm licitum est eos directè ac ex intentione occidere, sed solùm per accidens præter intentionem et indirectè, ut supra ostensum est. Possunt tamen in bello privari bonis temporalibus, et ex illis princeps damna illata ab hostibus, inter quos sunt isti innocentes, resarcire potest, quia illa bona sub dominio humano cadunt, secùs verò innocentis vita. Eodemque modo licet innocentes in captivitatem ducere, sicut licet eos bonis spoliare, quia libertas et captivitas inter bona fortunæ reponuntur : potest enim quis se in servitutem et captivitatem tradere. Cætera quæ de bello dicenda forent circa spoliationem bonorum, deprædationes hostium, furta et rapinas militum, tractantur à nobis in expositione septimi præcepti Decalogi, art. 4. Hic autem solùm agimus de occisionibus quæ fiunt in bello.

COROLLARIUM.

Ex dictis hactenùs facilè dignosci potest quænam cædes hominum sint vera homicidia, et contra istud quintum Decalogi præceptum, quænam verò non. Colligitur etiam homicidium esse de se intrinsecè malum, et peccatum mortale ex genere suo, contra charitatem et justitiam, ac cæteris paribus, tantò gravius aliis delictis quæ committuntur contra proximum, quantò vita hominis, quæ tollitur, cæteris bonis exterioribus est pretiosior. Porrò homicidii malitia augeri potest ex quatuor circumstantiis. Primò ex conditione personæ quæ occiditur, ut si fuerit persona publica aut sacra, aut consanguinea, aut parens et vocatur parricidium. Secundò, ex circumstantiâ loci; ut si homicidium in loco sacro perpetretur; et est sacrilegium in confessione explicandum, polluitur enim ecclesia, dùm in eâ injustè quis vulneratur, et sanguis humanus funditur. Tertiò, ex circumstantiâ temporis, quando scilicet homicida longo tempore propositum occidendi habuit, aut ad illud implendum et exequendum diù laboravit, insidias paravit sæpissimè, fraudem adhibuit, atrocem crudelitatem, etc. Quartò, ex circumstantiâ sociorum, ut si aliquos induxerit et vocaverit ad hujusmodi facinus perpetrandum, etc. Cæterùm, homicidium nequit esse solùm veniale peccatum ex parvitate materiæ; tollitur quippe hominis vita à quocumque sive à paupere, vili et plebeio, sive à divite ac nobili adimatur, et inducit obligationem restituendi.

§ 9. *De homicidio casuali.*

Divus Thomas, 2-2, q. 64, art. 8, quærit utrùm aliquis casualiter occidens hominem incurrat homicidii reatum : et hoc dubio finem imponit tractatui de homicidio, suoque more multa paucis complectitur, duas afferens regulas generales, quibus resolvi possunt omnes casus particulares circa homicidium casuale occurrentes, et dignosci an qui illud patravit incurrat homicidii reatum, seu sit reus pœnæ. Reatus enim, ut docet D. Thomas in 2 lib. Sent., dist. 42, quæst. 1, art. 2, propriè loquendo nihil aliud est quàm obligatio ad pœnam. Et quia hæc obligatio est media inter culpam et pœnam, ex eo quòd propter culpam aliquis ad pœnam obligetur, ideò reatus accipitur ali quando pro utrâlibet. Ideò sensus hujus tituli D. Thomæ art. 8, potest esse an ex homicidio casuali incurratur homicidii culpa, aut saltem pœna, seu irregularitas. Unde Bannes hîc, et alii auctores tractant de irregularitate : et nos ipsi in tractatu de Just.

D. Thomas in isto art. 8, docet quòd juxta Philosophum in lib. 2 Physic., textu 49, casu dicitur aliquid

evenire dùm contingit, causâ agente præter intentionem : et ideò ea quæ casualia sunt simpliciter loquendo, non sunt intenta, neque voluntaria directè aut indirectè et in causâ, proindeque in quantum hujusmodi non sunt peccata, quia juxta D. August. omne peccatum est voluntarium. Contingit tamen id quod non est actu et per se volitum vel intentum, esse per accidens volitum vel intentum, secundùm quòd causa per accidens dicitur removens, prohibens. Unde in illo qui non removet ea ex quibus sequitur homicidium, si debeat removere, erit quodammodò homicidium voluntarium indirectè, utpote quia tunc concurrant hæc tria quæ requiruntur et sufficiunt ad illud constituendum, nempe quòd possit, quòd teneatur, et non faciat. Hoc autem contingit dupliciter : uno modo quando dans operam rebus illicitis quas vitare debebat, homicidium incurrit ; alio modo, quando non adhibet debitam sollicitudinem.

Prima igitur regula generalis ab omnibus recepta, et secundùm jura, est quòd si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, et ex hoc homicidium sequitur, non peccat, nec incurrit homicidii reatum : secùs dicendum si non adhibeat sufficientem diligentiam, ne inde consequatur homicidium. Ut si cœmentarius reparans tectum, apponat signum quo homines admoneantur ne illàc transeant, prout communiter fieri solet, tunc si quis transiens cadente tegulâ lædatur aut occidatur, tale homicidium nullatenùs cœmentario imputabitur, utpote nullatenùs ei voluntarium, nec etiam indirectè et in causâ, et colligit D. Thomas hîc in *Sed contra* ex D. August., Epist. 154 ad Publicolam. Benè tamen si non apposuerit tale signum ; per hoc enim poterat homicidium impedire et debebat, unde illud omittendo, censetur non adhibuisse diligentiam necessariam et sufficientem. Et sic de aliis similibus.

Porrò debita hujusmodi diligentia et circumspectio desumenda et mensuranda erit ex circumstantiis loci, temporis, personarum, et ex qualitate ac naturâ negotiorum, ita ut ubi majus periculum prævidetur aut timetur, ibi major diligentia adhibeantur ; in quibusdam enim negotiis, diligens censetur, qui facit illud quod fieri consuevit, ut habetur extra. de Homicidio, can. *Joannes*, de eo qui campanas juxta solitum licitè pulsat, qui nullius est reus negligentiæ, si inde ex earum casu fortuito aliquis occidatur. In quibusdam verò aliis negotiis aliquid periculi remotè habentibus, ille censetur diligens, qui ea sic disponit et facit ut circumspiciat, quæ prudenter et rationabiliter considerari debent, et generaliter ea diligentia dicitur sufficiens, quam viri probi ac prudentes in his circumstantiis adhibere solent ac sufficientem judicant, ut rectè docet Cajetanus in Commentario hujus art. 8 D. Thomæ.

A fortiori reus erit homicidii qui dando operam rei illicitæ, nec adhibendo sufficientem diligentiam, hominem occidit etiam præter intentionem, ut docet hîc D. Thomas : tunc enim censetur homicidium indirectè voluntarium et in causâ. An autem si adhibeat talem diligentiam, adhuc incurrat homicidii reatum et irregularitatem, sub lite est. Sylvester enim, Cajetanus et alii affirmant. Imò D. Thomas videtur hoc indicare hîc, dùm ait, quòd homicidii reatus ex duplici capite incurri potest : uno modo quando aliquis dat operam rei illicitæ, quam vitare debebat ; altero modo quando non adhibet sufficientem diligentiam, etiamsi det operam rei licitæ. Ergo sunt duo modi differentes incurrendi reatum et irregularitatem ex homicidio casuali culpabili, quorum uterque sufficit sine altero. Ibidem hoc satis adhuc indicat sanctus doctor verbis quibus concludit corpus præfati art. 8, ut legenti patebit. Idem docent canonistæ. Et ratio est, quia dans operam rei illicitæ, nunquàm censetur adhibuisse diligentiam sufficientem, ne sequatur mors alterius, nisi penitùs omittat eam actionem ; sic enim poterat et tenebatur impedire : proindeque si inde eveniat, censetur voluntaria indirectè et in causâ, hoc ipso quòd eam actionem omittere noluit. Cano verò, Penna et alii negant. D. Thomas enim, 1-2, q. 73, art. 8, ait, quòd *quandoque nocumentum quod alteri infertur, nec est prævisum, nec intentum ; et tunc si per accidens se habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directè ; sed propter negligentiam considerandi nocumenta quæ consequi possunt, imputantur homini ad pœnam mala quæ eveniunt præter ejus intentionem, si dabat operam rei illicitæ.* Hæc D. Thomas.

Sotus tandem, Covarruvias, Bannes et alii utuntur hâc distinctione, nempe quòd ille qui dat operam rei illicitæ de se, ex naturâ suâ periculosæ, læsivæ, et ad mortem tendentis, incurrit reatum et irregularitatem, quantumvis adhibeat sufficientem diligentiam, ex cap. fin. de Homicidio in 6, ubi quidam judicatur incurrisse irregularitatem, qui mandavit servo suo ut quempiam verberaret, non tamen occideret, ex hoc quòd verberatus postea mortuus fuerit. Et D. Thomas hîc, ad 2 docet quòd ille qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ. Et ideò si sequatur mors vel mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen, præcipuè cùm ex tali percussione in promptu sit, quòd mors sequatur. Si verò quis dabat operam rei illicitæ, quæ de se et ex naturâ suâ non tendit ad læsionem nec ad mortem, si adhibeat sufficientem diligentiam ne sequatur, non incurrit homicidii reatum et irregularitatem, ut si quis conscendens alienam arborem ad furandos fructus, inde cadens in terram super alium hominem ibi subtùs arborem existentem, illum occidat, non censetur homicidii reus, eò quòd talis ascensus arboris non habebat hujusmodi periculum annexum, et casus fuit omninò fortuitus : idem dicendum de eo qui cædendo arborem furtivam, vel laborando in die festo, vel pulsando campanas tempore interdicti, etc., adhibitâ sufficienti diligentiâ, hominem casualiter occidit. Hæ enim et similes actiones illicitæ sunt aliunde quàm per respectum ad homicidium, cùm nullam habeant tendentiam et propinquitatem ad illud, sicque nullo modo reddunt illud indirectè voluntarium, si ad illud vitandum diligentia sufficiens præcesserit. Esto quòd in foro externo ille

qui hujusmodi actiones exercet, præsumatur negligens in considerandis nocumentis quæ inde sequi possunt, eò quòd debuit cogitare ea evenire posse.

Secunda regula generalis est, quòd quando aliquis dat operam rei illicitæ etiam per respectum ad læsionem et necem, quia scilicet ad illam tendit, ejusque proximè affert periculum, quantùmcumque adhibeat diligentiam, si tamen ex suâ actione sequatur occisio alterius, incurrit homicidii reatum et irregularitatem, ut dicit D. Thomas hîc, ad 2 de eo qui percutit mulierem gravidam. Idem dicendum de eo qui gravem illi timorem incutit, quoniam tales actus, ut in pluribus, tendunt ad causandum abortum. Item tenere infantes tenellos secum in lecto inter dormiendum, est opus periculosum et illicitum per respectum ad homicidium, quia inde facilè et ut plurimùm sequitur eorum oppressio et suffocatio; nec propter frigus censetur hoc licitum, quia non sunt facienda mala, ut evitetur aliud malum, sed alio modo provideri potest, puta tenendo tabulam intermediam supra cooperturam lecti, ne infans ab eâ suffocari possit, aut aliquid simile faciendo. Ad hoc genus reducit Cajetanus immoderatam sagittæ emissionem, relaxationem equorum calcitrantium aut animalium malignantium, et quorumcumque de se lædere valentium: hæc enim aliaque similia culpabilem reddunt necem inde consequentem. Comprehendit etiam sub hoc genere immoderatam medicinam, quæ tantò magis medicum reddit homicidam, quantò minùs est præter intentionem; quia non debet tentare medicinarum vim cum periculo vitæ alienæ: nec ubi certa morbi notitia deest, potest exhibere periculosam de vitâ medicinam, de cujus medicinæ viribus non potest se excusare qui vacat medicinæ. Hæc Cajet.

Si verò aliquis det operam rei illicitæ ex aliâ tantùm ratione et circumstantiâ quàm per respectum ad homicidium, cujus nullum prorsùs affert periculum, videtur illius reatum non incurrere si accidat, dummodò adhibuerit sufficientem diligentiam ad illud vitandum, ut constat exemplis et rationibus pro tertiâ sententiâ adductis, per quam concordantur duæ aliæ contrariæ et optimè salvatur D. Thomæ doctrina, nempe quòd occisio hominis per accidens, seu præter intentionem, culpabilis reddi potest ex duplici capite, scilicet vel ex immoderatâ actione, vel ex negligentiâ. Distinguit autem Cajetanus negligentiam eorum qui possunt et debent ex officio providere, à negligentiâ eorum qui possunt et debent ex articulo necessitatis providere. Nullus enim negligit, qui licet possit, non tamen debet; negligentia itaque hæc tria exigit, scilicet, posse, debere et non facere. Unde imputatur homicidii peccatum dominis et officialibus, si ex eorum negligentiâ occidatur homo; et hoc sive in casu invasionis particularis occurrat, sive in casu quo publicis viis non providetur, sive in casu quo civitas sine justitiâ aut quasi sine justitiâ regitur, et quasi cuilibet licet impunè occidere, mutilare, ob favores, aut pecuniam, aut ignaviam, etc. Omnium enim malorum hujusmodi rei sunt, qui tenentur custodire justum publicum.

Sub hoc quoque genere comprehenditur negligentia medicorum, qui alicujus ægri curam susceperunt, dùm ob eorum negligentiam in studendo, visitando, etc., perit, quoniam ex susceptâ curâ tenentur. Imputatur denique homicidii crimen iis qui possunt et ex articulo necessitatis occurrente tenentur occurrere, si non occurrunt: puta si non pascit fame morientem, juxta illud D. Ambrosii: *Si non pavisti, occidisti.* Item si non occurrit ad tuendum proximum invasum, si potest cum moderamine, juxta illud D. Ambrosii: *Qui non repellit à proximo injuriam si potest, tam est in vitio quàm ille qui facit.* Item si revelando aut retrahendo, etc., non providet ne aliquis ex sibi noto tractatu, proposito, etc., interficiatur, quia tenetur adjuvare et quantùm in se est eruere proximos à morte. Hactenùs Cajetanus in Summâ.

Et in Commentario hujus octavi D. Thomæ articuli assignat tres conditiones communes duabus regulis et radicibus jam à nobis allatis, nempe quando contingat homicidium casuale imputari homini danti operam rei illicitæ vel etiam licitæ, non adhibenti sufficientem diligentiam. Primò, ut non habeat intentionem nec directè neque indirectè alium occidendi, aliàs homicidium non esset casuale, sed volitum. Secundò, ut mors proximi consequatur ex illâ actione vel omissione diligentiæ, et non aliunde ex aliis causis, ut si non ex vulnere inflicto, sed ex malâ curâ et regimine proveniat. Tertiò, quòd teneatur removere id ex quo sequitur homicidium, seu quòd ad hoc obligatus fuerit naturali, vel divino, vel humano jure. Ratio est, quia cùm homicidium casuale non sequatur ex intentione, nec possit esse directè voluntarium, restat ut solùm se qui possit ex opere et actione istius hominis, et esse voluntarium indirectè in eâ causâ. Ad voluntarium autem indirectum, non sufficit quòd voluntas possit illud prohibere, sed etiam requiritur quòd debeat et non faciat.

Porrò quotiescumque aliquis incurrit reatum homicidii casualis, sive dando operam rei illicitæ, sive non adhibendo sufficientem diligentiam, tunc ad dignoscendum an culpa sit mortalis, aut venialis, in primo casu desumi debet à naturâ actûs illiciti; in secundo verò casu, à negligentiæ qualitate. Si enim actus ille fuerit periculosus et mortalis, iste incurrit culpam lethalem; si verò fuerit solùm venialis, culpa etiam erit solùm venialis. Idem dicendum de negligentiâ; v. g., si vir nobilis dans operam rei licitæ, puta venationi moderatæ, non satis circumspexit, et ex levi negligentiâ occidit hominem casu et per accidens, occisio illa erit solùm venialis. Atverò monachus dando operam venationi, quæ est ipsi venialiter illicita, si post adhibitam sufficientem diligentiam, casu hominem occidat in nemore, quidam docent quòd occisio erit venialis; in quo casu, secularis nec etiam venialiter peccàsset, quia scilicet in causâ est solùm veniale peccatum ex parte monachi: nullum verò est peccatum in seculari qui exercet venationem moderatam,

adhibitâ sufficienti diligentiâ. Vel, ut ait Cajetanus, solius venationis reus foret monachus, idque colligit in simili casu, ex cap. *Dilectus*, vel cap. *Significâsti*, extra. de Homicidio, et ex D. August. dicente quòd Loth, non quantùm ille incestus, sed quantùm ebrietas præcedens meruit, in culpâ fuit.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE AFFECTIBUS ET VITIIS, QUÆ AD HOMICIDIUM QUODAMMODO REDUCI POSSUNT.

Cùm lex Christi sit spiritualis, quæ proinde non solo externo opere, sed magis spiritu adimpleri debet, non sufficit ad hoc præceptum implendum continere manum à cæde et membrorum mutilatione, aut quâvis aliâ violentiâ, nisi etiam homines contineant animum ab omnibus affectibus, qui ad homicidium possunt tendere, iracundiâ scilicet, odio, alienæ mortis pravis desideriis, aut gaudio de illâ, aliisque proximi nocumentis. Hinc Catechismus concilii Tridentini reprehendit Judæorum stupiditatem credentium se istud præceptum observare abstinendo præcisè ab homicidio, ostenditque interprete Christo prohiberi etiam voluntatem occidendi, iram, rixam, dissensiones, et alia hujusmodi, ex quibus occisiones hominum plerùmque oriri solent. Ideòque de illis breviter hîc sermo erit.

ARTICULUS PRIMUS.

An aliquis, ob bonum proprium temporale, alterius mortem vel grave malum optare possit absque peccato.

Dico, hoc esse prorsùs illicitum et ab Ecclesiâ meritò condemnatum. Innocentius enim papa XI istam quorumdam damnavit propositionem et opinionem : *Si cum debitâ moderatione facias, potest absque peccato mortali de vitâ alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu appetere et desiderare; non quidem ex displicentiâ personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

Probatur primò nostra conclusio ex D. Thomâ in quæstionibus disputatis q. 2 de Virtutibus, et q. unicâ de Charitate, ubi ait, quòd possumus illis quos ex charitate diligimus, velle aut inferre aliquod malum temporale propter tria. Primò propter correctionem ; secundò, in quantum temporalis prosperitas aliquorum est in detrimentum alicujus multitudinis, vel etiam totius Ecclesiæ ; tertiò ad servandum ordinem divinæ justitiæ, juxta illud Psalm. : *Lætabitur justus cùm viderit vindictam*, etc. Idemque docet in 3 lib. Sent. dist. 30, art. 1, ad 4. Atqui motivum proprii boni temporalis, etiam valdè notabilis, ad nullum ex his tribus capitibus reduci potest, prout consideranti patebit. Ergo sentit D. Thomas id non esse licitum.

Confirmatur. Ex eodem D. Thomâ, 2-2, q. 26 : Ordo charitatis cadit sub præcepto ; ex illo autem plùs tenemur diligere et æstimare vitam proximi quàm ejus divitias. Ergo videtur gravis inordinatio, et valdè ordin. charitatis opposita, optare proximo mortem omniura maiorum maximum, ex motivo fruendi illius bonis temporalibus, maximè cùm et bona fortunæ nobis propria et quæ actu justèque possidemus, teneamur vitæ proximi postponere, cæteris paribus ; ita ut debeamus esse in præparatione animi ad ea profundenda ad eum ab injustâ nece liberandum, in casu quo illis extremè indigeat, ut supra ostensum est. Nihilque refert ad propositum, quòd furem invadentem ea licitè occidere valeamus pro illorum defensione. Non refert, inquam ; in nostro enim casu Petrus, v. g., cui Paulus optat mortem, non invadit bona Pauli, sed sua justè possidet, nullumque injustum patitur Paulus ex hoc quòd nondùm habeat Petri divitias, ut suppono, proindeque rationabili motivo caret optandi mortem Petri, ad ejus divitias acquirendas.

Dices, D. Thomam docuisse contrarium, 2-2, q. 76, art. 1, in corpore, et in 3 Sent. dist. 30, art. 1, ad 4. Contra est, quia D. Thomas in primo loco sic loquitur : *Quandoque verò dicitur aliquod malum sub ratione utilis, puta cùm aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, ut vel ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset.* Hæc sanè verba, quibus recentiores pessimam suam doctrinam fulcire conantur, nullum ipsis patrocinium præstant, ut patet. Solummodò enim indicat S. doctor aliquando esse licitum optare peccatori aliquam ægritudinem, pro majori illius bono aut aliorum, quos injustè vexat. Petrus autem in nostro casu non est malefactor, nec aliquem injustè vexat ut suppono, nec Paulus ipsi optat solùm ægritudinem ut melior inde evadat et ex motivo boni illius spiritualis, sed mortem proindeque malum omnium gravissimum illi exoptat ex motivo habendi ejus bona et proprii commodi temporalis. Quod quantùm distet à verbis D. Thomæ, nemo non videt : ut enim faveret istis recentioribus, debuisset dicere : Licitum esse optare aliquem etiam justum et innocentem incurrere mortem naturalem, ob aliquod temporale emolumentum inde consequens optanti, quod S. doctor ne quidem somniavit. Nec magis favet adversariis alius locus D. Thomæ ex 3 lib. Sent. ; ibi enim solùm docet licitum esse optare malum temporale injustè vexanti alium, quem plùs diligere tenemur, et communitatem vel Ecclesiam ; Petrus autem, ut jam dixi, in nostro casu est innocens et neminem vexat.

Observandum est ex Cajetano, hujusmodi timores et tristitias de bono alterius nocivo, indigere freno rationis conferentis qualitatem mali suæ causæ, et præponentis præponenda, ut tristitia de bono, ex sanctâ seu rectâ detestatione mali excusanda sit : et aliunde debet esse certa et clara malorum sequela. Si enim ambiguum sit an aliquis potentiâ vel divitiis abutetur in alterius damnum, quamvis tunc licitum sit timere et cavere, non tamen tristari de bono alterius tibi justè, vel saltem non injustè nocivo ; multòque minùs tibi licitum est optare illius mortem, præcisè ex motivo habendi divitias, quas justè possidet, et qui tibi nullatenùs nocet. Itaque pro minori malo et nocumento removendo, non est licitum optare malum longè majus ei qui etiam injustè illud tibi infert.

Hinc D. Thomas non dixit quòd liceat optare mortem peccatoris, ut ipse melior efficiatur, vel ab aliorum nocumento cesset, sed dixit propter hoc ei optari posse ægritudinem, aut aliquod impedimentum. Duo igitur requiruntur, ut alicui malum temporale optari possit licitè. Primum est quòd optetur mali remotio spiritualis vel temporalis in eo cui optatur malum, vel in alio quem injustè vexat; ita tamen ut si carentia boni, propter quod inducendum optatur malum, non sit reverà malum in optante, eò quòd sit privatio et carentia boni indebiti, tunc nullum prorsùs malum temporale, sive grave, sive leve alteri optari possit. Secundò, requiritur proportio debita inter malum quod optatur et nocumentum quod timetur et quod per hoc intenditur removendum, ut mox explicatum est.

Probatur secundò nostra conclusio ratione fundamentali. Optare alicui mortem naturalem etiam affectu inefficaci ex motivo emolumenti temporalis etiam magni momenti, est actus intrinsecè malus, continens specialem difformitatem contra rectam rationem, contra æquitatem ac justitiam, et contra dilectionem proximo debitam. Ergo id nequit esse licitum. Prob. antecedens: Contra rectam rationem, contra justitiam et charitatem est ut quis alteri à quo minimè lædituir, nec malum accipit, neque injustum patitur, optet malum, et omninò irreparabile. Item quòd ille, qui justè possidet bona sua, illis privetur, et præcipuè mediante malo omnium gravissimo, scilicet morte. Atqui hoc contingit in præsenti. Ergo contra rationem et æquitatem est alicui ob emolumentum temporale mortem optare, de eâ gaudere, ac de illius vitâ tristari; aliàs liceret etiam ex eodem motivo alterius mortem à Deo petere; licitum quippe est petere quodcumque licitum est desiderare, quod falsissimum esse constat. Nec valet dicere desiderium et gaudium de morte alterius non esse de eâ quatenùs est malum illius, sed quatenùs est bonum optantis, nempe ut est adductiva pinguis hæreditatis. Non valet, inquam, quia eâdem ratione viarum grassatores, ac malefactores, possent se excusare dicendo quòd occidunt transeuntes ex bono motivo, nec volunt illorum necem, quatenùs est illis mala, sed quatenùs est causa emolumenti inde sibi provenientis, quod est absurdum. In proposito autem primarium objectum et finis operis est malum proximi, licet motivum et finis operantis sit bonum proprium; quod motivum nequit tale objectum cohonestare, nec à malitiâ denudare, cùm non tollat desiderium de morte alterius, quam non licet privatæ personæ illi inferre, sicut motivum furandi ad dandam eleemosynam, non excusat à peccato furti. Confirmatur, nam actus internus etiam inefficax sumit speciem ab eodem objecto, à quo actus externus ipsi correspondens. Sic cogitatio morosa de re turpi, peccatum est ejusdem speciei cum opere venereo illi correspondente, ut patet. Et ut ostendunt nostri theologi 1-2, omnes actus voluntatis, præter intentionem finis, sumunt speciem ab objecto, seu fine volito, non à motivo. Ergo sicut non est licitum personæ privatæ mortem proximi, præsertim innocentis procurare, ita nec eam optare ac desiderare ob proprium temporale emolumentum. Hinc idem pontifex Innocentius XI meritò damnavit adhuc istam recentiorum propositionem: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas.* Et adhuc istam, præcedentibus abominabiliorem: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* Heu! quis in tali filio, aut potiùs naturæ monstro, tripudium hujusmodi non abhorreret? Quis hanc ferocem et supra modum barbaram impietatem non execraretur? Tam amara et inopinata parentis cædes, à cæteris dolorem et lacrymas extorquet; et in filio gaudium sine inhumanitate et culpâ excitabit! in filio, inquam, propriis manibus illam inferente! Sic etiam esset licitum filio gaudere de homicidio patris à sicario voluntariè ac injustè perpetrato, quia tunc filius respectu hujus cædis, non minùs culpâ vacaret, quàm dùm ipse in ebrietate constitutus illam perpetravit; et quamvis alterius culpa tunc intercedat, objectum tamen gaudii in filio non foret hujusmodi culpa, sed effectus bonus inde subsecutus, pinguis scilicet hæreditas, de quo juxta istos recentiores, licitum est gaudere. Et certè si licitum sit absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, etc., licitum etiam erit de ipsâ gaudere quocumque modo accidat, quia impletio desiderii affert gaudium, et si desiderium sit licitum, gaudium quoque de eodem objecto, et ex eodem fine erit licitum. Hinc etiam exploditur aliud recentiorum dogma asserentium licitum esse matri filiarum mortem expetere, eò quòd ob inopiam vel earum deformitatem, illas juxta votum suum aut conditionem elocare nequeat, vel earum ob causam torvè malèque tractetur à marito.

Quæres an quis possit licitè sibi optare mortem naturalem, Deumque rogare ut illam immittat.—Resp.: 1° quòd si quis patriæ cœlestis desiderio accensus, exemplo D. Pauli, cupiat *dissolvi et esse cum Christo*, vel mortem exoptet ut eripiatur ex hoc seculo nequam ut Deum non ampliùs offendere valeat, aut injurias contra ipsum illatas non videat, tunc iste non peccat, quinimò actum heroicæ charitatis exercet. Resp. 2° quòd si quis suî compos, ad vitandas hujus vitæ calamitates et ærumnas, ex irâ, impatientiâ, et passione immoderatâ, sibi deliberatè exoptet mortem, non solo ore, sed ex corde, non videtur à gravi peccato excusandus. Tum quia D. Thomas 2-2, q. 125, art. 2, ad 2, ait quòd ille qui se periculis mortis exponit, ut fugiat servitutem vel aliquid laboriosum, à timore vincitur, quod est contrarium fortitudini. Ergo velle incurrere mortem potiùs quàm sustinere mala morte minora, non est virtutis, sed vitii: tum quia tale desiderium graviter lædit charitatem, quam quisquis sibi debet, dùm vult privari vitâ quæ est maximum bonum naturale, cujus non est dominus, absque causâ rationabili, cùm tunc tale desiderium bono fine, nempe majori commodo ac maximi momenti bono non ho

nestetur. Hinc colligitur mulierculas et præsertim vetulas graviter peccare, quæ ob res minimas vociferantur, et ex impatientiâ sibi mortem exoptant, nisi eas excusare velimus ex defectu advertentiæ et deliberationis, aut quòd non seriò mortem sibi optent, ut id plurimum contingit.

Non omittenda est hîc Cajetani doctrina in Summâ v. *Maledictio*, ubi ait quòd maledicere seu optare malum alteri, dupliciter incurritur, scilicet vel per se, id est, ex intentione maledicendi, ut malum pœnæ sub ratione mali ipsi eveniat, et sic est peccatum mortale; nisi propter imperfectionem actûs, vel ex parte mali, quia minimum est, et parùm pro nihilo reputatur; vel ex parte affectûs, quia non ex consensu rationis cupiebat, excusetur. Secundò incurritur maledictio, materialiter, cùm quis maledicit verbo, sed non animo maledicendi, sed ex subreptione, vel lapsu linguæ, aut malo usu, hujusmodi profert. Et est veniale peccatum. Monet tamen Cajetanus confessarium ne fallatur quoad duo: Primò ad discernendum si persona maledixerit ex animo, an non. Siquidem non oportet inspicere ad tempus quietis, sed ad tempus iræ et furoris: ex hoc enim quòd post iram persona quieta nollet malum illi cui imprecata est, non habetur signum sufficiens quòd non maledixerit ex animo, sed solùm quòd non perseveraverit in malo animo. Unde oportet scire si, tunc quando imprecabatur, passio iræ et furoris in tantum prævaluit quòd flexit voluntatem ad consensum, ita ut tunc voluisset ut evenerit quod imprecabatur. Nam si sic est, non excusatur à mortali: sicut nec ille qui ex nimio libidinis ardore fornicari vellet, quamvis transactâ tentatione nollet, ac gaudeat quòd non fecerit, et multùm doleret si fecisset, etc. Secundò Cajetanus docet quòd ad discernendum animum ejus qui maledixit creaturæ irrationali respectivè ad bona humana, v. g., diei in quo quis natus est, etc., oportet examinare animum dicentis. Si enim optando alteri vel sibi malum notabile, dixerit: Maledictus sit dies nativitatis! quasi optans alium non esse natum, aut fuisse malè natum; sine dubio est peccatum mortale. Si verò ex irâ maledixit illi diei, et intendit quòd dies sit maledictus, non tamen per hoc intendit velle ut ille habuerit, vel habeat malum ex nativitate suâ, ita ut non intelligat verborum proprium sensum, quòd scilicet redundet in maledicendum illum hominem nascentem, est peccatum veniale. Hactenùs Cajetanus.

Articulus II.

De iracundiâ et odio proximi ac inimici.

Catechismus concilii Tridentini reducit ad istud præceptum ea quæ Christus Dominus contra iram tradit Matth. 5, aliaque peccata interiora contra proximum. Intelligendus tamen est Christi sermo de irâ malâ quæ vindictæ libido est, et lædendi conjunctum affectum habet: potest enim quandoque ira bona esse, quâ scilicet irascimur his quos diligimus, non ut lædamus, sed ut corrigamus, juxta illud Psalm. 4: *Irascimini, et nolite peccare.*

Ira juxta D. Thomam 2-2, q. 158, art. 1 et 2, priùs loquendo est passio quædam appetitûs sensitivi, à quâ vis irascibilis denominatur. Passio autem appetitûs sensitivi in tantum est bona, in quantum ratione regulatur: si autem ordinem rationis excludat, est mala. Ordo autem rationis in irâ potest attendi quantùm ad duo. Primò quidem quantùm ad appetibile in quod tendit, quod est vindicta. Unde si aliquis appetat quòd secundùm ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, et vocatur ira per zelum. Si autem aliquis appetat quòd fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, puta si appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quàm meruit, vel etiam non secundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ et correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus, et nominatur ira per vitium. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram quantùm ad modum irascendi; ut scilicet motus iræ non immoderatè fervescat, nec interiùs nec exteriùs. Quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat justam vindictam. Monet autem D. Gregorius, lib. 5 Moral., cap. 33, curandum summoperè esse ne ira quæ ut instrumentum virtutis assumitur, menti dominetur, ne quasi domina præeat, sed quasi ancilla ad obsequium parata à rationis tergo nunquàm recedat. Hæc autem, etsi in ipsâ executione actûs judicium rationis aliqualiter impediat, non tamen rectitudinem rationis tollit. Unde D. Gregorius ibidem dicit quòd ira per zelum turbat rationis oculum, sed ira per vitium excæcat. Non est autem contra rationem virtutis ut intermittatur deliberatio rationis in executione ejus quod est à ratione deliberatum, quia etiam ars impeditur à suo actu, si dùm debet agere, deliberet de agendis.

Igitur ira vitiosa est appetitus vindictæ inordinatus à rectâ ratione exorbitans, ut dùm quis appetit vindictam injustam, sive sit injusta secundùm se, puta quia appetit quòd alius occidatur, qui mortem non meruit; sive sit injusta quantùm ad actorem, puta quia licet mereatur mortem, non tamen ab homine privato; sive sit injusta quantùm ad intentionem appetentis, quia licet ille mereatur mortem à judice, iste tamen illam appetit non ut justam, sed ut sui animi satiativam. Sic autem ira est peccatum mortale ex genere suo, quia contrariatur charitati, ut docet D. Thomas 2-2, q. 158, art. 2. Et quidem capitale, ut probat. D. Thomas ibidem art. 6, cùm ex irâ multa vitia oriri possint, sive ex parte sui objecti, quod multùm habet de ratione appetibilitatis, in quantum scilicet vindicta appetitur sub ratione justi vel honesti, quia suâ dignitate allicit; sive ex suo impetu, quo mentem præcipitat ad inordinata quædam agenda. Ira enim dicitur janua vitiorum per accidens, scilicet removendo prohibens, id est, impediendo judicium rationis, per quod homo retrahitur à malis. Directè autem et per se ira est aliquorum causa specialium peccatorum, quæ dicuntur filiæ ejus: sex autem assignat D. Gregorius, lib. 31, Moral., nempe rixam, tumorem mentis, contumeliam, clamorem, indignationem, et blasphemias, quas exponit D. Thomas ibidem art. 7. Ira tamen potest esse

solummodò peccatum veniale in individuo ex imperfectione actûs, vel ex parte irati, dùm ira non est ex consensu rationis, ut contingit in passionum motibus antequàm verè consentiamus; vel ex parte vindictæ, quæ minima est, ut contingit in punitionibus minimis, quæ si fierent pro nihilo haberentur.

Contingit insuper iram à rectâ ratione discordare ex alio capite, nempe quantùm ad modum irascendi, puta dùm quis immoderatè et nimis ardenter interiùs fervescit, aut exteriùs secundùm exteriores motus supra modum excandescit. Et tunc ira non est sine peccato: veniali quidem, si justam appetat vindictam nudusque sit iste excessus; si verò sit connexus cum aliquo contra Dei et proximi dilectionem ut blasphemiâ, maledictione ex animo, etc., tunc ex adjuncto lethali erit peccatum mortale. Vide D. Thomam quæstione citatâ, et q. 12 de Malo.

Indignatio est quandò aliquis ex irâ sic afficitur contra proximum, ut illum habeat tanquàm indignum suâ affabilitate, conversatione, etc. Et est peccatum propter inordinatam passionem, et communiter veniale, procedens ex hoc quòd indignùm quis reputat se à tali homine nunc pati seu tractari. Potest tamen esse peccatum mortale, quando scilicet procederet usque ad subtrahendum aliquid de necessitate salutis proximo, aut usque ad deliberatum contemptum, aut odium proximi cresceret, aut causaret scandalum, etc. Potest autem quandoque esse sine peccato, quando scilicet ex justo rationis judicio procedit, juxta illud D. Gregorii: *Indignantur justi, sed non dedignantes*, hoc est non habentes affectum inordinatum. Sic superiores justâ de causâ possunt isto modo erga inferiores se gerere, ut sic magis doleant de casu, et in futurum cautiùs ambulare discant. Unde D. Thomas 2-2, q. 158, art. 8, ait quòd defectus iræ, quæ est simplex motus voluntatis quo aliquis non ex passione sed judicio rationis pœnam infligit, est peccatum; citatque D. Chrysost. homil. 11 super Matth. Oper. imperfect. dicentem quòd ille qui cum causâ non irascitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, et non solùm malos, sed etiam bonos invitat ad malum. Non loquimur hîc de peccato indignationis quod procedit ex superbiâ, sed de eâ quæ iram comitatur.

Odium inimici dupliciter considerari potest: primò ratione inimicitiæ reduplicativè; secundò ratione substantiæ, seu naturæ hominis. Certum est autem quòd sub priori consideratione non est diligendus inimicus: sic enim malum ut tale diligeretur, nempe prout pravam animi affectionem et peccatum habet. Sed tantum sub posteriori ratione, nempe prout est homo et noster proximus: sic enim mandat Christus Dominus ut à nobis diligatur Matth. 5: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros*, etc. Quibus verbis non solùm consilium, sed etiam præceptum insinuatur. Inimicus enim est noster proximus: sub præcepto autem tenemur nostros proximos amare sicut nos ipsos. Item quia contra rationem est odisse naturam propter culpam, et opus Dei propter malitiam hominis. Item quia vindicta Deo reservatur et ejus ministris; sicque contra rationem et contra justitiam est sumere vindictam de inimico propriâ auctoritate: tandem quia plures ethnici solo lumine naturali id senserunt justum ac rationabile, ut multis exemplis demonstrant auctores.

Nunquàm licitum est inimicum odio habere, sed statim ac odium contra aliquem concepimus, illud sub peccato deponere, tenemur. Ratio est quia præceptum de non odio habendi proximos est negativum, proinde obligans semper et ad semper: hoc autem præceptum negativum habetur et continetur virtualiter in præcepto affirmativo quo inimicos diligere tenemur. Hoc autem præcepto affirmativo obligamur ad non frustrandum nec excipiendum à communibus benevolentiæ signis exterioribus; inimicum, eâ solùm ratione quia est inimicus, et qui aliter facit, mortaliter peccat, nisi levitas materiæ, aut indeliberatio actûs illud reddat veniale, prout colligitur Matth. 5: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus vos.* Quibus verbis non tantùm præcipitur inimicorum dilectio, sed etiam exhibitio ad minùs signorum benevolentiæ communium. Cùm enim effectus et signa benevolentiæ ex interiori dilectione procedant eique proportionentur, eodem modo ratiocinandum est de istis signis exterioribus ac de dilectione inimici. Sunt enim quædam signa vel beneficia dilectionis quæ exhibentur proximis in communi, puta dùm quis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut aliquod beneficium impendit toti communitati, etc. Et talia inimicis etiam exhibere est de necessitate præcepti, nec possunt ab iis excludi absque livore vindictæ, et absque peccato.

Alia verò sunt amicitiæ signa specialia et beneficia quæ exhiberi solent quibusdam personis. Et ista inimicis præstare non est de necessitate salutis, sicut nec omnes homines singulariter diligere, nisi secundùm præparationem animi, nempe quòd homo sit ita animo dispositus ad hoc quòd inimicum in singulari diligeret eique succurreret sicut aliis, si foret in necessitate constitus: extra verò necessitatis casum ea benevolentiæ signa specialia exhibere ei propter Deum est tantùm de consilio et de perfectione charitatis, ut docet S. Thomas 2-2, q. 25, art. 8, in quo innuit non esse faciendam differentiam de inimicis, magis quàm de quovis alio homine ut proximus est: omnibus autem in necessitate constitutis subvenire tenemur ex charitate. Imò si inimicus ut talis non peccet contra Deum, non videtur contra rationem charitatis aliquando eum diligere etiam ut est nobis molestus ac contrarius, si illa contrarietas aliundè non sit offensa Dei, sed tantùm nobis invisa.

Cajetanus in Summâ, v. *Odium*, ait quòd odii effectus seu signa prohibita sunt, subtrahere proximo debita beneficia eo modo quo sunt illi debita ad hoc, et similiter debita colloquia eo modo quo sunt illi debita ab isto. Sunt autem debita proximo à conive quæ debentur civitati in communi; à consanguineo quæ debentur consanguinitati in communi; à Chri-

stiano quæ debentur S. Ecclesiæ et communioni fidelium in communi. Sufficit itaque ut in communibus orationibus et aliis Ecclesiæ generalibus non excipiam Christianum inimicum; in communibus civitatis officiis non excipiam concivem inimicum; in communibus consanguinitatis, non excipiam consanguineum inimicum, etc. Et propterea nisi casus accidat, in quo debeam hunc in particulari, sicut non teneor actu interiori cogitare de isto in particulari, ita nec teneor in particulari benefacere aut loqui. Hinc confessarius tollere potest multos scrupulos personarum offensarum, quæ absque odio cum illo qui offendit, nolunt particulariter conversari aut colloqui, quia non tenentur nisi in casu debiti.

Verùm Bannes benè monet quòd in hâc materiâ quædam definiuntur à D. Thomâ et à doctoribus licita esse secundùm rigorem legis, absolutè secundùm se speculativè, quæ tamen in praxi frequenter ex circumstantiâ et scandalo proprio vel alieno non sunt licita. Si enim, v. g., quis se sentit valdè propensum ad rancorem, odium, et vindictam, videtque remedium esse ne in malum consentiat, considerare bona aliqua quæ sunt in inimico, ad illum cor inclinare, pro ipso orare, etc., tunc his remediis uti debet ex vi hujus præcepti quo tenetur non odio habere inimicum, et non se vindicare. Hinc casus in istâ materiâ occurrentes facilè resolvi possunt. Inprimis si aliquem verbo aut signo salutare, sit specialis honoris vel benevolentiæ signum, non tenetur aliquis per se loquendo illud exhibere inimico, sicut nec aliis proximis communiter; per accidens tamen aliunde et ex circumstantiis ad id poterit obligari ex charitate, quando scilicet et hoc postulat ratio vitandi scandali, si aliqui inde sumerent occasionem idem faciendi, aut existimandi odium inimici esse licitum, aut non esse grave peccatum. Item quando sentiret per omissionem hujusmodi signorum crescere in corde suo inimici odium. Item quando probabiliter speratur eâ salutatione inimicum odium depositurum, et ad reconciliationem venturum : è contra verò ex illius omissione magis implacabilem futurum. Bannes existimat signa specialia non esse, quæ secundùm consuetudinem patriæ fiunt tali personæ. V. g., si inimicus sit meus consanguineus, aut notus, aut affinis in proximo gradu, cui ego antea hujusmodi signa honorifica exhibebam, maximè si esset episcopus seu prælatus meus, vix ego possem dissimulare eaque omittere absque peccato mortali : tunc enim censetur quædam vindicta. Similiter inter consanguineos hæc signa honorifica particularia sunt veluti communia et debita inter ipsos : sicut enim inter illos specialis debet esse dilectio, ita etiam specialibus benevolentiæ signis mutuo se prosequi debent, præsertim cùm talium signorum omissio vix possit esse absque scandalo.

Hinc juxta Sylvestrum et alios, qui salutat alios homines in quorum cœtu reperitur ejus inimicus, graviter peccat si eum ab hujusmodi salutatione excipiat; quia regulariter loquendo tunc intervenit scandalum, contemptus et acerbatio inimici, et excluditur à signo illo communi benevolentiæ et dilectionis. Hinc qui inimicum paris conditionis salutantem ipsum, ex animo ac de industriâ vicissim non salutat, mortaliter peccat ob eamdem rationem. Considerandæ tamen sunt circumstantiæ loci, temporis, personarum et consuetudines patriæ; si nempe id reputetur pro notabili contemptu, qualis ferè semper esse videtur quandò non resalutans est inferioris conditionis. Si enim esset superior, prælatus, aut pater, aut nobilis, tunc illa denegatio resalutationis erga inferiorem, filium aut plebeium, non habetur pro contemptu, nec causat scandalum; quia etiam ante inimicitiam solebat eum non resalutare, neque ad hoc tenebatur : prudentiâ tamen in his judicandis opus est, et ponderandum quâ intentione fiat ista denegatio. Idem dicendum de colloquio et conversatione cum inimico. Hinc quandò inimicus veniam petit, tunc non satis est ejus dilectionem in corde habere, et odium deposuisse; sed exhibenda sunt illi signa particularia reconciliationis, spectatâ occasione et conditione personæ. Non tenetur tamen læsus remittere omninò satisfactionem injuriæ et reparationem damnorum; debet tamen ex charitate acceptare si inimicus eam offerat sufficientem et abstinere à gravi illius damno, quod à judice reciperet. Experientiâ enim constat, quòd vix deposito odio, injuriarum actionem aliquis in judicio prosequitur.

Articulus III.

De rixâ, discordiâ, contentione, litigio, seditione, crudelitate, aliisque similibus vitiis.

Rixa juxta D. Thomam 2-2, q. 41, art. 1, est quædam contradictio ad facta perveniens, seu quando aliqui ex irâ invicem se percutiunt : et ideò videtur esse quoddam privatum bellum quod inter privatas personas agitur, non ex aliquâ publicâ auctoritate, sed magis ex inordinatâ voluntate quâ unus homo intendit alium lædere. Semper importat peccatum, et quidem mortale in eo qui alterum invadit injustè. Inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali, non est absque peccato mortali. In eo autem qui se defendit, potest esse sine peccato : et quandoque cum peccato veniali, et quandoque cum peccato mortali secundùm diversum motum animi illius, et diversum modum se defendendi. Nam si solo animo repellendi injuriam illatam, et cum debitâ moderatione se defendit, non est peccatum, nec propriè dici potest rixa ex parte ejus. Si verò cum animo vindictæ vel odii, vel cum excessu debitæ moderationis se defendat, semper est peccatum. Sed veniale quidem, quando aliquis levis motus odii, vel vindictæ se immiscet, vel cùm non multùm excedit moderatam defensionem. Mortale autem quandò obfirmato animo in impugnationem insurgit ad eum accidendum, vel eum graviter lædendum. Rixa igitur propriè est peccatum mortale ex genere suo, quia est nociva proximo. Et si ex utrâque parte se tenet, id est, si mutuò contra se pugnent irati, utrinque est peccatum mortale. Ad Galat. 5, rixæ ponuntur inter opera carnis, quæ *qui agunt regnum Dei non consequentur.*

Discordia importat quamdam disgregationem voluntatum, in quantum scilicet voluntas unius stat in uno, et voluntas alicujus alterius stat in altero ; sicque ab aliquo discordare, est recedere ab ejus voluntate. Idque potest esse aliquando bonum, aliquando malum ; sicut enim voluntas hominis adhærens Deo est quædam regula recta à quâ peccatum est discordare, ita etiam voluntas hominis Deo contraria, est quædam perversa regula à quâ bonum est discordare. Unde facere discordiam per quam tollitur bona concordia, quam charitas facit, est grave peccatum. Hinc ad Galat. 5, dissensiones et discordiæ ponuntur inter opera carnis, de quibus subditur quòd *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et Proverb. 6 dicitur : *Sex sunt quæ odit Dominus ; et septimum detestatur anima ejus, nempe seminare discordias inter fratres.* Causare verò discordiam per quam tollitur mala concordia, scilicet in malâ voluntate, est laudabile, et hoc modo laudabile fuit quòd D. Paulus, Act. c. 23, posuit dissensionem inter eos qui erant concordes in malo scilicet inter Sadducæos et Pharisæos. Et Dominus de se dicit Matth. 10 : *Non veni pacem mittere, sed gladium.*

Discordia potest bonam concordiam tollere dupliciter : uno modo per se, alio verò modo per accidens. Per se quidem in humanis actibus et moribus dicitur esse id quod est secundùm intentionem. Unde per se discordat aliquis à proximo, quando scienter et ex intentione dissentit à bono divino et à proximi bono, in quo debet consentire. Et hoc est peccatum mortale ex suo genere propter contrarietatem ad charitatem : potest tamen esse solùm veniale propter imperfectionem actûs, ut in primis motibus. Item ex parte materiæ, ut si tollat concordiam solùm in minimis. Requiritur autem quòd quis dissentiat à divino et proximi bono in quo debet consentire ; nam discordiæ peccatum completum tollit concordiam, non quamcumque, sed debitam, quæ scilicet est ex debito inter se et proximum. Unde si quis nolit concordare cum proximo circa bonum supererogationis, puta ad ingrediendum simul religionem, non pertinet ad discordiæ vitium, quia alius non tenetur consentire in tale bonum.

Per accidens verò in humanis actibus oriri potest discordia quando contingit præter intentionem, seu cùm quis discordat ab altero, non ut discordet, sed ut non minùs rectè aut rectiùs velit aut operetur. Unde cùm intentio aliquorum est ad aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem proximi ; sed unus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem, discordia tunc non est peccatum, nec repugnat charitati, nisi hujusmodi discordia sit vel cum errore circa ea quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebitè adhibeatur. In quo casu judicandum est tantùm inesse culpæ aut excusationis quantùm culpæ aut excusationis habet error in primo, et pertinacia in secundo. Si enim sint venialia, non nisi peccatum veniale incurritur : et similiter si error ille sit excusabilis propter ignorantiam, puta quia homo non tenebatur illud scire, pariter et discordia excusabitur. Item considerandum est damnum seu nocumentum quod ex hâc discordiâ consequitur. Discordia autem quæ fuit inter DD. Paulum et Barnabam, fuit per accidens, et non per se : uterque enim intendebat bonum. Sed uni videbatur hoc esse bonum, aliud alteri : quod ad defectum humanum pertinebat. Non enim erat talis controversia in iis quæ sunt de necessitate salutis, quamvis hoc ipsum fuerit ex divinâ providentiâ ordinatum propter utilitatem inde consequentem. Hæc D. Thomas 2-2, q. 37, art. 1.

Sicut discordia importat contrarietatem quamdam in voluntate, et rixam in opere, ita contentio dicit contrarietatem quamdam in locutione. Aliqui enim dicuntur contendentes ex hoc quòd unusquisque defendit locutione id quod sibi videtur, verbisque contra alium tendit. Unde contentio vocatur pugna locutionis, non secundùm rationem, vel quantùm ad rem de quâ est contentio, vel quantùm ad modum contendendi. Unde quandoque est peccatum veniale, quandoque mortale : si enim pugnet contra veritatem cognitam, judicanda erit secundùm veritatis naturam ; id est, si veritas impugnata sit veritas fidei, aut necessaria ad salutem alicujus, aut pertineat ad bonos mores, contentio pugnans contra talem veritatem, est perniciosa, et per hoc peccatum mortale. Quâ de causâ Apostolus ad Galat. 5, illam ponit inter opera carnis. Si verò hujusmodi veritas talis non est, ut oppositum sit mendacium perniciosum, contentio contra illam erit solùm peccatum veniale : quæ demùm intelligenda sunt formaliter de pugnante ex intentione contra veritatem, ut eam verè impugnet. Nam si ex aliâ intentione procedat, puta disputationis vel exercitii gratiâ vel ex ignorantiâ inculpabili, tunc non est contentio nisi materialiter, cùm non tendat ut veritatem impugnet et supprimat, et est aliquando laudabilis si disputatio suscipiatur ad veritatem meliùs explorandam.

Alia est contrarietas in verbis quâ falsitas oppugnatur · et hæc ex suâ naturâ non est peccatum, nisi fortè in modo, quando scilicet nimis est vehemens et clamosa contentio, vel si fiat ad ingenii ostentationem, aut propter aliquem alium finem illicitum. Sive autem exercitii et disputationis gratiâ impugnetur veritas, aut seriò destruatur falsitas, servandus est modus qui conveniat personis et negotiis, ut sit laudabilis : si enim, excedat convenientiam personarum et negotiorum, videtur vituperabilis. Communiter tamen est solùm peccatum veniale, quia non contrariatur charitati sed modestiæ, nisi immodestia quâ quis uteretur, esset mali exempli et simplices personas scandalo afficeret. Vide D. Thomam 2-2, q. 38, art. 1. Litigium consistit in verbis. Et quidem si contradictio procedat contra personam alterius qui contradicens consentire recusat propter defectum amoris animos unientis, videtur hoc pertinere ad discordiam charitati contrariam. Quando verò contradictio oritur ratione personæ, quam aliquis contristare non veretur, tunc est litigium, quod amicitiæ vel affabilitati

opponitur, ad quam pertinet delectabiliter cum aliis convivere. Unde Philosophus dicit in 4 Eth. quòd illi qui ad omnia contrariantur, causâ ejus quod est contristare, neque quoscumque curantes, discoli et litigiosi vocantur.

Litigii peccatum incurri potest dupliciter. Vel formaliter, contradicendo ex intentione hominem contristandi, vel materialiter, seu absque tali intentione. Utroque modo est vituperabile, utpote contra rectam rationem exigentem ut homo affabiliter cum aliis conversetur, sicut decet. Communiter autem videtur esse peccatum veniale, propter parvitatem nocumenti intenti seu subsequentis; nam hujusmodi tristitia videtur quid minimum. Si tamen quis intenderet confundere hominem aut contemptibilem reddere per hujusmodi contradictiones, esset peccatum mortale propter contemptum proximi, ejusque notabile nocumentum. Vide D. Thomam 2-2, quæst. 116, art. 1.

Seditio est vitium quo unitas multitudinis dissolvitur, discordantibus inter se partibus illius communitatis. Differt autem à bello et à rixâ quòd ista duo importent mutuam impugnationem in actu : seditio verò potest dici etiam dùm est solùm præparatio ad talem impugnationem; insuper quia bellum propriè est contra hostes et extraneos ; rixa est pugna unius ad unum, vel paucorum ad paucos. Seditio verò propriè est inter partes unius civitatis aut regni inter se tumultuantes. Differt quoque à schismate in duobus : 1° Quia schisma propriè opponitur spirituali unitati multitudinis, scilicet unitati Ecclesiæ : seditio autem opponitur temporali vel seculari multitudinis unitati, puta civitatis vel regni. 2° Quia schisma non importat aliquam præparationem ad pugnam corporalem, sed solùm importat dissensionem spiritualem : seditio autem importat præparationem ad pugnam corporalem. Cùm itaque seditio opponatur et justitiæ et communi bono, manifestum est quòd ex genere suo est peccatum mortale, et tantò gravius quantò bonum commune, quod impugnatur per seditionem, est majus quàm bonum privatum, quod impugnatur per rixam. Peccatum autem seditionis primò quidem et principaliter pertinet ad eos qui seditionem procurant, et illi gravissimè peccant. Secundò autem ad eos qui illos sequuntur perturbantes bonum commune : illi verò qui bonum commune defendunt, eis resistentes, non sunt dicendi seditiosi ; sicut nec illi qui se defendunt, dicuntur rixosi. Vide D. Thomam 2-2, q. 42.

Vindicatio fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti. In vindicatione autem considerandus est vindicantis animus ; si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius de quo vindictam sumit, et ibi quiescat, est omninò illicitum, quia delectari in malo alterius, pertinet ad odium, quod charitati repugnat, quâ omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur, si malum intendat illius qui sibi injustè intulit malum, sicut non excusatur aliquis per hoc quòd odit se odientem. Non enim debet homo in alium peccare per hoc quòd ille peccavit priùs in ipsum ; hoc enim est vinci à malo, quod Apostolus prohibet ad Rom. 13, dicens : *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, puta ad emendationem ipsius, vel saltem ad cohibitionem ejus, et quietem aliorum, et ad justitiæ conservationem, et Dei honorem, potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis. Vide D. Thomam 2-2, q. 108, art. 1.

Crudelitas directè opponitur clementiæ : sicut enim quæ cocta sunt et digesta, suavem et dulcem saporem habere solent, ita et illa quæ sunt cruda, horribilem et asperum saporem habent. Clementia autem importat quamdam animi lenitatem sive dulcedinem per quam aliquis inclinatur ad diminuendas pœnas. Unde crudelitas, quæ à crudo aut à cruore venit, directè opponitur clementiæ et est quædam asperitas, austeritas et atrocitas animi per quam aliquis fit promptus ad augendas pœnas. Differt à sævitiâ et feritate sicut malitia humana à bestialitate ; nomen enim sævitiæ et feritatis à similitudine ferarum accipitur, quæ etiam dicuntur sævæ. Est peccatum mortale pro quanto excessum in puniendo adhibet ; crudelis enim causam puniendi habet, in quo differt à sævo ; sed in pœnis excessum adhibet, ideòque manifestè peccat contra proximum, plus eum puniendo quàm mereatur, ultra malam dispositionem proprii animi quâ se ipsum crudelitate fœdat.

EXPOSITIO
SEXTI PRÆCEPTI DECALOGI :
Non mœchaberis ;
ET NONI :
Non concupisces uxorem proximi tui.

Postquàm Deus prohibuit nocumentum in personam proximi quantùm ad consistentiam personæ dicendo: *Non occides*, statim vetat nocumentum in personam illi conjunctam quantùm ad propagationem prolis, di-

cendo : *Non mœchaberis*. Nam post animæ cum corpore unionem, nullum aliud invenitur arctius vinculum quàm conjugium, in quo vir et uxor efficiuntur una caro : ideòque *mœchia* est grave peccatum contra justitiam, et expressè prohibetur in Decalogo.

Verùm isto præcepto, *Non mœchaberis*, non solùm prohibetur adulterium, sed etiam quæcumque carnalis copula extra legitimum matrimonii usum, omnisque membrorum quæ ad generationem ordinata et destinata sunt abusus. Ex famosiori enim et notiori analogato, nempe *mœchiâ*, seu adulterio, totum luxuriæ genus Deus voluit intelligi ac comprehendi, ut notat D. Augustinus, et referetur causâ 32, q. 4, can. *Meretrices*. Nec tantùm opera et actus exteriores luxuriæ prohibentur, sed et cogitationes turpes, morosæ, voluntas, desiderium et affectus inordinatus venereorum. Quia tamen plures ex Judæis obcæcati putabant vetari tantùm actum luxuriæ externum, non verò internum, Deus clariùs et expressiùs speciali præcepto, nono scilicet decalogi, concupiscentiam prohibere voluit. Et Christus Dominus Matth. 5, vers. 23 et 29, eam legem explicuit et Judæorum errorem correxit.

Nomine luxuriæ hìc intelligitur peccatum in excessu venereorum contra rationem, et intentionem Dei auctoris naturæ. Et est peccatum mortale ex genere suo, imò et capitale, ut probat D. Thomas 2-2, q. 153, per totam. Peccatum enim in humanis actibus est quod fit contra ordinem rationis, qui habet ut quælibet convenienter ordinet in suum finem. Quantò autem aliquid est magis necessarium, tantò magis oportet ut circa illud rationis ordo servetur. Unde per consequens magis est vitiosum si ordo rationis prætermittatur. Usus autem venereorum est valdè necessarius ad bonum commune, quod est conservatio humani generis. Et ideò circa hoc maximè attendi debet rationis ordo, et per consequens si quid circa hoc fiat præter quàm ordo rationis habet, vitiosum erit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, ut ordinem et modum rationis excedat circa venerea. Et ideò absque dubio luxuria est grave peccatum.

D. Gregorius, lib. 31 Moralium, ponit luxuriam inter vitia capitalia, idque probat D. Thomas, quia vitium capitale est quod habet finem multùm appetibilem ; ita quòd ejus appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda, quæ ex illo vitio tanquàm ex principali oriri dicuntur. Finis autem luxuriæ est delectatio venereorum quæ est maxima. Unde hujusmodi delectatio est maximè appetibilis secundùm appetitum sensitivum, tum propter vehementiam delectationis, tum etiam propter connaturalitatem hujusmodi concupiscentiæ. Unde manifestum est quòd luxuria est vitium capitale. Item D. Gregorius assignat luxuriæ sequentes filias, nempe cæcitatem mentis, inconsiderationem, præcipitationem, inconstantiam, amorem sui, odium Dei, affectum præsentis seculi et horrorem futuri, quas egregiè suo more explicat D. Thomas, loco citato. Igitur actus venereus tunc est malus quando aliquis eo utitur contra ordinis rationem, id est, non juxta finem ad quem ordinatur à naturâ, nec modo debito ac convenienti. Sicut enim usus alimentorum ordinatur ad conservationem individui, ita usus venereorum ad conservationem speciei et generis humani, proindeque ejus finis est procreatio prolis : modus verò conveniens et debitus est ut homo suâ uxore utatur sibi per legitimum matrimonium conjunctâ ; aliàs semper est peccatum mortale. Nec datur parvitas materiæ quâ luxuria hìc et nunc in individuo à mortali peccato excusari possit. Cùm enim tota ratio difformitatis illius, nempe deordinatæ concupiscentiæ circa delectationes venereas, salvetur in quâlibet materiâ luxuriæ etiam parvâ, nequit ob hanc rationem à mortali excusari, sed solummodò ex indeliberatione et inadvertentiâ, cùm tunc perfectè ad rationem actûs moralis non pertingat (1).

QUÆSTIO PRIMA.

DE LUXURIÆ SPECIEBUS.

Divus Thomas 2-2, q. 154, art. 1, convenienter assignat sex luxuriæ species, scilicet simplicem fornicationem, adulterium, incestum, stuprum, raptum, et vitia contra naturam. Et hujus numeri rationem reddit, quia peccatum luxuriæ consistit in hoc, quòd aliquis non secundùm rectam rationem delectationis venereâ utitur. Et ideò tot debent assignari ejus species, quot modis contingit objectum à quo sumit speciem, et quod est materia actûs venerei, non convenire rectè rationi. Itaque dupliciter evenire potest : uno modo, quia objectum seu materia habet repugnantiam ad finem actûs venerei. Et sic, in quantum impeditur generatio prolis, est vitium contra naturam, quod in-

(1) Doctrina communis theologorum, non dari levitatem materiæ in peccato luxuriæ, intelligi debet de omni luxuriâ directè volitâ, et in eo fundatur quòd ipsamet delectatio carnalis levis directè intendi nequit quin homo incurrat periculum proximum commotionis gravis et consensûs in eam, ob summam illius fragilitatem et istius passionis deordinationem quæ excæcat mentem. Si quæstio sit de delectatione carnali non propter se expetitâ, sed solùm indirectè in causâ volitâ, admitti potest levitas materiæ, et qui ponit actum voluntariè, ex quo sive per se, sive per accidens sequitur levis commotio, peccat duntaxat venialiter modò illa delectatio in se displiceat et absit periculum consensûs in eam. Ita communiter theologi, saltem quoad sensum ; licet enim non pauci illud negare videantur, tamen in ipsâ re intellectâ eo sensu quem exponimus non dissentiunt, ut sapienter animadvertit Billuart, de Fortitudine, dissertatione 5, art. 2. Omnia peccata admittunt levitatem materiæ, et si excipiatur luxuria, sola ratio discriminis oritur à periculo decidendi in gravem deordinationem si quid vel leve in eâ materiâ permittatur ; porrò non adest illud periculum proximum gravioris deordinationis et consensûs, quando non est consensus directus in ipsam luxuriam, sed tantùm in suâ causâ : hoc docet experientia quotidiana. Hinc non arguitur peccati mortalis qui sine ratione sufficiente, sed ex levitate, seu aliquâ indiscretâ curiositate, se exponit levi sensuum commotioni, modò semper hæc non intendatur et non sit, ratione personalis fragilitatis, periculum probabile lapsûs. (Edit.)

venitur in omni actu venereo, ex quo sequi non potest generatio. In quantum verò impeditur debita educatio et promotio prolis natæ, est fornicatio simplex, quæ est soluti cum solutâ. Alio modo materia in quâ exercetur actus venereus potest esse non conveniens rationi rectæ per comparationem ad alios homines. Et hoc dupliciter : primò quidem ex parte ipsius feminæ, cui aliquis commiscetur, quia ei debitus honor non servatur. Et sic est incestus, qui consistit in abusu mulierum consanguinitate, vel affinitate junctarum. Secundò ex parte ejus in cujus potestate est femina, quæ si est in potestate viri, est adulterium ; si autem est in potestate patris, est stuprum si violentia non inferatur ; raptus autem, si vis inferatur.

Diversificantur autem istæ species magis ex parte feminæ quàm viri, quia in actu venereo femina se habet sicut patiens et per modum materiæ ; vir autem per modum agentis. Prædictæ autem species secundùm differentiam materiæ assignantur : quæ diversitas materiæ habet annexam diversitatem formalem objecti secundùm diversos modos repugnantiæ ad rationem rectam, ut dictum est. Inter luxuriæ species, peccatum contra naturam est maximum et gravissimum, ut probat D. Thomas in quæst. citatâ art. 12. Secundum locum tenet incestus, eò quòd sit contra naturalem reverentiam quæ debetur personis conjunctis. Tertium locum obtinet adulterium, per quod homo abutitur muliere alteri subjectâ quoad usum generationis, quod est quid gravius quàm si foret alteri subjecta tantùm ad custodiam, ut contingit in stupro, quod proinde quartum locum tenet. Utrumque autem aggravatur per violentiam, ideòque raptus virginis est quid gravius quàm stuprum, et raptus uxoris quàm adulterium. Insuper hæc omnia aggravantur adhuc secundùm rationem sacrilegii. Tandem simplex fornicatio infimum locum tenet inter peccata quæ per se constituunt species luxuriæ. Vide D. Thomam, loco citato. De his speciebus sigillatim acturi sumus in sequentibus. Verùm antequàm hujus præcepti explanationem aggrediar, petenda rogandaque est venia, si in hâc materiâ lubricâ et turpi tractandâ, interdùm usus fuero aliquo verbo minùs decenti, ut probi ac diligentis commentatoris officio satisfaciam : non enim spontè et ex voluntate id accidet, sed solâ necessitate. Cavebo tamen ne aliquid scribam quod pias aures offendere valeat, quamvis juxta Apostolum, *omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil sit mundum.* Faxit Deus ut lectores sine noxâ et offensione hujusmodi commentaria pertranseant, ac nulli obsint, sed omnibus prosint !

ARTICULUS PRIMUS.

De fornicatione simplici.

Dico quòd fornicatio simplex est de se intrinsecè mala et peccatum mortale, utpotè legi divinæ et naturali repugnans in re gravi, et in nullo casu licita, nec ideò est mala quia prohibita, sed ideò prohibita quia de se mala. Unde qui puellam quamvis consentientem, aut meretricem etiam paratissimam carnaliter cognoscit, toties quoties mortaliter peccat, et numerum hujusmodi copularum tenetur in confessione declarare. Peccant quoque lenones et alii inducentes et concurrentes ad hujusmodi peccatum.

Probatur 1° ex Scripturâ sacrâ, Tob. 4 : *Attende tibi ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquàm patiaris crimen scire.* Crimen autem importat peccatum mortale. Item Levit. 21 prohibetur scortum et vile prostibulum duci in uxorem. Item Deuteron. 23 dicitur : *Non erit meretrix de filiabus Israel, neque fornicator de filiis Israel.* Item Ecclesiastici 19 dicitur : *Qui se jungit fornicariis, erit nequam.* Item Apostolus ad Galat 5, præmissâ fornicatione et quibusdam aliis vitiis, subdit, quòd *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Item 1 ad Corinth. 6, ait : *Nolite errare, neque fornicarii*, etc., *regnum Dei possidebunt.* Et ibidem Apostolus supra congerit argumenta ad ingerendam hujus peccati detestationem. Item ad Ephes. 5, ait : *Fornicatio et immunditia nec nominetur in vobis.* Idem in primo Apostolorum concilio decretum ac mandatum fuit gentilibus noviter conversis ut à fornicatione se abstinerent, prout habetur Act. 15. Item in decretis causâ 22, q. 1, cap. *Prædicandum*, imponuntur variæ pœnitentiæ pro hujusmodi peccato. Et tandem in concilio Viennensi Clement. *Ad nostram*, de Hæreticis, definitum fuit quòd asserere fornicationem non esse peccatum mortale, est in hæresim incidere.

Probatur 2° ex D. Thomâ 2-2, q. 15, 4, art. 2 ; et in lib. 3 contra Gent. cap. 122, cujus ratio sic in formam reducitur : omnis voluntaria humani seminis emissio secundùm se et à naturâ ordinatur ad generationem, educationem et instructionem prolis ; sicque quando caret dicto ordine, deformis est deformitate privationis debiti ordinis ad suum finem naturalem. Atqui fornicatio simplex est concubitus privatus naturali ordine ad naturalem educationem et instructionem prolis ; ergo est de se intrinsece mala. Prob. min. Actui fornicario secundùm se sumpto competit ut homo non teneatur post coitum manere et cohabitare cum feminâ, nec prohibeatur ex vi præcisè hujus actûs ad alias accedere. Ergo actus fornicarius, quantùm est ex se, impeditivus est convenientis educationis prolis natæ. Prob. anteced. Quia educatio ista convenienter fieri nequit nisi postea homo cum muliere remaneat, eamque juvet ad prolem educandam et instruendam : videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris et feminæ, quòd in eis non est vagus concubitus : sed maris ad certam feminam unam, sicut patet in omnibus avibus. Secùs autem in animalibus, in quibus sola femina sufficit ad educationem fœtûs in quibus est vagus concubitus, ut patet in canibus, et hujusmodi aliis animalibus. Manifestum est autem quòd ad educationem hominis non solùm requiritur cura matris à quâ nutritur, sed multò magis cura patris à quo est instruendus et defendendus, et in bo-

nis tàm interioribus quàm exterioribus promovendus. Et ideò contra naturam hominis est, quòd utatur vago concubitu : sed oportet quòd sit maris ad determinatam feminam, cum quâ permaneat, non per modicum tempus, sed diù ; vel etiam per totam vitam. Et inde est quòd naturaliter maribus in specie humanâ inest sollicitudo de certitudine prolis, quia ejus educatio eis imminet : hæc autem certitudo tolleretur si foret vagus concubitus.

Nec obstat quòd fortè non orietur proles ex fornicatione ; aut si oriatur, fornicator sufficienter providebit de educatione et instructione prolis ; aut si in hoc deficiat, femina dives, potens et industriosa, sola sufficere poterit ad educationem et instructionem convenientem prolis. Non obstat, inquam : nam in humanis actibus naturaliter consideratur rectitudo aut obliquitas ad rationem juxta illud quod convenit per se formaliter, et totam speciem consequitur ac communiter accidit ; et non secundùm id quod per accidens in uno vel altero individuo et in aliquo casu particulari accidere potest ; id enim quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundùm id quod communiter accidit, et non secundùm id quod in aliquo casu evenire potest. Cùm itaque simplex fornicatio per se et communiter careat naturali ordine ad educationem et instructionem prolis, semper est jure naturæ illicita, quamvis per accidens in aliquo casu, ex conditione scilicet talis personæ sequi possit educatio prolis. Hinc Innocentius papa XI hanc quorumdam recentiorum propositionem meritò damnavit : *Tam clarum videtur fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, et solùm esse malam, quia interdicta est, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.* Ut enim recte ratiocinatur Sotus, lib. 5 de Justitiâ, q. 4, art. 5, error est hæresi proximus, asserere fornicationem non esse contra jus naturæ : nam inde sequeretur gentibus non fuisse delictum ante legem scriptam, ipsam prohibentem ; quin verò neque post scriptam, quia lege Mosaicâ non tenetur. Similiter neque modò fornicatio respectu Turcarum aliorumque infidelium foret peccatum, cùm possent inculpabiliter ignorare illius prohibitionem, si in solâ Scripturâ sacrâ contineatur.

Concubinatus est grave fornicationis peccatum, valdèque periculosum, ob scilicet morale periculum relabendi : est enim fornicatio quædam continuata cum feminâ solâ determinatâ, quæ scilicet non omnibus indifferenter se exponit sicut meretrix, sed uni soli ; ita ut sit veluti quædam cohabitatio ferè perinde ac si matrimonio esset illi conjuncta. Hinc fit quòd semper maneant in statu et proposito peccandi ; unde concubinarii in confessione non sunt absolvendi, nisi priùs concubinam ex domo expellant, habeantque sincerum propositum non ampliùs accedendi ad illam, quia aliàs sunt in occasione proximâ peccandi. Imò etiamsi concubinam apud se non habeant, adhuc tamen non sunt statim absolvendi, sed ipsis priùs injungendum est ut eam non videant nec visitent, non alloquantur soli cum solâ, in secreto, etc. Et priùs de eorum continentiâ et propositi veritate ac firmitate videnda est experientia, et interim aliquæ pœnitentiæ medicinales ipsis imponendæ ac præscribendæ sunt, donec à peccandi consuetudine cessaverint : præsertim si jam promiserint se emendare et promissis non steterint, nec se continuerint, neque periculum vitaverint. Idem prorsùs faciendum est circa concubinam. Vide D. Thomam in 4 Sent., dist. 33, q. 2, art. 3.

Hinc meritò Alex. papa VII hanc quorumdam recentiorum propositionem damnavit : *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò* regalo ; *dùm deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent ; et alia famula nimis difficilè inveniretur.* Vide Trident. sess. 25 de Reformat., cap. 8, ubi concubinatum in laicis graviter puniri mandat ; et sess. 25, cap. 14, præscribit formam procedendi in causis clericorum concubinariorum. Item Innocentius papa XI sequentes novellistarum propositiones circa occasionem proximam damnavit : *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodò ore proferat se dolere, et proponere emendationem.* Item *potest aliquandò absolvi, qui in proximâ occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quinimò directè et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Item *proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Tandem *licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.*

Denique cùm fornicatio simplex sit peccatum mortale, ab aliis speciebus luxuriæ distinctum, in confessione distinctè est explicanda, prout definivit Alexander papa VII, hanc propositionem damnando : *Qui habuit copulam cum solutâ, satisfacit confessionis præcepto, dicens : Commisi cum solutâ grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Item in hoc peccato sicut et in aliis, pœnitens tenetur in confessione peccati consuetudinem declarare, prout definivit Innocentius papa XI, damnando istam propositionem : *Non tenemur confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem.* Indeque constat pœnitentes à confessario interrogandos esse an consuetudinem habeant labendi in illud peccatum de quo se accusant, præsertim in materiâ luxuriæ, ad hoc ut occasiones et pericula relabendi præscindere valeat, et remedia convenientia opponere.

Copula habita cum viduâ consideratâ præcisè ut tali, est simplex fornicatio, quia juxta Apostol. 1 ad Corinth. 7, *soluta est à lege viri*, ut non sit adultera cum alio viro copulam habendo. Fornicatio autem simplex, ut jam diximus, est concubitus soluti cum solutâ, nedùm à matrimonio, sed etiam à cognatione, affinitate, ordine sacro, religione et voto. Hæc verò vidua, ut suppono, caret istis vinculis et adjunctis.

Concubitus viri christiani cum muliere infidèli, Turcâ vel Judæâ est circumstantia in confessione ape-

rienda, ob scilicet specialem difformitatem et cultûs disparitatem, ut probat Diana coordinatus 3 parte, tractatu 4, resolutione 138; et multò magis concubitus feminæ christianæ cum viro infideli aut Judæo.

Articulus II.

De stupro.

Stuprum juxta D. Thomam 2-2, q. 154, a. 6, importat illicitam virginum defloralionem sub curâ parentum existentium, et est determinata luxuriæ species, differtque à fornicatione, quæ est copula cum mulière jam corruptâ. Stuprum duo offendit, scilicet signaculum virginitatis in feminâ, et paternam custodiam in parente, ac ex utroque simul desumenda est differentia propria et essentialis stupri.

Probat D. Thomas hanc conclusionem quia ubi circa materiam alicujus vitii occurrit aliqua specialis deformitas, ibi debet poni determinata species illius vitii. Luxuria autem est peccatum circa venerea existens ut supra dictum est: in virgine autem sub custodiâ patris existente, quædam deformitas specialis occurrit, si corrumpatur, tum ex parte puellæ quæ ex hoc quòd violatur, nullâ pactione conjugali præcedente, et impeditur à legitimo matrimonio consequendo, et ponitur in viâ meretricandi, à quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret. Tum etiam ex parte patris, qui de ejus custodiâ sollicitudinem gerit, juxta illud Eccl. 42: *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis.* Et Eccl. 7: *Filiæ tibi sunt, custodi corpus earum.* Nam sicut naturali ordine, patris est alere filiam, et providère illi usque ad nuptias inclusivè, ita ejusdem est custodire filiam benè habilem ad matrimonium; minùs autem reddetur habilis si corrupta fuerit, ut patet. Nec refert quòd filia sit grandævæ ætatis, puta quinquaginta annorum, neque ampliùs apta generationi. Non refert, inquam, quia, ut ait Cajet. supra hunc D. Thomæ articulum, quamdiù virgo est, semper quantùm est ex habilitate decoris naturalis, apta est conjugio; ideòque semper ex tali defloratione redditur inhabilis. Per accidens autem omninò est quòd filia tunc sub nullius custodiâ existat, neque id tollit rationem stupri: quoniam morales species attenduntur juxta id quod communiter inveniri natum est. Constat autem quòd communiter puellæ sub parentum, vel alterius loco illorum custodiâ sunt, et esse debent ante matrimonium; earumque virginale signaculum, quantùm est in se, nequit esse sine indigentiâ paternæ custodiæ et ordine ad illam.

Idem Cajet. addit, quòd etsi virginitas sit virtus communis utrique sexui, stuprum tamen propriè est solius feminæ. Unde vir virgo extra matrimonium cum meretrice primò concumbens, non committit stuprum, sed simplicem fornicationem, quia nec signaculum aliquod naturale perdit quo inhabilior fiat matrimonio, nec amittit aliquid quod paternæ custodiæ naturaliter sit commendatum usque ad conjugium, ut patet ex hoc quòd filii ante matrimonium post annos pubertatis absque ullâ custodiâ discurrunt, adeò ut si pater eos rigidè custodire vellet, contra naturalem morem agere videretur: cùm tamen puellæ ante conjugium naturali inclinatione à parentibus diligenter custodiantur, nec liberè vagari aut discurrere permittantur. Quod autem in naturalibus communiter fit, ostenditur sic natum esse fieri, ut dicitur in 2 Physicorum. Hinc infertur hominem in confessione non teneri explicare circumstantiam primæ copulæ quam habuit cum solutâ jam corruptâ, quia copula non habet specialem illam deformitatem quam habet in puellâ virgine, quæ proinde de stupro et defloratione debet se accusare. Subdit idem Cajetan. quòd mollities, quâ puella virgo se ipsam primò voluntariè polluit, cùm non sit luxuria naturalis, sed contra naturam, non est stuprum, sed longè majus et gravius peccatum, ac contra naturam, tollens irreparabiliter virginitatem, etiamsi id fiat solis tactibus absque fractione sigilli. Non enim virginitas in puellâ solùm perditur per stuprum, nec stuprum adæquatè opponitur virginitati in puellâ; uni namque virtuti multa vitia possunt opponi, ut docet D. Thomas 2-2, q. 152, et alibi sæpè. Denique observat idem Cajet. quòd integritas membri feminei dupliciter considerari potest: 1° ut est quædam carnis integritas, et sic per accidens se habet ad statum virginalem ut est materia virtutis, prout ostendit D. Thomas loco citato; 2° ut est signaculum virginale, scilicet conclusivum uteri et animi ad amplexum virilem: et sic non per accidens, sed per se spectat ad statum virginalem ut est materia virtutis: et propterea si sic deperditur, puella redditur minùs habilis ad conjugium.

Hinc quidam docent quòd quando puella se accusat in confessione de voluntariâ pollutione, aut de morosis cogitationibus et delectationibus venereis, non tenetur explicare hanc fuisse primam; quia cùm per ista desideria et cogitationes, aliaque, non violetur claustrum virginale eo modo quo requiritur ad stuprum, non tenetur exprimere circumstantiam virginitatis, quamvis graviter peccet, et virginitatis aureolam amittat. Et similiter quòd cogitationes seu delectationes morosæ in homine circa virginem, quamvis sint peccata mortifera, non habent tamen specialem malitiam mortiferam supra alias delectationes morosas, nisi conjunctæ sint cum voluntate inferendæ violentiæ. Alii verò contrarium docent, eò quòd hujusmodi actiones et cogitationes venereæ sint ejusdem speciei cum opere externo, nempe stupro. Plures auctores docent quòd quando puella suæ defloralioni liberè consensit, etiamsi parentes vel tutores illius sint inviti, illa prima copula non est propriè stuprum, nec specialem habet malitiam: esto quòd aliquando sit alia malitia mortalis extrinseca, puta contra proximorum charitatem et debitam parentibus pietatem; ac sæpissimè mœrores, inimicitiæ, cædes, gravissimaque oriantur incommoda; quæ tamen per accidens se habent, et etiam ex copulâ filiæ, viduæ, aut corruptæ evenire possent. Idque probant quia puellæ scienti et consentienti non fit injuria: neque parenti-

bus, utpote qui majus non habent jus in corpus filiæ virginis, quàm corruptæ, sed ipsa est suæ integritatis virginalis domina.

Alii verò probabiliùs ac tutiùs contrarium docent. Imò, juxta Cajet., ista copula est verè stuprum, etiamsi puella consenserit, ut sic dotem pro ineundo matrimonio acquirat, et parentum quoque consensus accedat. Quia puella hoc modo acquirens dotem ex stupro redditur quidem habilior ad matrimonium quoad bona fortunæ, sed efficitur inhabilior quoad bona naturæ tam corporis quàm animæ : stuprum autem penès damnum naturalis boni attenditur, et non penès bona exteriora. Consensus autem tam puellæ quàm parentum, etsi stupratoris injuriam minuat, non tamen tollit : tum quia hujusmodi consensus non est omninò voluntarius, sed mixtus, sicut projicientis merces in mare propter majorem necessitatem ; tum quia consensus in his quorum non sumus pro libito domini, non tollit quin scienti et consentienti fiat injuria, ita ut istud axioma intelligi debeat in his tantùm quorum homo est dominus secundùm suæ voluntatis libitum, ut sunt bona fortunæ ; et non in his quæ, etsi nostra sint, non tamen possumus ut volumus de illis disponere et ordinare. Nam licet manus tua sit tua, non tamen propterea potest de consensu tuo à te tolli et abscindi sine injuriâ tuâ, etc. Et quia signaculum virginale nec puellæ, nec patris subest libertati ad libitum, sed à naturâ tributum, utrique est servandum usque ad nuptias, ideòque neutrius injuria evitatur ex utriusque consensu contra naturale debitum, quo uterque commendatum hoc decus servare debet. Hactenùs Cajetan. Hinc qui virginem etiam consentientem defloravit, tenetur hanc circumstantiam virginis confiteri, eò quòd ista copula specialem stupri malitiam habeat ; consistit enim præcisè in defloratione virginis injustâ, seu extra matrimonium absque vi et violentiâ.

Quæres 1° an qui virginem consentientem, aut seipsam spontè offerentem defloravit, teneatur ipsi aliquam restitutionem facere? Alii affirmant, eò quòd defloror gravem tunc inferat injuriam patri, sub cujus custodiâ est virginale signaculum, et cujus puella non est domina, etiam quantùm ad istum usum. Adde quòd hæc defloratio in patris infamiam et damnum redundat, qui cogetur filiam suam corruptam apud se cum molestiâ et sollicitudine innuptam retinere cum notabili rei familiaris dispendio, aut debebit augere dotem, eamque viro ignobili tradere in matrimonium, etc., quorum omnium malorum defloror est causa efficax.

Alii verò negant ex contrario principio, ex hoc nempe quòd sui corporis sit verè domina, eique volenti et consentienti non fiat injuria ; et dato quòd non foret domina claustri virginei, non tamen propterea sequitur ipsi faciendam esse restitutionem, sicut ille qui manum Petri de ejus consensu abscinderet, ad nihil ipsi restituendum obligaretur. Adde quòd quamvis puella et parentes illius integritatis corpori non habeant dominium, benè tamen illius pecuniæ, quoad tale bonum æstimari potest, cujus restitutionem puella in stuprum spontè consentiens, remittere tenetur. Tandem licet fiat aliqua injuria parentibus, hæc tamen non est specialis injustitia, cùm puella membri sui sit domina, et nuptiarum jacturam pati possit, si velit. Et sanè si virgo, quamvis fuerit præcipua causa horum damnorum, ad nihil tamen patri restituendum teneatur, multò minùs constuprator ad id obligabitur in foro conscientiæ, quidquid sit de foro exteriori.

Videtur tamen quòd defloror tenetur exhibere aliquam satisfactionem parentibus si inde in famâ et honore fuerint læsi : imò ex quâdam benignitate et æquitate naturali debet ipsis aliquid elargiri, maximè si ex illo stupro puella ad nubendum minùs idonea reddita fuerit. Si verò æquè benè nupserit ac si violata non fuisset, eò quòd copula secreta remanserit, aut ob aliam rationem, tunc ad nihil largiendum tenetur, cùm inde nullum damnum evenerit. Et isto modo ambæ sententiæ concordari possunt. Si verò defloror copulam secretam injustè detexerit, indeque puella non potuerit matrimonium invenire, aut æquè benè nubere, tunc defloror non tantùm ex quâdam benignitate et æquitate, sed etiam de rigore justitiæ tenetur ad restituenda damna famæ et bonorum inde provenientia. Verùm de his fusiùs agitur tract. de Justitiâ et Jure.

Quæres 2° an ille qui per vim, fraudem, vel metum virginem injuste defloravit, absque promissione matrimonii, teneatur illam ducere in uxorem, vel de competenti dote providere ac curare ut æquè benè nubat ac si esset virgo. Et quidem sermo est de foro conscientiæ : nam jure civili vir cogitur ad matrimonium acceptandum, aut ad patibulum sustinendum, si fuerint paris conditionis, et pœna capitis imponitur ei qui per vim stuprum intulit, imò et illi qui viduam aut mulierem honestam vi corrupit. Et tandem jus canonicum statuit ut defloror teneatur ducere in uxorem puellam quam vi constupravit, aut ei dotem constituat, et insuper virgis publicè cædatur, etc. Resp. affirmativè, quia cùm defloror per injuriam, damna puellæ intulerit, ex justitiâ tenetur illa compensare. Ideòque puellæ vi defloratæ datur optio ut dotem à defloratore recipiat, vel eum in conjugem ducat. Unde in foro conscientiæ non tenetur eum ducere, etiamsi ille velit nubere, sed potest dotem exigere quantùm requiritur ad augmentum ut alteri æqualis conditionis nubere valeat. E contra verò si defloror pecunias offerat, et ipsa eas accipere nolit, sed eum in maritum postulet, tenetur ille ad matrimonium contrahendum. Quidam tamen volunt, quòd si fuerint paris conditionis, et puella adhuc renuat matrimonium sibi oblatum, tunc defloror ad nihil ampliùs obligatur. Quòd si contingat puellam æquè benè nubere alteri ac si virgo fuisset, cum solâ dote quam à parentibus habet, cùm tunc nullum ex defloratione recipiat damnum, plures auctores docent defloratorem qui nihil ei promisit, ad nihil quoque teneri. Alii verò asserunt eum teneri ad compensandum damnum integritatis virginalis, quod non est minùs pretio æstimabile quàm injusta manûs

amputatio, si ipsa virgo aliquam compensationem exigat, boni viri arbitrio faciendam, ut fusè ostenditur in tract. de Justitiâ, et colligi potest ex D. Thomâ 2-2, q. 62, art. 2, ad 1.

Homo qui similiter vi, metu, aut fraude cognovit puellam, quæ communiter virgo reputabatur, licet talis non esset, utpote jam ab alio corrupta, tenetur ad aliquam restitutionem arbitrio boni viri faciendam ratione damni et infamiæ, si ob hujus viri factum non potuerit ità commodè nubere; quia famâ quam possidebat, illam per injuriam privavit, indeque damnum ei intulit. Non tenetur tamen in foro conscientiæ eam in uxorem ducere, sed satis est quòd pecuniis compenset damnum injustè illatum. Nec tantùm ille qui vi et fraudibus puellam violavit, tenetur ad compensationem damni, sed ille etiam qui sine copulâ fuit illi injusta causa gravis infamiæ, perinde ac si eam violàsset, quia tunc per injuriam tale damnum ipsi intulit suo quodam imprudenti facto.

Quæres 3° an qui precibus importunis, muneribus et blanditiis, absque spe et promissione matrimonii, puellam defloravit, teneatur ad aliquam compensationem. Resp. quòd si preces etiam importunæ et sæpè repetitæ, leves extiterint, non censetur tunc puella involuntariè, sed liberè consensisse in stuprum : hæc enim et similia communiter usurpantur à viris, facilèque à mulieribus repelli possunt et debent. Si autem diligentiæ à viro adhibitæ ad extorquendum puellæ consensum, sint valdè extraordinariæ, et preces, sollicitationes, ac blanditiæ supra modum importunæ, et ita fortes ut puella virginitatis detrimentum pati malit potiùs quàm istis importunitatibus vexari, tunc defloratur tenetur ad damna resarcienda, quia quasi coacta consensit. Porrò ut preces in nostro casu censeantur extraordinariæ et sufficientes ad inducendam restitutionis obligationem, requiritur ut æquivaleant violentiæ ac conjunctus sit aliquis dolus aut metus saltem reverentialis, vel aliquid aliud simile per quod consensus coactè extorqueatur et voluntarium minuatur, idque prudentum arbitrio definiendum relinquitur.

Quæres 4° ad quid teneatur qui virginem defloravit promisso illi matrimonio. Resp. teneri ad eam in uxorem ducendam servatis servandis, si ipsa nolit aliam satisfactionem acceptare. Ratio est quia puella ex parte suâ contractum jam adimplevit tradendo alteri corpus suum : proindeque vir tenetur ex justitiâ implere quoque contractum, matrimonium promissum contrahendo. Non enim puella pro pecuniâ aut aliâ re consensit in stuprum, sed tantùm spe matrimonii ducta copiam suî fecit; ergo vir tenetur illam ducere in uxorem (1). Unde etiamsi vir fictè nuptias illi promiserit, adhuc tenetur sub mortali eam ducere, et promissionem adimplere si fuerit æqualis conditionis, aut paulò duntaxat inferioris; aliàs inter homines contractus innumeris fraudibus involverentur. Si tamen vir nobilitate generis vel divitiis notabiliter excedat puellæ conditionem, et illa hujusmodi excessum non ignoraret, aut ex variis indiciis facilè deprehendere posset se à viro, fictè promittente decipi; ut si sciat alias puellas ab eodem fuisse seductas sub simili promissione matrimonii, si advertat illum verba ambigua ve extraordinarias exaggerationes promissioni miscere et alia hujusmodi indicia occurrant, tunc fictè promittens non tenetur istam puellam in uxorem ducere, quia non tam puella decepta fuit à viro, quàm ipsamet se decipere voluit, et in isto casu censetur illi corporis sui copiam fecisse omninò gratis et liberaliter, et non per modum contractûs onerosi, nempe sub conditione futurarum nuptiarum.

Quando verò puella invincibiliter ignorabat hunc excessum nobilitatis et facultatum viri, neque dolum prudenter præsumere poterat, conveniunt auctores tunc virum teneri saltem ad damna compensanda. An autem eam in uxorem ducere teneatur, si ipsa omnem aliam compensationem recuset, quidam negant, eò quòd damnum per copulam illatum puellæ ignobili et pauperi, non tanti æstimatur quantùm damnum quod familiæ nobilissimæ ex istis nuptiis proveniret, indeque hujusmodi connubia principum mandatis inhibentur. Alii verò affirmant, eò quòd ex vi contractûs vir ad hoc se obligare voluit, verè promittendo, aut ex vi injuriæ illatæ, fictè contrahendo. Alii tandem asserunt quòd vir tenetur puellam in uxorem ducere, si nullum inde damnum notabile ejus familiæ eventurum timeatur, aut si edictum principis non obstet : secùs verò si grave damnum aut scandalum inde timeatur, aut hujusmodi connubia fuerint à superiore prohibita. Tunc enim sufficit quòd vir in pecuniis compenset puellæ damnum, vel det operam ut æquè honestas consequatur nuptias, ac si deflorata non fuisset. Aliæ causæ eximentes virum ab obligatione ducendi puellam vel viduam quam corrupit, referuntur in tractatu de Justitiâ.

Articulus III.

De raptu.

Raptus duobus modis considerari potest : 1° in quantum attinet ad forum conscientiæ, et prout constituit circumstantiam specificam luxuriæ necessariò in confessione exprimendam; 2° in quantum attinet ad forum exterius, nempe quoad pœnas in jure latas contra raptores. Incipiendo à primo, malitia specifica raptûs consistit in hoc quòd homo affectu luxuriæ impulsus vim inferat feminæ, aut iis sub quorum potestate et curâ est, ut libidinem cum eâ expleat.

D. Thomas in hâc quæst. 154, art. 7, docet raptum quandoque in idem concurrere cum stupro, quando scilicet aliquis violentiam infert ad virginem illicitè deflorandam : quæ quidem violentia aliquando infertur tam ipsi virgini quàm patri. Quandoque autem infertur patri, sed non virgini, puta cùm ipsa consentit ut per violentiam de domo patris abstrahatur. Differt etiàm raptus alio modo, quia aliquando puella violenter abducitur à domo parentum, et violenter corrumpitur; aliquando autem etsi violenter abduca

(1) Hæc resolvenda sunt ex principiis quæ ponuntur in tractatu de contractibus ubi de pactis *sub conditione turpi*.

tur, non tamen violenter corrumpitur, sed de voluntate ejus, sive corrumpatur fornicario concubitu, sive matrimoniali : qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptûs. Quandoque autem invenitur raptus sine stupro, puta si aliquis rapiat viduam, vel puellam corruptam. Quandoque verò stuprum sine raptu invenitur, puta dùm aliquis absque illatione violentiæ virginem illicitè defforat. Sicut enim qui alterius manum de ejus consensu abscindit, dicitur mutilator, et qui copulam habet cum conjugatâ, eâ et marito consentientibus, dicitur adulter, ita qui virginem extra matrimonium defforat absque violentiâ, eâque consentiente, dicitur constuprator, quia, ut ostensum est articulo præcedenti, talium non sumus domini ad libitum, sed ab altiori principio hæc nostra sunt quoad aliquid, servato certo ordine, contra quem si fiat, injuriæ locus restat.

Violentia igitur constituit differentiam et malitiam specificam raptûs, proindeque non omninò per accidens se habet ad luxuriæ speciem, et quò magis violentia crescit, eò magis luxuria augetur. Videtur enim procedere ex magnitudine libidinis, quòd ex eâ aliquis non refugiat se immittere periculo violentiæ inferendæ, et ex eo malo affectu concupiscentiæ captus, in injustitiam raptûs, vel adulterii, vel in sacrilegium aut incestum prorumpat, ut docet D. Thomas hîc ad 2. Ex quo fit raptum habere duplicem malitiam specificam, alteram castitati contrariam, in quantum coitum includit extra matrimonium, alteram justitiæ oppositam, ratione violentiæ : nam secundùm finem significatum formaliter, ponitur species luxuriæ; secundùm autem conditionem ejus quod est ad finem, addit deformitatem rapinæ et injustitiæ, seu constituit speciale peccatum luxuriæ. Raptus qui est species luxuriæ, non constituitur, nec invenitur quando non fit explendæ libidinis causâ, sed aliâ quâcumque. Erit tamen tunc alia species injustitiæ. Nec ad hanc raptûs speciem opus est copulam subsequi, sed satis est vim inferri animo libidinis explendæ, sicut erit adulterium conjugatam aggredi animo coeundi; in neutro tamen eventu, delictum omnem suam consummationem habebit, copulâ minimè subsecutâ. Raptus cujuscumque statûs feminæ, si violenter cognoscatur aut abducatur, in foro conscientiæ est verè raptus diversæ speciei, ac necessariò explicandus in confessionne si violentia verè inferatur, quia vis illa ad injustitiam pertinet.

Ad secundum verò dubium de raptu considerato per ordinem ad forum exterius, dicimus ad raptum pœnis juris subjectum constituendum, requiri 1° ut adsit violentia; 2° ut fiat causâ libidinis; 3° ut sit traductio de loco in locum. Unde definiri potest : violenta abductio alicujus honestæ feminæ de loco in locum ad libidinem explendam, vel matrimonium ineundum. Debet igitur inferri violentia vel mulieri, vel ejus parentibus; est enim verè raptus quando femina dissentit, quamvis parentes ejus consentiant abductioni; quia parentes non habent dominium corporis puellæ, nec facultatem illud exponendi huic usui absque injustitiæ labe, ob scilicet injuriam puellæ irrogatam. Similiter est verè raptus, quando puella sub custodiâ parentum constituta, ex eorum domo ipsis invitis abducitur, quamvis ipsa consentiat abductioni, ob scilicet maximam injuriam quæ parentibus irrogatur. Item auctores censent non esse propriè raptum, dùm quis puellam in domo patris existentem, invitam trahit ab unâ camerâ ad aliam, commoditoris copulæ gratiâ, non educendo eam de domo : secùs verò si eam in platcâ vel in agro repertam, ad domum vicinam violenter traducat. Monent tamen esse verum raptum si quis è loco rapiat fœminam animo abducendi eam in alium locum destinatum, quamvis ad illum minimè eam perduxerit, eo quòd jam sit vera de loco ad locum abductio, et animo abducendi facta. Tandem raptus pœnis juris subditus requirit ut sit mulierum honestarum : raptor enim meretricis non incidit in has pœnas, cap. de Rapt. virg. lege unicâ.

Concil. Trident. sess. 24, c. 6, statuit varias pœnas contra hujusmodi raptores : prima est ut raptor, eique auxilium, consilium, aut favorem præbentes ipso jure sint excommunicati. Quæ tamen censura non est reservata. Item quòd sint perpetuò infames, ac omnium dignitatum incapaces : et si fuerint clerici, de proprio gradu dejiciantur; quam pœnam ipso facto incurri quidam asserunt. Alii verò meliùs sentiunt, solùm post sententiam judicis declaratoriam incurri. Secunda est, quòd raptor teneatur decenter arbitrio judicis dotare mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit. Tertia est, ut inter raptorem et raptam matrimonium sit nullum et invalidum quamdiù ipsa in potestate raptoris manserit; benè tamen si rapta à raptore separata, et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit; tunc enim raptor eam in uxorem habere potest. In primo casu raptus est impedimentum dirimens matrimonium, sive raptus fiat solius libidinis causâ, sive ad contrahendum matrimonium, quia Trident. innovare voluit pœnas per antiquos canones contra raptores decretas, quæ raptorem causâ libidinis comprehendebant. Adde quòd concilium dicit quòd si raptores fuerint clerici, à proprio gradu dejiciantur : constat autem eos non rapere ineundi matrimonii causâ. Alii verò dicunt decretum concilii locum solummodò habere in raptu, qui dirigitur ad matrimonium; nam conciliam statim loquitur de matrimonio, ac sub eo titulo ponitur illud caput sextum, ut ostenderet illum raptum esse matrimonii impedimentum, qui propter matrimonium attentatur, ut sic nemo auderet attentare id per quod videt se suo fine frustrandum (1). Idem decretum concilii non habet locum quando puella sponte consentit abductioni, etiamsi parentes repugnent, aut hoc ignorent, quia iste raptus non repugnat ullo modo libertati matrimonii, quamvis jure civili puniatur. Item non habet locum in raptu quo sponsus propriam sponsam de futuro rapit, eò quòd aliquid juris in eam habeat ex desponsatione, ut notat D. Thomas hîc ad 4.

(1) Hæc remittenda ad tractatum de *Matrimonio*, ubi de impedimentis canonicis.

Et ideò quamvis peccet violentiam inferendo, excusatur tamen à crimine raptûs, ut probat S. doctor ex Gelasio papâ, et refertur causâ 36, quæst. 1, cap. *Lex illa*.

Raptus jure civili punitur pœnâ capitis, c. de Raptu virg., L. unicâ. Item jure canonico, causâ 33 et 34, cap. *Raptor*, statuitur ut alienæ sponsæ raptor publicâ pœnitentiâ mulctetur. Item ut sine spe conjugii maneat, etc.

Articulus IV.

De adulterio.

Divus Thomas hic art. 8 docet quòd adulterium est quasi ad alienum torum accessio, aut alieni tori violatio : adulter enim dicitur quasi accedens ad alteram non suam. In quo quidem dupliciter contra castitatem et humanæ generationis bonum aliquis delinquit. Primò in quantum accedit ad mulierem non sibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ. Alio modo, quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, et sic impedit bonum prolis alienæ. Eadem ratio est de muliere conjugatâ, quæ per adulterium corrumpitur. Unde dicitur Eccl. 13 : *Omnis mulier relinquens virum suum peccabit*. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit, in quâ scilicet præcipitur : *Non mœchaberis*. Et secundò, virum suum derelinquit, in quo facit contra certitudinem prolis ejus. Tertiò in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi, quod est contra bonum propriæ prolis. Sed primum est commune in omnibus peccatis mortalibus; alia verò duo specialiter pertinent ad deformitatem adulterii. Unde manifestum est quòd adulterium est determinata species luxuriæ, utpote specialem deformitatem habens circa actus venereos.

Manifestum est ex pluribus sacræ Scripturæ locis illud esse grave peccatum mortiferum. Exodi. 20, Levit 20, Deuteron. 22 et 27, Job. 31, Eccles. 23, Proverb. 6, Jerem. 5, primæ ad Corinth. 6. Et ratio est evidens : adulterium enim totam luxuriæ et fornicationis malitiam habet, quam de se mortiferam esse ostendimus. Et insuper injuriam in conjugem ac injustitiam superaddit, pluraque incommoda secum affert; et ex communi æstimatione, injuria hæc gravissima reputatur inter homines, qui illam tanti faciunt, ut putent vix posse irrogari majorem; unde etiam morte vel perpetuo divortio illam vindicare solent.

Adulterium tribus modis committi potest. Primò quando conjugatus habet copulam cum solutâ. Secundò quando solutus alterius uxorem carnaliter cognoscit. Tertiò quando uxoratus cum alienâ conjuge commiscetur, quæ circumstantiæ sunt declarandæ in confessione : nec enim sufficit se accusare de adulterio commisso, sed explicandum est in confessione quonam ex his tribus modis commissum fuerit. Inter quæ gravissimum est peccatum tertio modo commissum, cùm tunc in illo actu duplex sit injuria mortifera : nam duorum matrimoniorum jura violantur, et duobus conjugibus injuria irrogatur. Quare in confessione explicanda est illa circumstantia ratione cujus injuria duplicatur. Nihilque refert quòd illæ injuriæ sint ejusdem speciei, quia non solùm species peccati, sed etiam numerus explicandus est in confessione; et non tantùm numerus actuum materialium, sed et numerus malitiarum quæ sunt in uno actu, ut si quis uno ictu occidat tres homines, etc. Secundus modus, licet non sit tam gravis ac iste, est tamen gravior primo modo, tum quia longè magis juri naturæ repugnat ut una femina jungatur duobus viris, quàm ut unus vir commisceatur duabus feminis, tum quia est contra certitudinem prolis et contra bonam ejus educationem; tum quia fit peculiaris injuria marito, dùm ei aliena proles supponitur, vel saltem ipsa femina se constituit in periculo id faciendi. Hæc autem et alia incommoda non sequuntur ex primo modo, seu ex adulterio viri cum solutâ. Quod nihilominùs in confessione est explicandum propter peculiarem deformitatem, tam ab ipso adultero qui fidem datam violavit, quàm ab ipsâ puellâ quæ cooperata est in violandâ eâ fide.

Copula viri cum alienâ conjuge etiam consentiente marito est verum adulterium, utpote statui matrimoniali et reverentiæ ac significationi sacramenti valdè injuriosa : nequit enim maritus esse propriæ uxoris leno, nec suo juri, aut potiùs conjugii juri communi cedere; sicut nec clericus privilegio fori et juri exemptionis statui clericali et ordini ecclesiastico concesso. Simili modo qui occidit hominem etiam volentem, quamvis non faciat illi propriè injuriam, peccat tamen in naturam humanam; sic, quamvis tunc non dicatur propriè injuria facta viro consentienti, nec sit obligatio faciendi ei restitutionem vel satisfactionem, ob scilicet prævium illius condonationem, est tamen verè contra justitiam, quia est contra jus conjugii et conjugis ut conjux est, quo ille cedere efficaciter non potest, eò quòd ipsi competat non ad bonum proprium, sed ratione statûs, qui est communis. Unde cum cessio sit nulla, jus commune remanet, et contra illud peccatur, ac contra reverentiam sacramenti. Idque colligitur ex Tertull. Apologetici cap. 39; ex D. Epiphan. hæresi 26, qui Gnosticorum obscœnos mores describit; ex D. Augustino lib. de Fide et Operibus, cap. 7; et ex Innocent. III, cap. *Discretionem*. Item ex Sixto V, in Constitut. quæ incipit, *Ad compensandam*. Tandem ab Innocentio papâ XI, qui hanc propositionem damnavit : *Copula cum conjugatâ, consentiente marito, non est adulterium, ideòque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

Item verum committit adulterium qui copulam habet cum feminâ alteri conjunctâ per matrimonium ratum, sed non consummatum; eò quòd tunc violetur fides data in nuptiarum contractu, sitque vera alterius uxor. Simplicem tamen fornicationem committit solutus carnaliter cognoscens alterius sponsam solùm de futuro cùm nondùm sit verum matrimonium, et solummodò illius promissio violetur. Hæc tamen fornicatio gravior est eâ quæ committitur cum omninò solutâ, ob scilicet injuriam quæ fit sponso de futuro,

Quapropter ista personæ circumstantia tam ab ipsâ puella, quàm ab ejus corruptore in confessione est declaranda. Idemque dicendum de sponso de futuro, quòd scilicet fornicans declarare teneatur in confessione sponsalia se jam contraxisse cum alterâ, quia eo ipso facit aliquam sponsæ injuriam, quamvis non tantam qualis est quando illa fornicatur, eò quòd non sequantur eadem inconvenientia neque in hâc parte tanta requiratur honestas in viris, ac in mulieribus, saltem juxta sensum et communem usum hominum. Adulterium non dirimit matrimonium, nec conjux adulter peccat ab uxore petendo debitum, sive adulterium sciatur ab eâ, sive non ; quia privatio juris petendi est pœna quam non incurrit iste reus, nisi per voluntatem conjugis innocentis aut per sententiam judicis : nec de facto absolutè usu matrimonii privatur, sicut si castitatem vovisset aut incestum commisisset; imò, dato quòd tunc privaretur jure exigendi debitum, adhuc posset amicabiliter illud petere.

Conjux tamen innocens probè sciens ejus adulterium, denegare illud potest auctoritate Domini nostri Jesu Christi, habetque causam sufficientem faciendi divortium, non quidem quoad vinculum matrimonii, cùm sit indissolubile, sed quoad torum, quia frangenti fidem fides servanda non est; idque colligitur ex Trident. sess. 24, cap. 7 et 8; et ex D. Thomâ in 4 Sentent., dist. 35, art. 1, in corp., ubi ait quòd Dominus uxorem dimittere concessit propter fornicationem in pœnam illius qui fidem fregit, et in favorem illius qui servavit, ut non sit astrictus ad reddendum debitum ei qui non servavit fidem. Excipiuntur tamen septem casus in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor à culpâ immunis est, vel utrique sunt æqualiter culpabiles. Primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit, ut colligitur ex cap. fin. de adulteriis. Ratio est quia paria delicta mutuâ compensatione abolentur ; unde per adulterium alterius, sive antea, sive postea commissum, jus illud revivisit ; v. g., maritus qui propter uxoris adulterium ab eâ divertit et se separavit, si ipse in adulterium incidat, tenetur ad eam redire, eique debitum reddere, et confessarius non debet aliter cum absolvere, sive adulterium illius fuerit publicum, sive occultum, cùm in foro conscientiæ non requiratur probatio, sed sufficiat ut caro conjugum verè fuerit divisa. Et in hoc casu non posse fieri divortium docet idem D. Thomas ibidem ad 2, quia divortium ex causâ fornicationis fit uno accusante alium : nullus autem, qui in simili crimine existit, potest alium de eodem accusare. Secundus est quando vir dedit uxori causam proximam adulterandi, puta si ipse eam prostituerit, aut ei concesserit expressè vel tacitè facultatem adulterandi ; aut sciens noluerit ab isto crimine eam impedire ac prohibere, etiamsi commodè posset. Secùs vero si tantùm causam remotam dederit ; puta si iratus eam domo ad tempus expulerit, aut alimenta, vel debitum denegaverit. Tertius, si eam sibi reconciliaverit post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens ; tunc enim censetur cedere juri suo, quamdiù alter conjux non relabitur in adulterium : eo enim cadente jus illud reviviscit. Idem dicendum quando culpam et pœnam eidem condonavit expressè per verba, vel tacitè per signa, etc. Quartus, si uxor virum suum mortuum probabiliter credens propter longam ejus absentiam, alteri nupserit. Quintus, si latenter cognita fuerit ab aliquo sub specie viri sui lectum subintrante. Sextus, si fuerit vi oppressa. Septimus, si matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, et uxor alteri nupserit : tunc enim si ambo convertantur, tenetur eam recipere.

Idem D. Thomas ibidem art. 3 in corp. ait quòd vir potest dimittere uxorem dupliciter ; uno modo quantùm ad torum tantùm, et sic potest eam dimittere quàm citò sibi constat de fornicatione uxoris proprio arbitrio; nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur : et taliter reddens, nullum sibi præjudicium facit. Alio modo quantùm ad cohabitationem ; et hoc modo non potest dimitti nisi judicio Ecclesiæ. Aliàs, si dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi vir possit incontinenti fornicationem ei probare. Hæc autem dimissio divortium dicitur : et ideò concedendum est quòd divortium non potest celebrari, nisi judicio Ecclesiæ.

D. Antoninus 3 p., c. 20, § 9, docet quòd quando alter conjugum remanet in manifesto adulterio et est incorrigibilis, tunc alius hoc sciens, non potest absque gravi peccato debitum petere aut ei reddere, quia facit contra Ecclesiæ constitutionem in re gravi, ut habetur causâ 32, q. 1, can. *Si quis uxorem*. Quod in viro maximè locum habet, eò quòd teneatur ad uxorem corrigendam, non solùm verbo sed et opere, utpote cùm sit caput illius, debeatque ejus scandala impedire, ne turpitudinis patronus et fautor habeatur; ideòque si aliâ ratione nequeat huic scandalo occurrere, ad illud tenetur ; idemque docet D. Thomas, loco cit. art 2 et 5; item. dist. 25, art. 4 ad Hannibaldum ;

Nisi casus occurrat in quo utrumque istorum salvare possit utendo conjugio, quia tunc cessat omnis ratio legis et contemptûs, et de hoc plures casus referuntur. Primus est quando uxor est emendata, vel spes aliqua est emendationis, ut innuit D. Thomas locis mox citatis. Secundus est dùm maritus probabiliter timet majora inconvenientia occasione divortii secutura, ut si adsit periculum in muliere majorum libidinum, et in viro incontinentiæ propriæ : vel proventuras inde rixas et cædes inter ipsum et uxoris parentes, etc. Debet tamen tunc ad tollendum scandalum patefacere iis qui sciunt se uxorem non fovere in crimine, eamque dimittere velle, nisi inde majora mala et incommoda timeret, omnibusque palàm manifestare has turpitudines uxoris sui omninò displicere. Tertius est quando maritus huic scandalo aliâ viâ occurrere potest, puta vel eam increpando, verberando, etc., vel eam diligenter observando, semperque adhibendo ei comites qui super illius actiones

invigilent, vel eam in domo occludendo, vel impediendo ne sola exeat, aut alium alloquatur.

Uxor verò innocens sciens virum suum publicam habere concubinam, præcepto charitatis tenetur illum prout potest corrigere, si spes sit emendationis et fructûs, ac præcavere scandalum faciendo divortium, si inde viri emendatio speretur. Si verò ex hoc non speret virum suum concubinam relicturum, et aliunde fecerit quod in se est ut corrigatur, tunc potest illius conjugio uti, quia ex quo nullam habet viam huic malo occurrendi, cessat respectu illius ratio scandali et suspicio patrocinii ac participationis in crimine viri; nullus enim credit viri concubinatum de illius consensu procedere, sed potiùs illi displicere. Vide divum Antoninum loco citato.

§ 1. *Utrùm adulter et adultera teneantur ad aliquam restitutionem faciendam.*

Quamvis adulterium sit contra justitiam, si tamen de facto nec prolis, nec ullum prorsùs damnum marito aut filiis legitimis inde proveniat, certum est tunc adulterium restitutionis obligationem nullatenùs inducere. Difficultas solùm est ad quid teneantur adultera et adulter, quandò susceptâ prole illis certissimè constat spurium educari in domo mariti ejus expensis, aut illi in hæreditate succedere unà cum filiis legitimis. Cùm enim hujus damni causa sit injusta, absque dubio ad illud reparandum juxta vires suas tenentur, aut manifestè si negotium id patiatur, aut occultè sub aliquo velamine, vel per interpositas personas : solùmque restat examinandum quânam viâ et modo his malis occurrere possint et debeant.

Incipiendo ab adulterâ, certum est inprimis quòd si pinguem dotem attulerit aut bona adventitia habuerit, quibus in eodem genere hujusmodi damna compensare valeat, ad id tenetur, nisi ipse adulter de propriis bonis integrè satisfacere velit, quo tunc ad nihil obligatur. Verùm si remedium istud non suppetat, quid agendum? videtur quòd tunc adultera prudenter et cautè absque suî infamatione filium spurium inducere debet et curarè quantùm potest ut religionem hæreditatis incapacem ingrediatur et suscipiat; ex justitiâ enim tenetur facere quantùm potest ut legitimi filii et hæredes fiant indemnes, sive per hunc, sive per alium modum. Hinc quandoque obligari poterit ad crimen secretò ipsi spurio declarandum, dùm scilicet alia via non apparet, et aliunde verisimiliter speratur quòd spurius ipsi fidem adhibebit, damnaque impediet, eò quòd sit vir simplex, bonus et timens Deum, nec inde matri periculum infamiæ emergat, cùm filio intersit adulterium illius abscondere.

Verùm cùm opinio communis doceat filium non teneri matri etiam juranti esse spurium ac in articulo mortis id attestanti fidem adhibere, si contingat eum hujusmodi testimonio non moveri, neque hæreditati ac bonis patris putativi cedere velle, quid agendum in hoc casu? Teneturne adultera marito crimen suum revelare? Sanè, si nullus ex tali manifestatione speretur fructus, ad illam non teneri constat. Quare tota difficultas consistit in hoc, an quandò moraliter certa est, aut probabiliter sperat se hoc modo profuturam, puta quia maritus dotabit prolem postquàm sciet non esse suam, aut liberè hæredem instituet, aut alio modo convenienti huic nocumento providebit; an scilicet tunc etiam cum periculo propriæ vitæ aut famæ, teneatur uxor adulterium et spurium marito declarare: dico primò per se et regulariter loquendo, uxorem minimè ad hoc teneri, quandò moraliter certa est quòd maritus eam vel filium spurium, vel adulterum occidet, aut quòd sequentur inde suî infamatio, inimicitiæ, scandala, aliaque multa nocumenta. Ita communiter auctores. Conclusio hæc definita videtur ab Innocentio papâ III, in cap. *Officiis*, de pœnit. et remiss., ubi declarat non esse denegandam absolutionem uxori quæ prolem susceperat ex adulterio, aut filium alienum marito supposuerat, etiamsi nollet ipsi taie crimen revelare propter metum, etc. Videndus est D. Raymundus, in Summâ lib. 2, tit. de Raptoribus. § 10.

Probatur conclusio; non enim tenetur homo perdere vitam aut libertatem ut satisfaciat debito pecuniario, proindeque nec uxor tenetur vitam aut famam perdere ut impediat damna temporalia mariti ac filiorum legitimorum. Ergo vera est nostra conclusio. Prob. antecod. quia nemo obligari potest ad restituendum res inferioris ordinis, quales sunt bona temporalia, cum jacturâ rerum superioris ordinis, quales sunt vita et fama, prout ostendi poterit in tractatu de Justitiâ, sive de Restitutione; tum quia ex duobus malis minus est eligendum, quandò ambo vitari nequeunt, dist. 13, cap. *Duo mala;* et cap. *Nervi.* Atqui minus malum est quòd hujusmodi temporalia damna mariti et filiorum legitimorum non impediantur aut non restituantur, quàm quòd uxoris vita vel fama deperdatur totque sequantur scandala; ergo tunc uxor non tenetur ad faciendam restitutionem, utpote quæ censenda est impossibilis. Si verò ex manifestatione criminis speretur fructus absque hujusmodi periculo vitæ aut famæ uxoris, tunc ad eam videtur adigenda. Verùm iste casus rarissimus est, et prudentiam requirit extraordinariam, nec de facili est consulendus. Imò auctores monent confessarium, ne supra modum urgeat adulteram etiam in articulo mortis constitutam ut crimen suum marito detegat, ob rationes jam allatas; neque consulendum esse ei ut etiam post mortem detegatur per confessarium de illius consensu, quia fortè erit periculum ne ipse confessarius aut proles adulterina occidantur, vel iste sigilli confessionis violator et iniquæ diffamationis auctor reputetur; nisi fortè per chartam propriâ defunctæ manu scriptam, signatam sigillatam, et clausam, ac directam ad maritum posset his malis occurrere, non indicando ei se scire secretum quod continet, etc.

Dixi, *per se et regulariter loquendo*, adulteram ad hanc manifestationem cum hujusmodi periculo vitæ aut famæ propriæ non teneri, etiamsi inde speretur fructus. Nam si regnum aliquod, silente adulterâ, deberet transire ad spurium crudelem, hæreticum mori-

busque perditum : è converso verus ac legitimus hæres optimæ indolis, valdèque populo utilis ipso regno potiretur si illa crimen suum detegeret, ad id teneretur. Similiter etiam quandò ex hâc manifestatione pacificaretur regnum, et impedirentur bella ac cædes quæ ex successione spurii succrescerent; tunc enim ad id obligaretur pro communi reipublicæ bono quod quisque jure naturæ præferre debet bono proprio. Idem dicendum videtur si filii legitimi occasione illius spurii nedùm bonorum temporalium, sed etiam famæ et honoris detrimentum patiantur, si paria sint detrimenta, et nulla alia apud homines consurgat infamia ex hac declaratione quam solius matris (quod tamen rarò contingit, cò quòd ex ejus infamiâ tota quoque ejus familia sit infamiæ notâ respersa) et ratio est quia mater est nocens, filii verò legitimi innocentes, sicque cum pari detrimento, ipsorum damna avertere tenetur.

Quidam idem dicendum putant quandò mater est de adulterio valdè suspecta, et de hoc malè audit apud maritum et alios, vel si circa vitæ honestatem sit penitùs infamata : volunt enim quòd tunc si non sit aliud periculum quàm novæ infamationis, tenetur illa spurium declarare, si hoc prudentum arbitrio expediens judicetur, ac profuturum credatur. Ratio est quia talis femina ex eâ revelatione non periclitatur de famâ, cùm eam penitùs amiserit. Cum quo tamen stat quòd adultera aliunde boni nominis, nullâque laborans infamiâ non possit obligari ad crimen suum detegendum cum periculo vitæ aut famæ, sed tantùm quòd tunc meliori modo quo poterit damna resarcire debeat, imminuendo solitos sumptus, laborando, aliquid lucrando, etc.; et tandem conteri de peccato, ac retinere semper propositum satisfaciendi si aliquando commodè facere valeat, reliquum misericordiæ divinæ relinquendo, ut dicit Innocent. III, loco citato.

Quoad obligationem adulteri, omnes auctores conveniunt eum teneri ad infamiam marito reparandam, si quâ respersus fuerit ex ejus adulterio, quia est causa illius injusta. Controversia tantum est an teneatur restituere marito expensas quas facit in educatione spurii et reparare damna, etc. Sotus, lib. 4 de Justitiâ, quæst. 7, art. 2, asserit adulterum non obligari tanto restitutionis vinculo, quanto adulteram, præsertim si illa sponte suâ in adulterium consenserit. Idemque docent plures recentiores apud Lessium, lib. 2., cap. 10, dub. 8, num. 43. Dico tamen adulterum teneri ad restitutionem damnorum seu alimentorum quæ maritus præbet spurio, et bonorum quibus occasione illius filii legitimi injustè privantur. Ita Cajetanus, Sylvester, D. Antoninus, et alii ferè communiter. Explicatur conclusio : Si adulter dubitet an proles sit sua ex aliquibus probabilibus conjecturis, puta quia adultera alios tunc ad copulam admisit, aut eodem tempore cognita fuit à marito, etc., tunc ad illa omnia damna subsequentia reparanda non tenetur, quia possessio stat pro matrimonio, cujus favor prævalet. Sicque dùm maritus illo tempore non est absens, filius ferè semper judicatur ex legitimo toro procreatus, nisi evidenter constet de contrario; tum quia melior est conditio possidentis; adulter autem possidet suam libertatem et pecuniam, nec ob dubiam obligationem debet eâ spoliari, sicut neque ille filius jure legitimitatis privari.

Cum quo tamen stat quòd si adulter ex conjecturis urgentibus et indiciis evidentibus indubitanter et certissimè reputet spurium esse suum filium, illumque relinquat inter filios legitimos mariti cum quibus enutritur, tenetur coram Deo et in conscientiâ ad ea damna compensanda, scilicet ad restituendas expensas sustentationis spurii, saltem post tertium ejus nativitatis annum, quia scilicet jure communi ad matrem pertinet filium alere usque ad illud tempus, c. de patria potestate, lege *Nec filium*. Quòd si iste spurius, aut alius illegitimus filius exponeretur, tunc adulter aut fornicator teneretur ad restitutionem expensarum quas fecit xenodochium in alendâ prole illegitimâ etiam in tribus primis annis; nam mater alimenta lactis solùm tribuere tenetur quandò id commodè facere potest : supponimus autem quòd in nostro casu id non possit ob periculum infamiæ. Probatur conclusio destruendo fundamentum adversariorum. Quamvis enim adulter non suaserit adulteræ ut supponeret filium marito, suo tamen injusto actu, est verè causa ut maritus credat spurium esse filium suum legitimum, eoque titulo ipsi præbet alimenta aliaque necessaria. Idque non per accidens contingit, sed per se, cùm error iste sæpè consequatur ad prolem alienam durante matrimonio susceptam. Ergo censendus est etiam per se causa efficax damnorum quæ ex tali errore proximè consequuntur : quod enim est causa causæ, est causa causati. Proindeque cùm adulter sit per se causa talis erroris mariti, ex quo omnia illa damna proveniunt, dando operam rei illicitæ ex quâ prævidebat illa damna marito eventura, tenetur ad ea reparanda.

Confirmatur. Quia adulter non minùs est causa proxima hujusmodi damnorum quàm ipsa adultera. Ergo eâdem obligatione ad ea reparanda ligatur. Prob. anteced. Uterque enim eodem actu, eodemque modo ad istud damnum inferendum concurrit : ideò enim mater damna hæc censetur causare, quia sciens et prudens dat operam actui adulterii, quod ex naturâ suâ ordinatur ad generationem, et permittit prolem ex illo susceptam remanere in domo mariti, cum talibus circumstantiis, ut maritus ac cæteri credant esse filium legitimum, etc. Atqui adulter eodem prorsùs modo concurrit ad istam suppositionem. Ergo eodem modo concurrit ad causanda hujusmodi damna. Prob. min. Ideò enim maritus ex errore credit hunc infantem esse suum filium, et in domo suâ enutriendum, quia videt in utero propriæ uxoris positum, generatum, ac illius esse partum. Ergo adulter qui injustè illum generando ibi illum reposuit, concurrit etiam proximè et immediatè sicut ipsa adultera ad hujusmodi deceptionem, eamque moraliter fovet, proindeque æquè censetur causare damna, quæ ex illo mariti errore consequuntur, quamdiù relinquit spurium enu-

riendum in domo patri putativi, nec illum in suam tranfert, ut tanquàm verus pater illius curam habeat. Quamvis enim adultera immediatiùs supponat spurium illum marito, adulter tamen non desinit esse causa proxima suppositionis, quatenùs suo facto iniquo conjecit adulteram in hujusmodi necessitatem, ne scilicet adulterium cum maximo propriæ ejus vitæ aut famæ periculo manifestaretur.

Nec refert adulteram non conjici in hanc necessitatem invitam et nolentem. Non refert, inquam: qui enim alteri consulit homicidium, non desinit propterea ei cooperari, ex hoc quòd alter volens et consentiens illud perpetraverit, quia influxus illius in damnum proximi non tollitur per hoc quòd instrumentum liberum ac spontaneum applicuerit ad damnum inferendum. Unde in nostro casu solùm inferri potest adulterum nullam injuriam intulisse feminæ consentienti, nec teneri ad aliquid restituendum ei, non autem quòd marito et filiis legitimis restituere non debeat, ad quorum nocumenta unà cum feminâ efficaciter et injustè concurrit. Nec valet dicere quòd adulter nec intendit nec consuluit hujusmodi nocumenta, proindeque ad nihil tenetur, perinde ac si adultera procuraret sibi abortum fœtûs animati, ipsa sola foret homicidii causa, non verò adulter, quamvis illi occasionem et materiam abortûs dederit ex copulâ præcedenti. Non valet, inquam, nec est paritas in exemplo adducto, quia abortus per se et regulariter non sequitur ex adulterio susceptâ prole, sed tantùm per accidens ex malitiâ mulieris, cui proinde soli imputari debet; nullatenùs verò adultero, nisi illum consuluerit aut procuraverit. Atverò ex susceptâ prole adulterinâ per se et ex naturâ rei sequitur error et deceptio mariti, ex quo errore regulariter adveniente oriuntur damna jam relata, quorum proinde adulter tam bene censetur causa ac ipsa adultera. Hæc materia fusiùs habetur in tractatu de Just.

§ 2. *An et quando usus conjugii matrimonialis vitiari possit.*

Pauca quædam de istâ materiâ lubricâ tetigi in primâ parte Decalogi in expositione quarti præcepti art. 3, § 2. Nunc autem charitatis motivo ductus eamdem materiam denuò pertractare, et paulò uberiùs explanare cogor, ut confessariorum commoditati et pœnitentium saluti spirituali consulam. Porro, ut verecundiæ parcam, nihil ex meo dicere intendo, sed omnia usque ad ipsa verba à D. Thomâ, D. Antonino, aliisque piis et probatis auctoribus referre ac mutuare volo; lectores rogans ut eo animo legant, quo ego sexaginta sex annos habens scribo.

Matrimonium esse bonum ac honestum, ejusque usum et actum fieri posse sine peccato probat D. Thomas, 2-2, q. 53, art. 2, quia *peccatum in humanis actibus est quod est contra ordinem rationis. Habet autem hoc rationis ordo, ut quælibet convenienter ordinet in suum finem. Et ideò non est peccatum si per rationem homo utatur rebus aliquibus ad finem ad quem sunt modo et ordine convenienti, dummodò ille finis sit aliquod verè bonum. Sicut autem est verè bonum quòd conservetur corporalis natura unius individui, ita etiam est quoddam bonum excellens quòd conservetur natura speciei humanæ. Sicut autem ad conservationem vitæ unius hominis ordinatur usus ciborum, ita ad conservationem totius humani generis usus venereorum. Unde D. August. dicit in libro de Bono conjugali, cap. 16: Quod est cibus ab salutem hominis, hoc est, concubitus ad salutem generis. Et ideò sicut usus ciborum potest esse absque peccato, si fiat debito modo et ordine secundùm quod competit saluti corporis, ita etiam et usus venereorum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo et ordine, secundùm quod est conveniens ad finem generationis humanæ.* Hactenùs D. Thomas

Et ibidem, ad 2, dicit quòd medium virtutis non attenditur secundùm quantitatem, sed secundùm quòd convenit rationi rectæ. Et ideò abundantia delectationis, quæ est in actu venereo, secundùm rationem ordinato, non contrariatur medio virtutis. Et præterea ad virtutem non pertinet quantùm sensus exterior delectetur, quod consequitur corporis dispositionem, sed quantùm appetitus interior ad hujusmodi delectationes efficiatur. Nec ex hoc etiam quòd ratio non potest liberum actum rationis ad spiritualia consideranda simul cum illâ delectatione habere, ostenditur quòd ille actus sit virtuti contrarius: non enim est virtuti contrarium, si rationis actus aliquando intermittatur aliquo, quod secundùm rationem fit. Alioquin quòd aliquis se somno tradat, esset contra virtutem. Hoc tamen quòd concupiscentia et delectatio venereorum non subjacet imperio et moderationi rationis, provenit ex pœnâ primi peccati, in quantum scilicet ratio rebellis Deo meruit habere suam carnem rebellem, ut patet per D. Augustinum, lib. 13 de Civit. Dei, cap. 13. Idem repetit D. Thomas in Supplemen., q. 49, art. 4, ad 3; et ibidem art. 1, dicit quòd ad excitandum ad actum quo defectui speciei subvenitur, divina providentia delectationem apposuit in illo actu, quâ etiam animalia bruta movet, in quibus non est infectio peccati originalis. Cajetanus, 2-2, a. cit., sic ait: *Nota contra scrupulosas mentes quòd sine omni peccato actus venereus exerceri potest et exercetur, quando actus conjugalis est debitis circumstantiis honestatus, inter quas circumstantias non est ut persona non delectetur, aut non complaceat sibi delectatio. Complacentia enim voluntaria in delectatione operis talis, aliàs benè circumstantionati, puta propter prolem,* etc., *nullum omninò peccatum est, sed donum Dei est absolutè generi humano collatum, sicut et cæteris animalibus. Unde persona non debet de hujusmodi delectatione perceptâ dolere, sed potiùs Deo gratias agere.* Hæc Cajetanus.

Ut autem ille actus honestetur, debet habere aliqua bona: ut enim ait D. Thomas in 4 Sent., dist. 31, q. 1, in corp., nullus sapiens debet jacturam aliquam sustinere, nisi pro aliquâ recompensatione alicujus æqualis vel melioris boni. Unde electio alicujus quod aliquam jacturam habet annexam, indiget alicujus boni adjunctione per cujus recompensationem ordinetur et honestetur. In conjunctione autem viri et mulieris rationis

jactura accidit; tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur tunc rationis actus ut non possit aliquid intelligere in ipsâ, sicut Philosophus dicit; tum etiam propter tribulationem carnis quam oportet tales sustinere ex sollicitudine temporalium, ut patet ex Apostolo 1 ad Cor. 7. Et ideò electio talis conjunctionis non potest esse ordinata nisi per recompensationem aliquorum, ex quibus dicta conjunctio honestetur. Et hæc sunt bona quæ matrimonium excusant, et honestum reddunt. Et ibidem, art. 2, tria illa bona enumerat, nempè prolem, fidem et sacramentum. Est enim matrimonium signum rei sacræ, nempe conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, inducitque indivisibilitatem et inseparabilitatem. Est etiam in officium naturæ, et sic respicit usum conjugalem. In quantum autem est in officium naturæ duobus ordinatur. Quorum unum exigitur ex parte ipsius agentis, hoc est, intentio finis debiti; et sic ponitur bonum matrimonii, proles. Aliud exigitur ex parte ipsius actûs qui est bonus in genere, ex hoc quòd cadit supra materiam debitam; et sic est fides, per quam homo ad suam accedit, et non ad aliam. Hactenùs D. Thomas. Igitur actus matrimonii ut honestetur debet fieri ob finem debitum et modo convenienti, nempe causâ generandi prolem, aut reddendi debitum, prout expressè docet D. Thomas, in Supplemento, quæst. 49, art. 5, dicens quòd duobus solùm modis conjuges, absque omni peccato conveniunt, scilicet intentione et causâ procreandæ prolis, et debiti reddendi; aliàs autem semper ibi est peccatum ad minus veniale. Et ad hæc duo capita reducemus omnia peccata quæ in usu matrimonii fieri possunt à conjugibus, et quæ communiter referuntur ab auctoribus: nos verò breviter ac moderatè ea perstringemus duobus § sequentibus.

§ 3. *In quo explicatur primum caput, nempè finis generandæ prolis.*

Dico quòd ut actus conjugii sit licitus et honestus, exercendus est causâ et intentione generandæ prolis, et quoties conjuges ab hoc fine ita recedunt, ut quantùm est ex vi illius actûs, per se generatio sequi non possit, toties mortaliter peccant. Ita communiter auctores. Probatur quia cùm Deus matrimonium instituerit ad generis humani multiplicationem, illo debitè utens ad hunc finem, peccare nequit: aliàs Deus aliquid illicitum instituisset et mandâsset. Unde sicut usus ciborum ordinari debet ad conservationem individui, ita et usus venereorum ad conservationem generis humani. Sicque est licitus et honestus, si fiat debito modo et ordine secundùm quod est conveniens ad finem generationis humanæ.

Observat tamen D. Thomas in 4 Sent., dist. 31, q. 2, art. 2, ad 1, quòd ut careat culpâ etiam veniali, non est sistendum in prole et desiderio habendi successorem, sed proles ulteriùs referri debet in Deum et ad cultum ejus amplificandum, saltem implicitè. Alioquin concubitus hominum à coitu brutorum non multùm differret, nec bonum Sacramenti haberet: natura enim bonum prolis intendit, ut in ipsâ species conservetur; bonum autem Sacramenti exposcit ut referatur in Deum. Nec inde inferri debet motum naturæ esse malum, sed imperfectum esse, nisi ad aliquod Sacramenti bonum referatur. Nec tamen opus est in ipso actu conjugali expressè reminisci illius aut alterius finis, sed satis est si habitualiter referatur ad illos, puta si conjuges à principio matrimonium inierint propter istos fines, nec intentionem actu contrariam habeant; imò Sylvester, verbo *Debitum*, q. 12, v. 2, postquàm dicit quòd ut actus conjugalis sit meritorius, proles ad Dei obsequium referri debet, subit id esse verum quamvis conjuges nihil de obsequio divino tunc cogitent, sed solùm de successore, quia ex quo conjux est in Dei gratiâ, nec malum finem intendit, virtualiter refert illud opus in Deum. Hinc colligitur conjugem utentem matrimonio, nec expressè intendentem, nec excludentem prolem, sed illius immemorem, solùmque intendentem copulari conjugi tanquàm conjugi, minimè peccare, quia, etsi non intendat prolem formaliter, benè tamen virtualiter, eò quòd actus ille suâ naturâ ad prolis generationem tendat, nec ex operantis intentione ad alium finem referatur. Hinc infertur quòd si actus conjugalis referatur in finem mortalem, erit culpa mortalis, quia actus in pravum finem relatus talis est qualis finis; et ubi finis est venialis, culpa erit solùm venialis. Quidam volunt quòd quando fines extranei (in se tamen liciti) non sunt fines principales ad quos primò actus conjugalis referatur, sed secundarii et motivi applicationis ad concubitum, nulla est culpa, quia ipsum matrimonium ad hujusmodi fines secundarios dirigere, culpâ vacat; ergo etiam in actu conjugali. Verùm quid de hoc sit sentiendum, constabit ex dicendis.

Conjux debitum petens causâ solius delectationis, intra tamen honestatem et limites matrimonii, non quidem mortaliter peccat, cùm in ea non ponat ultimum finem, nec vellet illam ubicumque quærere, etiam in aliena: committit nihilominùs veniale peccatum, ut docent D. Aug., de bono Conjugii, et lib. 5 contra Julianum, c. 7. D. Gregor. Respon. 10 ad interrogat. Et habetur caus. 33, q. 4, cap. *Vir cum propriâ*. Et D. Thomas, locis cit. Idque definivit Innocent. papa XI, damnans hanc propositionem: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpâ, ac defectu veniali*. Sicut etiam comedens et bibens usque ad satietatem ob solam voluptatem, venialiter peccat, prout determinavit idem pontifex in damnatione *propositionis* 8. Ratio est, quia ibi intervenit debiti ordinis inversio dùm actus conjugalis suâ naturâ tendens ad bonum prolis, refertur ad finem voluptatis capiendæ; tum quia bonum delectabile, quod est naturæ sensitivæ consonum, non potest rectè esse finis operationis humanæ, sed solùm bonum honestum quod est naturæ rationali conforme; tum quia abusus est quærere actum propter delectationem illi adjunctam, cùm delectatio sit propter ipsum actum, non verò actus propter delectationem illi adhærentem. Ita D. Thomas in 4 Sent. dist. 31, q. 2, art. 3, ubi addit

quòd si delectatio quæratur ultra honestatem matrimonii, ut scilicet aliquis in conjuge non attendat quòd conjux est, sed solùm quòd mulier est, idem paratus facere cum ea si non esset conjux, est peccatum mortale, et talis dicitur à D. Hieronym. ardentior amator uxoris: voluptates enim quæ de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore damnandæ sunt. Hæc D. Thomas.

Hinc D. Thomas in additionibus ad 3 p., q. 49, art. 5, ad 5, docet: *Quòd quamvis intendere sanitatis conservationem, non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur quod non est ad hoc ordinatum; sicut qui ex sacramento Baptismi tantùm salutem corporalem quæreret. Et similiter est etiam in proposito de actu matrimoniali.* Nempe quòd debitum petere causâ sanitatis consequendæ aut tuendæ est culpa venialis, quia perversio debiti ordinis est, actum conjugalem, qui suâ naturâ refertur ad bonum speciei, referre ad bonum individui. Aliqui tamen volunt quòd quando aliud medium aptum non invenitur ad instaurandam vel tuendam sanitatem, tunc nulla sit culpa nec perversio ordinis debiti, cùm in eo fine bonum prolis ac fidei, quamvis remotè, includantur; benè tamen ubi aliud medium conveniens occurrit: tunc enim erit culpa venialis.

Quæres 1° utrùm conjux peccet venialiter petendo debitum ad vitandam incontinentiam in seipso. Respondet D. Thomas in 4 sent., dist. 31, q. 2, art. 2, quòd *si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem, in conjuge non est aliquod peccatum; quia hoc est quædam reddìtio, quod ad bonum fidei pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est sibi aliqua superfluitas; et secundùm hoc est peccatum veniale. Nec ad hoc matrimonium est institutum nisi secundùm indulgentiam quæ est de peccatis venialibus.* Hæc D. Thomas. Idemque docet super cap. 1 ad Cor. 7, ubi Apostolus præmiserat ut unusquisque uxorem habeat, etc., Deinde subdit: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* Item D. August., de Bono conjug., c. 10; D. Gregor. lib. 32 Moral., c. 18, et alii sancti Patres super relatum Apostoli locum. Ratio est, quia talis petens, vel impellitur à concupiscentiâ, et tunc impulsus ille est culpa venialis; aut non impellitur, et tunc utitur medio quo minimè indiget, sicque est superfluitas et inordinatio quædam, tum quia aliis modis convenientioribus, vel per orationem, vel per alia pia exercitia, incontinentiam propriam vitare posset; cùm aliunde nihil ex parte alterius conjugis ab illo requirat actum matrimonialem. Sicque eligens istud medium in quo inest tanta voluptas, verè ob delectationem accedit, proindeque culpam venialem committit. D. Antoninus tamen 3 p., tit. 1, c. 20, § 11, id sic explicat. Aut enim talis accedit ad actum conjugalem causâ vitandæ fornicationis in se, quamvis aliis modis tunc mente occurrentibus aut se offerentibus posset illam vitare, sed magis vult isto modo delectabili uti, quàm domare carnem et fugere consortia, etc., et tunc est veniale peccatum. Aut assumit actum conjugii ad vitandam in se fornicationem, non quia est delectabilior, sed quia tunc non posset alio modo meliùs eam vitare. Ita quòd voluptas non movet ipsum, sed amor vitandæ fornicationis, puta si tunc sit de necessitate aliam feminam in secretò allocuturus, à quâ se tentari expertus est, etc. Et tunc nullum est peccatum, saltem quando generatio prolis et finis primarius; vitatio verò fornicationis propriæ est solùm secundarius et applicans ad concubitum.

Quæres 2° utrùm illicitus sit concubitus inter conjuges quando uxor est gravida, etc. Respondet D. Thomas in 4 Sent., dist. 31, in expositione textûs, quòd *quamvis matrix post imprægnationem claudatur, tamen ex delectatione, ut Avicena dicit, movetur et aperitur: et ex hoc imminet periculum abortûs. Et idcò D. Hieronym. vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam, non tamen ita quod semper sit peccatum mortale, nisi fortè quando probabiliter timetur de periculo abortûs.* Hæc D. Thomas. Si igitur tempore prægnationis sit verisimile periculum abortûs utendo actu conjugali, tunc petere aut reddere est manifesta culpa lethalis. Utrùm autem sit venialis tunc exigere, secluso eo periculo, sub lite est. Quidam enim videntur hoc sentire, quia D. Thomas et alii auctores disputantes de culpæ hujus qualitate, dixerunt eam non esse mortalem, quasi supponentes eam esse venialem, et talem esse expressè tenent Alensis, Paludanus, D. Antoninus et Sotus. Alii verò negant esse culpam venialem, quia de hoc nulla reperitur prohibitio, et laqueum esset injicere animabus: cùm enim magnâ temporis matrimonii parte uxor sit gravida, abstinendum esset conjugibus ferè semper, vel innumera venialia forent admittenda. Cæterùm conveniunt auctores nullam esse culpam in reddendo, quia si in hâc petitione esset aliqua venialis incontinentia, reddendi tamen obligatio lege justitiæ præscripta reddentem ab eâ excusaret. Adde quòd sola venialis culpa in exigente non eximit alterum conjugem ab obligatione reddendi.

Quæres 3° utrùm ratione modi vel sitûs, conjugalis actus reddatur vitiosus. Resp. D. Thomas in 4 Sent., dist. 31, in expositione litteræ, quòd *usus contra naturam conjugii est quando debitum vas prætermittitur, vel debitus modus à naturâ institutus quantùm ad situm: et in primo semper est peccatum mortale, quia proles sequi non potest, unde totaliter intentio naturæ frustratur. Sed in secundo modo non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ: quandoque etiam sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur. Aliàs tantò est gravius quantò magis à naturali modo receditur.* Hæc D. Thomas. Si igitur tali concumbendi modo generatio impediatur, puta quia semen receptum in vas femineum minimè retinetur, sed forâs expellitur, aut si foret periculum illud effundi ratione modi exorbitantis concubitûs, tunc esset peccatum mortale. Observant tamen B. Albert. Magnus, D. Antoninus, Paludanus, Cajet. et alii quòd per tales situs et modos innaturales et indebitos non impeditur generatio eò quòd semen viri intret in matricem per modum attractionis, et non per modum descensûs.

Est tamen grave peccatum veniale, quando solius voluptatis captandæ gratiâ isti modi innaturales usurpantur; et tantò graviùs quantò magis à naturali modo receditur. Unde graviter objurgandi ac reprehendendi sunt conjuges talia facientes, et ab his arcendi : non tamen propterea injiciendus est illis mortalis peccati scrupulus, nisi in casu posito, nempe quando impediretur generatio, et tunc mulier licitè non posset viro sic petenti debitum reddere; aut quando inesset aliqua prava intentio, vel signum mortalis concupiscentiæ, vel aliqua circumstantia addens malitiam lethalem. Tandem monendi sunt ex Apost. 1 ad Thess. 4 : *Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii sicut gentes quæ ignorant Deum.* Quando verò necessitas excusat, et infirmitas ac dispositio corporis alium non patitur concumbendi modum, tunc hujusmodi situs absque peccato usurpari possunt; ut quando femina est gravida, et sine periculo abortûs nequit aliter cognosci, aut vir ob nimiam pinguedinem non potest alio modo ad uxorem accedere, aliasque ob legitimas causas, semper tamen servato vase naturali.

Quæres 4° utrùm conjuges peccent quando optant prolem non concipi, eâque de causâ ab incœptâ copulâ se retrahunt, aut ab eâ abstinent. Resp. quosdam asserere committi peccatum mortale; videtur enim esse contra finem matrimonii. Sanches tamen reputat esse solùm veniale, si conjuges tunc nihil efficiant quod prolis conceptionem impediret; tum quia finis præcepti non cadit sub præcepto, tum quia hoc non est de se malum, bonoque fine vestiri potest, ut ratione paupertatis, aut periculi mortis in patiendo, etc. Addit idem Sanches quòd si conjuges habentes copulam nondùm seminaverint, nec in eis adsit periculum seminandi extra vas, non est lethale se retrahere ab eâ ante seminis emissionem, quamvis nullus alius finis interveniret, quàm impediendi prolis generationem; quia etsi eam impedire emisso semine sit peccatum mortale contra naturam, ubi tamen omninò nulla seminis fit jactura, non est culpa lethalis. Sicut enim possunt conjuges communi consensu à copulâ abstinere, ita ab incœptâ neutrius semine emisso resilire. Idque ex causâ facere nullum est peccatum, puta si seminatio noceret sanitati, vel conjuges sunt pauperes et prole abundant; sine causâ autem, est solùm veniale. Hæc Sanches. Verùm cùm conjuges tunc se exponant probabili periculo seminandi extra vas, non video quomodò in praxi id exerceri possit absque culpâ lethali. Adde quòd inchoare copulam animo illam non perficiendi ad prole carendum, est maxima inordinatio, et abusus, utpote contra finem à naturâ intentum, quæ talem actum ad prolem ordinavit quando haberi potest, ita ut tunc nihil fiat quo positivè impediatur. Unde tales non excusat paupertas, aut periculum ex partu, sed debent continere. Non nego tamen quòd per accidens aliquando liceat actum conjugalem interrumpere, etiamsi ex naturæ concitatione secutura sit pollutio, puta dùm aliquis tunc intervenit, aut imminet periculum mortis inferendæ ab hoste vel à ferâ, aut ob aliam similem causam tunc præter intentionem et voluntatem conjugum occurrentem.

An verò sit lethale quando ad impediendam prolis conceptionem, conjuges datâ operâ efficiunt ne simul, sed tantùm unus post alium seminet, respondeo id pendere ex isto principio, an per hoc impediatur generatio; quod quidam affirmant, dicentes ex semine utriusque conjugis unum effici generationis principium, uno per modum agentis, altero per modum patientis et recipientis se habente.

Alii verò docent ad generationem non esse absolutè necessarium utrumque conjugem unà simul seminare : experientiâ enim constat plures feminas invitas et nullatenùs excitatas, proindeque non seminantes, recipientes tamen semen virile, concepisse. Nec obstat hanc simultaneam seminationem multùm conferre ad faciliorem et pulchriorem conceptum, quia non tenentur conjuges faciliorem generandi viam eligere, neque certiorem, sicut non tenentur uti mediis ad illam deservientibus, sed sufficit quòd generationi prolis absolutè non obstent. Verùm, cùm tales conjuges credant, absque simultaneo concursu, prolem non posse concipi, et ob hoc illum impedire conentur, videntur ex hâc prâva intentione et conscientiâ erroneâ graviter peccare, nisi eam deponant. Quando prorsùs omninò desperatur de viri seminatione intra vas, sive illa impotentia perpetua proveniat à senectute, sive ab imbecillitate, sive à morbo, sive ex indispositione et improportione organorum, nequaquàm est licitus actus conjugalis cum eo periculo effusionis : ubi verò probabilis spes est viro seminandi intra vas, licitum est ad id conari ac experiri; et si quando semen effundatur, id contingit omninò per accidens et præter intentionem. Sic enim in can. *Laudabiliter de frigid. et malefic.*, conceditur triennalis experientia conjugibus dubitantibus an impotentia sit perpetua.

Quæres 5° utrùm conjuges frigidi et steriles peccent exercendo actum matrimonii? Respondet D. Thom. in 4 dist. 34, in expositione litteræ expendens illa verba : *Si mulier causatur, dicens : Volo esse mater, et filios procreare.* Ubi ait : *Videtur ex hoc quòd ratione sterilitatis matrimonium solvi possit. Et dicendum quòd non, quia in sterilibus, etsi matrimonium non habeat intentum suum secundùm quòd est in officium naturæ, habet tamen secundùm quòd est remedium per carnalem copulam; unde ponitur hîc procreatio filiorum pro carnali copulâ, quam mulieres verecundantur expetere.* Hæc D. Thom. Cajet. 2-2, q. 153, art. 3, dicit quòd propterea sterilitas non reddit actum conjugalem illicitum, quia ex illo actu per se loquendo nata est sequi generatio quamvis per accidens ratione conditionum aliquarum personarum non sequatur. Moralia autem attendunt ad id quod secundùm suam naturam est, et non ad id quod per accidens in hâc rei complexione vel ætate invenitur. Per se autem semen à naturâ est ordinatum ad prolis generationem, alioquin non esset semen : unde quantumcumque in hâc vetulâ aut sterili per accidens generatio sequi non possit, adhuc tamen seminatio conjugalis intra vas non est

illicita. Hinc D. Thomas in 4 sent., dist. 34, q. unicâ, art. 2, ad 3, dicit quòd vetuli quamvis aliquando non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, habent tamen caliditatem sufficientem ad carnalem copulam; et ideò conceditur eis matrimonium secundùm quod est in remedium, quamvis non competat eis secundùm quod est in officium naturæ. Et auctores communiter docent validum esse matrimonium contractum à sene, qui saltem conari et juvari potest aliquà arte ad ejus consummationem, et intra femineum vas seminare : secùs dicendum si ad hoc fuerit omninò impotens. Nec est eadem ratio de feminâ : quæcumque enim, licet vetula aut frigida, semen recipere potest, et quamvis si defecerint ei muliebria, non habeat semen generativum, non propterea sequitur quòd matrimonium sit nullum, nec actus conjugalis illicitus, quia tunc solùm per accidens generatio sequi non potest. Hinc petere vel reddere debitum est illicitum quando omninò desperatur de facultate viri intra vas seminandi, sive hoc proveniat ex ejus imbecillitate aliove morbo, aut ex supervenienti feminæ arctitudine quæ non vult incisionem pati, ad quam tamen tenetur, etiam cum aliquo gravi dolore, ob scilicet jus quod in maritum transtulit, et quo uti non potest absque tali incisione, non tamen cum gravissimo morbi incommodo aut vitæ periculo. Vide D. Thom., loco cit., ad 5.

Hinc etiam non videtur illicitus actus conjugii in feminâ quæ potest semen recipere, quantumvis sit impotens ad illud retinendum aut seminandum; per accidens enim se habet quod non possit semen retinere, nec est necessarium ad generationem quòd seminet, neque proinde impeditur quòd licitè possit debitum petere, juxta nostrum Ludovicum Lopem, 1 p., c. 79; et Sylvestrum, v. *Debitum*, et v. *Matrimonium*, quia matrix semen ad generationem necessarium retinere solet, et aliquando superfluum emittere.

§ 4. *In quo explicatur secundum caput, nempe finis reddendi debiti.*

Conjuges ad reddendum sibi debitum tenentur de necessitate præcepti sicut ad cætera justitiæ præcepta, et ille actus cadit sub præcepto affirmativo : scriptum est enim 1 ad Corinth. 7 : *Vir uxori debitum reddat, et uxor viro : nolite fraudare invicem.* Ideòque mortale peccatum committit debitum denegans absque rationabili causâ excusante, alteri petenti; et in petendo et reddendo debitum vir et uxor sunt æquales æqualitate proportionis, quia sicut vir tenetur uxori in actu conjugali et dispensatione domûs, ad id quod viri est, ita uxor viro ad id quod uxoris est. Ita D. Thomas in 4 Sent., dist. 32, q. unicâ, art. 3. Et ibidem, art. 1 in *Sed contra*, ait quòd *sicut servus est in potestate domini sui, ita et unus conjugum in potestate alterius, ut patet 1 ad Cor. 7. Sed servus tenetur ex necessitate præcepti domino suo debitum servitutis reddere, ut patet ad Rom. 13.* : « *Reddite omnibus debita,* » etc. *Ergo et unus conjugum ex necessitate præcepti tenetur alteri reddere debitum. Item quia matrimonium est ordinatum ad vitandam fornicationem, ut patet 1 ad Cor. 7; sed hoc non posset fieri per matrimonium, si unus alteri non teneretur debitum reddere; ergo reddere debitum est de necessitate præcepti.* Hæc D. Thomas. Igitur, regulariter loquendo conjux mortaliter peccat non reddens debitum alteri petenti expressè aut tacitè, nisi justam causam habeat, quia ad hoc se obligârunt ex contractu matrimonii, proindeque ex justitiâ, tradentes sibi invicem corpora, juxta illud 1 ad Cor. 7 : *Vir non habet potestatem sui corporis*, etc. Ergo sicut in aliis etiam contractibus et materiis, qui negat debitum magni momenti creditori petenti, gravem ipsi facit injuriam, ita in nostro casu conjux denegans debitum alteri petenti. Sotus tamen, Sylvester et alii observant quòd quando conjux solummodò petit benevolè et amicabiliter, nec multùm instat aut urget, neque intendit in rigore alterum ex justitiâ obligare ad reddendum debitum, tunc iste denegando non peccat mortaliter, animo tamen paratus reddere si alter conjux seriò et iterùm illud exigeret, nec sit periculum incontinentiæ in illo, puta si vir tantùm remissè aut frigidè petat, aut rogatus acquiescat, etc.

D. Thomas in 4 Sent., dist. 32, art. 2, quæst in corp. docet quòd *dupliciter debitum potest peti : uno modo expressè, ut quando verbis invicem petunt; alio modo interpretativè, quando scilicet vir percipit per aliqua signa quòd uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet : et ita etiamsi non expressè verbis debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando expressa signa in uxore apparent voluntatis debiti reddendi.* Et ibidem, art. 3, ad 2, ait S. doctor quòd *quia vir nobiliorem partem habet in actu conjugali, naturaliter habet quòd non ita erubescat petere debitum sicut uxor; et inde est quòd uxor non ita tenetur reddere debitum non petenti viro, sicut vir uxori. Quod tamen non impedit quin sint æquales in actu matrimonii, quia hoc est per accidens.* Unde S. doctor ibidem, art. 2, ad 4, dicit quòd *non debet vir uxorem avertere ne petat debitum, nisi propter aliquam causam : et etiam tunc cum magnâ instantiâ averti non debet propter pericula imminentia. Si autem contingeret quòd maritus esset homo simplex nec auderet petere ob pudorem vel pusillanimitatem, tunc uxor reddere teneretur quando in eo apparerent signa voluntatis exigendi debitum, aut ex aliquibus indiciis in eo periculum incontinentiæ timeretur.*

Hinc peccat conjux qui voluntariè impotentem se reddit ad sufficienter reddendum debitum, quod sic explicat D. Thomas ibidem, art. 1, ad 3, ubi ait, quòd *si aliquis redditur impotens ad debitum solvendum ex causâ consecutâ ex matrimonio* (puta cùm priùs debitum redditur et fit impotens ad debitum solvendum ulteriùs), *mulier non habet jus plus petendi; et in petendo ulteriùs, se magis meretricem quàm conjugem exhibet. Si autem reddatur impotens ex alterâ causâ, si illa est licita, sic iterùm reddere non tenetur, nec mulier exigere potest. Si non est, tunc peccat non reddendo, et peccatum uxoris, si in fornicationem propter hoc labatur, ei aliquo modo imputatur. Et ideò quantùm potest, operam dare debet ut uxor contineat.* Hæc D. Thomas.

Hinc colligitur conjugem mortaliter peccare qui se mediis illicitis impotentem reddit, ut si crebrò se polluat, si ad alias accedat, advertens inde se reddi impotentem ad suæ uxori debitè satisfaciendum idque tenetur in confessione explicare, quamvis juxta aliquos postea totaliter impotens factus, non ampliùs peccet in non reddendo debitum, impotentiâ illum excusante. Item vir licitè non potest immoderatâ vitæ asperitate, notabili jejunio, aliisque macerationibus extenuare corpus et perdere vires quibus indiget ad sufficienter reddendum debitum uxori, neque illa potest se hoc modo extenuare, ita ut deformis et exosa viro effecta, det illi occasionem accedendi ad alias feminas. Neque conjux ordinariè debet diù abesse, nisi alter consentiat, aut justa necessitas id exigat. Non tenetur tamen vir uti cibis calidis, aliisque ut potentior fiat, sed sufficit ut impotentem non se reddat. Vide D. Antoninum 3 p., tit. 1, c. 20, § 10, ubi etiam assignat plures casus in quibus conjux non tenetur alteri reddere debitum, nec peccat illud denegando, quos per breves quæstiones afferimus.

Quæres 1° utrùm cum propriæ salutis detrimento conjuges teneantur sibi debitum reddere. Respondet D. Thomas negativè in 4 sent., dist. 32, a. 1, in corp., ubi ait quòd *matrimonium est principaliter institutum in officium naturæ. Et ideò in ejus actu considerandus est motus naturæ secundùm quem nutritiva non ministrat generativè, nisi id quod superfluit ad conservationem individui. Quia hic est ordo naturalis, ut priùs aliquid in seipso perficiatur, et postmodùm alteri de suâ perfectione communicèt; hoc etiam ordo charitatis habet quæ naturam perficit. Et ideò cùm uxor in viro potestatem non habeat, nisi quantùm ad generativam virtutem, non autem quantùm ad ea quæ sunt ad conservationem individui ordinata, vir tenetur uxori reddere debitum in his quæ ad generationem prolis spectant, salvâ tamen priùs personæ incolumitate.* Hæc D. Thomas. Igitur ut agatio reddendi debitum intelligi debet salvâ consistentiâ et sanitate personæ : nam generandi opus à naturâ ordinatum est ad bonum speciei sine malo individui. Hinc D. Antoninus loco cit. infert quòd vir vulneratus ac febri laborans aut graviter infirmus non tenetur reddere debitum, quia id ei foret valdè nocivum. Item non tenetur existens in balneis vel statim ac exit à balneis, quia eo tempore grave periculum copula infert. Item mulier furis incorrigibilis potest fugere, eumque relinquere, ne cum eo capiatur, et morte plectatur. Item non tenetur conjux alteri immoderatè ac sæpius quàm par est petenti, semper reddere debitum, quia notabiliter vires extenuat. Imò illicitum est viro reddere debitum cum notabili salutis suæ detrimento, et similiter uxori, quia vitæ dominium non habent. Et hanc culpam esse mortalem quidam volunt, nisi vel inadvertentia tanti damni excuset, vel subsit grave periculum incontinentiæ in exigente; tunc enim saltem licitum est reddere ex charitate. Si tamen infirmitas fuerit levis, ut dolor capitis, aut dentis, etc., non videtur causa sufficiens, præsertim si petens subiret inde periculum incontinentiæ, et alter conjux facilè reddere posset.

Quæres 2° utrùm conjux sanus cum propriæ infectionis periculo teneatur debitum reddere leproso, aliove morbo contagioso laboranti. Respondet D. Thomas lib. 4 Sent., dist. 32, a. 1, ad 4, quòd *lepra solvit sponsalia, sed non matrimonium : unde uxor etiam viro leproso tenetur reddere debitum si exigat; non tenetur ei cohabitare, quia non ita citò inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione. Et quamvis proles generetur infirma, tamen melius est ei sic esse quàm penitùs non esse.* Hæc D. Thomas. Quod tamen D. Antoninus loco cit., Cajetanus in Summâ, verbo *Matrimonium*, et alii explicant et limitant in casu quo ex redditione debiti non immineret sano periculum infectionis. Et in hoc sensu intelligi debet can. 2 de conj. leproso, quoniam redditio debiti conjugalis debet esse non tantùm salvâ consistentiâ, sed sanitate subjecti, cùm non teneatur ægritudinem vel debilitatem notabilem incurrere propter debitum reddendum, ideòque nec lepram quæ majus est malum. Unde in hujusmodi casu videtur standum consilio medicorum de periculo infectionis, consideratis particularibus circumstantiis et qualitatibus. Idem prorsùs dicendum videtur, si alter conjux lue venereâ laboret; tunc enim non tenetur conjux sanus cum periculo notabilis infectionis ei debitum solvere, quia eadem est ratio ac de leprâ. Dicunt autem medici certius infectionis periculum imminere viro accedenti ad mulierem leprâ aliove contagioso morbo infectam, quàm mulieri sanæ accedenti ad virum infectum.

Quæres 3° utrùm sit licitum petere aut reddere debitum tempore menstruorum. Respondet D. Thomas in 4 Sent., dist. 32, art. 2, q. 3, quòd *circa hoc quidam dixerunt quòd mulier menstruata sicut non debet petere debitum, ita nec reddere : sicut enim non teneretur reddere si haberet infirmitatem in propriâ personâ, ex quâ periculum ei immineret, ita non tenetur reddere ad vitandum periculum prolis. Sed ista opinio videtur derogare matrimonio, per quod datur omnimoda potestas viro in corpus mulieris quantùm ad matrimonialem actum. Nec est simile de infirmitate corporis prolis et periculo proprii corporis, quia si mulier infirmatur, certissimum est quòd ex carnali actu periculum ei imminet; non autem ita certum est de prole, quæ fortè nulla sequetur. Et ideò alii dicunt quòd mulieri menstruatæ nunquàm licet petere debitum : si tamen vir ejus petat, aut petit scienter aut ignoranter : si petit sciènter, tunc debet eum avertere precibus et monitis, tamen non ita efficaciter ut possit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas incidendi, si ad id pronus credatur; si autem petit ignoranter, tunc mulier potest aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur : tamen finaliter, si vir non desistit à petitione, debet reddere debitum poscenti. Passionem verò suam non est tutum indicare, ne forte vir ex hoc abominationem ad eam concipiat, nisi de viri prudentiâ præsumatur.* Hactenùs D. Thomas.

An autem petere debitum eo tempore sit pecca-

tum. D. Thomas videtur hoc affirmare ibidem, q. 2, nihilque determinat, an sit prohibitum sub mortali aut veniali. Certum tamen est non esse mortale, quia tunc mulier concipere potest, ut dicit S. doctor, et aliundè conjux utitur jure suo, proindeque nulli facit injuriam, nec intendit infectionem prolis, cui melius est absolutè sic nasci, quàm nullo modo nasci, nec in rerum naturâ existere. Adde quòd non est omninò certum prolem oriri ex hâc copulâ monstruosam vel leprosam. Nisi ergo conjuges prævideant ac probabiliter existiment monstrum ex eo concubitu gignendum, non tenentur eo tempore à copulâ abstinere sub mortali. Nihilominùs D. Thomas sentit petitionem debiti tunc scienter factam esse culpam venialem ex se et ut plurimùm, quia est quædam turpitudo et inhonestas, cùm tunc feminea natura consuetæ purgationi vacet, immundaque sit mulier et aliqualiter inepta commodæ seminis retentioni ac receptioni, atque ita minùs conveniens generationis fini. Adde aliquam esse incontinentiam debitique ordinis perversionem non exspectare tempus generationi aptius, maximè cùm brevi sit affuturum. Idque docent D. Antoninus, Paludanus, Cajetanus, Sotus, Ledesma, Lopes et alii.

Quæres 4° utrùm tempore furoris, amentiæ vel ebrietatis unius conjugis licitum sit ei denegare debitum. Respondeo conjugem sanum non teneri per se debitum reddere amenti, aut in furore vel ebrietate constituto, quamvis nullum abortûs aut damni periculum adsit. Ratio est, quia petitio illa non est actus humanus, et sicut iste conjux amittit suî et bonorum administrationem, ita et usum matrimonii. A fortiori non tenetur reddere dùm est periculum abortûs vel damni. Quod de facili potest contingere quando uxor est amens, et tunc videtur actus esse illicitus. Si è contra uxor sit mentis compos, cùm tunc cesset abortûs periculum, congressus potest esse licitus, si vir amens seminet intra vas. Dixi conjugem sanam per se et ex naturâ suâ non teneri ad reddendum debitum amenti, quia per accidens potest ad hoc obligari, puta si periculum esset quòd conjux furiosus aut ebriosus denegato sibi debito, ad alias accederet, vel modo illicito suam libidinem expleret; tunc enim ratione vitandi hoc periculum conjux sana teneretur illi reddere.

Quæres 5° utrùm excusetur conjux à reddendo debito propter damnum rei familiaris, et ne habeat plures filios. Respondet D. Antoninus 3 p., tit. 1, c. 20, § 6, nullam esse culpam quando conjuges ex communi consensu à copulâ abstinent ne prolem multiplicent quam alere non possint quia id desiderare non est illicitum, nullique fit injuria, cùm neuter petat. Regulariter tamen conjux non eximitur à debiti redditione causâ non multiplicandi prolem, quia negans debitum, injuriam facit alteri ad hoc non consentienti et jure petenti, agitque contra finem matrimonii qui est procreatio prolis. Videtur tamen excusandus à peccato mortali, quando non est periculum incontinentiæ in altero conjuge, et aliunde parentes non sunt sufficientes ad tot filios alendos. Ratio est, quia grave incommodum excusat à gravi culpâ, etiam in aliis justitiæ debitis.

Quæres 6° an quoties peccat conjux debitum exigens, peccet similiter illud reddens, vel saltem jure possit debitum negare. Resp. D. Thomas in 4 Sent., dist. 32, q. unicâ, art. 5, q. 3. quòd cùm mulier habeat potestatem in corpore viri quantùm ad actum generationis spectat, et è converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore et quâcumque horâ, salvâ debitâ honestate quæ in talibus exigitur, quia non oportet quòd statim in publico reddat. Ille autem qui reddit debitum alteri conjugi peccanti, quantùm in se est non consentit, sed in quod ab eo exigitur invitus et cum dolore reddit. Et ideò non peccat; hoc enim est propter lubricum carnis divinitùs ordinatum, ut semper petenti debitum reddatur, ne aliqua occasio peccandi detur. Distinguendum est igitur in isto casu hoc modo : quòd nempe conjux non tenetur, imò nec licitè potest debitum reddere alteri illicitè petenti ob circumstantiam actûs; ut si petat modo exorbitanti indebito, aut nondùm factis benedictionibus, etc., quia mala illa circumstantia est annexa actui, prout pendet ab utroque conjuge, redditque eum illicitum respectu amborum. Conjux tamen potest et debet reddere debitum, quando circumstantia mala se tenet tantùm ex parte personæ petentis, quæ non amisit jus illud suo malo facto, licet petat illicitè, sed retinet illud : quia tunc conjux innocens reddens non cooperatur petitioni et peccato alterius formaliter loquendo, seu tantùm concurrit ad actum ex se et ex naturâ suâ licitum conjugatis. Debet tamen tunc ante illam redditionem debiti præmittere correctionem et admonitionem, eumque avertere quantùm potest si non adsit timor odii, indignationis, et periculum incontinentiæ.

Quæres 7° utrùm conjux teneatur denegare debitum illud petenti in loco sacro aut publico. Respondeo esse peccatum mortale reddere debitum in loco publico coram aliis ob scandalum, idque non patitur humanæ societatis honestas, sed ad caninam impudentiam spectat. Nec licitum est in loco sacro debitum reddere : nam actus polluens locum sacrum nequit licitè in eo exerceri. Constat autem quòd omnis effusio voluntaria seminis humani locum sacrum polluit, sicut et effusio sanguinis etiam justa per sententiam judicis facta. Unde injuria fit loco sacro etiamsi fiat tempore obsidionis dùm conjuges in ecclesiâ diù commorantur : non enim juxta Cajet. possunt licitè ibidem matrimonio uti, quia non est inconveniens conjuges teneri ad castitatem ex penuriâ loci, cùm teneantur ad hoc per plures annos ex mutuâ absentiâ, viro existente occupato in militaribus, aliisque officiis aut negotiis procul gerendis.

Quæres 8° utrùm ratione temporis sacri actus conjugalis reddatur tunc illicitus. Resp. D. Thomas in 4 sent., dist. 32, art. 5, q. 1, quòd actus matrimonialis quamvis culpâ careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia : et ideò in diebus in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum, non licet petere

debitum. Non tamen esse lethale petere debitum in die festivo expressè docet idem S. doctor ibidem ad 2 quæstiuncul., quia non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati, proindeque non potest in infinitum augere. Ideò petens non peccat mortaliter. Illa autem mulier de quâ D. Gregor. dicit in 4 Dialogorum, quòd in nocte cognita à viro, mane ad processionem veniens, à diabolo arrepta est, non punita fuit propter hoc quòd debitum reddidit, sed quia postmodùm se temerè ad divina injecit contra conscientiam. Neque ex illâ auctoritate Exodi 19 : *Nolite appropinquare uxoribus vestris*, etc., potest probari quòd sit peccatum mortale, sed quòd sit incongruum. Multa enim ad munditias carnis pertinentia exigebantur de necessitate præcepti in lege veteri (quæ carnalibus dabatur), quæ non exiguntur in novâ lege, quæ est lex spiritûs. Hactenùs D. Thomas. Unde debitum petere in præcipuis solemnitatibus per se et ex naturâ rei solùm potest esse culpa venialis, eò quòd actus conjugalis habeat aliquid indecentiæ et ineptitudinis ad orationem cui diebus illis est vacandum. Et D. Antoninus loco citato dicit quòd in diebus quadragesimalibus et jejuniis exercere actum conjugii non est peccatum, et quòd hæc verba quæ in Missâ dicuntur in principio quadragesimæ : *Egrediatur sponsus de cubili suo*, aliaque similia, intelliguntur de consilio reverentiæ, et utroque conjuge consentiente, ut dicit Gratianus causâ 33, q. 4, c. *Nec uxorem*, et non de necessitate obedientiæ. Per accidens tamen potest esse culpa lethalis petere diebus festivis, præsertim in præcipuis solemnitatibus in contemptum festi vel Ecclesiæ, nempe quando peteret ut legi contraveniret, et illi non subjiceretur; vel ut hoc ipso festum parvi penderet, vel saltem hunc actum eliceret : Nunc abstinere nolo à copulâ, quamvis Deus hoc vetâsset. Atverò reddens nullatenùs peccat, imò juxta D. Antonin. graviter peccaret non reddendo, quia ad hoc tenetur de necessitate : non enim Ecclesia injicit laqueos animabus, sed ad perfectiora et meliora provocat exhortando, non præcipiendo. Unde prædicatores et confessarii debent esse cauti in hâc materiâ, et ita hortari conjuges ad castimoniam, quòd unum non inducant ad injustitiam, et alterum ad incontinentiam. An autem liceat denegare debitum in die quâ recepta aut recipienda est Eucharistia, examinabitur q. sequenti.

Quæres 9° quinam sint alii casus in quibus unus conjux licitè possit denegare debitum alteri petenti. Resp. 1° quòd statim post contractum matrimonii intra bimestre conjux non tenetur alteri petenti debitum reddere, sed potest licitè denegare, quia isti duo menses conceduntur conjugibus ad deliberandum de statu religionis capescendo, ut habetur ex D. Thomâ in 4 sent., dist. 27, q. 1, art. 3, q. 2, ad 2. Item, de Conversat. conjug., c. *Ex publico*. 2° Quando conjux petens fidem violavit adulterando, conjux innocens potest illi debitum licitè denegare. Et ad hunc casum reducuntur omnes alii in quibus conjux privatur jure petendi, ut quando cognovit consanguineam suæ conjugis; quando contraxerunt affinitatem vel cognationem spiritualem baptizando proprium filium extra necessitatem, etc. 3° Petitio debiti revocatur per quodcumque impedimentum dirimens, superveniens matrimonio, saltem quando propriâ culpâ est contractum.

Caveat autem prudens confessarius ut honestiori quo poterit modo uxoratas circa hoc interroget, ne nimis profundè istam materiam scrutando, sibi et illis laqueum paret : sed simpliciter quærat, si necessarium judicet, an matrimonio benè utantur juxta modum et finem debitum, non explicando in particulari an isto vel illo modo actum conjugalem exerceant.

Articulus V.

Utrùm incestus sit determinata species luxuriæ

Incestus est abusus venereorum inter consanguineos vel affines intra gradus prohibitos, seu inter quos matrimonium iniri nequit saltem absque dispensatione. Et est peccatum mortale, ac inter graviora luxuriæ peccata computatur. Idque probat D. Thomas, 2-2, q. 154, art. 9, in corp., ubi ait, quòd ibi necesse est inveniri determinatam speciem luxuriæ, ubi invenitur aliquid repugnans usui debito venereorum. In usu autem consanguineorum vel affinium, invenitur aliquid incongruum commixtioni venereæ, triplici ratione. Primò quidem quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahunt : in tantum quòd apud antiquos, ut Valerius Maximus refert, non erat fas filium simul cum patre balneari, ne se invicem nudos conspicerent. Manifestum est autem secundùm prædicta, quòd in actibus venereis maximè consistit quædam turpitudo honorificentiæ contraria; unde de his homines verecundantur. Et ideò incongruum est quòd commixtio venerea fiat talium personarum ad invicem. Et hæc causa videtur exprimi Levit., c. 18, ubi dicitur : *Mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus*. Et idem postea dicitur de aliis. Secunda ratio est, quia personas sanguine conjunctas necesse est ad invicem simul conversari : unde si homines non arcerentur à commixtione venereâ, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commixtionis, et sic animi hominum nimis emolescerent per luxuriam. Et ideò in vet. lege illæ personæ specialiter videntur esse prohibitæ, quas necesse est simul commorari. Tertia ratio est, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dùm enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur sibi quâdam speciali amicitiâ omnes uxoris consanguinei, ac si essent sui consanguinei. Unde Aug., lib. 15, c. 16, de Civit. Dei, ait : *Habita est ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum vicissitudinum vinculis necterentur, nec unus in uno multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos*. Addit autem Aristot. quartam rationem in 2 Politic., quia cùm naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor qui est ex commixtione venereâ, fieret nimius ardor amoris et maximum libidinis incendium, quod castitati repugnat. Undè manifestum est quod incestus est determinata species luxuriæ. Hæc D. Thomas.

Aliam rationem habet ibidem in *Sed contra*, nempe quòd species luxuriæ distinguuntur secundùm conditiones materiæ seu mulierum, quibus aliqui abutuntur. Sed in incestu importatur specialis conditio mulierum, quia est abusus consanguinearum vel affinium. Ergo est determinata species luxuriæ. Idemque probat lib. 4 Sent., dist. 41. q. 1, art. 4, in corp., ubi ait quòd circumstantia peccatum in aliud genus mutat et trahit, quando alterius generis peccati deformitatem addit. Incestus autem ab incendio nomen habens, vel à privatione castitatis quasi antonomasticè, eò quòd castitatem violet in illis qui maximo fœdere conjunguntur, addit specialem deformitatem, scilicet naturalis fœderis violationem. Ergo constituit determinatam luxuriæ speciem. Unde ad explicationem incestûs, necessariò explicanda est breviter natura consanguinitatis et affinitatis, earumque gradus, simulque prohibitio matrimonii intra illos gradus.

Consanguinitas definitur attinentia unius personæ ad aliam proveniens ex eo quòd una illarum descendit ab alterâ, vel ambæ ex eâdem. Aut, ut docet D. Thomas in 4 Sent., dist. 40, q. 1, art. 1, *consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum.* Hujus definitionis bonitatem explicat S. doctor, quia, *juxta Philosoph. in* 8 *Ethic., c.* 12, *omnis amicitia in aliquâ communicatione consistit : et quia amicitia est quædam ligatio sive unio, ideò communicatio quæ est amicitiæ causa, vinculum dicitur. Quare secundùm quamlibet communicationem denominantur aliqui quasi colligati ad invicem, sicut dicuntur concives qui habent politicam communicationem ad invicem, et commilitones qui conveniunt in militari negotio : et ideò in prædictâ definitione* VINCULUM *ponitur quasi genus consanguinitatis, et* PERSONÆ DESCENDENTES AB UNO STIPITE *quarum est hujusmodi vinculum, ponuntur quasi subjectum, et* CARNALIS PROPAGATIO *ponitur quasi principium. Illud autem quod proximè convertitur in semen, est sanguis, ut probatur in lib.* 15 *de Animalibus, et propter hoc vinculum quod ex carnali propagatione contrahitur, convenientiùs dicitur consanguinitas quàm carnalitas, et dicuntur parentes una caro in quantum sanguis, qui in semen viri aut menstruum convertitur, est potentiâ caro et os.* Hactenùs D. Thomas. Et ibidem, art. 2, docet S. doctor quod ista communicatio juxta Philosoph. lib. 8 Ethic. triplex est : una secundùm habitudinem principii ad principiatum, et hæc est consanguinitas patris ad filium. Unde dicit quòd *parentes diligunt filios, ut suî ipsorum aliquid existentes.* Alia est secundùm habitudinem principiati ad principium, et hæc est filii ad patrem : unde dicit quòd *filii diligunt parentes, ut ab illis existentes.* Tertia est secundùm habitudinem eorum quæ sunt ab uno principio ad invicem, sicut fratres dicuntur ex eisdem nasci, ut idem philosophus dicit ibidem. Et quia puncti motus lineam facit, et per propagationem pater descendit in filium, ideò secundùm dictas tres habitudines, tres lineæ consanguinitatis sumuntur : scilicet *linea descendentium* secundùm primam habitudinem · *linea ascendentium* secundùm secundam habitudinem · *linea transversalium* secundùm tertiam.

Sed quia propagationis motus non quiescit in uno termino, sed ultra progreditur, ideò contingit quòd secundùm hos diversos progressus, diversi gradus in unâ lineâ inveniantur, diversaque sit ratio computandi gradus in diversis lineis. Gradus enim consanguinitatis in lineâ ascendentium et descendentium contrahitur ex hoc quòd una persona ex aliâ propagatur eorum inter quos gradus consideratur : et ideò secundùm computationem canonicam et legalem, persona quæ primò in processu propagationis occurrit, vel ascendendo vel descendendo, distat ab aliquo, puta à Petro in primo gradu, *ut pater et filius.* Quæ autem utrique secundò occurrit, distat in secundo gradu, ut *avus et nepos*, et sic deinceps ; sed consanguinitas eorum quæ sunt in lineâ transversali contrahitur non ex hoc quòd unus eorum ex alio propagatur, sed quia uterque propagatur ex uno, et ideò debent gradus in hâc lineâ consanguinitatis computari per comparationem ad unum principium ex quo propagantur.

Sed secundùm hoc est diversa computatio canonica et legalis, quia legalis computatio attendit descensum à communi radice ex utrâque parte, sed canonica tantùm ex alterâ ; ex illâ scilicet ex quâ major numerus graduum invenitur. Unde secundùm legalem computationem frater et soror, vel duo fratres attinent sibi in secundo gradu, quia uterque à radice communi distat per unum gradum, et similiter filii duorum fratrum distant à se invicem in quarto gradu. Sed secundùm computationem canonicam duo fratres attinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat à radice communi nisi per unum gradum ; sed filius unius fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu, quia in tantum distat à communi radice : et ideò secundùm canonicam computationem quoto gradu distat quis ab aliquo superiori, toto distat à quolibet descendentium ab ipso, et nunquàm minùs, quia *propter quod unumquodque tale, illud magis.* Unde si alii descendentes à communi principio conveniunt cum aliquo ratione principii communis, non possunt propinquiores esse descendenti ex aliâ parte quàm sit primum principium ei propinquum. Aliquando tamen plus distat aliquis ab aliquo descendente à communi principio, quàm distet ipse à principio, quia ille fortè plus distat à principio communi quàm ipse ; et secundùm remotiorem distantiam oportet consanguinitatem computare. Hactenùs D. Thomas.

Idem D. Thomas, 2-2, q. 154, art. 9, ad 3, ait quòd *in commixtione personarum conjunctarum est aliquid quod est secundùm se indecens et repugnans naturali rationi, sicut quòd commixtio fiat inter parentes et filios, quorum est per se et immediata cognatio. Nam filii naturaliter honorem debent parentibus.* Et lib. 4 Sent., dist. 50, q. 1, a. 3, in corp., dicit quòd *in matrimonio illud dicitur esse contra legem naturæ, per quod matrimonium redditur incompetens respectu finis ad quem est ordinatum : finis autem matrimonii per se et primùm est bonum prolis ; quod quidem ver aliquam*

consanguinitatem (scilicet inter patrem et filiam, vel filium et matrem) *impeditur; non quidem ut totaliter tollatur* (quia filia ex semine patris potest prolem concipere, et simul cum patre nutrire, et instruere, in quibus bonum prolis consistit). *sed ut non convenienti modo fiat. Inordinatum est enim quòd filia patri per matrimonium adjungatur in sociam causâ generandæ prolis et educandæ, quam oportet per omnia patri esse subjectam, velut ex eo procedentem, et ideò de lege naturali est ut pater et mater ab eo matrimonio repellantur. Et magis etiam mater quàm pater, quia magis derogatur reverentiæ quæ debetur parentibus, si filius matrem, quàm si pater filiam ducit in uxorem, cùm uxor viro aliqualiter debeat esse subjecta.* Hæc D. Thomas. Idque colligunt Cajet. D. Antonin. et alii ex his verbis Genes. 2 : *Relinquet homo patrem et matrem,* cum quibus naturaliter est una caro, *et adhærebit uxori suæ, et duo* qui non sunt una caro, *erunt in carne unâ.* Imò quidam auctores docent quòd in perpetuum connubia prohibentur inter ascendentes et descendentes in duabus lineis rectis; quod tamen Cajet. non admittit, nisi de parentibus et filiis immediatè conjunctis, quia meus avus non est pater meus nisi per accidens : ea autem quæ sunt per accid. relinquuntur; et, ut ait D. Thomas in eâdem dist. 40, q. 1, art. 2, in corp., *gradus cujuslibet rei non potest esse ubi non est propinquitas, et nimia distantia gradum consanguinitatis tollit.*

Aliæ verò personæ quæ non conjunguntur secundùm seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam, sed variatur circa hoc decentia vel indecentia secundùm consuetudinem et legem humanam vel divinam, quia usus venereorum qui ordinatur ad bonum commune, subjacet legi. Et ideò sicut D. Aug. dicit lib. 15 de Civit. Dei, commixtio sororum et fratrum quantò fuit antiquior compellente necessitate, tantò postea facta est damnabilior religione prohibente. Hæc D. Thomas, 2-2, q. 154, art. 9, ad 3 : *In creationis generis humani principio necesse fuit ad illud multiplicandum quòd filii Adæ sorores suas acciperent in uxores; verùm postea hoc nullo modo fuit amplius licitum.* Unde D. Thomas in 4 Sent., dist 40, q. 1, art. 3, dicit quòd *lex divina non solùm patrem et matrem exclusit à matrimonio, sed etiam alias conjunctas personas, quas oportet simul conversari, et quæ debent invicem altera alterius pudicitiam custodire : et hanc causam assignat divina lex dicens : « Ne reveles turpitudinem talis, vel talis, quia turpitudo tua est; » sed per accidens finis matrimonii est confœderatio hominum, et amicitiæ multiplicatio, dùm homo ad consanguineos uxoris sicut ad suos se habet. Si autem aliquis consanguineam duceret, nulla per matrimonium nova amicitia accresceret : et ideò secundùm leges humanas et statuta Ecclesiæ plures consanguinitatis gradus sunt à matrimonio separati. Sic ergo ex dictis patet quòd consanguinitas quantùm ad aliquas per[illegible]mpedit matrimonium de jure naturali; quantùm ad aliquas de jure divino, et quantùm ad aliquas de jure per homines instituto.* Hæc D. Thomas. Et ibidem art. 4 in corp. docet S. doctor quòd *antiquitùs in Ecclesiâ rationabiliter usque ad gradum septimum impediebatur matrimonium; tum quia ultra hoc non de facili remanebat communis radicis memoria, tum quia septiformi gratiæ Spiritûs sancti congruebat. Sed postmodùm circa hæc ultima tempora restrictum est Ecclesiæ interdictum usque ad quartum gradum, quia ultra inutile et periculosum erat gradus consanguinitatis prohibere. Inutile quidem, quia ad remotiores consanguineos quasi nullum fœdus majoris amicitiæ quàm ad extraneos habebatur, charitate in multorum cordibus frigescente. Periculosum autem erat, quia concupiscentiâ et negligentiâ prævalente, tam numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis observabant, et sic laqueus damnationis multis injiciebatur ex remotiorum graduum prohibitione.*

Satis etiam convenienter usque ad quartum gradum dicta prohibitio nunc restricta est : tum quia usque ad quartam generationem homines vivere consueverunt, ut sic non possit consanguinitatis memoria aboleri; unde Dominus in tertiam et quartam generationem peccata parentum se visitaturum in filiis comminatur; tum quia mixtio nova sanguinis cujus identitas consanguinitatem facit, fit cum sanguine alieno, et quantùm miscetur alteri, tantùm recedit à primo. Et quia elementa sunt quatuor quorum quodlibet tantò est facilius miscibile, quantò est magis subtile, ideò in primâ commixtione evanescit sanguinis identitas quantùm ad primum elementum quod est subtilissimum; in secundâ quantùm ad secundum; in tertiâ quantùm ad tertium; in quartâ quantùm ad quartum, et sic post quartam generationem potest reiterari carnalis conjunctio. Hactenùs D. Thomas. Igitur juxta computationem juris canonici fratres et sorores sunt in primo gradu consanguinitatis. Eorum filii qui dicuntur consobrini germani constituunt secundum gradum. Istorum consobrinorum filii sunt in tertio gradu, et filii horum consobrinorum sunt in quarto gradu. Quando igitur ineundum est matrimonium, videndum est an conjuges sint consanguinei, et in quo gradu distent à primo stipite à quo trahunt originem, et tot gradus erunt quot sunt personæ distantes, non numerando stipitem. Observandum tamen est duos consanguineos inæqualiter distantes à stipite, si unus distet ultra quartum gradum, alter verò intra illum, posse matrimonio copulari, ut habetur expressè c. finali de Consang., quia tunc attenditur gradus consanguinitatis penès distantiam remotioris à stipite, ita ut quoto gradu remotior distat à stipite, eodem distent inter se illi consanguinei. Cùm ergo remotior à stipite distet ultra quartum gradum, ambo erunt consanguinei inter se ultra quartum gradum, ac proinde inter illos nulla erit matrimonii prohibitio juxta caput *Debet* de Consanguinitate et Affinitate.

Igitur si quis absque dispensatione matrimoniali carnaliter cognoscat suam consanguineam in quocumque horum quatuor graduum, peccatum incestûs committit; et tantò graviùs, quantò gradus est conjunctior ac proximior, adeò ut necessarium sit gradum propinquitatis in confessione explicare, cùm multùm intersit inter hujusmodi turpitudines; sive tantùm notabiliter aggravent peccatum intra eamdem speciem

incestûs, prout docuerunt Cajet. et Valentia, sive constituant diversas species incestûs, ut tenent Navarrus et alii. Porrò, ut notat Cajet., sicut ad crimen incestûs spectat etiam sine opere consensus in consanguineam seu affinem, ita ad incestûs speciem spectant impudicitiæ et carnales commixtiones impuberum personarum, si consanguinitate aut affinitate sint junctæ, quoniam et sunt hujusmodi actus ut via ad consummatum incestum, et multò propinquiùs quàm cogitationes ad incestum ordinantur quantùm in se est consummandum, licet ex impotentiâ ætatis non consummetur. D. Antoninus tamen 2 p., tit. 5, c. 5, sentit cum. Petro de Palude quòd incestus qui committitur à pueris non habentibus plenum rationis usum, non est de reservatis episcopo, nec propter hoc tollitur virginitas neque causatur affinitas.

§ 1. *De incestu propter affinitatem contracto.*

Triplex distingui solet cognatio : prima carnalis; secunda legalis per adoptionem; tertia spiritualis per administrationem et susceptionem Baptismi et Confirmationis. Hic autem agimus tantùm de cognatione carnali. De aliis verò duabus agemus in sequentibus. De hujusmodi affinitate carnali, eodem ferè modo ratiocinandum est ac de consanguinitate, utpote quæ ad illam ordinatur velut ad proprium finem, quatenùs scilicet duæ personæ naturali copulâ consummatâ cocuntes, in hujusmodi actu efficiuntur et reputantur una caro, ex quo fit quòd vir contrahat affinitatem cum mulieris consanguineis, et mulier cum viri sanguineis. Unde affinitas definitur parentela contracta ex carnali commixtione naturali consummatâ viri et mulieris, sive sint maritus et uxor, sive aliæ personæ. Aut brevitèr definitur : *Propinquitas personarum ex carnali copulâ proveniens.* Et vocatur affinitas, quasi duorum ad unum finem unitas, eò quòd diversæ et extraneæ familiæ per hujusmodi coitum et nuptias uniuntur, et una ad alterius cognationis fines accedit.

D. Thomas in 4 Sent., dist. 41, q. 1, art. 1, q. 4, ad 2, docet quòd ad veram et propriam affinitatem requiritur ut vir et mulier in carnali copulâ efficiantur una caro per seminum commixtionem : unde quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas, ut habetur causâ 35, q. 3, can. *Extraordinaria.* Et, ibidem quæstiunculâ 3, ad 3, docet S. doctor quòd quia concubitus contra naturam non habet commixtionem seminum quæ possit esse causa generationis, ideòque ex tali concubitu non causatur aliqua affinitas, benè tamen per concubitum naturalem in vase debito non solùm licitum, sed etiam illicitum, ut docet S. doctor ibidem, ad 2, et tenent communiter auctores. Docet idem S. doctor ibidem art. 2, q. 3, quòd cùm gradus affinitatis sumatur juxta gradus consanguinitatis, oportet quòd tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis. Et sic consanguinei mariti eumdem consanguinitatis gradum cum ejus uxore sortiuntur, quem consanguinitatis gradum habent cum marito. Unde mariti soror per consanguinitatem, efficitur soror uxoris per affinitatem, diciturque cognata; consobrinus germanus mariti, fit consobrinus illius uxoris, et sic de cæteris. Idemque dicendum est de consanguineis uxoris respectu mariti. Consanguinei tamen unius conjugis cum alterius consanguineis non contrahunt affinitatem ad invicem; unde mariti frater potest uxoris sororem ducere et è contra, neque una affinitas parit aliam. Vide D. Thomam ibidem, art. 1, q. 45, ad 6. Affinitas contracta per copulam matrimonialem consummatam habet quatuor gradus, in quibus personæ existentes matrimonium inter se contrahere nequeunt absque dispensatione, ut colligitur ex cap. *Non debet*, de Consanguin. et Affin., qui fundantur in quatuor gradibus consanguinitatis jam relatis. Sic maritus est in 1° gradu affinitatis cum uxoris sorore, in 2° cum ejus consobrinâ germanâ, in 3° cum illius consobrinâ secundâ, et in 4° cum istius filiâ. Idemque dicendum de uxore respectu consanguineorum mariti. Similiter affinitas per actum fornicarium contracta, olim matrimonium impediebat cum consanguineis fornicariæ aut fornicatoris usque ad quartum gradum. Nunc verò concil. Trid., sess. 24, cap. 4 de Reformation. matrimonii, illud restrinxit tantùm usque ad secundum gradum; ita ut in gradibus ulterioribus matrimonium contractum non dirimat. Et D. Pius V, in Bullâ quæ incipit *Sanctissimus*, declaravit hanc affinitatem ultra secundum gradum, nec etiam impedire matrimonium contrahendum absque peccato.

D. Thomas ibidem, art. 2, q. 1, in corp. docet quòd affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum, et dirimit contractum eâdem ratione quâ et consanguinitas. Sicut enim inest quædam necessitas consanguineis habitandi ad invicem, ita et affinibus; et sicut est quoddam amicitiæ vinculum inter consanguineos, ita inter et affines. Sed si affinitas superveniat matrimonio, non potest ipsum dirimere; v. g., dùm quis consummatam habuit copulam cum sorore illius feminæ quam postea uxorem ducit, ex hoc impeditur matrimonium et dirimitur contractus cum illâ. Si verò maritus cognoscit carnaliter sororem uxoris, postquàm legitimum contraxerunt matrimonium, tunc non dirimitur, sed conjux adulter et incestuosus solùm privatur jure petendi debitum; illud tamen reddere tenetur alteri conjugi innocenti et petenti, ut habetur c. *Discretionem*, extra. de eo qui cognovit consanguineam, et c. *Qui dormierit*, causâ 27, q. 2. An autem episcopus possit dispensare, et facultatem dare huic incestuoso deinceps petendi debitum, alii negant, alii verò affirmant apud Sanchem lib. 8 de Matrimonio, disput. 12, n. 10. D. Thomas in 4 Sent., dist. 34, q. 1, art. 5, docet quòd maritus qui cognoscit sororem uxoris suæ, non solùm privatur jure petendi debitum, sed adhuc post mortem uxoris debet omninò manere sine spe conjugii, nisi cum eo dispensetur propter fragilitatem suam cui timetur de illicito coitu. Si autem absque dispensatione contrahat, peccat contra statutum Ecclesiæ faciens; propter hoc tamen matrimonium non est separandum, ut habetur cap.

Transmissæ, de eo qui cognovit consanguineam uxoris et causâ 32, q. 7, multis capitulis.

An verò simile impedimentum inducat incestus cum consanguineâ viri seu cum propriâ sorore aut consobrinâ germanâ, videtur negare D. Thomas ibidem : quamvis enim plus peccet, quia tamen istud impedimentum ponitur, non tam ratione culpæ quàm ratione affinitatis quam causat ; ideòque etiam non connumeratur aliis impedimentis, sed in impedimento affinitatis includitur. In affinitate sicut et in consanguinitate ponitur linea non solùm transversalium, sed etiam ascendentium, ut sunt socer, socrus, vitricus, noverca, etc. ; et descendentium, ut gener, nurus, privignus, privigna, etc. Vir autem et uxor non sunt inter se affines, sed principium et origo affinitatis ; quæ durat inter alios etiam post mortem illius qui affinitatis contrahendæ causa fuit, sicut et consanguinitas. Quare mortuo alterutro conjuge, vel alterutro ex fornicantibus, non dissolvitur affinitas contracta ex copulâ, ut habetur c. *Fraternitatis*, causâ 35, q. 10, cujus rationem reddit D. Thomas loco citato art. 1, q. 2, in corp., quia nempe quoties relatio consurgit ex præteritâ actione, nec requirit illius continuationem, non perit destructâ causâ, sed tantùm destructo altero extremorum inter quæ versatur, ut contingit in consanguinitate. Atqui affinitas ortum habet ex carnali commixtione, nec exigit illius copulæ perseverantiam ; proindeque non perit destructâ personâ quæ copulam habuit, et per eam causa fuit ejus affinitatis producendæ. Incestus cum consanguineis majus est peccatum quàm cum affinibus in eodem gradu, propter scilicet majorem unionem naturalem ac intimiorem propinquitatem. Quare vir longè graviùs peccat carnaliter cognoscens propriam, quàm uxoris suæ sororem. Et inter affines incestus est eò gravius peccatum, quò inter conjunctiores committitur ; unde gradus propinquitatis in confessione est explicandus ob diversam rationem turpitudinis actûs.

§ 2. *De cognatione legali quæ fit per adoptionem.*

Divus Thomas in 4 Sent., dist. 42, qu. 2, art. 1, in corp., ait quòd adoptio est *extraneæ personæ in filium vel nepotem, in deinceps legitima assumptio*. Hanc definitionem esse legitimam probat ex hoc quòd ars imitatur naturam, et supplet defectum naturæ in illis in quibus natura deficit ; unde sicut per naturalem generationem aliquis filium producit, ita per jus positivum (quod est ars æqui et boni) potest aliquis sibi assumere aliquem in filium ad similitudinem filii naturalis, et ad supplendum filiorum prædictorum defectum ; propter quod præcipuè adoptio est introducta, et quia assumptio importat terminum à quo (propter quod assumens non est assumptus) oportet quòd ille qui assumitur in filium, sit persona extranea. Sicut ergo naturalis generatio habet terminum ad quem (scilicet formam quæ est finis generationis) et terminum à quo (scilicet formam contrariam) ita generatio legalis habet terminum ad quem filium vel nepotem ; terminum à quo, personam extraneam : et sic patet quòd prædicta definitio comprehendit genus adoptionis, quia dicitur *legitima assumptio ;* et terminum à quo, quia dicitur *extraneæ personæ* ; et terminum ad quem, quia dicitur *in filium vel nepotem*, etc. Et ibidem, ad primum ait, quòd duplex est adoptionis species : una quæ perfectè imitatur naturalem filiationem ; et hæc vocatur *arrogatio*, per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis ; et sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, nec potest eum pater sine culpâ privare quartâ parte hæreditatis. Sic autem adoptari non potest nisi ille qui sui juris est ; qui scilicet postquàm adoptatur, non habet potestatem, aut si habet, est emancipatus, et hæc adoptatio non fit nisi auctoritate principis.

Alia est adoptio quæ imitatur naturalem filiationem imperfectè, quæ vocatur simplex adoptio, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis. Unde magis est dispositio quædam ad perfectionem, quàm adoptio perfecta ; et secundùm hanc potest adoptari etiam ille qui non est sui juris, et sine auctoritate principis ex auctoritate magistratûs : et sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis ; nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere nisi velit. Hæc D. Thomas (1). Quædam requiruntur conditiones ut aliquis possit alium adoptare. Prima est ut adoptans sit sui juris et major 25 annis, quia, ut ait D. Thomas hîc ad 3, adoptio ordinatur ad hæreditatis successionem, et ideò illis solis competit qui habent potestatem disponendi de hæreditate suâ. Unde ille qui non est sui juris, vel qui est minor 25 annis, aut mulier, non potest adoptare aliquem nisi ex speciali concessione principis. Secunda, ut sit ætate provectior quàm adoptatus, quia, ut ait D. Thomas ibidem, ad 5, adoptio fit per hæreditatis successionem et quamdam subjectionem adoptati ad adoptantem. Non autem est conveniens quòd antiquior subdatur juveni in curâ rei familiaris : et ideò minor non potest adoptare seniorem, sed oportet secundùm leges quòd adoptatus sit in tantùm junior adoptante, quòd posset esse filius ejus naturalis. Tertia, quòd adoptatus sit persona extranea, quia, ut ait D. Thomas ibidem, ad 7, propinquus jure propinquitatis debet succedere, et ideò ei non competit quòd per adoptionem ad successionem deducatur. Et si aliquis propinquus cui non competat successio hæreditatis adoptetur, non adoptatur in quantùm est propinquus, sed in quantum est extraneus à jure successionis in bonis adoptantis. Quarta, adoptans debet esse vir : cùm enim fœminæ nec filios carnales habeant in patriâ potestate, adoptare nequeunt nisi ex privilegio principis, ut docet D. Thomas ibidem. Quinta, tandem est quòd adoptans possit generare ; vel si nequeat, id non proveniat ex defectu naturali, sed ex casu accidentario ; quia, ut dicit D. Thomas ibidem, ad 4, *non potest hæreditas transire in posteros per eum qui est naturaliter impotens, habetque impedimentum perpetuum ad generandum. Unde ex hoc ipso hæreditas jam debetur illis qui ei succedere debent*

(1) De adoptione, quatenùs est impedimentum matrimonii, dicetur in tractatu de *Matrimonio*.

jure propinquitatis. Et propterea major est dolor de filiis amissis, quàm de filiis qui nunquàm habiti sunt : et ideò habentes impedimentum generationis, non indigent solatio contra carentiam filiorum, sicut illi qui habuerunt et amiserunt, vel etiam qui habere potuerunt, sed ob aliquod impedimentum accidentale carent. Hactenùs D. Thomas.

Convenientissimè autem statutum est à lege civili, ex adoptione contrahi aliquod vinculum impediens matrimonium aut dirimens subsequens, quia, ut ait D. Thomas ibidem, art. 2, in corp., lex divina illas personas præcipuè à matrimonio exclusit quas necesse erat cohabitare, ne si carnalis copula liceret inter eas, facilis pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum. Et quia filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideò legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi; quæ prohibitio non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret auctoritas Ecclesiæ quæ eam approbavit, idemque etiam interdicit, ut patet ex Nicolao primo Bulgarorum consultis respondente, et causâ 30, q. 3, c. *Ita diligere*, § *Est inter*, et § *Si ergo*. Et rursùs extra. de cognatione legali c. *Si qua*. D. Thomas ibidem art. 3, ait quòd triplex est legalis cognatio : prima quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem et filium adoptatum, et filium filii adoptivi et nepotem, et sic deinceps. Secunda quæ est inter filium adoptatum et filium naturalem; tertia per modum cujusdam affinitatis quæ est inter patrem adoptantem et uxorem filii adoptati, vel è converso inter filium adoptatum et uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio et tertia perpetuò matrimonium impediunt; secunda autem nonnisi quamdiù in potestate manet patris adoptantis; unde mortuo patre, vel filio emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium. Hæc D. Thomas. Hinc facilè inveniri potest medium ad hoc ut filius carnalis possit ducere sororem adoptivam, vel filia carnalis fratrem adoptivum, nempe si emancipetur, ut habetur c. *Unico de cognatione legali*, et c. *Per adoptionem*, et refertur causâ 30, q. 3; debet tamen servari solemnitas legibus præscripta in dissolvendâ adoptione per emancipationem.

Cur autem per mortem adoptantis vel per emancipationem adoptati, iste potest matrimonium contrahere cum filiâ naturali ipsius adoptantis, et non cum ejus uxore, D. Thomas ibidem, a. 3, ad 2, hujus rationem reddit dicendo quòd cognatio legalis impedit matrimonium propter cohabitationem; et ideò quando solvitur necessitas cohabitationis, non est inconveniens si prædictum vinculum non mancat, sicut quando fuerit extra potestatem ejusdem patris; sed pater adoptans et uxor ejus semper quamdam auctoritatem et debitum reverentiæ retinent super filium adoptatum, et uxorem ejus; et propter hoc vinculum manet inter eos. Cur autem in adoptione non contrahatur aliqua propinquitas inter parentes adoptantes, et inter parentes naturales filii adoptivi sicut contrahitur in cognatione spirituali, respondet D. Thomas ibidem, a. 3, ad 1, quòd per generationem spiritualem non trahitur filius extra potestatem patris sicut fit per adoptionem : et sic filius spiritualis manet filius utriusque simul, non autem filius adoptivus; et ideò non contrahitur aliqua propinquitas inter patrem adoptantem, et matrem vel patrem naturalem, sicut fit in cognatione spirituali. Quando igitur per adoptionem incurritur impedimentum contrahendi matrimonium, si hujusmodi cognatione legali conjuncti habeant copulam ad invicem, committunt incestum. Et de hoc peccato in confessione se accusare tenentur.

§ 3. *De cognatione spirituali.*

Cognatio spiritualis jure ecclesiastico oritur à duobus sacramentis, nempe ex administratione vel susceptione Baptismi et Confirmationis. Rationem autem cur id Ecclesia statuerit, reddit D. Thomas in 4, dist. 42, qu. 1, art. 1, nempe quòd *sicut per carnis propagationem homo accipit esse naturale, ita per sacramenta accipit esse spirituale gratiæ. Unde sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, est naturale homini in quantum est res quædam naturæ, ita vinculum quod contrahitur ex sacramentorum susceptione, est quodammodò naturale alicui in quantum est membrum Ecclesiæ : et ideò sicut carnalis cognatio impedit matrimonium, ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto. Distinguendum tamen est de spirituali cognatione, quia aut præcessit matrimonium, aut sequitur : si præcessit, impedit contrahendum et dirimit contractum; si sequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonii; sed quantùm ad actum matrimonii est distinguendum : quia aut spiritualis cognatio inducitur causâ necessitatis, sicut cùm pater baptizat puerum in articulo mortis, et tunc non impedit actum matrimonii ex neutrâ parte; aut inducitur extra casum necessitatis, ex ignorantiâ tamen, et tunc si ille ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio sicut de primo; aut de industriâ extra casum necessitatis, et tunc ille ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum; sed tamen debet reddere, quia ex culpâ ejus non debet aliquod incommodum alius reportare.* Et ibidem, art. 2, ait quòd *duplex est carnalis nativitas. Prima in utero in quo adhuc id quod natum est, est adeò debile, quòd non possit extra exponi sine periculo : et huic nativitati assimilatur generatio per Baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fovendus intra uterum Ecclesiæ. Secunda est nativitas ex utero, quando jam id quod natum erat in utero, tantùm roboratum est quòd potest sine periculo exponi exterioribus quæ nata sunt corrumpere : et huic assimilatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi : et ideò congruè per utrumque istorum sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio.* Hactenùs D. Thomas.

Concilium Trid. sess. 24, de Reform., cap. 2, statuit ut unus tantùm, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique

patrem et matrem tantùm, spiritualis cognatio contrahatur. Itaque inter baptizantem et baptizatum, confirmantem et confirmatum, ejusque patrem et matrem contrahitur spiritualis cognatio. Similiter inter personas levantes de fonte baptismi, aut patrinos confirmationis, et baptizatum ac confirmatum ejusque parentes, contrahitur spiritualis cognatio impediens matrimonium contrahendum, et dirimens contractum, ut etiam docet D. Thomas ibidem, quæst. 3. Inter autem personam baptizatam aut confirmatam et filios seu filias naturales patris spiritualis, non ampliùs est cognatio spiritualis; eamque tacuit, proindeque sustulit concilium Trid., loco cit. Patrinus verò et matrina nullam prorsùs inter se cognationem spiritualem contrahunt, possuntque matrimonium inire, imò postea dùm sunt matrimonio conjuncti, possunt simul aliquem de fonte levare absque eo quòd jure petendi priventur, ut docet D. Thomas ibidem, qu. 2, ad 4. Hinc habetur quòd peccatum luxuriæ commissum cum eâ feminâ quæ est conjuncta cognatione spirituali per hujusmodi sacramenta, reducitur ad incestum.

Quæres 1° utrum per sacramentum Pœnitentiæ contrahatur quoque aliquod cognationis vinculum, ratione cujus accedere ad confessoris filiam, sit specialis luxuriæ circumstantia necessariò in confessione declaranda; etiam quando non accipitur confessio tanquàm medium ad hoc, sed quando multo transacto tempore sacerdos cognoscit feminam cujus aliquando confessionem excepit? Magister Sent. D. Raymund. Paludanus, Gabriel et alii affirmant ex sacramento Pœnitentiæ oriri cognationem spiritualem, non tamen ad effectum impediendi matrimonium. Unde in cap. *Finali de cognatione spirituali*, in 6, dicitur quòd *ex datione aliorum sacramentorum cognatio spiritualis nequaquàm oritur*, præter Baptismum et confirmationem. Cautè tamen additur, « quæ matrimonium impediat vel dissolvat. » Idque probant ex cap. *Omnis*, causâ 30, ubi Symmachus Papa ait : *Omnes quos in pœnitentiâ accepimus, ita sunt filii nostri, ut in Baptismate suscepti*; et statuit graves pœnas contra sacerdotem fornicantem cum filiâ suâ spirituali. Probant etiam ex cap. *Si quis sacerdos*, causâ 30, quæst. 1, ubi Cœlestinus Papa ait : *Si quis sacerdos cum filiâ spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse.* Et ibidem cap. *Finali* idem pontifex statuit varias pœnas contra talia facientes. Et quidam volunt istud peccatum esse incestum cum sacrilegio.

Alii verò communiter docent per sacramentum Pœnitentiæ cognationem spiritualem propriè non contrahi; sed duntaxat quoddam fœdus inter confessarium et pœnitentem ratione cujus tantùm peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset filia sua spiritualis. Ita divus Thomas in 4 sent., dist. 42, quæst. 1, art. 2, ad 8, quem sequuntur Cajetan., Sotus, Sylvester, Ludovicus Lopes, Ledesma, Rodriguez, Vega, Henriquez, Tabiena, Sanchez et alii, qui asserunt esse peccatum necessariò in confessione explicandum. Unde meritò ab episcopis locorum inter casus reservatos ordinariè reponitur, tanquàm quid monstruosum, ac reipublicæ christianæ valdè nocivum, dùm ille qui ex officio suo pœnitentem curare tenetur, illum sauciat, perdit et damnat. Probat D. Thomas dicens, quòd *per sacramentum pœnitentiæ non contrahitur propriè loquendo spiritualis cognatio : unde filius sacerdotis potest contrahere cum illâ quam sacerdos in confessione audit*; *aliàs filius sacerdotis non inveniret in totâ unâ parochiâ mulierem cum quâ contraheret. Nec obstat quòd per pœnitentiam tollitur peccatum actuale, quia hoc non est per modum generationis, sed magis per modum sanationis. Sed tamen per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter sacerdotem et mulierem confitentem, simile cognationi spirituali, ut tantùm peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia : et hoc ideò, quia maxima familiaritas est inter sacerdotem et confitentem; et ex hoc ista prohibitio est inducta, ut tollatur peccandi occasio.* Hæc D. Thomas. Confirmatur. Constat ex juribus allatis esse de hoc specialem prohibitionem jure canonico inductam ob particularem sacramenti reverentiam, in quo contrahitur quædam familiaritas, et cor aperitur confessori, ipsique debetur quædam reverentia ac subjectio. Ergo copula admissa contra hanc specialem prohibitionem statutam in sacramenti reverentiam, habebit jure ecclesiastico specificam sacrilegii malitiam necessariò in confessione declarandam, sicut eamdem habent peccata carnis in loco sacro commissa ex hoc quòd Ecclesia illa interdixerit. Confirmatur adhuc : dato enim quòd hæc circumstantia non mutet speciem, negari tamen nequit esse circumstantiam notabiliter aggravantem, cùm sit contra reverentiam sacramento debitam : tollitur enim reverentia, quam filii spirituales debent adhibere confessori, et est contra securitatem quæ debet esse in illo secreto judicio, indeque arcentur homines à confessione : ergo est circumstantia in confessione necessariò explicanda. Respondeo igitur illas duas sententias esse probabiles, et hoc peccatum esse necessariò exprimendum, aut quia circumstantia mutat speciem, et est speciale sacrilegium ratione specialis prohibitionis Ecclesiæ, et quodammodò incestus, ratione vinculi similis cognationi; aut saltem est circumstantia valdè notabiliter aggravans, prout constat ex dictis.

Quæres 2° utrùm sacerdos possit audire confessionem mulieris cum quâ luxuriæ peccatum commisit. Respondet D. Thomas in 4 sent., dist. 19. quæst, 1, art. 3, q. 2, ad 1, quòd *in tali casu nec sacerdos deberet audire confessionem mulieris cum quâ peccavit, de illo peccato, sed deberet ad alium remittere; nec illa deberet ei confiteri, sed deberet licentiam petere ad alium adeundi; vel ad superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret; tum propter periculum, tum quia minor est verecundia. Si tamen absolveret, absolutum esset; quod enim D. August. dicit : « Nullus officio sacerdotis uti debet, « nisi immunis sit ab illis quæ in aliis judicat, » intelligendum est secundùm congruitatem, non secundùm necessitatem sacramenti.* Hæc D. Thomas, loco cit., ubi S. doctor innuere videtur tunc absolutionem fore quidem validam per se loquendo, nisi id à superiore prohi-

beatur, et ab ordinariis locorum iste casus comprehendatur aut reservetur. Non tamen fore licitam, ob scilicet incongruitatem, verecundiæ defectum et periculum imminens profationis sacramenti, aliaque inconvenientia.

Quæres 3° an sacerdos in confessione sollicitans mulierem ad venerea, sit necessariò denuntiandus ab illâ, nec aliter ab alio absolvi possit. Respondeo quòd nemo dubitat sacerdotem graviter peccare qui in ipso confessionali, vel occasione confessionis, aut intuitu illius, vel in ipsâ actuali confessione, vel proximè ante aut post eam, pœnitentem sollicitat ad actum venereum, cùm venenum paret bibendum ei, cui salutis antidotum ex officio porrecturus erat, et mortem pharmaco, ac lutum fonti admiscere tentet, ideòque contra charitatem, et etiam contra Religionem et reverentiam sacramento debitam immane flagitium committat. Summi pontifices attendentes ad hæc et alia gravia nocumenta, quæ ex hujusmodi sollicitatione diabolicâ oriuntur, suis decretis sanxerunt confessarios sollicitantes, ab inquisitoribus puniendos esse tanquàm de hæresi suspectos, ut constat ex decretis Clem. VIII, et Pauli V, et ex Bullâ Pii IV, quæ incipit, *Venerabili*. Inquisitores autem postea suis mandatis constrinxerunt ipsas feminas sollicitatas ad denuntiandum confessarios sollicitantes; quæ obligatio denuntiandi ipsis imposita fuit etiam à Greg. Papâ XV, sub peccato et sub excommunicatione reservatâ, quousque huic obligationi satisfecerint (1). Duplex itaque intervenit præceptum tales confessarios sollicitantes denuntiandi inquisitoribus, aut locorum ordinariis in locis ubi non sunt inquisitores. Unum naturale quo quilibet in conscientiâ tenetur damna reipublicæ impedire, et ob hoc malefactores superioribus denuntiare, si à nocumento inferendo non destiterint; sicque istæ feminæ non denuntiantes sollicitantem, contra bonum publicum ex hoc capite graviter peccant. Aliud verò positivum et ecclesiasticum, ab inquisitoribus, à sacrâ congregatione, et à summis pontificibus latum, quo sub peccato et sub gravibus pœnis, talis denuntiatio mandatur; quas proinde pœnas incurrunt contra facientes, ita ut mulier sollicitata absolutionem sacramentalem recipere non valeat, nisi denuntiet confessarium sollicitantem intra certum terminum in edicto publicato expressum, neque ullus sacerdos possit eam aliter absolvere.

Hinc Alexander Papa VII damnavit istas duas propositiones. — Prima : *Qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in quâ ad venerem incitat, non censetur sollicitâsse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.* — Secunda : *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis : si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.* In vi Bullæ Gregorii Papæ XV prohibentur omnes tractatus et sermones illi-

(1) Illas dispositiones renovavit Benedictus XIV per constitutionem anno 1741 datam quæ incipit : *Sacramentum pœnitentiæ*; insuper dubia eâde re exorta solvit aliâ constitutione *Apostolici muneris*, an. 1745. Tria notari possunt circa disciplinam Ecclesiæ : scilicet quæ sit illa sollicitatio de quâ agitur, quæ pœnæ ferantur contra sollicitantes, et tandem quousque extendatur obligatio denuntiandi.

Quoad primum punctum, sufficit explicatio quam dat Mayol; tria tantùm notabimus : 1° Constitutiones pontificias non agere de sollicitatione qualicumque ad actus illicitos, v. g., ad furtum; sed de sollicitatione ad actus turpes in materiâ luxuriæ. Ita communissimè theologi et fundatur id in ipso textu bullarum. 2° fidem theologi communiùs tenent requiri ut actus ad quos sollicitatur sint graviter mali; unde, si supponantur venialiter culpabiles, et in eis stet confessarius absque animo ulteriùs progrediendi, non incurrantur pœnæ jure latæ. Ratio est quòd illæ leges supponant peccatum mortale; non cos actus attingunt utpote ab Ecclesiâ prohibitos ob reverentiam sacramento debitam, sed in quantum sunt mali in se; porrò actus leviter tantùm et indirectè ad luxuriam tendentes neque sunt peccata mortalia ratione suî, ut ab initio dictum fuit, neque talia evadunt ob circumstantiam sacramenti, quod non profanatur peccato veniali, aut non nisi leviter ei injuria irrogatur. Ita B. Liguori, lib. 6, n. 683. 3° Tandem leges spectant ad solum confessarium, non verò ad pœnitentem qui sub prætextu vel occasione confessionis suum confessarium ad turpia sollicitaverit.

Quoad secundum punctum, hæc statuuntur : 1° Peccatum sollicitationis semper reservatur episcopo. 2° Episcopus potest pro criminis qualitate animadvertere in reum pœnis condignis; inter has pœnas nullam novimus quæ feratur *ipso facto* jure communi. Benedictus XIV in decreto an. 1745, quod exstat ad calcem tomi 1, Bullarii, n. 8, pronuntiavit sacerdotes qui hujus criminis reos se constituunt incurrere perpetuam inhabilitatem ad sacrificii Missæ celebrationem; hæc pœna videtur *ferendæ sententiæ*. 3° Sollicitans non potest suum complicem absolvere nequidem in articulo mortis, nisi desit alius sacerdos qui absolutionem valeat impertiri, aut circumstantiæ hujusmodi fuerint ut sacerdos alius in prædicto articulo mortis non possit vocari aut accedere sine gravi aliquâ exoriturâ infamiâ, vel scandalo, ut fert bulla *Apostolici muneris*.

Si absque illâ necessitate sacerdos reus præsumat absolvere, incurrit *ipso facto* excommunicationem majorem reservatam, et excepto articulo mortis, absolutio ab eo data nulla est defectu jurisdictionis.

Quoad tertium punctum : 1° Obligatio denuntiandi, si consideretur ut naturalis, ad eos omnes spectat qui sciunt aliquem sacerdotem versari in pravâ dispositione sollicitandi. Si autem consideretur ut jure canonico fundata, ad eos solos extenditur qui fuerunt ab eo sacerdote sollicitati, sive consenserint, sive non. Ab eo onere eximeret periculum probabile propriæ diffamationis, aut alterius mali gravis; non verò secretum promissum aut vinculum amicitiæ, quia amor Ecclesiæ debet prævalere amori naturali cujuscumque. 2° Denuntiatio fieri debet episcopo aut illius vicario generali, vel per epistolas, vel mediante aliquo, modò medium adhibeatur quo res certè deveniat ad notitiam superioris; necesse est ut fiat quàm maximè moraliter potest; sed si quis illud neglexerit, lapsu temporis non extinguitur obligatio, et juxta bullam Bened. XIV, licet longum tempus post ipsam sollicitationem effluxerit, remanet onus denuntiandi. Imò plures theologi quibus assentitur B. Liguori, n. 686, docent urgere illam obligationem, licet confessarius esset ab eo peccato emendatus; tum quia illa emendatio est plerùmque incerta, tum quia pontifex non intendit solummodò rei emendationem, sed et punitionem ad damnum Ecclesiæ reparandum. Hoc dimittendum putamus, pro casu particulari, judicio viri prudentis, attentis circumstantiis.

Disciplina quam exposuimus observatur communiter in Galliis; attamen circa pœnas canonicas quæ non sunt ubique eædem, legantur statuta diœceseon. (Ed.)

citi ac inhonesti in loco confessionis vel prætextu ipsius, tendentes ad sollicitationem cujuscumque personæ, etiam masculi. Sic denuntiandus est confessarius qui feminæ sibi confessæ pœnitentiam imponit, ut ab ipsomet nuda verberetur, vel feminæ suadet ut ipsi eo loco verenda ostendat, quæ in eâdem confessione morbo affecta habere illi dicit. Item qui sollicitat pœnitentem ad lenocinium, qui in confessione illam urget de prostituendâ sibi vel aliis filiâ aut amicâ, vel in confessione petit ab illâ domum suam ut ibi adducat concubinam, aut laudat pœnitentem de pulchritudine, venustate, etc., eo fine; aut quando in ipsâ domo et loco ad confessionem deputato ad illam vocatus prætextu confessionis audiendæ, illam sollicitat simulando confessionem audire ad inspectantes deludendos. Item quando confessarius et pœnitens conveniunt in simulatione confessionis, ut in confessionali inhonestos sermones habeant. Item quando verbis vel signis dubiis, obscuris, ambiguis, nutibus aut tactibus sollicitat. Pari modo denuntiandus est confessarius qui sollicitat puerum. Porrò in sollicitatione factâ et prohibità in Bullis pontificum, non datur parvitas materiæ; tum quia sollicitatio in genere luxuriæ nequit esse levis; tum quia hujusmodi sollicitatio gravitatem et atrocitatem recipit ex loco, tempore, causâ, personâ et qualitate. Sicque confessarius qui tali loco, scilicet in confessionario, et tali tempore, nempe dùm administrat Pœnitentiæ sacramentum, miscet tactus, gestus, sermones illos impudicos aliàs in se leves, peccat mortaliter ratione sanctitatis sacramenti cui detrahitur per prædictos actus impudicos: sacramenta enim sancta, sanctè administranda sunt, ex Tridentino sess. 24, c. 1, de Reformatione; non verò injuriosè, scurriliter et cum scandalo, vel aversione fidelium ab usu ejusdem sacramenti.

Articulus VI.

De sacrilegio, utrùm possit esse species luxuriæ (1).

Sacrilegium in communi definitur, rei sacræ violatio, quia ut ait D. Thomas, 2-2, q. 99, a. 1, in corp., sacrum dicitur aliquid ex eo quòd ad cultum divinum ordinatur, sicut autem ex hoc quòd aliquid ordinatur in finem bonum, sortitur rationem boni, ita etiam ex hoc quòd aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum: et sic ei quædam reverentia debetur quæ refertur in Deum: et ideò omne illud quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, et habet rationem sacrilegii. Sacrilegium est speciale peccatum religioni oppositum, quia, ut ait D. Thomas ibidem, ubicumque invenitur specialis ratio deformitatis, ibi necesse est quòd sit speciale peccatum: quia species cujuslibet rei præcipuè attenditur secundùm rationem formalem ipsius, non autem secundùm materiam vel subjectum. In sacrilegio autem invenitur specialis ratio deformitatis, quâ scilicet violatur res sacra per aliquam irreverentiam; et ideò est speciale peccatum, et opponitur religioni. Sicut enim Damascenus ait in quarto libro, *purpura, regale indumentum facta, honoratur et glorificatur; et si quis hanc perforaverit, morte damnatur*, quasi contra regem agens; ita etiam si quis rem sacram violat, ex hoc ipso contra Dei reverentiam agit, et sic per irreligiositatem peccat, Sacrilegium habet sub se species, ut docet D. Thomas ibidem, art. 3, quia peccatum sacrilegii in hoc consistit quòd aliquis irreverenter se habeat ad rem sacram. Debetur autem reverentia rei sacræ ratione sanctitatis: et ideò secundùm diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est quòd sacrilegii species distinguantur: tantò enim sacrilegium est gravius quantò res sacra in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem.

Attribuitur autem sanctitas, et personis sacris (id est, divino cultui dedicatis) et locis sacris, et rebus quibusdam aliis sacris: sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum Deo exhibet: dicitur enim 2 Machab. 5: *Non propter locum, gentem; sed propter gentem, locum Deus elegit*. Et ideò gravius peccatum est sacrilegium, quo peccatur contra personam sacram, quàm quo peccatur contra locum sacrum. Sunt tamen in utrâque sacrilegii specie, diversi gradus secundùm differentiam personarum et locorum sacrorum. Similiter etiam et tertia species sacrilegii, quæ circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus secundùm differentiam rerum sacrarum, inter quas summum locum obtinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur; quorum præcipuum est Eucharistiæ sacramentum, quod continet ipsum Christum: et ideò sacrilegium quod contra hoc sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia. Post sacramenta autem, secundum locum tenent vasa consecrata ad sacramentorum susceptionem, et ipsæ imagines sacræ et reliquiæ sanctorum, in quibus quodammodò personæ sanctorum honorantur et dehonorantur. Deinde quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ et ministrorum; deinde ea quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive sint mobilia, sive immobilia: quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit. Hæc D. Thomas. Hinc colligitur sacrilegium esse peccatum mortale ex genere suo, ut ait Cajet. in Summâ, et triplicem distingui sacrilegii speciem. Prima est quâ fit injuria personæ sacræ ut sic; puta si clericus percutiatur, aut à seculari judice puniatur; si contra votum personale castitatis vel abstinentiæ, etc., peccetur, et sic de similibus. Secunda est quâ fit injuria loco sacro, ut si vi ab eo extrahatur reus qui ad illum confugit, aut inde furto vel rapinâ res accipiatur, aut sanguine vel semine humano voluntariè effuso locus sacer profanetur. Tertia species est quâ fit injuria rebus sacris seu Deo dicatis: ita quòd sacrilegium committatur non solùm quando fit injuria sacramentis, vasis sacris, sanctorum reliquiis et imaginibus, sed etiam quando fit bonis Ecclesiæ mobilibus vel immo-

(1) De sacrilegio in communi actum est supra, ubi de virtute religionis; hic de eodem peccato quæritur præsertim in materiâ luxuriæ.

bilibus, quia nempe Deo sunt dicata, et usui ministrorum mancipata.

Cajet. hanc assignat regulam ad cognoscendum quando propriè committatur sacrilegium in omnibus ejus speciebus, dicitque considerandum esse ad quid persona, locus, vel res est sanctificata, et videndum an aliquid actum sit contra illud ad quod sanctificata dicitur. V. g., ager Ecclesiæ est sanctificatus quoad hoc quòd est exemptus à secularibus oneribus et jurisdictionibus : committitur ergo sacrilegium si gravetur seculari auctoritate, etc., non autem si quis ibi fornicetur, quia non est ab hoc exemptus per hoc quòd est Ecclesiæ. Similiter sacrilegium est si quis in loco sacro fornicetur, non autem si quis ibi detrahat, quia loci sanctitas est ad exemptionem ab effusione voluntariâ seminis humani, non autem à detractione. Similiter sacrilegium est si sacerdos fornicetur quia sanctificatus est ad castitatem : non autem si blasphemet, quia non est ad ejus oppositum directè sanctificatus, et sic de similibus. Et ex hâc regulâ facilè discerni possunt quæ sint sacrilegia, ab his quæ non sunt sacrilegia, etiamsi sint pejora sacrilegio.

Nunc agendum est de sacrilegio in particulari in materiâ luxuriæ, de quo agit D. Thomas, 2-2, q. 154, art. 10, et definiri potest : *Violatio rei sacræ per actum venereum, seu personæ Deo per votum castitatis dicatæ, et loci consecrati contaminatio venerea.* Ostendit D. Thomas hujusmodi sacrilegium esse *luxuriæ speciem, quia actus unius virtutis vel vitii ordinatus ad finem alterius, assumit speciem illius, sicut furtum quod propter adulterium committitur, transit in speciem adulterii. Manifestum est autem quòd observatio castitatis secundùm quòd ordinatur ad cultum Dei, sit actus religionis, ut patet in illis qui vovent et servant virginitatem, ut dicit D. August. in libro de Virginitate. Unde manifestum est quòd etiam luxuria secundùm quòd violat aliquid ad divinum cultum pertinens, attinet ad speciem sacrilegii, et secundùm hoc sacrilegium potest poni species luxuriæ, secundùm quòd ordinatur ad alterius vitii finem, et concurrere potest cum diversis luxuriæ speciebus. Si enim aliquis abutatur personâ sibi conjunctâ secundùm spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestûs : si autem abutatur virgine Deo sacratâ in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii; in quantum verò est sub spiritualis patris curâ constituta, erit quoddam spirituale stuprum; et si violentia inferatur, erit spiritualis raptus, qui etiam secundùm leges civiles gravius punitur quàm alius raptus. Unde Justinianus imperator cod. libro 9, tit. 13, dicit :* « *Si* « *quis, non dicam rapere, sed attentare tantummodò ma-* « *trimonii conjungendi causâ, sacratissimas virgines au-* « *sus fuerit, capitali pœnâ feriatur.* » Hactenùs D. Thom.

Hinc Cajet. infert differentiam quæ est inter alias species luxuriæ supra relatas, fornicationem, adulteriam, etc., et sacrilegium, nempe quòd illæ secundùm seipsas continentur sub luxuriâ, et in significato proprio cujuscumque illarum clauditur actus venereus explicitè, sive ex proprietate nominis significantis manifestè explicatur ipse finis, nempe actus luxuriæ, et violatio justitiæ; v. g., in adulterio significatur tanquàm id quod est ad finem : sacrilegii verò nomine explicatur tantùm id quod est irreligiositatis. Ut autem est absolute sub irreligiositate, nihil habet in suo significato unde ponatur sub luxuriâ, et propterea ex solâ relatione ad finem, nempe actum luxuriæ non expressum ad eam pertinet, et ponitur illius species secundùm quod suum significatum refertur ad actum luxuriæ. Et hæc est sola ratio, propter quod sacrilegium à Gratiano et à Magistro Sent. non connumeratur inter alias luxuriæ species, prout notavit divus Thomas hîc. Porrò sacrilegium istud personæ sacræ variis modis committi potest. 1° Si persona sacra in opus turpe externum, vel etiam in internum, seu cogitationem morosam et delectationem internam sola consentiat. 2° Si cum aliâ personâ voto ligatâ et sacrâ luxuriæ peccatum committat, aut interiùs eam concupiscat ad concubitum : tunc enim nedùm circumstantiam voti proprii in confessione explicare tenetur sicut in primo casu, sed etiam circumstantiam alterius personæ sacræ. Sicut enim est duplex adulterium dùm conjugatus carnaliter cognoscit vel concupiscit uxorem alterius, ita et in nostro casu duplex sacrilegium; et præterea si interveniat incestus, stuprum, aut raptus, hujusmodi etiam circumstantiæ sunt in confessione aperiendæ. 3° Sacrilegium etiam committit, quando actum luxuriæ exercet cum aliâ personâ minimè voto adstrictâ. 4° Quando persona non sacra habet copulam cum aliâ per votum Deo dicatâ, aut eam concupiscit, sacrilegium committit.

Quamvis aliqui recentiores doceant religiosum sacerdotem luxuriæ peccatum committentem, non teneri utramque circumstantiam Religionis et ordinis sacri, sed alteram duntaxat in confessione explicare; et similiter sufficere quòd femina dicat se peccâsse cum sacerdote aut cum religioso : quia etsi altera circumstantia aliam aliquo modo juvet ad augendum peccatum intra eamdem speciem, non tamen illam mutat, nec ad aliam transfert speciem. Contrarium tamen est tenendum, nempe esse duplex sacrilegium in confessione explicandum, quia sunt duæ rationes malitiæ inter se specie distinctæ. Aliter enim religiosus ratione voti solemnis dicitur persona sacra, illudque violando facit contra jus divinum : et aliter ratione sacerdotii aut ordinis sacri, facitque contra Ecclesiæ ordinationem, non servans castitatem. Atqui hujus modi obligationes sunt specie distinctæ; ergo tunc intervenit duplex sacrilegium in confessione explicandum.

Violatio voti solemnis est in confessione declaranda. Nam quòd religiosus professus, aut clericus sacris ordinibus initiatus peccet contra castitatem, in hoc sanè longè gravior apparet deordinatio, quàm si laicus violet simplex votum castitatis. Idem qui emisit simul votum solemne et votum simplex castitatis, contra illam peccando, committit duplex sacrilegium in confessione explicandum; tum quia juxta plures graves auctores, votum solemne specie distinguitur à voto simplici; tum quia peccata differunt penès difformitates et diversarum perfectionum privationes. Peccatum autem luxuriæ importat privationem castitatis et per

fectionis alio modo debitæ in personâ adstrictâ voto solemni, quàm voto simplici; unde iste non sufficienter se accusaret dicendo se peccâsse contra votum castitatis. Non solùm committitur sacrilegium in materiâ luxuriæ per ordinem ad personam sacram, sed etiam per ordinem ad locum sacrum, ut dùm fœdatur ecclesia consecrata aut benedicta, cœmeterium, oratorium benedictum, auctoritate episcopi constitutum, deputatum ad Dei cultum et divina facienda. In iis enim copula vel pollutio voluntaria habita, importat specialem sacrilegii malitiam in confessione explicandam ob gravem irreverentiam et specialem injuriam loci sanctitati irrogatam, quæ in Dei injuriam redundat, et irreligiositatem sapit.

Porrò locus sacer dicitur et comprehendit totum illud spatium quod pertinet ad interius corpus ecclesiæ, à tecto interiori usque ad pavimentum, et ab uno pariete superiori usque ad alium oppositum, comprehenduntur et capellæ intra ecclesiam constitutæ. An autem comprehendatur etiam sacristia, quidam negant, quia non est pars ecclesiæ, unum corpus cum illâ efficiens, nec destinata ad officia divina, ut sunt capellæ, sed duntaxat ad vestium sacrarum custodiam, et se habet quasi aliæ cameræ ecclesiæ adhærentes, maximè si pariete intermedio ab ecclesiâ dividatur. Alii verò dicunt sacristiam non censeri esse extra ecclesiam, cùm sit omninò illi conjuncta instar capellarum, et appelletur sacristia à sacro seu rebus sacris destinata. An autem caverna sub pavimento et loco subterraneo, sit etiam locus sacer, resp. dicendum quòd si ibi sit ecclesia, vel capella benedicta, aut sepultura, tunc comprehenditur nomine loci sacri. Secùs dicendum si sit tantùm caverna aut spelunca, et censeatur esse extra ecclesiam. Item campanile et cameræ ecclesiæ adhærentes, tectumque exterius non comprehenduntur nomine loci sacri, cùm sint extra ecclesiam.

Igitur copula habita in loco sacro est sacrilegium, ut habetur cap. *Ecclesiis* de consecratione dist. 1, et cap. *Si Ecclesia* de consecra. Eccl. in 6. Imò et copula conjugalis etiam in occulto est ibi illicita : illâ enim reverà polluitur, id est, sanctitas loci violatur; adeò ut statim ac res in notitiam aut famam publicam venerit, ecclesia reconciliatione egeat; ut colligitur ex cap. *Significâsti* de adulteriis. Notitia enim hominum non polluit locum sacrum, sed factum præcedens, quamvis dùm occultum manet, non teneamur tanquàm à loco polluto abstinere. Simile est in peccato occulto cui annexa est excommunicatio : hoc enim verè inducit excommunicationem, etiamsi non teneamur illum hominem vitare, nisi res deveniat in publicam notitiam. Adde quòd Ecclesia ob reverentiam loci sacri non solùm tales actus ibi publicè fieri, sed absolutè ibi fieri vetuit : voluit enim immunitate talium operum loci sanctitatem honorari, quamvis ad vitandos scrupulos et molestias, noluerit expiationem esse necessariam, nisi res in publicum deveniret. Quamdiù enim manet occulta, etsi maximè contra loci sanctitatem et reverentiam actum sit, tamen ejus sanctitas non est læsa in mentibus hominum; unde non eget reconciliatione, quæ propter hominum apprehensionem introducta est. Idemque dicendum de voluntariâ seminis effusione in loco sacro, nempe quòd ipsum polluit, ex cap. *Ecclesiis* de consecratione dist. 1, et cap. *Significâsti* de Adulteris; ideòque esse sacrilegium, quia Ecclesia pollutionem illam prohibet sub motivo et ratione seu intuitu Religionis; unde sicut furtum rerum sacrarum ecclesiæ, quamvis occultum sit, et illo non violetur ecclesia, est sacrilegium; ita et secreta seminis effusio.

Conveniunt omnes quòd actus turpes, ut tactus impudici, oscula libidinosa, colloquia inhonesta, aliaque similia cum periculo pollutionis in ecclesiâ facta, habent rationem sacrilegii necessariò in confessione explicandi. Quidam tamen recentiores id negant, quando absque tali periculo fiunt, eò quòd tunc per hæc non violetur specialiter locus sacer, nec directè repugnent ejus sanctitati, neque ipsum polluant. Verùm cum istæ impudicitiæ ordinentur ad copulam et seminis effusionem, ac ad illam disponant, præsertim tactus in verendis, oscula humida, etc., sanè interdicuntur in loco sacro ibique censentur habere specialem malitiam : imo etiamsi fiant absque periculo pollutionis, quia tamen sunt indecentissimi, et graviter contrariantur sanctitati loci, prudenter reputantur materia gravis et sufficiens ad gravem irreverentiam loci sacri, ideòque aperiendi sunt in confessione. Idemque dicendum de confabulationibus et verbis obscœnis, præsertim publicè et voce altiori prolatis.

Quoad aspectus libidinosos, cogitationes morosas, et desideria concumbendi, fatentur omnes quòd si concupiscens feminam, haberet intentionem habendi copulam in ecclesiâ; contraheret sacrilegii peccatum. Aliqui tamen docent quòd si existens in ecclesiâ desideret concubitum extra ecclesiam exercendum, nullius sacrilegii reus foret, nec teneretur illam circumstantiam confiteri. Verùm non est dubium hæc et similia ad Venerem spectantia in ecclesiâ facta, contrahere aliquam deformitatem, quia ille actus internus, est ejusdem speciei cum externo, tenditque in idem objectum, et de facto illa delectatio venerea est præsens et actu habetur in ecclesiâ cum aliquâ spirituum commotione, ac per accidens est quòd actus exterior illi correspondens non sit exercendus tunc in ecclesiâ. Quare videtur quòd omnes hujusmodi impudicitiæ in ecclesiâ habeant aliquam deformitatem minorem vel majorem in confessione explicandam, nec censeo quietari conscientiam illius qui de his peccatis simpliciter se accusaret, perinde ac si in foro et loco profano ea perpetrâsset.

Quæres an, si quis fornicaretur, aut se pollueret gestando super se reliquias, debeat necessariò hanc circumstantiam in confessione declarare. Respondent auctores irreverentiam aliquam tunc in eo actu intervenire, et in prudenti æstimatione indecentiam continere, et nisi fortè inadvertentia aut ignorantia ab omni culpâ excuset, esse peccatum veniale. Posset tamen tanta esse sanctitas ejus quod gestatur, indeque adeò crescere irreverentia in tali actu sub eâ circumsta[illegible]

ut meritò censeatur gravissima et in confessione explicanda, ut si sacerdos aut parochus qui secum portans occultè Eucharistiam infirmo præbendam, tale peccatum committeret. Idem dicendum de eo qui gestans reliquias sanctæ crucis, clavorum, vel spinææ oronæ, fornicaretur aut voluntariè se pollueret, propter scilicet contactum physicum corporis Domini nostri Jesu Christi. Unde ex eo coluntur ab Ecclesiâ adoratione latriæ.

ARTICULUS VII.

Utrùm vitium contra naturam sit species luxuriæ.

Divus Thomas in hâc quæst. 154, ponit vitium contra naturam inter luxuriæ species, quia ibi est determinata luxuriæ species, ubi specialis ratio deformitatis occurrit quæ facit indecentem actum venereum; quod quidem potest esse dupliciter : uno modo quia repugnat rectæ rationi, quod est commune in omni vitio luxuriæ; alio modo, quia etiam super hoc repugnat ipsi ordini naturali venerei actûs qui convenit humanæ speciei, quod dicitur vitium contra naturam, proindeque non solùm rationali, sed etiam naturali ordini actûs venerei in humanâ specie repugnat : nam contra naturalem ordinem naturæ est omnis concubitus et seminatio, unde non potest sequi generatio hominis quantùm est ex naturâ actûs, cùm ad conservationem speciei humanæ ordinetur à naturâ vis generativa cum suis membris. Naturalis ordo actûs venerei humani (cui directè contrariatur peccatum contra naturam) exigit 1° concubitum seu conjunctionem duorum, cui contrariatur mollities seu pollutio delectationis venereæ causâ voluntariè procuratâ absque omni concubitu. 2° Exigit in concumbentibus eamdem naturam seu quòd sint ejusdem speciei, idcòque si fiat conjunctio cum re alterius naturæ, v. g., cum bruto, vocatur bestialitas, ad quam reduci potest coitus cum dæmone. 3° Postulat sexum diversum in conjunctione, puta masculum et feminam : et huic repugnat sodomia. 4° Instrumenta seu vasa congrua, et huic contrariatur innaturalitas comprehendens omnes exorbitantes et innaturales concumbendi modos.

D. Thomas ibidem, art. 12, probat vitium contra naturam esse maximum peccatum inter species luxuriæ, quia *in quolibet genere pessima est principii corruptio, ex quo alia dependent. Principia autem rationis sunt ea quæ sunt secundùm naturam. Nam ratio, præsuppositis his quæ sunt à naturâ determinata, disponit alia secundùm quod convenit : et hoc apparet tam in speculativis quàm in practicis. Ideòque sicut in speculativis error circa ea quorum cognitio est homini naturaliter indita, est gravissimus et turpissimus, ita in agendis, agere contra ea quæ sunt secundùm naturam determinata, est gravissimum, et turpissimum. Quia ergo in vitiis quæ sunt contra naturam homo transgreditur id quod est secundùm naturam determinatum circa usum venereum, inde est quòd in tali materiâ hoc peccatum est gravissimum.* Et super Epist. ad Rom. 1, explicans cur Apostolus peccata contra naturam vocat passiones ignominiæ, dicit quòd *Dei veritatem in mendacium mutaverunt gentes :* PROPTEREA TRADIDIT ILLOS DEUS *non quidem impellendo in malum, sed deserendo* IN PASSIONES IGNOMINIÆ, *id est, peccata contra naturam. Quæ dicuntur passiones, secundùm quod propriè passio dicitur ex hoc quòd aliquid trahitur extra ordinem suæ naturæ, puta cùm aqua calefit, aut cùm homo infirmatur : unde quia per hujusmodi peccata homo recedit ab ordine naturali, dicuntur convenienter passiones. Vocantur autem passiones ignominiæ, quia non sunt nomine digna, juxta illud ad Ephes. 5 : « Quæ aguntur in occulto ab eis, « turpe est dicere. » Si enim peccata carnis communiter exprobrabilia sunt, quia per ea homo deducitur ad id quod est bestiale in homine, multò magis peccatum contra naturam, per quod homo etiam à naturâ bestiali decidit ; unde Oseæ 4 dicitur : « Gloriam eorum in « ignominiam commutabo. »* Hactenùs D. Thomas.

Porrò inter vitia contra naturam alia sunt aliis graviora. Cùm enim gravitas in peccato magis attendatur ex abusu alicujus rei quàm ex omissione debiti usûs, ideò infimum locum tenet peccatum mollitiei, quod consistit in omissione concubitûs. Gravissimum autem est peccatum bestialitatis, quia in eo non servatur debita species. Unde super illud Genes. 57 : *Joseph accusavit fratres suos crimine pessimo*, Glossa dicit, quia cum pecoribus miscebantur. Post hoc est vitium sodomiticum, cùm ibi non servetur debitus sexus, et vocatur peccatum nefandum. Post hoc est peccatum innaturalis modi concumbendi : magis autem si non servetur debitum vas, quàm si sit inordinatio secundùm aliqua alia pertinentia ad modum concubitûs. Hæc D. Thomas ibidem, art. 12, ad 4, ubi loquitur in his ultimis verbis de concubitu in vase debito, sed facto tali modo, ex quo generatio sequi non potest, ut si vir solùm attingat os vasis naturalis feminei, et quasi cogatur extra seminare ex tali modo. Similiter si à copulâ se retrahat ad semen extra fundendum, etc., et istud vitium est verè contra naturam, et gravius simplici pollutione. Nec loquitur D. Thomas de aliis modis innaturalibus, ex quibus non impeditur, sed sequi potest generatio, quia etsi sint præter naturam, non comprehenduntur tamen sub peccato contra naturam, nisi reductivè. Et licet deformitatem quamdam importent propter recessum à naturali modo, non tamen ita habent deformitatem annexam quin ex causâ possint esse liciti : puta si dispositio corporis non patiatur aliter fieri, ut dictum est supra. Ita Cajet. in Commentario hujus art. 11. Qui ibidem ostendit hujusmodi vitia contra naturam inter se specie differre. Nam species moralium vitiorum non semper sumuntur penès species bonorum quibus privant, sed etiam penès diversa motiva per se sufficientia ad privationem unius et ejusdem boni, ut patet in duobus extremis vitiis temperantiæ, quæ idem bonum tollunt, sed diversimodè, scilicet per excessum et per defectum. Ubicumque enim occurrunt diversa motiva, quorum quodlibet est per se sufficiens ad privandum bonum alicujus virtutis moralis, ibi diversa vitia secundùm speciem sunt ponenda. Constat autem diversa esse motiva in his peccatis contra naturam, ita quòd quodlibet motivum est per se sufficiens ad corruptionem

naturalis ordinis actûs venerei humani : nam sola expletio voluptatis venereæ movet mollem. Sodomitam movet persona indebiti sexûs. Bestialem movet suppositum alienæ speciei. Abutentem feminâ extra vas movet delectatio in parte indebitâ. Et ultimum movet delectatio indebiti modi. Ergo ex his constituuntur diversæ species vitii contra naturam. Aliis etiam rationibus id probat Cajet., quæ apud ipsum videri possunt. Jam egimus de modo innaturali concumbendi : de mollitie verò acturi sumus quæst. sequenti articulo primo, solùmque hìc restat agendum de bestialitate et sodomiâ.

Peccatum pessimum est carnalis conjunctio cum re alterius speciei ; ut dùm homo coit cum bruto, et talis morte puniendus declaratur Levit. 18 et 20, jureque civili communi statuitur ut concremetur. Peccatum istud non differt specie pro diversitate brutorum cum quibus peccatur, quia ista diversitas est tantùm materialis respectu illius, nec diversitas sexûs aut vasis in bestiâ inducit diversitatem motivi, sed sub eâdem formali ratione et motivo comprehenditur, quatenùs scilicet ipsa bestia movet ut quid extraneum et res alterius speciei. Sicque in omnibus conjunctio hæc habet turpitudinem ejusdem rationis, nec proinde de necessitate exprimenda est in confessione bellua in particulari cum quâ congressus habitus fuit, sed sufficit se accusare de carnali congressu cum bruto. Peccatum istud pessimum communiter inter casus reservatos reponitur et numeratur. Ad hoc peccatum quodammodò reduci potest carnalis congressus cum dæmone, utpote re diversæ speciei ab homine : et sub hâc ratione conjunctio illa præcisè considerata, seu quantùm est ex naturâ illius cum supposito non ejusdem speciei, non distribuitur in varias species, sicut jam dictum est de bestialitate. Ex parte tamen affectûs potest varias deformitates induere, puta si quis bestiâ affectu sodomitico abutatur, aut cum dæmone coeat cum affectu ad delectationem sodomiticam aut incestuosam : tunc illud peccatum ultra bestialitatis vitium, induit deformitatem sodomiæ, vel incestûs, vel adulterii, etc. Quandoque ex adjuncto affectu, seu consensu patientis, variari potest mulieris peccatum cum dæmone, puta si dæmon semen à seipso non confectum (quod est solùm humor quidam similis humano semini) sed verum semen humanum ab aliquo viro acceptum transfundat : tale enim peccatum ex parte concubitûs est bestialitas. Ex parte verò commixtionis seminum ad simplicem fornicationem, nempe vagi concubitûs, spectat reductivè (nisi aliquando superaddatur alia conditio), quia illo congressu semen humanum recipitur, ex quo fœtus aliquis generari potest, qui tunc erit filius hominis illius à quo decisum est semen : quod etsi à mulieris patre fuisset acceptum, non propterea committeretur incestus, si ista hominis tantùm et non proprii patris semen petierit.

In congressu igitur cum dæmone peccatum bestialitatis committitur : quamvis enim inter dæmonem et bruta sit diversitas plusquàm generica in esse entis et naturæ, non tamen in esse morali et in ordine ad concubitum humanum, quia dæmon ut extremum illius concurrit tanquàm simile animali, cùm formet et moveat corpus aereum in similitudinem illius animalis, puta hominis aut bestiæ ; ac per hoc secundùm affectum trahit peccatum in speciem illius concubitûs cui assimilatur : ex parte tamen actûs pertinet ad bestialitatem. Habet insuper aliam deformitatem, differtque specie concubitus cum dæmone à concubitu cum bestiâ ex admixtione alterius vitii, scilicet irreligiositatis, non secundùm speciem sacrilegii, sed superstitionis illius, ad quam spectat societas cum dæmonibus. Est enim in tali concubitu directè societas cum dæmone hominibus interdicta tanquàm Dei et illorum hoste, ideòque important circumstantiam in confessione necessariò explicandam : Hactenùs Cajetanus.

Sodomia est coitus inter personas ejusdem sexûs, ut dùm commiscentur mares inter se, aut mulieres inter se. Et est gravissimum, turpissimum, valdèque abominabile ; iram Dei provocat, præcipua inter causas diluvii universalis assignatur, et inter peccata in cœlum clamantia reponitur. Clamor enim Sodomorum ad Deum pervenit, qui ait : *Descendam et videbo utrùm clamorem opere compleverint*, Genes. 18 ; quasi diceret admirando : Itane est ? vix credi potest tantum nefas in homine reperiri ! unde hoc probare et videre volo descendendo ad illos. Postea sulphureum ignem de cœlo immisit, ipsos eorumque civitates in cinerem redegit. Morte puniendos statuit Deus Levit. c. 18 et 20. Apostolus ad Rom. 1 hujus peccati gravitatem multùm exaggerat, docetque Deum permisisse gentilium sapientes in tantam turpitudinem et ignominiam labi in pœnam idololatriæ. Item jure civili sodomitæ extremo damnantur supplicio, cod. de extraordinario crimine, lege *Qui puero*, et ff. ad leg. Juliam, de adulte. et alibi. Item particularibus acribus flammis damnantur. Item Ecclesia eos gravibus pœnis subjicit, præsertim clericos sodomiam exercentes. Nam B. Pius V, suâ constitutione illos privat omni privilegio clericali, beneficio et dignitate ecclesiasticâ. Quòd si delictum fuerit publicum, redduntur infames, irregularitatem, et suspensionem incurrunt, degradantur ac brachio seculari traduntur. Navarrus in Man. c. 27, num. 250, videtur sentire quòd prædictæ pœnæ privationis incurrantur in foro conscientiæ, ita ut opus non sit sententiâ declaratoriâ judicis. Ratio est, quia pontifex in textu Bullæ dicit : *Privamus*, quod verbum, cùm sit præsentis temporis, continet sententiam latam. Tandem episcopi hunc casum sibi reservare solent, à quo proinde confessarii absolvere nequeunt absque eorum facultate. Persona cum quâ peccatum nefandum perpetratum fuit, explicanda est in confessione, nempe si commissum fuit cum habente votum castitatis, vel per vim ac contra illius voluntatem abductâ : propriè enim sacrilegium et raptus admiscentur cum hoc vitio, eò quòd ista duo peccata non significent deformitatem in certâ et determinatâ materiâ, scilicet in concubitu naturali, sed absolutè in

quàcumque materiâ contra personam sacram Deo dicatam, aut aliam violenter abductam ad quocumque modo illâ abutendum. Abusus autem personæ conjugatæ aut consanguineæ reductivè pertinet ad speciem adulterii vel incestûs propter similitudinem deformitatis injuriæ et reverentiæ naturalis, quarum prima ad injustitiam, ad impietatem secundùm se spectat. Vide Cajetanum in commentario hujus articuli 12 D. Thomæ, ad 1.

Quidam distinguunt sodomiam propriè dictam ab actu sodomitico, in hoc quòd ista requirit eumdem sexum, vas indebitum, et ejaculationem seminis intra illud, sive committatur à maribus inter se, sive à mulieribus. Ille verò simpliciter fit polluendo seipsum cum secundâ personâ ejusdem sexûs, unà supergrediente facie ad faciem, et non solùm inter viros ad invicem, sed etiam inter feminas inveniri potest, dùm simpliciter super cubantes se polluunt affectu sodomitico, aliquando etiam instrumento adhibito. Juxta Sayrum quando à locorum ordinariis reservatur peccatum contra naturam, intelligitur de omnibus hujusmodi vitiis cum secundâ personâ perpetratis.

Cajet. ibidem docet commixtionem masculi cum muliere esse peccatum specie distinctum à sodomiâ propriè dictâ, eò quòd sint motiva diversarum rationum : nam in sodomiâ intervenit concubitus inter personas ejusdem sexûs, proindeque ejus delectatio differt à delectatione captâ cum personâ sexûs debiti et diversi, sed secundùm partem indebitam. Aliâ enim ratione repugnat naturæ et rectæ rationi quòd ipsa persona concumbens sit contra naturam, et aliâ ratione quòd persona ipsa concumbens non sit contra naturam, sed tantùm illa pars ejus instrumentalis. Unde peccatur quidem contra vas debitum, sed non contra sexum. At verò in verâ sodomiâ contra utrumque peccatur, ideòque ad eam solùm reductivè pertinet. An autem sit casus reservatus, aliqui negant, eò quòd cùm reservatio sit res odiosa, ad sodomiam propriè dictam et completam restringenda est; alii verò affirmant, ob paritatem rationis, scilicet exorbitantis turpitudinis. Verùm hoc pendet ex voluntate episcopi casus reservantis, cujus proinde mens et intentio indaganda et consulenda est.

An autem pueri ante annos pubertatis sodomiam exercentes includantur in tali reservatione, nisi aliud in statutis episcoporum caveatur, quidam negant, quia sicut minor ætas in foro exteriori excusat à pœnâ ordinariâ, ita et in animæ judicio; quia etiam infra hoc tempus seminare nequeunt, et si quandoque semen emittunt, non ideò incidunt in casum reservatum, quia reservatio instar aliarum legum non aptatur ad ea quæ rarò accidunt, ff. de Legibus lege, *Non ad ea*. Alii verò affirmant, quia episcopi absolutè loquuntur, proindeque reservatio absolutè intelligenda est : tum quia impuberes sunt doli capaces et mortaliter peccare possunt, indeque obligantur cæteris legibus et censuris, sicque reservatione ligari possunt.

Me sanè pudet nefanda hæc luxuriæ vitia scribendo percurrere, quæ nec nominare, nec audire, imò neque cogitare fas est. Verùm non absonum est ut pudorem vincat necessitas, et religiosam verecundiam superet proximorum charitas et utilitas. Meminerint qui talia perpetrare non erubescunt, ipsis bestiis bestialiores esse contra naturam generis, nempe animalis. Caveant autem confessores ne eos de facili ad sacramentorum participationem admittant nisi post longum tempus et donec per fletus multos, per asperas pœnitentias ac macerationes, et per resipiscentiam permanentem ad cor et sensum hominis redierint.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE MOLLITIE, ALIISQUE IMPUDICITIIS.

Concupiscentia venerea, quatenùs procedit ad extra, duobus modis considerari potest. Primò prout procedit in actum luxuriæ deliberatè completum et consummatum, de quo egimus qu. præcedenti; secundò ut procedit in aliâ causâ prævià et proximè dispositivâ ad actum, qualia sunt oscula, tactus, amplexus, turpiloquia, et alia hujusmodi, quæ sub nomine impudicitiæ comprehenduntur, quatenùs homo his actibus libidinosè vacat, id est, causâ delectationis sensibilis, quæ ibi percipitur, sive copulam intendat, sive non. Et quia mollities etiam fit sine concubitu, de illâ quoque agimus in præsenti.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm mollities deliberatè et voluntariè procurata sit semper et in omni prorsùs casu de se intrinsecè mala et illicita.

Notat Cajet. in hâc q. 154, art. 11, quòd cùm venereæ mollitiei vitium constituatur ex voluntariâ pollutione absque concubitu, nulla apparet differentia formalis quæ distinguat hanc luxuriæ speciem in alias. Sive enim pollutio sit procurata aliquo extrinseco adminiculo proprio vel alieno per quodcumque conjunctum vel separatum instrumentum, sive sit procurata per solum actum interiorem positivè vel negativè, etc., nulla inducitur diversitas specifica, quoniam hæc omnia materialiter, vel per accidens se habent ad voluntariam seminationem absque concubitu. Gravius tamen peccatum est, dùm fit cum alterius operâ et adminiculo, propter scilicet societatem et participationem in peccato alterius. Quod demùm intelligendum est de mollitie simplici et absolutâ, quæ fit ex merâ expletione voluptatis venereæ se solo absque complice præcisè et secundùm se consideratâ, quoniam loquendo de eodem peccato prout subordinatur morosæ delectationi aut desiderio adulterii, recipit etiam deformitatem adulterii, et ut subordinatur desiderio incestûs admittit deformitatem incestûs, et sic de aliis. Unde circumstantia personæ, quam aliquis in mente habet aut desiderat, dùm se polluit, est necessariò in confessione explicanda.

Cajetanus ibidem fusè ventilat quæstionem quam dicit arduam circa rationem mollitiei et sodomitici vitii in mulieribus. Constat enim hos actus venereos

voluntarios in illis esse mortalia peccata ex universæ Ecclesiæ acceptatione, et communi doctorum catholicorum consensu. Nec tamen apparet ratio naturalis quæ id convincat. Nam peccatum mortale in genere eorum quæ sunt contra naturam, fundatur super malo humano; alioquin non esset contra charitatem, seu quia est contra bonum generationis humanæ ut in mollitie viri et sodomiâ masculorum patet. Atqui id non contingit in proposito, quia seminatio mulieris non concurrit ad generationem nisi per accidens; nullatenùs verò per se ad illam requiritur, ut probat Aristoteles, quem sequitur D. Thomas 3 p., q. 31, art. 5, ad 3; ea autem quæ sunt per accidens omittuntur ab arte. Ergo hi actus mulierum non exeunt limites peccatorum quæ sunt circa tactus, amplexus, etc., et non sunt peccata contra naturam, utpote quæ consistunt in hoc quòd tollant finem generationis hominis. Aut possunt esse peccatum contra naturam solùm ex conscientiâ erroneâ mulierum, si existiment se verum semen necessarium ad generationem effundere, eò quòd sentiant inde magnam oriri delectationem et veneream quietari ac sedari concupiscentiam, quod non nisi in veri seminis emissione evenire solet.

Verùm idem Cajetanus postquàm solidissimis responsionibus solvit argumenta Aristotelis et quorumdam medicorum asserentium feminas non habere verum semen, contrarium probat validis rationibus quæ apud eum legi possunt. Idemque tenent Galenus, Avicenna, D. Albertus Magn. et plures medici famosi asserentes semen mulieris per se concurrere tanquàm materia proxima generationis, et ad illam ordinari secundùm se, ut est in talibus individuis, scilicet mulieribus; minus tamen principaliter, quia dependet in suâ causalitate à semine viri. Ita quòd sanguis menstruus sit materia impura egens adhuc decoctione ad hoc ut sit causa proxima generationis, et propterea est veluti cibus illius seminis seu sanguinis albi qui est materia proxima generationis. Itaque principium activum generationis est semen ex parte hominis; principium verò passivum est semen ex parte mulieris. Et sicut in vegetabilibus semen integrum non generaret nisi esset alitum ex admixto in terrâ humido, ita semen integrum, viri scilicet et mulieris nunquàm generaret nisi alitum et fotum pro humore sanguinis menstrui. Idem tenent communiter theologi contendentes quòd semen mulieris est necessarium tanquàm comprincipium passivum generationis: mulieres siquidem, ut plurimùm nonnisi excitatæ et seminantes concipiunt: aliàs non censentur sufficienter dispositæ nec præparatæ ad prolis generationem. Adde quòd juxta aliquos auctores matrimonium non est plenè consummatum si solus vir intra vas seminet: et secundùm omnes auctores vir et mulier in carnali copulâ efficiuntur una caro per commixtionem seminum, ita ut illa requiratur ad veram et propriam affinitatem contrahendam, ut supra ostensum est, art. 5, § 1, ex D. Thomâ in 4 Sent. dist. 41, art. 1, q. 4, ad 2.

Idem D. Thomas 3 p., q. 31, art. 5, ad 3; et q. 32, art. 4; et q. 35, art. 3, dicit quòd semen mulieris est quidem in genere seminis, sed ut quid imperfectum; quia semen perfectum pertinet ad causam efficientem ut dicitur in 5 Metaph., perinde ac semen viri impotentis ad generationem ex defectu naturæ quæ in eo non sufficit ad perfectè decoquendum sanguinem, ita ut perducat ipsum ad perfectionem seminis, quod tamen ex naturâ sui generis et suæ speciei humanæ per se ordinatur ad generationem. Idque sufficit ad hoc ut illud profundens voluntariè extra concubitum, peccet contra naturam: actus enim judicandus est secundùm quod convenit illi per se et secundùm suam speciem; et non secundùm quod convenit ei per accidens. Ita quamvis semen, prout est in tali subjecto, nempe in mulieribus, quæ ob suam frigiditatem non sunt sufficientes ad perfectè decoquendum illum sanguinem, non sit ita perfectum semen, quia tamen secundùm se et suam speciem ordinatur ad generationem, non excusantur mulieres absolutè à mollitie; imò neque illæ quæ ante vel post menstruorum ætatem abutuntur tali seminatione, cùm ætas per accidens se habeat ad speciem actùs secundùm se. Vel dicendum quòd non solùm abusus principiorum necessariorum, sed etiam ordinatorum à naturâ ad meliùs, faciliùs, et perfectiùs generandum, est peccatum mortale contra naturam saltem reductivè: constat enim quòd injustè privare hominem uno oculo est peccatum mortale mutilationis, quamvis non sit privatio alicujus simpliciter et absolutè necessarii in eo homine cui adhuc superest alius oculus, sed tantùm ad meliùs et perfectiùs videndum: ita et in nostro casu privare hominem uno principio à naturâ ordinato ad faciliùs et perfectiùs generandum nefas est contra naturam, saltem reductivè. Atqui mulier voluntariè effundens semen extra concubitum, hoc præstat, quia ejus seminatio, quamvis non sit absolutè necessaria ad generationem, est tamen valdè utilis, ita quòd juncta unà simul cum seminatione viri, faciliùs concipiat, et pulchrior habeatur proles, meliùsque generatio promoveatur. Ergo illud prodigendo extra concubitum, infert damnum humanæ speciei, et committit peccatum contra naturam, saltem reductivè, in omnium sententiâ. His positis,

Concludo et dico pollutionem voluntariam, quæ mollities appellatur, esse peccatum mortale et contra naturam, ideòque de se intrinsecè malam, et ex intentione ac deliberatione in nullo casu licitè procurari posse. Ita communiter auctores.

Probatur 1° ex Apostolo 1 ad Cor. 6, ubi ait quòd *neque molles regnum Dei possidebunt.* Atque illud quod excludit à regno Dei, procul dubio est peccatum mortale; ergo mollities est peccatum lethale; neque est mala et peccaminosa tantùm quia à Deo prohibita; sed ideò est prohibita, quia de se intrinsecè mala, prout definivit Innocen. papa XI damnans istam quorumdam recentiorum propositionem: *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona et obligatoria sub mortali.* Ergo Ecclesia definivit mollitiem esse contra legem naturæ

et de se intrinsecè malam, etiam seclusâ quâcumque prohibitione, ac in nullo casu licitam. Et meritò cùm non solùm hominem ad naturam et conditionem brutorum redigat, sed adhuc infra illam dejiciat, utpote quæ naturâ duce, semen nunquàm emittunt nisi in actu generationis, ad quem finem à naturâ tantùm ordinatur.

Probatur 2° ex D. Thomâ q. 15 de malo, art. 2, in corp., ubi ait quòd *si actus luxuriæ sit peccatum propter ipsam inordinationem actûs, quia scilicet actus non est proportionatus generationi et educationi prolis, tunc dico quòd semper est peccatum mortale. Videmus enim quòd peccatum mortale est non solùm homicidium, per quòd vita hominis tollitur, sed etiam furtum, per quod subtrahuntur bona exteriora quæ ad vitam hominis sustentandam ordinantur. Propinquiùs autem ordinatur ad vitam hominis semen humanum, in quo est homo in potentiâ, quàm quæcumque res exteriores. Unde Philosophus dicit in politicis, in semine hominis esse quoddam divinum, in quantum scilicet est homo in potentiâ : et ideò inordinatio circa emissionem seminis est circa vitam hominis in potentiâ propinquâ. Unde manifestum est quòd omnis talis luxuriæ actus est peccatum mortale ex genere suo.* Hæc D. Thomas. Et 2-2, quæst. 154, a. 11, reponit mollitiem inter peccata luxuriæ contra naturam. Hanc rationem deducit Martialis poeta lib. 9, Epigram. 42, quamvis gentilis, ubi sic graviter reprehendit quemdam nomine Ponticum se polluentem :

Ipsam crede tibi naturam dicere rerum :
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Indeque constat gentiles solo lumine naturæ cognovisse mollitiem esse de se et intrinsecè malam ac illicitam.

Probatur 3°, quia iste actus est contra finem primarium et simpliciter contra bonum generationis à naturâ intentum, nempe conceptionem hominis. Ergo caret primario fine, principali ordine, et habitudine à naturâ in eo requisitis, proindeque gravem in se continet inordinationem : nec tantum repugnat rationi rectæ sicut et naturalia luxuriæ vitia, sed etiam repugnat ipsi ordini naturali actûs venerei qui convenit humanæ speciei. Imò et quem natura in cæteris omnibus animalibus requirit ac præscribit, seu quem natura illius actûs indispensabiliter postulat; nempe ut ex eo sequi possit conceptio prolis. Et sanè si fornicatio simplex sit de se intrinsecè mala, et in nullo casu licita ex hoc quòd per se sit contra finem et bonum secundarium generationis humanæ à naturâ intentum, nempe debitam ac decentem prolis educationem et instructionem, etiamsi aliquandò per accidens in aliquibus fornicantibus huic malo obvietur : multò magis mollities erit illicita, quæ adhuc penitùs destruit primarium finem et bonum generationis, et repugnat etiam conceptioni prolis.

Ex hoc autem quòd mollities sit de se intrinsecè mala, et peccatum contra naturam, manifestè sequitur quòd in nullo casu nullâque necessitate possit esse licita, nulloque bono fine honestari valeat, etiamsi non causâ voluptatis, sed vel alleviandæ naturæ, aut sedandæ tentationis, aut sanitatis vitæque tuendæ gratiâ, voluntariè procuretur ; tum quia sic non vincitur tentatio, sed ei per flagitium succumbitur, tum quia non est medium ad hæc ordinatum, non enim natura illud destinavit ad conservationem individui, sed speciei ; tum quia non desunt alia media ad hæc obtinenda proportionata, puta jejunium, asperitatesque ad domandam carnem ; neque emissio voluntaria seminis concessa est in remedium concupiscentiæ, nisi in legitimo matrimonio ; nec desunt pharmaca ad obtinendam sanitatem, habetque semper natura aliundè purgationis suæ modos quàm ex seminis effusione, puta per sudores, abstinentias, etc., per quas materia spermatica consumi potest. Inde gravissimè peccant medici mollitiem consulentes aut directè procurantes infirmo, nec excusantur à mortali ægrotantes qui eis obtemperant : non sic B. Casimirius regis Poloniæ filius, et multi alii, qui gravi infirmitate oppressi, mori potiùs decreverunt quàm castitatis jacturam ex medicorum consilio subire.

Dices primò : Ebrietas contrariatur rectæ rationi, et est de se mala ac mortaliter peccaminosa ex genere suo : et tamen de consilio medici licitum est illam procurare infirmo, ad tuendam sanitatem, prout docent communiter auctores. Ergo idem dici potest de mollitie. Resp. nunquàm esse licitum procurare directè et ex intentione ebrietatem formalem, sicut neque pollutionem : quandoque verò licere non impedire ebrietatem, seu illam permittere ex legitimâ causâ propter sanitatem individui. Tunc enim solùm materialiter incurritur ebrietas, quoniam non tendit ad delectabile, quod est formale in speciebus intemperantiæ, de quarum numero est ebrietas. Nec est simile de pollutione, utpote quæ à naturâ solùm ordinatur ad conservationem speciei, non verò individui, ac sine periculo consensûs in delectationem veneream procurari nequit. Explicatur solutio ex D. Thomâ, 2-2, quæst. 150, art. 2, ad 3, ubi ait, quòd cibus et potus est moderandus secundùm quod competit corporis valetudini ; et ideò sicut quandoque contingit, ut cibus vel potus qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo, ita etiam potest è converso contingere ut ille qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo. Et hoc modo cùm aliquis multùm comedit vel bibit secundùm consilium medicinæ ad provocandum vomitum, non est reputandus superfluus et immoderatus cibus vel potus, proindeque si inde sequatur ebrietas, est tantùm materialis, solùmque inferri potest quòd materia peccati licite permitti potest ob bonum finem ; sicut detractio materialiter tantùm est quandoque licita, puta si aliter quis non possit proprium peccatum confiteri, aut si in judicio, aut propter bonum animæ proximi, expediat peccatum illius revelare.

Neque obstant verba quæ statim subjungit D. Thomas dicens : *Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur quòd sit potus inebrians, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat, et ideò propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate. Non obstant*, inquit Cajetanus ibidem, *quoniam D. Thomas loquitur de vomitu*

formaliter, et non de tali vomitu, nec de vomitu talis personæ, et intendit quòd quia ad procurandum vomitum ut sic, non est necessaria ebrietas : et ideò ab eâ non excusaretur qui propter vomendum inebriaretur, utpote inferens sibi malum sine necessitate ; secùs dicendum de tali vomitu et in tali personâ, si ad eum necessariò sit permittenda ebrietas. Hæc Cajetanus. Vel dicendum D. Thomam velle non esse licitum assumere inebrietatem ex intentione procurandam, tanquàm medium ad vomitum, benè tamen illam non impedire, sed permittere, quoniam ebrietas in illo casu est effectus per accidens et præter intentionem accipientis medicinam per se ordinatam ad salutem. In primo verò casu, quo scilicet potus immediatè dirigeretur ad ebrietatem, non foret licitus, etiamsi ex ebrietate rursùs consequeretur conservatio vitæ, eò quòd *non sint facienda mala ut eveniant bona;* sicut etiam non sunt relinquenda bona, quamvis præter intentionem operantis sequantur mala.

Idem videtur dicendum, si ad vitam conservandam necessaria foret naturaliter expulsio superflui seminis : non enim licitum esset uti confricatione excitativâ pollutionis, neque medicinâ directè immediatè ad illam tendente. Tunc enim assumeretur medium secundùm se prorsùs illicitum : secùs verò si esset aliqua medicina, quæ immediatè ordinaretur ad confortandum partes vegetativas, vel ad purgandum humores, unde sequeretur physicè effusio seminis. Nam eam sumere licitum esset, quia tunc illa seminatio est effectus per accidens et præter intentionem accipientis medicinam, nisi homo consentiat vel desideret ipsam pollutionem. Ita Bannes, 2-2, quæst. 64, art. 7, dub. 5, in fine, et alii ferè communiter. Quæ opinio etsi speculativè magnum habeat fundamentum, in re tamen adeò lubricâ, existimo non carere periculo in praxi. Unde posset assignari disparitas in hoc quòd potus inebrians et vomitus ordinatur ad conservationem personæ, ideòque absque deordinatione permitti potest tanquàm effectus per accidens : at verò actus venereus non ordinatur directè ad conservationem personæ, sed speciei : unde abstinere ab illo per continentiam directè non vergit in periculum personæ. Si autem per accidens ex hâc abstinentiâ aliquod periculum personale accidat, potest aliter subveniri, scilicet per abstinentias vel alia corporalia remedia. Ita expressè D. Thomas, 2-2, q. 88, art. 3, ad 3, ex quo concludit quòd in voto abstinentiæ à carnibus, etc., dispensari potest quando nocet sanitati ; secùs in voto solemni castitatis, etiam quando inde imminet periculum vitæ.

Dices secundò et instabis : Homicidium est gravius peccatum quàm fornicatio et mollities ; sed aliquando pro conservatione vitæ licet se defendendo alium occidere, ut constat ex dictis supra : ergo et pollutionem admittere. Resp. cum D. Thomâ, 2-2, quæst. 64, art. 7, ad 4, quòd *actus fornicationis vel mollitiei non ordinatur ad conservationem propriæ vitæ ex necessitate, sicut actus ex quo quandoque sequitur homicidium. Quamvis autem* (subdit S. doctor in Supplem., quæst. 49, art. 5, ad 4) *intendere sanitatis conservationem, non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc ordinatum : sicut qui ex sacramento Baptismi tantùm salutem corporalem quæreret, et similiter etiam est in proposito in actu matrimonii.* Hæc D. Thomas.

Dices tertiò et replicabis : Semen, ex Philosopho et D. Thomâ, est superfluum alimenti ; sed in emissione aliarum superfluitatum et humorum nullum committitur peccatum. Ergo neque in emissione seminis. Confirmatur : Quilibet potest licitè uti, ut libet, eo quod suum est ; sed in fornicatione et adulterio, homo non utitur, nisi eo quod suum est. Ergo, etc. Resp. D. Thomas, 2-2, q. 153, art. 3, ad 1, *semen esse superfluum quo indigetur. Dicitur enim superfluum ex eo quòd residuum est operationis, virtutis nutritivæ : tamen indigetur eo ad opus virtutis generativæ. Sed aliæ superfluitates humani corporis sunt, quibus non indigetur, et ideò non refert qualitercumque emittantur, salvâ decentiâ convictûs humani. Non est autem simile in seminis emissione, quæ taliter fieri debet, ut conveniat fini ad quem eo indigetur.* Hæc D. Thom. idemque dicit lib. 3 contra gentes, c. 122.

Unde detrahere sanguinem, humores purgatione expellere, amputare aliquod membrum putridum, et hujusmodi licent, quia hæc solùm instituta sunt propter bonum individui ; semen verò solummodò destinatur à naturâ propter speciei propagationem, illiusque effusionis finis est proles. Unde eum statum necessariò postulat, in quo per se fœtus generari et debitè educari possit. Ut enim ait D. Th., lib. 3 contra gent., bonum uniuscujusque est ut finem suum consequatur : malum verò ejus est quòd à debito fine divertat. Sicut autem in toto homine, ita in ejus partibus considerari oportet, ut scilicet unaquæque pars hominis, et quilibet actus ejus finem debitum sortiatur. Semen autem, etsi superfluum sit quantùm ad individui conservationem, est tamen necessarium quantùm ad propagationem speciei : alia verò superflua, ut egestio, urina, sudor et similia ad nihil necessaria sunt ; unde ad bonum hominis pertinet solùm quòd emittantur, etc. Est etiam dispar ratio de vasis et instrumentis spermaticis : possunt enim probari, curari, aut exscindi ob corporis sanitatem et salutem, eò quòd sint ejus partes, de quibus proinde sicut et de aliis membris disponi potest, prout expedit saluti individui. At verò semen non est pars corporis nec propter illius bonum institutum, sed duntaxat sobolis causâ. Neque medicamento detrahi potest eo modo quo bilis, pituita, et melancholia subduci possunt, nempe absque libidinis æstu : expellere autem non licet semen eo actu et impetu quem natura fecit illi proprium ; quia hic solius sobolis causâ est institutus : unde nec à medicis potest præscribi pharmacum eo fine ut naturam ad illius emissionem per impetum et vibrationes excitet.

Ad confirmationem respondet D. Thomas, 2-2, q. 153, art. 3, ad 2, quòd sicut Apostolus dicit 1 ad Corinth. 6, contra luxuriam loquens : *Empti estis ; retio*

magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro. Ex eo ergo quòd aliquis inordinatè suo corpore utitur per luxuriam, injuriam facit Deo, qui est principalis dominus corporis nostri; et ut dicit August., Deus hoc jussit et præcepit ne per illecebras et illicitas voluptates corruat templum ejus, quod esse cœpisti. Quare non potest homo uti membris suis, ut vult; quia ipse non est dominus naturalium suorum totaliter, sed ratio sui dominii in ordine ad finem, ei præstituta est à naturâ naturæque auctore. Dictat siquidem naturale jus in nobis, non quodlibet, sed ut decet homini concessum esse proprii corporis usum, ut benè exponit Cajetanus ibidem. Igitur uti illis membris et instrumentis extra ordinem et intentionem auctoris naturæ, nempe extra actum matrimonialem, de se et intrinsecè est malum. Ex his constat falsum esse quod quidam recentiores asserunt, nempe licitum esse directè procurare expulsionem seminis corrupti, etsi adsit periculum simul expellendi semen non corruptum: tum quia non potest satis constare de corruptione seminis, tum quia quoties homines sentirent magnum pruritum, sæpiùs sibi persuaderent id provenire ex semine corrupto, ideòque licitum esse illud expellere, sicque pateret via infinitis peccatis; tum quia periculum effusionis veri seminis ac venereæ delectationis hunc actum reddit prorsùs illicitum.

Non negamus tamen esse licitum sumere medicinam, absque magnâ commotione spirituum ordinatorum ad pollutionem et absque illius periculo, resolventem semen in sanguinem aut in alium humorem: id enim non est effusio seminis, nec proinde contra naturam generationis. Neque asserimus esse peccatum, si adhibitâ aliquâ medicinâ utili et proportionatâ morbo alicujus infirmi, sequatur effusio seminis nullatenùs prævisa, neque intenta directè aut indirectè: ita ut medicina nullatenùs fuerit assumpta ut medium ad indirectè etiam expellendum semen cum aliis humoribus, sed omninò casu et per accidens respectu operantis contigerit, nullusque adsit consensus in delectationem, cùm tunc sit omninò involuntaria, naturalis et physica: aliàs ab omni pharmaco calido, et obsonio flatulento abstinendum esset. Quamvis uxor post coitum non teneatur anxia diùque resupina manere in lecto ut semen receptum conservet, maximè cum gravi suo incommodo, si tamen statim mingat, aut saltet, aut alio modo conetur illud expellere, peccat mortaliter, hoc intendens.

§ 1. *Quandonam pollutio censeatur voluntaria et peccaminosa in suâ causâ.*

Certum est pollutionem naturaliter et ex se provenientem ac involuntariam, et displicentem, non esse peccatum, cùm omne peccatum sit voluntarium. Quare sermo est duntaxat de pollutione voluntariâ. Aliquid autem potest esse voluntarium dupliciter, uno modo directè et in seipso, dùm scilicet aliquis illud vult, intendit et procurat, v. g., vult dormire. Altero modo indirectè in suâ causâ tanquàm effectus ab illâ consecutus, ut dùm aliquis vult benè comedere et bibere, quæ sunt causa somni, quamvis fortè non id faciat ad dormiendum. Sic pollutio est voluntaria primo modo, quando est procurata ex intentione et de industriâ, aut quando ex se venienti consensus præbetur. Tota difficultas consistit in secundo modo explicando, nempe quandonam pollutio secundùm causam tantùm habeat rationem voluntarii. Constat enim quòd quando pollutio secundùm se non est volita, sed displicet, sive in somno, sive in vigiliâ accidat, solùm potest tantam habere rationem boni vel mali, quantam in suâ causâ sortitur, cùm in eâ tantùm consistat moralitas. Unde si causa pollutionis fuerit peccatum mortale, ipsa quoque inde secuta erit mortalis; et venialis tantùm, si causa sit venialis. Quod tamen solùm intelligendum est de causâ veniali duntaxat defectu plenæ deliberationis, et non quia est circa materiam levem, quæ secundùm se venialis est, quamvis perfectè libera et plenè voluntaria: tunc enim pollutio inde sequens erit etiam plenè voluntaria proindeque mortalis: sicut homicidium quod consequitur ex ebrietate veniali, ut docet Cajet., 2-2, quæst. 150, art. 4. Tandem si causa omni prorsùs careat culpâ, pollutio erit inculpabilis, dummodò absit consensus et complacentia in delectationem.

Ad hoc voluntarium indirectum ut imputetur voluntati ad culpam, tria requiruntur. Primum, quòd quis possit liberè omittere illam actionem et occasionem quæ dat causam pollutioni. Secundum, quòd debeat et teneatur ab illâ divertere. Tertium, quòd non omittat, prout colligitur ex D. Thomâ, 1-2, quæst. 6, art. 3, in corp. Si enim quis possit et debeat illud opus non facere et spontè absque necessitate et rationabili causâ illud eligat, prævidens aut prævidere debens, tum ex circumstantiis, tum ex temperamento proprio, tum ex his quæ jam expertus est, certò aut probabiliter secuturam inde pollutionem, procul dubio censetur voluntaria et culpabilis in causâ, etiamsi non fuerit intenta. Sic enim foret etiam directè et in se voluntaria, de quo voluntario non est sermo in præsenti; loquimur enim de pollutione solummodò quatenùs continetur in causâ, quæ à liberâ voluntate pendet, et totum peccatum consistit in libero consensu in causam seu in ratione voluntarii in ipsâ causâ.

Quando causa est de se turpis, ad luxuriam directè spectans et per se influens in pollutionem, cujusmodi sunt cogitationes morosæ, tactus et aspectus obscœni, oscula, verba turpia, lectura librorum obscœnorum, conversationes inhonestæ cum personis diversi sexûs, et alia hujusmodi; tunc illi qui vanè, ob curiositatem, et adhuc magis si ex libidine, absque necessitate, utilitate, et honestâ ac rationabili causâ voluntariè manent in iis actionibus sibi commotiones et titillationes carnis ingerentibus, cùm possint et debeant tales occasiones tollere, inciunt in pollutionem voluntariam, et peccaminosam esse constat. Idem dicendum de distillatione aut commotione spirituum vitalium generationi deservientium, si tunc contingat, nisi fortè inadvertentia excuset. Ratio est, quia volendo illas illicitas periculosas et sibi notas causas pollutionis propriæ, convincuntur velle cul-

pabiliter ipsam pollutionem, tanquàm effectum naturaliter ex ipsis provenientem, cùm earum volitio in his circumstantiis sit in virtute volitio hujus effectûs, utpote causæ propinquæ et proximæ illius, quatenùs secundùm se et sub ratione delectabilis præcisè assumuntur et continuantur.

Quando verò causa non assumitur ut delectabilis, nec præcisè secundùm se, sed ut medium ad finem honestum, seu quatenùs secundùm se est licita, officio vel pietati consentanea, aut necessaria, ut audire confessiones feminarum, legere has materias, et de his cogitare ad concionandum, docendum, scribendum, loqui cum muliere ex causâ omninò necessariâ, aut eam curare in verendis, etc.; tunc si inde pollutiones per accidens et contra voluntatem eveniant, non censentur voluntariæ etiam indirectè, proindeque nec culpabiles. Hinc doctores et confessores vacantes cogitationibus, vel auditionibus operum turpium intuitu pietatis; item medici et chirurgi, modestè et necessitate curantes feminas non peccant, subsequentibus corporalibus commotionibus, distillationibus et pollutionibus, dummodò non consentiant, nec periculum probabile consentiendi sibi parent. Ratio est, quia licet possint, non tamen tenentur nec debent se subtrahere ab operibus sanctis, charitativis et necessariis, propter hujusmodi corporis commotiones, quæ sequuntur ex necessitate materiæ, et proveniunt contra imperium rationis, ac in hoc potiùs patiantur quàm agant. Ut enim ait Cajetanus opusc. 16, *nullus artifex debet omittere inchoationem aut prosecutionem operis propter defectus consequentes ex necessitate materiæ: stultè siquidem aliquis omitteret constructionem serræ aut gladii ex eo quod rubiginem contrahant, propterea quòd ex ferro fiunt, et sic de aliis. Pollutiones autem et stimuli carnis in proposito contingunt ex necessitate materiæ; ex eo enim quòd materia venerea est repurganda, lavanda, disputanda, prædicanda, cogitanda, exinde naturali sequelâ oritur commotio corporis*, etc. Hæc Cajetanus.

Subditque quatuor hîc animadvertenda. Primum in mente, ne scilicet ex auditione hujusmodi multiplicetur tentatio in mente: aliud est enim tentari in mente, et aliud in carne tantùm: hæc enim ex necessitate materiæ provenit, et contra voluntatem sustineri præsupponitur; illa autem ad voluntatem currit, et ad consensum trahit. Si enim aliquis ex his periculo consensûs proximus fit, omittere debet tam inchoationem quàm prosecutionem, quoniam ad mortale peccatum nullâ ratione properandum est. Secundum in imaginatione, ne scilicet timeat commotiones carnis; quoniam sicut imaginatio lapsûs pedum, facit labi, eò quòd excitet motum circa partes imaginatas: ita imaginatio hujusmodi commotionum, quæ magna est in timentibus, causat illas, evenitque actualiter timentibus, ut unde credunt obviare commotionibus, inde excitent, et hoc dicit de timore habente pro objecto hujusmodi commotiones. Timor autem habens pro objecto Dei offensam cum elevatione ab imaginatione talium, valdè juvat contra tales commotiones. Unde hi confessores quantùm possunt de his commotionibus non cogitent quamvis sentiant, ipsa enim cogitatio in causâ est. Tertium in ore, ne superfluas faciant interrogationes in hâc materiâ, et quantùm possunt celeriter hæc pertranseant: agentia namque naturalia magis videntur agere ex morâ quàm ex magnitudine virtutis. Quartum demùm in corpore, ne putent omnem fluxum humoris esse seminationem: est enim præter urinam et semen, tertius quidam humor qui ex calefactione seu ex inflammatione carnis fluit, de quo si eum rebellionis carnis non veniret, non magis curandum esse videtur quàm de sudore; ratione tamen tentationis cavendum est.

Si tamen hâc de causâ isti subeant probabile periculum consentiendi deliberatè hujusmodi commotionibus, etc, ut sæpè contingit iis qui sunt ad hæc naturâ suâ proni, curiosi venereorum indagatores, confessiones et confabulationes mulierum affectantes, malè dispositi et quâdam prurigine moti ista audiendi, nec unquàm tales interrogationes faciendi satiati, petulantes, etc., cùm sibi et aliis laqueum parent, arcendi sunt ab hoc officio, nec absolvendi donec desistant aut resipiscant, tanti sacramenti injuriosi et impii profanatores, mundissimo Christi sanguine conscientias non lavantes nec dealbantes, sed inquinantes et denigrantes, et ex antidoto venenum conficientes. Unde sunt in malo statu, nonnisi infelicem exitum coram Deo et hominibus sortiuntur, et de malo in pejus usque in abyssum et turpitudinis profundum, Deo sic permittente, experientiâ teste prolabuntur.

Imò etiam illi qui non sic malè affecti ad confessiones audiendas accedunt, neque in ipso tribunali venerea effodiunt sicut effodientes quasi thesaurum: si tamen ita sint fragiles, ut hâc de causâ se conjiciant in probabile periculum deliberatè consentiendi hujusmodi voluptatibus, tunc habitâ de hoc experientiâ, non tenentur nec debent, impellente etiam prælato, confessiones mulierum excipere: *Qui enim amat periculum peribit in illo;* et nemo tenetur saluti proximi incumbere cum tanto propriæ salutis dispendio, et cùm possit et debeat desistere ab illâ causâ ad impediendum talem effectum, si non omittat, pollutio inde sequens illi imputatur ad peccatum, utpote voluntaria saltem indirectè, maximè si non sit parochus, nec ex officio, nec ex necessitate teneatur audire confessiones mulierum, sed ex charitate tantùm, quia prima charitas incipit à seipso. Et licet quidam velint non esse illicitum parocho tali periculo se exponere, mihi tamen dicendum videtur quòd si frequenter et ut plurimùm solitus sit in hæc peccata incidere, tenetur aut officium deserere, aut alio modo providere. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Nonne et alii tenentur officia deserere quandò sine scandalo et pernicie animæ propriæ ea exercere nequeunt?

Cautè igitur, et nonnisi ex charitate et necessitate confessiones, præsertim feminarum excipiant, cum ipsis de hujusmodi tentationibus breviter se expediant, ac succinctè loquantur, in quantum præcis e

opus est ac sufficit ad speciem et numerum hujusmodi peccatorum indagandum et cognoscendum, ne instar panni mundi inquinentur ipsi, dùm aliorum maculas abstergunt: qui enim profundè tetigerit picem inquinabitur ab eâ. Animam suam disponant et præparent petendo à Deo ut cor mundum creet, et Spiritum rectum innovet in visceribus suis.

Idem cum proportione dicendum de medico et chirurgo aliisque similibus, et de iis qui in itinere ex necessitate suscepto nec commodè valentes pedestres incedere, coguntur equitare, et ex agitatione equi patiuntur pollutionem, dummodò non se componant nec moveant ad eum finem, vel non subeant periculum consensûs in eam, sed ipsis displiceat. Vellem tamen ut dùm graves commotiones sentiunt, paululùm sisterent, aut cursum equi alio modo temperarent et moderarent, donec æstus concupiscentiæ aliquantulùm sedarentur, si hoc commodè fieri posset, mentemque in Deum elevarent ac ad orationem recurrerent, aliove modo istam tentationem expellerent, et vincerent. Idem faciendum censeo ab illis qui ex osculo et amplexu licito juxta patriæ consuetudinem patiuntur involuntariè carnis commotiones, et versantur in periculo pollutionis. Imò si tunc malè se affectos sentiant et prævideant subesse periculum consensûs, ab iis omninò abstinere, aut aliâ viâ huic periculo occurrere, tenentur; aliàs non sunt absolvendi.

Quidam excusant à mortali pollutionem provenientem ob superpositionem unius femoris in aliud ob commoditatem, ob talem cubitum et situm in lecto ad commodiùs quiescendum, ex quo oriuntur commotiones, ex appositione manuum circa verenda ad eas in lieme calefaciendas, ex fricatione pudendorum factâ ad sedandum magnum pruritum. Quia istæ causæ sunt ex suâ naturâ licitæ, fiuntque ex necessitate aut utilitate, et effectus in eis prævisus sequitur per accidens, præter intentionem, et absque consensu in delectationem, ut supponunt.

Verùm esto quòd hujusmodi actiones sint secundùm se et physicè licitæ, malè tamen infertur quòd hîc et nunc licitè exerceri possint quando prævidetur eas inducere periculum pollutionis: nam et tactus etiam turpes de se in conjugatis sunt liciti, et tamen cum isto periculo non licent, et pollutio inde orta et prævisa est mortalis; neque hæ actiones sunt tam necessariæ quin imminente isto periculo omitti, aut saltem suspendi et differri paululùm in aliud tempus sedatæ commotionis possint et debeant.

§ 2. *De pollutione nocturnâ, an et quando sit peccatum.*

D. Thomas de hoc expressè tractat, 2-2, q. 154, art. 5; et 3 p., q. 80, art. 7; et in 4 Sent., dist. 9, q. 1, art. 4, q. 1, in corp.; et dist. 33, q. 3, art. 1, in corp., et inprimis statuit quòd pollutio in dormientibus nequit esse voluntaria et peccaminosa secundùm se, eò quòd tunc ratio sit ligata, nec habeat liberum judicium ad discernendum et reprimendum tales commotiones, quo sublato tollitur ratio peccati, ut constat in amentibus et furiosis. Unde solùm potest esse voluntaria indirectè et per comparationem ad suam causam, nempè tanquàm sequela peccati præcedentis. Triplex autem illius potest esse causa. Quandoque enim provenit à causâ extrinsecâ spirituali, scilicet ex dæmonum illusione, puta cùm ex ejus operatione commoventur phantasmata dormientis in ordine ad talem effectum; et hoc quidem quandoque est cum peccato præcedenti, scilicet negligentiâ præparandi se contra dæmonis illusiones, quæ potest esse et mortale et veniale peccatum, quandoque absque ullo peccato hominis, ex solâ nequitiâ dæmonis, etc.

Aliquando pollutio in somnis potest provenire ex causâ corporali interiori, ut ex superfluitate, sive debilitate naturæ, sive etiam ex superfluitate cibi et potûs: dùm enim humor seminalis abundat in corpore, etc., somniat dormiens ea quæ pertinent ad ejus expulsionem, sicut etiam contingit dùm natura gravatur ex aliquâ aliâ superfluitate. Si igitur abundantia hujus humoris seminalis sit ex causâ culpabili, puta ex nimio potu et cibo, aut ex comestione ciborum calidorum, etc., tunc nocturna pollutio habet rationem culpæ ex suâ causâ, quæ potest esse venialis vel mortalis. Si verò resolutio talis humoris non sit ex causâ culpabili, ut cùm ex debilitate vel superfluitate oritur, tunc omninò culpâ vacat. Unde et quidam etiam vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur, et quidam etiam timore nimio correpti et pavore, sentiunt aliquando seminis fluxum. Tandem aliquando causa nocturnæ pollutionis potest esse animalis interior, scilicet dùm ex præcedentibus cogitationibus in vigiliâ habitis contingit aliquem dormientem pollui. Tunc si cogitationes venereæ fuerint purè speculativæ, puta cùm aliquis causâ disputationis cogitur de peccatis carnalibus cogitare, sine concupiscentiâ tamen et delectatione, non sunt immundæ, sed honestæ, et pollutio inde sequens non est peccatum. Si verò sint cum concupiscentiâ et delectatione absitque consensus, sunt lethale peccatum, sicut et pollutio cujus sunt causæ. Hactenùs D. Thomas, subditque frequentiùs peccatum mortale accidere circa turpes cogitationes propter facilitatem consensûs, quàm circa sumptionem cibi et potûs.

Cajetanus, tom. 1 opusc. 16, docet quòd quando pollutio à causâ tantùm desumit omnem suam moralitatem, seu rationem boni aut mali, omninò peccat accidens se habet, quòd contingat in somno et in vigiliâ, ac per hoc si in somno non sit peccatum, neque in vigiliâ erit culpa, id enim nihil refert.

Et 2-2, q. 154, art. 5, dicit quòd licet homo per se loquendo nequeat in somno, peccare quando utitur somno ut somno, quia non utitur imperio rationis nec est dominus suarum actionum, per accidens tamen peccare potest lethaliter, quando utitur somno tanquàm instrumento suæ malitiæ ad eam exequendam, non imperativè, sed executivè, puta si per nimiam comestionem, aut ciborum calidorum ad luxuriam excitantium, aut vini generosi potum, aut per situm in lecto, aut per somnum aliudve, studiosè et ex in-

tentione daret operam ut sequatur inde pollutio, etiamsi faceret non ob delectationem, sed ad naturæ alleviationem vel sanitatem, etc., perinde lethaliter peccaret, ac si hoc modo pollutionem procuraret in vigiliâ. Ita quòd iste peccatum inchoat elicitivè ac imperativè in vigiliâ et consummatur per instrumentum somni executivè in ipsâ pollutione, eo modo quo actus exterior in executione est peccatum; sic etiam mulier quæ ideò obdormivit, ut à consanguineo tunc cognoscatur, rea est incestûs, et virgo virginitatem perdit, si ab eo dormiens cognoscatur : electus est enim somnus ut medium conveniens ad perpetrandum peccatum.

Quandò verò pollutio non habet somnum pro instrumento et executione, tunc solùm esse potest sequela præcedentium peccatorum, et de eâ judicandum est secundùm bonitatem aut malitiam suæ causæ, eo modo quo dictum est § præcedenti de pollutione voluntariâ in causâ tantùm contingente in vigiliâ. Potest autem in dormientibus tripliciter accidere : primò ita ut tota sit in somno : et tunc nisi eligatur somnus ut instrumentum et medium ad illam, non est peccatum si causa non sit culpabilis, cùm in se nullum sit peccatum. Secundò, aliquando inchoatur in somno, seu commotio corporis fit in eo, et pollutio contingit tota in vigiliâ. Tertiò quando emissio seminis partim fit in somno, et partim in vigiliâ. Et hoc secundo ac tertio modo aliquando nullum est peccatum, aliquando solùm veniale, et aliquando mortale. Si enim ante plenam suscitationem aut libertatem, nempe in semi expergefactis accidat, non est peccatum mortale, eò quòd non sit sufficienter voluntaria defectu pleni judicii, quamvis aliquam delectationem sensualitatis habeat, imperfectam tamen et indeliberatam, erit tamen venialis ratione illius delectationis sensualis. Si autem tota contingat quando homo est plenè suscitatus ac liber, et libidinosæ delectationi consentiat, tunc est peccatum mortale : si verò absit omnis consensus et complacentia, imò positivè displiceat, tunc non est culpa, sed meritum. Vide D. Thom. in 4, dist. 9, p. 1, art. 4.

Non tenetur quis pollutionem in somno inchoatam, dùm est in naturali fluxu, evigilans reprimere, tum quia cœpit involuntariè et sine peccato; continuatio verò illius est effectus naturalis illius causæ inculpabilis; tum quia non potest ejus cursum impedire, aut si posset, id noceret ejus sanitati. Quare tunc potest illum permittere, cessante periculo consensûs in delectationem libidinosam : imò auctores tanquàm expediens consulunt ut iste evigilans manibus junctis, quietus maneat, non hìc vel illìc tangendo, aut se movendo, sed merè passivè se habendo, Deum ferventer ac devotè exoret, ne permittat lapsum in consensum libidinosum, etc. Idem videtur dicendum dùm in somno aut absque complacentiâ semen è lumbis jam decisum est et currit ad extra fluendum totaliter in vigiliâ. Satiùs tamen foret, ut dùm sentit graves commotiones et prævidet futuram pollutionem, signo crucis se muniret, è lecto surgeret, genuflexus, Deum exoraret, acu aut ungue seipsum pungeret, ut illo parvo cruciatu delectationem retunderet ac consensum impediret. Sotus in 4 sent., dist. 12, q. 1, art. 7, docet quòd si quis in vigiliâ causam daret pollutioni futuræ in somno, sed tamen antequàm dormiret eum facti legitimè pœniteret et retractaret, pollutio in somno subsequens non esset peccatum, eò quòd causa fuerit intercisa et retractata, abfueritque omninò consensus in delectationem, ut suppono. Addit quòd si ante dormiendum, de hoc se accusàsset in confessione et absolutionem recepisset, subsecutâ pollutione postea in somnis, tutius esset aliam confessionem facere ad expressiorem culpæ explicationem, quia per facti contingentiam apertiùs constat quanta fuerit culpa præcedens.

§ 3. *De aliis ad mollitiem pertinentibus.*

Quæres primò, an homo possit licitè desiderare ut sibi dormienti contingat pollutio per solam viam naturalem, nullam ad id causam præbendo, et de eâ sic habitâ postea gaudere, utrumque ob bonum finem, scilicet ut allevietur natura, vel sanitas obtineatur, vel ut sedentur carnis tentationes, etc., non tamen eam efficaciter volendo aut procurando, neque illam desiderando ex complacentiâ libidinis : sic enim esse peccatum, nemo dubitat. Sotus loco citato docet non licere, citatque Paludanum et Adrianum quibus adjungendi sunt Corduba, Bartolom., Medina et alii; probat Sotus ex illâ communi regulâ, quòd quando actio ob ignorantiam vel aliam causam excusatur à culpâ, consensus in eam actionem non est licitus nisi eadem causa excusans inveniatur et concurrat simul cum consensu. Sic enim Jacob licitè consentire potuit in delectationem et opus, quamdiù per ignorantiam putabat Liam esse suam : sublatâ verò ignorantiâ, consensus in eam non excusaretur, quia liber et ex proposito jam ferretur in rem genere suo illicitam. Quare ignorantia quæ excusabat factum, seu fornicationem, jam non excusat consensum. Sic etiam furiosus occidendo hominem non peccat, neque in furiâ et amentiâ consentiendo in occisionem præteritam, eò quòd defectus judicii in utroque inveniatur, proinde et consensum à peccato excuset. Secùs si in lucido intervallo desideret occidere hominem in amentiâ sequente, aut eâ transactâ de homicidio perpetrato deliberatè sibi complaceat. Cùm ergo somnus, qui est causa excusans, tunc non concurrat, quando iste complacet de pollutione naturali in somno habitâ, ista complacentia nequit esse licita.

Cajetanus verò, 2-2, q. 154, art. 5, D. Antoninus, 2 p. tit. 6, cap. 5, Navarrus in Man. c. 16, num. 7, Sylvester, Angelus, Sayrus, Lopez, Toletus, et alii communiter affirmant id non esse peccatum. Probat Cajetanus, quia pollutio sic simpliciter desiderata non habet somnum pro instrumento, ac per hoc non est executio imperii, sed objectum desiderii, et affectus cum eventu in rerum naturâ; nec est voluntaria in suâ causâ, quoniam simplex desiderium non est causa rei desideratæ. Unde propriè loquendo non est volun-

taria, sed volita : voluntarium enim significat quod est à voluntate efficaciter, volitum verò quod est simpliciter ejus objectum. Hìc autem sumitur tantùm pro desiderio, quod ut supponimus, nullo modo est causa talis pollutionis, quæque non procedit ex aliquo motivo libidinis, sed ex bono fine jam relato. Cùm igitur ista pollutio nec in se, nec in causâ sit mala et illicita, ita nec ejus desiderium simplex, et complacentia ob bonum finem erit peccatum, quia hi actus voluntatis, ex objecto sortiuntur speciem et moralitatem.

Confirmatur; nam D. Thomas in 4 Sent., dist. 9, q. 1, art. 4, q. 1, ad 5, ait, quòd complacere sibi de pollutione præteritâ ut est naturæ alleviatio et exoneratio, peccatum non est; proindeque et desiderare simpliciter quòd hoc modo naturaliter eveniat, non erit illicitum. Nam inter ista duo nulla est differentia quantùm ad hoc, nisi quòd desiderium posset esse causa pollutionis. Hìc autem supponimus nullatenùs eam causare, nec procuratam esse, sed naturaliter evenientem; falsumque est dicere quòd omnes qui aliquid desiderant, illud procurent; et quòd liceat procurare, quidquid licet desiderare. Nam possumus in aliquibus casibus mortem propriam aut alienam optare, quam tamen nunquàm licitum est procurare. Item medicus optare potest ut eveniat pollutio infirmo, sine nullâ delectatione, consensu, et peccato, ob sanitatem illius; et tamen non licet eam procurare, etc.

Ad fundamentum Soti, videtur disparitas esse inter fornicationem et pollutionem, quòd nulla unquàm contingere potest fornicatio cognita et exercita ut talis, quæ non sit de se semper mala et illicita : atverò pollutio naturaliter proveniens absque ullâ procuratione et consensu in libidinem, non est mala, sicque etiam cognita ut talis est, potest desiderari ob bonum effectum. Respondeo tamen ad quæstionem supra positam, quòd quamvis hæc secunda sententia sit probabilis, tutius tamen et securius foret gaudere potiùs de effectu salutari, quàm de ipsâ pollutione ob eum etiam finem et effectum, ita ut desiderium et complacentia non tam feratur in ipsam pollutionem quàm in sanitatem corporis inde subsecutam : aut non complacere de actu, sed de hoc quòd sine peccato contigerit, bonumque effectum protulerit. Nec enim D. Thomas loco citato absolutè videtur determinare hanc complacentiam esse licitam, sed tantùm ad hoc inclinare dùm dicit : « Si autem pollutio placeat, ut naturæ exonera- « tio vel alleviatio, peccatum non creditur. » Nihilque de desiderio præcedenti dixit, quia fortè sensit esse periculosius quàm gaudium consequens, eò quòd istud desiderium inducere possit ad procurandam pollutionem : secùs verò complacentia subsequens ob illum bonum effectum, unde dicit quòd licet complacentia de delectatione pollutionis sit peccatum in se, non tamen facit illam præteritam pollutionem esse peccatum, quia illius causa non est.

Quæres secundò an et quando nocturna pollutio impediat sumptionem Eucharistiæ. D. Thomas 3, p., q. 80, art. 7, resolvit hanc quæstionem dicens quòd quando pollutio est peccatum mortale, aut illud habet annexum, quatenùs scilicet est culpabilis in causâ, tunc de necessitate impedit sumptionem Eucharistiæ, puta quando fit ex illusione dæmonum, si hæc illusio accedat ex lethali negligentiâ præparationis ad orationem et devotionem. Quod quidem verbum, ait Sotus, in 4 Sent., dist. 12, q. 1, art. 7, est maximè notandum. Nam quamvis ei qui nunquàm illas dæmonum illusiones sensit, non imputetur ad culpam, quòd non se adversùs illas communiat, qui tamen illis divexari solet, tenetur se precationibus atque aliis remediis coarmare, et nonnunquàm corpus macerare : quare tanta potest ingruere necessitas tantaque esse negligentia, ut sit lethale crimen ; cujus utique certa regula constitui non potest, sed est vir prudens consulendus. Item quando pollutio provenit ex lascivis cogitationibus, si sint cum delectatione et consensu, saltem in die aut vigiliâ habitæ, vel dùm cogitans sensit periculum easque positivè non reprimit, tunc enim est delectatio morosa et peccatum mortale. Tandem quando oritur ex nimio potu et cibo, si ille actus fuerit mortalis aut prævisus, aut liberè assumptus ad hunc finem est peccatum mortale, quamvis illud frequentiùs accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensûs quàm circa sumptionem cibi et potûs; unde D. Gregorius dicit tunc cessandum esse à communione, etc.

An autem, si iste pollutus conteratur, possit ad sacramentum Eucharistiæ accedere, aut adhuc debeat ex necessitate abstinere, D. Thomas loco citato ad 4 ait, quòd licet per contritionem et confessionem auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, et distractio mentis ex pollutione consecuta. Ubi videtur sentire quòd etiam si iste mane ad sacramentum confessionis accesserit, adhuc illâ die à sumptione Eucharistiæ ex necessitate abstinere tenetur. Sotus tamen ubi supra, contrarium docet, et probat ex illo Apost. : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.* Cùm ergo iste se probaverit et absolutionem receperit, non tenetur ex necessitate abstinere. Deinde D. Thomas asserit quòd sola culpa mortalis impedit ex necessitate : iste homo autem cùm sit jam Deo reconciliatus, caret mortali culpâ, quâ sublatâ per pœnitentiam habet gratiam, solùmque remanet corporalis immunditia et mentis distractio, quæ juxta D. Thomam solùm ex decentiâ et congruitate à communione impediunt. Nihilominùs sine aliquâ urgente vel honestâ causâ, eâ die ad Eucharistiam accedere, non parva censetur irreverentia et temeritas. Porrò hæc necessitas vel causa judicanda relinquitur arbitrio prudentis confessarii, puta quia est dies festus, et hìc sacerdos habet supplere pro alio, aut requiritur ejus Missa, aut sacrista vel superior instant ut celebret; aut si sacrum omitteret, scandalum vel infamia oriretur, etc.

Docet præterea D. Thomas quòd, *quando pollutio fuit immunis à peccato, vel tantùm venialem culpam habuit annexam, non impedit communionem ex necessitate, sed solùm ex quâdam decentiâ et congruitate propter corporalem fœditatem, cum quâ propter reverentiam*

sacramenti, non decet ad altare accedere, unde et volentes tangere aliquid sacrum, manus suas lavant. Secundum est evagatio mentis quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi imaginatione contingit. Porrò istud impedimentum quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta, ut Gregorius dicit, cùm fortassè aut dies festus exigi., aut exhibere ministerium pro eo quòd sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit. Hæc D. Thomas.

Et ibidem ad 3, ait quòd coitus conjugalis, si sit sine peccato, puta si fiat ratione causæ generandæ prolis, vel causâ reddendi debitum, non aliâ ratione impedit Eucharistiæ sumptionem, nisi scilicet propter immunditiam corporalem, et mentis distractionem, et refert D. Hieron. dicentem quòd si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant comedi non poterant, quantò magis, etc.? Sed quia hoc secundùm congruitatem et non secundùm necessitatem est intelligendum, Gregorius dicit quòd talis suo judicio est relinquendus. Si verò amor non procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere, ut ibidem Gregorius subdit, tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc sacramentum. Hactenùs D. Thomas. Non tamen sic intelligas quòd tunc sit peccatum lethale accedere, si non præcessit mortale in opere cujus reatus manet, ut explicat Sotus : idem sentit Sylvester, v. *Eucharistia*, 3, q. 11, ubi citat B. Alb. Mag. P. de Palude maximè, si ex devotione, quam magnam sentit, se ingerat, sitque dies festus, aut aliqua necessitas communicandi; requirat tamen circa hoc judicium prudentis confessarii, ejusque dictis stet conjux.

Quæres tertiò an pollutiones sint ejusdem speciei. Resp. ex dictis juxta Cajetanum, per se loquendo esse ejusdem speciei si secundùm se sumantur : per accidens tamen posse esse diversæ speciei, ratione circumstantiæ adjunctæ habentis diversam specie malitiam. Nam si quis se polluendo habeat delectationem morosam, vel desiderium alicujus personæ solutæ, aut conjugatæ, aut consanguineæ et affinis, aut voto obstrictæ, ultra malitiam pollutionis contrahit culpam juxta qualitatem personæ, idemque dicendum de propriâ polluti personâ; proindeque juxta omnes auctores, id in confessione explicandum erit. Item si id operetur cum alio, debet in confessione aperire intentionem seu finem et qualitatem personæ cum quâ vel cujus ope facta fuit pollutio, non servatâ debitâ circumstantiâ sexûs, aut vasis debiti absque concubitu. Item si alium induxit ad hoc faciendum, vel si tunc alium polluerit, etc.

Quæres quartò, quomodò se gerere debeat confessarius circa pœnitentes huic peccato assuetos. Respondeo, quòd cùm facilè labantur, semper in seipsis occasionem et facilitatem peccandi habentes, confessarius magnâ cautelâ uti debet circa ipsos, suspendendo absolutionem, quousque signa resipiscentiæ videat, monendo interim ut occasiones tentationum fugiant, cibis calidis et flatuosis non utantur, carnem jejuniis aliisque afflictivis doment, dùm ejus titillationes sentiunt, illicò genuflectant, ad orationem recurrant, manusque junctas teneant, nec moveant quousque sedatas illas tentationes sentiant. Tandem pœnitentias purgativas medicinales ipsis imponendo, puta ut non bibant vinum, aut catenam ferream circa lumbos constrictam gerant, aut jejunent, aut alia similia faciant illâ die, quâ continget pollutio voluntaria.

ARTICULUS II.

De amplexibus, tactibus, et osculis libidinosis.

Docet divus Thom., 2-2, quæst. 154, articul. 4, quòd *aliquid dicitur esse peccatum dupliciter : uno modo secundùm suam speciem : et sic osculum, amplexus, vel tactus secundùm suam rationem non nominant peccatum mortale; possunt enim fieri absque libidine, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam. Alio modo aliquid dicitur esse mortale, ex suâ causâ, sicut ille qui dat eleemosynam ut aliquem inducat in hæresim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam. Dictum est autem supra quòd consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, et non solùm consensus in actum : et ideò cùm fornicatio sit peccatum mortale et multò magis aliæ species luxuriæ, consequens est quòd consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale, et non solùm consensus in actum. Et ideò cùm oscula et amplexus hujusmodi propter delectationem hujusmodi fiant, consequens est ut sint peccata mortalia, et sic solùm dicuntur libidinosa; unde quatenùs libidinosa sunt peccata mortalia. Et certè minùs est aspectus libidinosus quàm tactus, amplexus, vel osculum; sed aspectus libidinosus est peccatum mortale, juxta illud Matth.* 5 : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo? Ergo multò magis osculum*, etc. Hæc D. Thomas.

Ubi D. Thomas declarat oscula, tactus, et amplexus honestos causâ amicitiæ, pacis, salutationis, vel in signum benevolentiæ juxta patriæ consuetudinem, absque peccato fieri posse; servandum tamen decorum, et cavendum scandalum : non enim decet viros ecclesiasticos maximè religiosos hoc modo testari amicitiam honestam erga feminas. Addunt multi delectationem naturalem secundùm tactum, inde consequentem, non esse omninò illicitam, cùm licitum sit delectari de amicitiâ, proindeque de ejus signo, nempe osculo : inde non est peccatum deosculando puerorum carnes molles, sentire illam delectationem naturalem, dummodò non insurgant motus sensualitatis, nec sit periculum consensûs in illos. Duplex enim ex osculis et tactibus delectatio percipi potest : prima est naturalis, consistens in quâdam proportione et conformitate rei tactæ cum organo tactûs aut visûs; altera sensibilis quæ sentitur in carne cum quâdam commotione et libidine; et hæc est quidem illicita, non verò prima, saltem in prædictis casibus.

Verùm hæc res debet esse solliciti plena timoris, cùm ex illâ delectatione facilis sit transitus ad aliam; et periculum consensûs in ipsam delectationem sensualem, quæ percipitur ex osculis et amplexibus, satis superque immineat.

Docet insuper D. Thomas quòd oscula et alia hujusmodi quatenùs libidinosa, sunt peccata mortalia. Certum est autem libidinosa esse, secundùm D. Thomam, quando fiunt inter non conjuges causâ delectationis concubitûs, ita ut quis sibi in osculo tanquàm signo repræsentet copulam, et in eo delectetur, vel per oscula et tactus intendat alium allicere, et se excitare ad copulam. Igitur ex intentione ordinantis hæc ad opus malum, vel morosam delectationem operis mali, puta fornicationis, adulterii, etc., citra omne dubium, sunt libidinosa et mortalia, et ad unam eamdemque delectationis speciem pertinent, ad quam spectat delectatio consequens coitum quem circumstarent, si adesset. Ideòque in confessione explicandum est an conjugatam aut consanguineam, etc., aliquis deosculatus fuerit animo fruendi delectatione venereâ, aut intendendo, aut se disponendo aut sibi repræsentando copulam cum illâ; quia ad finem mortiferum hæc oscula ordinantur, aut exhibent voluptatem actûs mortiferi tanquàm præsentis, carnem commoventem ac spiritus vitales ad pollutionem excitantem.

Tota difficultas est an oscula sint libidinosa et mortalia, quando quis non intendit copulam, neque in eâ delectatur, sed solùm illam voluptatem sensibilem et carnalem, quæ ex osculo oritur, quærit, sistendo ibi, nec intendendo ulteriorem scilicet per concubitum, etiamsi facultatem haberent. Quidam censent esse solùm peccata venialia, tum quia voluptas illa videtur spectare ad parvitatem materiæ in hoc genere peccati, solùmque remotè disponere ad voluptatem mortalem quæ in concubitu est. Sicut ergo quæ remotè disponunt ad alia peccata mortalia, censentur solùm venialia in genere peccati, ut litigium quod disponit ad homicidium, ita et illa voluptas, si sit absque periculo pollutionis magnoque libidinis ardore, ut contingit in replicatis, aut humidis osculis cum morâ, et libidinosè habitis, quæ proinde sunt lethalia : secùs verò alia. Tum quia delectatio sensibilis ex aspectu pulchræ mulieris non est mortalis, nisi ex fine aspicientis ordinetur ad concubitum illicitum; unde Matth. 5 dicitur : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum;* et non dicitur, *ad delectandum visu*. Ergo idem dicendum de tactu et osculo. Tum denique quia durum est peccati mortalis illicò damnare juvenes nubiles et procos, quos passim reperies osculis et amplexibus erga puellas uti, nec sibi hi vel hæ formant peccati mortalis conscientiam, dùm non intendunt concubitum et tanquàm rem vilem ac indecoram habent, neque verecundantur hujusmodi amoris signa sibi invicem in publico coram aliis dare, nisi inde sinistram hominum opinionem timeant. Difficile planè est confessariis denegare ipsis absolutionem si ab his abstinere noluerint, eò quòd deceat illos conversari inter puellas, et cum eis familiaria colloquia habere ad ambiendum matrimonia. Quo posito impossibile moraliter est ut non figant aliqua oscula et amplexus, cum aliquâ sensibili voluptate, indeque velle damnare de lethali, esset totum ferè mundum peccatis mortalibus implere.

Verùm ex adverso stant sancti Patres; Cyprianus Epist. 62 ad Pomponium. D. Ambrosius, lib. de Fugâ seculi, cap. 1, et in Psalm. 118; et lib. 3 de Virginibus, cap. 3. D. Hieronymus in vitâ S. Hilarionis. Et Epist. 2 ad Nepotianum. Divus August., lib. 21, de Civit. Antoninus p. 2, tit. 5, cap. 1, qui addit, quòd tenendum est omninò ista esse peccata mortalia, non tanquàm opinio, de quâ aliter sentire liceat, sed tanquàm veritas ad fidem pertinens, sicut omnia quæ pertinent ad bonos mores; et qui pertinaciter assereret contrarium, esset hæreticus, quia est contra Scripturam à SS. Patribus expositam. Igitur

Dico quòd quando hi actus à non conjugatis propter delectationem sensibilem, seu ut sunt delectabiles secundùm sensum exercentur, etiam sistendo ibi, sunt peccata mortalia. Nostra conclusio definita fuit, et contraria opinio damnata ab Alexandro papâ VII, proscribente hanc propositionem 40 : *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris et pollutionis.* Quod ante damnârant D. Thomas loco citato, Cajetanus ibidem et in Summâ, v. *Impudicitia*, et v. *Osculum*, Sylvester, v. *Delectatio*, num. 5.

Prob. 1° ex D. Thomâ : oscula secundùm quòd libidinosa sunt, extra matrimonium facta, sunt peccata mortalia : atqui quando exercentur propter delectationem carnalem, seu quatenùs delectabiles secundùm sensum tactûs, etiam sistendo ibi, sunt libidinosa, cùm ista delectatio secundùm tactum sit libidinosa et claudatur intra limites venereorum, et materiam impudicitiæ quam exercentes, *regnum Dei non consequentur*, juxta Apostolum ad Galat. 5. Ergo ultra periculum imminens ulterioris consensûs, vel morosæ delectationis, vel pollutionis, adhuc ut carni sensibiliter delectabilia, constituunt mortalia peccata.

Prob. 2° ex utroque Thomâ : oscula, tactus et amplexus, dupliciter sumi possunt, primò absolutè et secundùm se : hoc autem modo non significant aliquid deordinatum, et propterea licitè fieri possunt in signum benevolentiæ, juxta morem patriæ. Secundò quatenùs sunt delectabilia secundùm sensum, et fiunt principaliter ob delectationem carnis, et hoc modo libidinosa dicuntur, suâque naturâ sunt actus circumstantes actum venerem ac coitum, juxta D. Thomam, 2-2, q. 154, art. 1, ad 5. Natura enim ut tales ordinavit ad concubitum, ideòque posuit in eis hanc sensualem delectationem, suntque signa in hominibus, sicut in animalibus futuræ vel instantis copulæ. Nam sicut tactus, amplexus, et oscula causâ amicitiæ facta, sunt signa unionis animorum et cordium, ita causâ delectationis exercita, sunt signa conjunctionis et commixtionis corporum : circumstantiæ autem actûs, ut circumstantiæ sunt, habent idem motivum, seu idem objectum moraliter quod habet actus quem circumstant, cùm sint ejusdem speciei. Sicque oscula, amplexus, et actus hujusmodi ad unam et eamdem delectationis speciem pertinent, ad quam spectat delectatio consequens coitum quem circumstarent, si adesset : et propterea sequuntur in bonitate et malitiâ

concubitum et illius delectationem, ex se et naturâ sunt sicut cæteri actus venerei, ita quòd si fiant inter sanguine junctos, pertinent ad incestum; si inter solutos, ad fornicationem, et sic de aliis. Et propterea inter conjuges venialia tantùm sunt, quia concubitus inter ipsos propter delectationem, est solùm venialis : unde nisi propter generationem fiant peccatum incurritur, ob privationem proprii finis : et si à non conjugibus exerceantur erunt peccata mortalia, sicut esset concubitus, si adesset, etiamsi illum non intendant, sed in eâ voluptate sistant. Hoc ipso enim quòd ut tales deliberatè exercere volunt, tacitus quidam eorum consensus in copulam et in illius delectationem contineri censetur.

Confirmatur : Oscula, tactus, amplexus, prout sunt actus delectabiles secundùm sensum, possunt dupliciter ordinari ad concubitum vel illius delectationem : primò ex parte operantis, et tunc consummatam perfectionem sui ordinis acquirunt. Secundò ex parte operis tantùm, quatenùs ex intentione operantis retrahuntur ab ordine ad concubitum, quem dicunt ex naturâ suâ. Atqui adhuc ex hoc secundo capite habent quòd sint actus libidinosi et mortales, inter non conjuges. Ergo, etc. Prob. min., quia consensus in delectationem carnalem istorum actuum, est consensus in illud ad quod, quantùm est in se, ordinantur à naturâ, nempe in concubitum, vel illius delectationem : cùm redeant ad naturam suæ speciei, utpote quia illam habent ex hoc quòd secundùm se referantur et ordinentur ad talem finem, et non ex hoc quòd ab operante ordinentur. Quare ex hoc quòd non referat hos actus ad finem ad quem ex se directè tendunt, non auferetur propterea ab illis quòd semper spectent ad speciem concubitûs quem circumstarent, si adesset. Cùm ergo concubitus et delectatio illius foret peccatum mortale, ita et hujusmodi actus.

Confirmatur adhuc ex dictis supra de fornicatione, nempe quòd est mala et illicita ex se et ex naturâ suâ ex hoc quòd ex fine operis, et per se sit contra debitam educationem et instructionem prolis, quamvis per accidens et ex parte operantis, quandoque huic malo obvietur, puta quia habet voluntatem et facultatem debitè educandi prolem; nam moralia per se sunt judicanda, et ex fine operis sortiuntur propriam speciem. Idem autem dicendum de osculis, amplexibus et tactibus libidinosis : sic enim ex fine operis, seu ex illiciti concubitûs delectatione, quam ex naturâ suâ semper includunt, semper sunt peccata mortalia, seu quatenùs ex naturâ operis ordinantur ad delectationem carnalem, quæ est ejusdem moris cum delectatione coitûs illiciti, utpote illius circumstantia, initium, pars, etc. Et licet ab exercente hos actus, possit auferri relatio ad concubitum et ejus delectationem futuram quantùm ad actum et executionem, nunquàm tamen auferri potest, quin ipsa quæ tunc sequitur sensualis delectatio, sit inchoatio sive pars delectationis concubitûs, et hoc modo ad illam ex se ordinetur : ac propterea semper verificatur, quòd consentiendo in delectationem horum actuum, consentiat in delectationem concubitûs : esto quòd loquendo de osculis et tactibus ac amplexibus absolutè et secundùm se præcisè consideratis, ex solâ intentione operantis, sint peccatum solummodò quando ad malum finem istos actus ordinat.

Resp. ad primum adversariorum argumentum, quòd in rebus venereis non datur parvitas materiæ : cùm enim nulla sit tam exigua fornicatio, aliave luxuriæ species quæ non sit peccatum mortale, et delectatio sequatur naturam actûs, omnis delectatio libidinosa, morosa, in his materiis est peccatum mortale. In proposito autem consensus in delectationem sensualem consurgentem ex osculis et tactibus cum non suâ, est consensus in delectationem fornicationis, quamvis non in opus, ideòque est peccatum mortale. Si enim consentiens in delectationem fornicationis cogitatæ peccet mortaliter, quantò magis consentiens in delectationem quæ est initium aut pars delectationis fornicariæ, lethalem committet culpam ? Nec censenda proinde est materia remota ad delectationem concubitûs, cùm ad eam tanquàm pars et initium proximè et directè ex naturâ suâ ordinetur, tantamque habeat vim ad libidinis ignem excitandum, præsertim in juvenibus et puellis in naturâ sanguineâ et fervente, amore insano et sensuali, ut plurimùm mutuò se prosequentibus. Resp. ad secundum cum Cajetano in Summâ, v. *Impudicitia*, non esse simile judicium de tactu et visu. Delectatio enim in visu pulchræ mulieris nullum peccatum est, nisi otiosè aut ad concupiscendum aspiciatur : ratio autem diversitatis est, quia tactus suâpte naturâ ordinatur ad concubitum; visus autem minimè. Hinc enim fit, ut consentire in delectationem sensibilem quæ est secundùm tactum sit consentire in delectationem veneream : voluntariè autem delectari de personâ quâcumque pulchrâ visâ, de se non est venereum secundùm genus suum : potest tamen fieri venereum ex affectu videntis illecti et tentati ad eam concupiscendum. Resp. adtertium. Juvenibus et puellis in hâc parte lubricâ, non esse laxandas habenas. Unde si confessarius aliquos reperiat passim vacantes tactibus, amplexibus, et osculis libidinosis, etiam sistentes in solâ delectatione carnali et sensibili, tenetur eis conscientiam peccati mortalis ingerere, illosque ab hujusmodi conversationibus arcere. Neque ob inemnda connubia in hoc parcere debet; *non enim sunt facienda mala ut eveniant bona :* neque enim ad ineundas felices et bonas nuptias ista conducunt, sed potiùs ad infelicem exitum, experientiâ teste, perducunt, cùm privent gratiâ et benedictione Dei, adeò necessariis ad bonum conjugium obtinendum. Ex quo enim ad illud ingrediuntur post innumera peccata carnalia quibus antea se fœdârunt, de turpitudine in turpitudinem miserè prolabentes, quandoque etiam prole per tumefactum puellæ uterum in abscondito factâ propalante cum infamiâ et scandalo, quid boni ex talibus nuptiis expectari potest ? nonne videmus, ut plurimùm amorem in odium converti, talesque conjuges duro zelotypiæ œstro mirum in modum cruciari, ac ferè continuis dissensionibus,

Deo sic permittente, dilacerari? His adde quòd juvenes et puellæ istis libidinosis vacantes, versantur in periculo pollutionis, cùm in praxi hæc vix fieri possint absque magnâ commotione carnis, spirituumque vitalium. et delectatione morosâ, idque sæpissimè experti sint. Quomodò igitur confessarius tutâ conscientiâ poterit id dissimulare, eosque tale periculum amantes aut relinquere sibi impossibile judicantes absolvere? cùm Christus jubeat manum aut pedem abscindi quando scandalizant, et protestetur Scriptura, quòd *qui amat periculum, in illo peribit?* De osculis aut amplexibus inter eos ad benevolentiæ et familiaritatis signa quandoque usurpatis, dùm se visitant, aut ab invicem recedunt juxta morem patriæ absque libidine, non loquor, nec de iis quæ causâ levitatis vanæque lætitiæ, sistendo ibi absque pravâ intentione, et delectatione carnali, aliquando inter eos exercentur : non enim excedunt limites peccati venialis, ut dicit Cajetanus de juvenibus qui in choreis digitos mulieris non suæ intorquent levitatis causâ. Præclara D. Ambrosii, lib. 3 de Virg., cap. 3, non est omittenda observatio dùm ait : *An verò mediocre pudoris exemplum est quòd Rebecca cùm veniret ad nuptias et sponsum vidisset, velamen accepit, ne priùs videretur quàm jungeretur? et utique pulchra virgo non decori timuit, sed pudori. Quid Rachel? Quemadmodùm extorto osculo flevit et gemuit, nec flere destitisset, nisi proximum cognovisset*, etc.

Articulus III.

In quo per breves quæstiones resolvuntur casus particulares circa tactus, amplexus et oscula occurrentes.

Quæres primò utrùm tactus et oscula inter conjugatos excusentur à peccato mortali, etiamsi fiant delectationis venereæ causâ. Resp. affirmativè etiamsi capiantur ob delectationem absque intentione copulæ conjugalis, dummodò absit periculum pollutionis extra vas. Ita communiter auctores. Ratio est, quia ex naturâ suâ et secundùm se ordinantur ad concubitum licitum conjugalem et illius delectationem, quamvis per accidens tunc actu non illum circumstant, puta quia vir et uxor nolunt ultra progredi. Idem dicit Cajetanus de osculis, tactibus et amplexibus libidinosis sponsorum de præsenti ob eamdem rationem. Nec obstat, inquit, quòd alicubi consuetum est expectare benedictionem Ecclesiæ ante concubitum conjugalem, quoniam id per accidens se habet ad naturam actuum in se. Cavere tamen debent ambo conjuges, ne in publico et coram aliis hos actus exerceant; cùm enim facilè præsumantur ob delectationem sensibilem se tangere, amplecti, et deosculari, possunt de facili commovere aspicientes et propter scandalum graviter peccare. Et sicut concubitus conjugalis causâ venereæ delectationis exercitus, est peccatum veniale, ita et hujusmodi actus propter illam delectationem eliciti; si tamen fiant cum periculo pollutionis extra vas, seu nisi in eo tunc loco conjuges sint, ubi adveniente isto periculo possint facilè copulam habere ut pollutionem vitent, semper sunt mortales. Idem quidam dicendum putant de conjuge in absentiâ alterius se tangente ad voluptatem captandam intra limites matrimonii. Ita Sanchez, lib. 9 de Matrim., disp. 44, à num. 8 usque ad 17. Existimo tamen ab his impudicitiis tanquàm valdè periculosis arcendos esse, eosque non nisi tanquàm præparationibus ad concubitum præsentem, causâ se excitandi, quando tardiores sunt ad unà simul seminandum, non extra illum, hujusmodi uti debere, sed abstinere, sicut et osculis, aliisque extraordinariis fœditatibus.

Quæres secundò, utrum oscula, tactus, et amplexus inter sponsos absolutè de futuro, etiamsi fiant causâ delectationis sensualis, excusentur à peccato mortali. Loquimur autem de sponsaliis absolutis, quia inter sponsos de futuro sub conditione : *Si papa dispensaverit*, etc., non sunt licita plura, quæ sponsis de futuro absolutè permittuntur. Respond. à multis doctoribus excusari à mortali. Imò Navarrus, cap. 16 in Enchiridio, num. 12, dicit eos licitè posse non solùm se aspicere, alloqui familiariter et frui gaudio, ac voluptate quæ inde nascitur, sed etiam osculari se mutuò, amplecti et tangere, non tamen in verendis, ac frui voluptate quæ oritur ex eis, sine voluntate tamen ampliori. Sponsalia enim, quæ initium quoddam matrimonii sunt, faciunt facultatem fruendi voluptate præambulâ voluptati matrimoniali, dummodò tamen id fiat cum cautelâ, ne contingat pollutio, nec probabile periculum illius incurrendæ aut consentiendi in eam, vel in copulam matrimonialem. Quod quia rarò contingit dùm soli secretò se tangunt, osculantur, etc., plurimùm expediret ne hujusmodi opportunitates ipsis concederentur, donec conjuges facti essent. Ita Lessius, qui pro hâc sententiâ citat Cajetanum hìc. Cajetanus tamen non absolutè id affirmat et determinat, sed ait, *obstare aliquid in sponsis de futuro quantùm ad hoc, quod non obstat sponsis de præsenti, nempe quòd hæc sponsalia adhuc dissolvi possunt. Videtur autem quòd quemadmodùm ipsis concessum est ut inter sponsalia suspirent se invicem, juxta Augustinum, ita concessa videntur hujusmodi oscula inter eosdem, secundùm indulgentiam tantùm quâ venialia conceduntur : et nisi ut hujusmodi inchoationes permissæ venialiter in ordine ad permissas nuptias excusentur, nescio excusare, scilicet de mortali hujusmodi oscula, tactus et amplexus causâ delectationis.* Hæc Cajetanus.

Verùm ultra probabile et in praxi imminens periculum pollutionis vel consensûs in copulam, quandò hi actus ab ipsis exercentur in secreto causâ delectationis et cum carnis spirituumque commotione, adhuc mihi videtur excusari non posse à mortali, etiamsi non sint tactus naturâ suâ impudici, ut verendorum, de quibus nemo dubitat, sed solùm actus libidinosi, delectabiles secundùm sensum. Ratio quæ me movet hæc est, quia isti actus et hujusmodi delectatio sunt ejusdem moris, speciei et gravitatis ac concubitus, ejusque delectatio, ad quæ ex naturâ suâ ordinantur, ut patet ex dictis. Atqui copula inter sponsos de futuro nullatenùs est licita, sed lethale peccatum. Ergo, etc. Nec refert quòd hujusmodi sponsalia sint inchoatio matrimonii, non

enim propterea concedunt facultatem inchoandi copulam aut ejus delectationem : si enim tales morosè consentientes in delectationem copulæ cogitatæ cum commotione carnali, graviter peccent, quantò magis si consentiant in delectationem copulæ inchoatæ, aut in delectationem illam sensualem ortam ex osculis, quæ est pars delectationis copulæ magisque accedit ad illam, mortaliter peccabunt? Quæres tertiò, an sit peccatum mortale osculari pueros, eorumque molles carnes cum aliquâ suavitate et delectatione tangere? — Resp. non esse mortale, si id non fiat ex voluptate venereâ et cum consensu in delectationem et commotionem carnalem, sed ex puro amore illius ætatis teneræ. Inde videntur excusandæ nutrices et ancillæ, quæ dùm vestiunt lavantque infantes, quandoque ipsorum genitalia aspiciunt et tangunt, licet aliquis sensualitatis motus insurgat, dummodò illis non placeat; quia necessitas et officium debitæ servitutis quandoque id exigit. Si verò ex levitate aut curiositate, et sine necessitate hæc aspiciant aut tangant, non videtur plusquàm veniale, dummodò absit omninò periculum propinquum morosæ delectationis, vel libidinosi consensûs, quod facilè evenire posset si jam circa viros excitatæ, et malè dispositæ moram aliquam in simili visu vel tactu trahant. Quare dùm commotionem sine intentione earumque voluntate provenientem sentiunt, debent statim ab hujusmodi actibus desistere, et paulùm expectare tempus sedatæ tentationis ac commotionis aut alio modo se præmunire contra hujusmodi tentationes.

Quæres quartò utrùm confricare genitalia animalium et pecorum sit mortale peccatum?—Resp. quòd si hoc fiat ex consensu et complacentiâ in propriam libidinem, est peccatum mortale, quod quidam reducunt ad bestialitatem ; quod tamen videtur intelligendum in casu quo libido tenderet in brutum tanquàm objectum. Imò si ista confricatio fiat ex solâ curiositate inspiciendi animalium semen cum periculo pollutionis propriæ, aut inordinati affectûs, omnes conveniunt esse mortale.

Quæres quintò utrùm tactus partis inhonestæ sive propriæ sive alienæ, sit semper mortale peccatum.— Resp. quòd si fiat ex necessariâ aut rationabili causâ, ut medendi, etc., dummodò motus insurgentes, præter intentionem accidant et non placeant, non est peccatum. Nec propterea tenentur feminæ, præsertim virgines et moniales cancro aliove morbo in verendis laborantes, pati se à viris ibi tangi causâ sanitatis, sed possunt laudabiliter potiùs mortis periculo se exponere, ut ostenditur tract. de Justitiâ. Quod si absque necessitate, non tamen causâ voluptatis carnalis, sed solius curiositatis fiat, quidam asserunt per se non esse peccatum mortale, præsertim si absit periculum pollutionis, quia tunc sub aliâ ratione magis spirituali et elevatâ apprehenditur quæ tantam vim ad naturam concitandam non habet, et affectus in eo non quærit voluptatem carnalem, sed tantùm curiosam cognitionem. Verùm cùm talis curiositas etiam solo aspectu, à fortiori tactu, sit valdè periculosa, cavenda est tanquàm mortifera. Unde dicendum cum Cajetano, 2-2 q. 154, art. 4, in fine, quòd tactus humani sunt in duplici differentiâ. Quidam sunt ex se et ex genere suo venerei, ut tactus pudendorum, adde et mammillarum, crurium; oscula furtiva, præsertim humida, quando scilicet immittitur lingua unius in os alterius, et si quid est hujusmodi. Quidam sunt non solùm non venerei ex suo genere, sed liciti coram omnibus, ut tactus manûs, oscula obviantis secundùm morem patriæ, etc., et isti si absque malâ intentione fiant, non sunt peccata : primi verò etiamsi absque delectatione fiant sunt libidinosi ex objecto, ex se et ex naturâ suâ habent adjunctam delectationem carnalem, commotionem spirituum vitalium, periculum pollutionis inducunt, et proximè ordinantur ad complementum actûs. Quare nisi necessitas et justa causa illos excuset, et tunc accidant absque consensu et complacentiâ, semper sunt peccata mortalia, et adhuc magis illicita, quando fiunt causâ libidinis et delectationis etiam solius quæ ex illis nascitur absque ulteriori intentione. Et adhuc magis sunt peccaminosi quando etiam ex intentione operantis referuntur ad concubitum cum non suâ. Nec etiam à peccato mortali videtur excusandus vir qui jocosè, leviterque immediatè partes nudas secretiores feminæ tangeret, eò quod isti tactus ex naturâ suâ etiam per transennam facti, valdè provocent ad libidinem, notabiliterque commoveant sensualitatem tunc temporis, vel relinquant in imaginatione et appetitu materiam tentationum carnis et incentivum libidinis cum periculo consensûs. Inde monet Apostolus 1 ad Corinth. 7, quòd *bonum est viro mulierem non tangere : qui enim tetigerit picem inquinabitur ab eâ*, ait Sapiens Eccl. 13 ; et ut dicit D. August., *nihil sic dejicit animum ab arce virtutis suæ, sicut contactus ille corporum.* Et D. Antoninus, p. 2, tit. 5, cap. 1, inquit mulierem permittere se tangi in genitalibus, nisi sint conjuges, et nisi subsit causa necessitatis aut infirmitas, credo non posse excusari à mortali.

Non solùm illicitum est viro hos actus impudicos in feminam, et è contra exercere, sed etiam in alium ejusdem sexûs aut in seipsum cum venereâ delectatione, aut cum periculo venereæ delectationis. Unde propria tangere verenda cum libidine ex eo tactu ortâ, est peccatum mortale : secùs sentiunt auctores de tactu ex levitate, curiositate vel causâ calefaciendi manus absque libidine et pollutionis periculo, quod tamen de facili in personâ præsertim fragili et ad luxuriam proclivi, videtur contingere posse, nisi id valdè leviter, raptim et per transennam fiat. Quare cavendum est ab hujusmodi tactibus deliberatè et sine causâ rationabili faciendis, ne inde excitetur luxuriæ ignis, qui absque peccato extingui non possit, præsertim dùm quis tunc se malè affectum sentit.

Quæres sextò utrùm femina ădvertens se impudicè ab homine deosculari aut tangi, mortaliter peccet, si non se retrahat. Respondet Cajetanus loco citato, quòd si actus hujusmodi sint extrinsecùs honesti et liciti, et solus qui ea exercet ex libidinosâ intentione, novit eorum deformitatem, ut oscula et tactus qui fiunt juxta consuetudinem patriæ ad indicandam benevolentiam,

non peccat mulier advertens malam viri intentionem, non se retrahendo, eumque non repellendo, si id fiat in publico coram aliis, ne viri famam periculo exponat ingerendo animis adstantium suspicionem peccati, nec tunc consentiendo tali osculo, libidini deosculantis se sociat, sed bono actui exteriori licitæque consuetudini quibus ille abutitur in corde suo, consentit in bonum. Si verò hæc fiant in secreto, cùm tunc cesset illa causa auferendi famam, peccat mulier contra charitatem non se retrahendo et impediendo si commodè potest; imò quando mulier probabiliter dubitat hæc malo animo fieri, debet hoc etiam modo se gerere: tunc enim jure suo utitur, et saluti alterius consulit. Quando verò actus illi sunt de se impudici, et deformitatem suam exteriùs manifestant, ut sunt tactus partium secretarum, crurium, mammillarum, oscula furtiva, morosa, humida et similia, tenetur mulier sub peccato mortali ea non sustinere, sed repellere et se retrahere, quantumcumque secretò fiant, aliis non discernentibus, sicut nec sustinere debet quòd ille in eâ corporis parte etiam secretò illâ abutatur. Quòd si non posset se subtrahere aut alio modo impedire, tunc sicut fecit Suzanna, teneretur clamare; quia non impedire hos actus impudicos, tunc esset illos cedere et concurrere, ad malum; et ut ait D. Anton., 2 p., tit. 5, cap. 1, § 9, putare quòd hæc fiant bonâ intentione, fatuitas est, non simplicitas.

Quæres septimò, utrùm quoties hi actus sunt libidinosi proindeque mortales, toties in confessione explicandæ sint personarum circumstantiæ. Resp. affirmativè: ut enim jam dictum est, sic considerati ejusdem sunt moris et ad eamdem speciem pertinent, ac copula et ejus delectatio, ad quam ex naturâ suâ ordinantur, tanquàm ejus inchoatio et pars; proindeque sicut in copulâ, aut ejus delectatione morosâ, circumstantiæ personarum sunt in confessione explicandæ, ita in osculis, amplexibus et tactibus libidinosis. Idem dicendum de aspectu libidinoso, ratione delectationis notabilis venereæ vel periculi illius. Observat D. Anton., 2 p., tit. 5, cap. 1, § 10, quòd dùm omnes gradus luxuriæ concurrunt successivè et immediatè in aliquo peccato luxuriæ sine interpositione temporis, omnes habentur pro uno peccato mortali, quod tantò gravius est quantò plura concurrunt. Ut si quis in cogitatione fornicationis delectetur morosè, demùm in actum consentiat et cum tali proposito aspiciat aliquam libidinosè, alloquatur turpia ut eam inducat, deosculetur, demùm eam cognoscat, unum mortale est. Sed si diversis temporibus interpolatis hoc faciat, quodlibet per se erit mortale, ut si morosè delectetur, et aliâ vice de eodem vitio cogitatione occurrente consentiat, aliâ vice libidinosè aspiciat, etc., erunt diversa peccata mortalia: pro cujus majori explicatione,

Quæres octavò, an oscula, tactus et amplexus antecedentes, concomitantes, aut subsequentes copulam, sint totidem peccata mortalia, ab eâ et inter se numero distincta, ac in confessione explicanda.—Resp. quòd cùm hujusmodi actus ex se et ex intentione fornicantis referantur ad copulam tanquàm ejus partes, inchoationes et dispositiones, tunc unum peccatum consummatum efficiunt, quod confessori relinquitur intelligendum, cum præparatoriis et consequentibus ad ipsam more solito; ita ut hæc omnia inhonesta quæ ad illam concurrere consueverunt, comprehendantur, solùmque illam aggravent et circumstent, tantòque gravius efficiant peccatum quantò plura, aut magis deordinata concurrerunt. Unde puto quandoque posse esse tam longa, tam multiplicata, et tam extraordinaria, ut sint confessario explicanda. Cùm enim sint supra consuetum et communem usum copulæ, non videntur confessoris sub captum ac judicium cadere. Item si per totam noctem vir cum muliere inhonestè conversetur. Item qui meretricem adit, ut ejus tactibus et osculis fruatur sine intentione fornicandi, si tamen postea tunc fornicetur, tenetur explicare in confessione illos actus, qui præcesserunt fornicationem; quia à principio ex intentione illius, non fuerunt ordinati ad copulam, sed disparatè se habuerunt ad illam, sicque non censetur cum illâ constituere unicum peccatum, sed plura. Qui post copulam denuò tangit et osculatur meretricem causâ delectationis, id faciens ad iterandam fornicationem, tenetur hoc in confessione declarare, quia tunc hæc non assumit ut complementum copulæ præteritæ, sed sicut inchoationem futuræ; quâ non consecutâ, tenetur etiam specialiter illos actus in confessione explicare; eosque similiter quos libidinosè cum illâ feminâ exercet post copulam moraliter transactam et completam, eo scilicet tempore sufficienti quo non censentur ampliùs ad illam pertinere, nec cum eâ moraliter continuari.

Articulus IV.

De aspectu libidinoso.

Non est hic sermo de aspectu libidinoso inter conjuges: certum quippe est ex jam dictis non esse peccata mortalia, si fiant absque periculo pollutionis, cùm nec oscula et tactus inter ipsos culpam lethalem inducant. Quare de personis solutis solùm movetur præsens difficultas. Aspectus faciei et partium honestarum pulchræ feminæ, in viro potest multipliciter contingere, ait D. Anton., 2 p., tit. 5, cap. 1, § 7, scilicet vel ex casu sine præmeditatione, vel ex causâ rationabili, puta ut eam noscat et ab aliis discernat, aut ut de utilibus cum ipsâ loquens attentiorem reddat, aut ut fucos et vanitates illius meliùs reprehendere valeat, aut ex quodam honesto castoque amore; et in his non est peccatum: vel ut ex pulchritudine creaturæ exurgat in laudem Creatoris juxta illud Psalmistæ: *Delectâsti me, Domine, in factura tuâ:* id tamen imperfectis est periculosum. Vel ex quâdam curiositate et complacentiâ de illius formâ, quod non est sine peccato veniali. Vel tandem ut libidinosè in ejus concupiscentiam inardescat. Et tunc est mortale. Hæc D. Anton. Igitur aspectus pulchræ mulieris etiam delectabilis, ex suo genere et per se præcisè, non est peccatum, nisi fortè actûs otiosi et venialis, quando solùm ordinatur ad quamdam vanam animi delectationem et recreationem; quia non est à naturâ ordi-

natus ad venerea, prout ordinantur oscula, amplexus quatenùs secundùm tactum delectabiles, ut ostendit Cajetanus, tom. 1 opusc., tract. 14, dub. 3, et à nobis jam dictum est : et per hoc etiam cogitare delectabiliter de visâ pulchrâ muliere, nullum est peccatum, nisi otiosè, vel ob malum finem aspectus et cogitatio fiant, aut adsit periculum venereæ delectationis aut alterius luxuriæ.

Sed, ut inquit Cajetanus opusc. citato, id intelligendum est de hujusmodi actibus secundùm se præcisè, et de delectatione ac sensatione naturali consequente : nam ex adjunctis et secundùm annexa pericula, judicandum est juxta regulas periculorum : multi enim ex aspectu mulierum corruerunt, ut patet de David, etc. Unde si quis aspiciat mulierem ad concupiscendam illam, peccat mortaliter, quia, ut dicitur Matth. 5 : *Jam mœchatus est eam in corde suo.* Item si eam concupiscat ad delectationem venereamex illâ visione consurgentem, mortale peccatum committit. Item si inde immineat periculum, prout frequenter contingit, maximè si aspectus fuerit fixus et diuturnus, facit enim quòd phantasia apprehendat faciem illam pulchram, non solùm ut delectabilem visu, sed etiam ut tactui et carni delectabilem, appetendam, et fruendam. Ex quâ imaginatione sequitur in affectu complacentia et delectatio venerea, in corpore concupiscentia, in spiritibus ac sanguine commotio, et hinc in membris rebellio, sicque mors spiritualis animæ ascendit per fenestras hujus sensationis. Hinc Scriptura et sancti Patres communiter homines dissuadent à visu mulieris tanquàm à re valdè periculosâ : plerùmque etiam admiscet se diabolus, facitque ut species visa assiduè phantasiæ obversetur, quæ sensim affectum allicit, animum à rationis arce dimovet, naturam sensualiter commovet, parvaque hæc scintilla incendium causat et ruinam. Hinc processit mundi cataclysmus in suî exordio. *Videntes enim filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores, dixitque Deus : Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, Genes. 6. Cum vidisset Sichem Dinam adamavit et rapuit eam. Hinc occisi sunt omnes illius regionis habitatores, Gen. 34. Ex isto aspectu corruerunt Samson, David, Salomon, aliique cedri Libani : Suzannæ species decepit et infatuavit senes, Dan. 13, etc.

Hinc monet Spiritus sanctus Eccles. 9 : *Averte faciem tuam à muliere comptâ, et ne circumspicias speciem alienam : propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Chrysost. hom. 3 de verbis Isai. inquit : *Non dixit Dominus : Ne videas ; id enim nonnunquàm fit ultrò ; sed ne cognoscas, illud tollens, ne scilicet studio animadvertamus, ne curiosè intuearis, ne contemplationi immoreris*, etc. Et D. August. in Regulâ, ait : *Oculi vestri etsî jaciantur in aliquam feminarum, in nullam figantur, quia scriptum est : « Abominatio est Domino defigens oculum. »* Id deplorans Jeremias, Thren. 3, exclamabat nomine populi : *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Populus enim, inquit D. Hieron. ibidem, per oculum corporis pertulit prædam cordis. Aspectus mulieris telum est veneno lethali litum. Hinc illa sancti Job nusquàm satis laudata cautio, qui etsi obfirmatissimum contra omne vitium gestaret animum, nimiam talem per oculos præcavebat irruptionem. *Pepigi*, inquit cap. 13, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Aliis vitiis bellum inferebat, cum incontinentiâ pactum inibat, quia plus hujus vitii quàm aliorum vires formidabat; sed quodnam pactum? ecce, non solùm ut mentis arcem non irrumperet, sed ne oculorum quidem januas pulsaret. Et rationem hujus reddit D. Hieron. ibid. dicens : *Ne priùs incautè aspiceret, quod postmodùm invitus amaret : nam semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Intueri non debet, quod concupisci non licet. Ut munda mens in cogitatione servetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam.* Hanc Jobi cautionem demirans Chrysost. in serm. D. Joseph, tom. 1, ait : *Job diabolum quidem videns non fugit, sed mansit sicut leo viribus fidens : virgine autem visâ non stetit, neque moratus est in contuendâ pulchritudine, sed statim secessit.* Quid decet in hâc parte incautos fragiles, igneosque homines facere? quid non timere debent? columnæ cœli ad mulieris aspectum contremiscunt ac cedri Libani; et arundo non movebitur? Vide Chrysost., homil. 17 in Matth.; Ambrosium in serm. 16 in Ps. 118, August. in Ps. 50.

Verùm si faciei muliebris aspectus à viro sit fugiendus tanquàm periculosus et occasio ruinæ, quantò magis visus pectoris, uberum, et partium secretarum? unde communiter auctores docent, quòd hi aspectus absque necessitate et rationabili causâ ut medendi, etc., facti, sunt libidinosi, de se impudici et lethaliter peccaminosi, etiamsi ob malum finem non emittantur. Ut quando vir aspicit verenda feminæ, aut è contra mulier pudenda viri, vel partes vicinas ; hi siquidem aspectus multùm commovent, ac libidinem excitant de se, suntque indecentes. Nisi fortè ob curiositatem solam aut levitatem quis videat personam diversi sexûs nudam tam brevi tempore, ut inde non detur occasio, nec sit periculum magnæ commotionis in corpore : aut nisi ratione ætatis puerilis, aut senilis, aut frigidissimæ complexionis cesset id periculum magnæ commotionis; aut nisi aspectus fiat à mare erga puellulam, aut à feminâ erga parvulum, absque tali periculo : tunc enim multi excusant hos aspectus à peccato lethali. Similiter excusant viros absque periculo peccati inspicientes pudenda maris natantis, et feminam aspicientem verenda alterius feminæ : quia hi aspectus inter personas ejusdem sexûs non videntur proximè ad libidinem provocare. Verùm hi etiam aspectus omninò fugiendi sunt, tum ob gravem indecentiam, tum ob periculum consensûs in libidinem, tum ob scandalum, cùm etiam propria pudenda absque necessitate aspicere ex quâdam curiositate sit indecorum et turpe, ut constat de primis parentibus, qui cùm cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficûs, et fecerunt sibi perizomata, ut habetur Genes. 3,

se tales videre naturaliter erubescentes. Si tamen quis propria verenda ex quâdam curiositate aspiceret, absque aliâ malâ intentione et periculo commotionis in corpore ac delectationis venereæ in mente, videtur solùm esse veniale peccatum, quantùm ad indulgentiam et speculativè loquendo : in praxi enim hi actus nonnisi à lubricis et malè affectis personis usurpari solent, suntque ordinariè concupiscentiæ latentis signa, ac in eis ulteriores consensus in libidinem causant, dæmone instigante, Deoque sic permittente. Ex periculo igitur provocationis in libidinem, unusquisque hæc et alia jam dicta curiosè aspiciens, seipsum mensuret, et videat si illi se exponat temerè.

Aspicere alterius sexûs verenda etiam ex solâ curiositate, operta vestibus adeò tenuibus et subtilibus, ut parùm aspectui obstent, censetur esse peccatum mortale, ut aspicere illam personam solâ camisiâ subtili ac transparenti indutam : hæc enim ut plurimùm ingerunt libidinis sensus in aspiciente, valdèque periculosum censeo aspectum curiosum, etiam uberum, pectorumque nudorum feminarum, defigendo oculos, in viris fragilibus, petulantibus, calidis et libidine æstuantibus. Hinc auctores communiter inferunt esse mortale peccatum aspicere etiam ex solâ curiositate virum et feminam coeuntes; nam aspectus iste est de se valdè impudicus, nimisque provocat ad libidinem. Excusant tamen à mortali saltem communiter, aspicere bestiarum coitum earumque verenda turpiter commota, quia hic aspectus videtur non multùm ad libidinem provocare : si tamen aspiciens inde caperet sensualem commotionem aut delectationem, vel esset periculum illam capiendi, profectò esset mortale peccatum : in quod periculum libidinosæ delectationis nimia curiositas persæpè transit, maximè quando in similibus trahitur mora. Idemque dicendum puto de illis qui ex curiositate solùm audiunt et observant virum et feminam de nocte in lecto coeuntes, ob scilicet parem rationem ac de aspectu. Hinc quandoque graviter peccare possunt parentes vel conjuges, qui in eodem lecto filios habent, vel in eodem cubiculo ubi ancillæ aut puellæ decumbunt, conjugio ita indiscretè vacant, ut istæ facilè advertant quandò commiscentur; exinde enim aliquod periculum libidinosæ commotionis subeunt, malumque addiscunt, quod perpetrent, ut experientiâ constat. Hinc à gravi peccato, ut plurimùm, non excusantur cum morâ defigentes oculos in fœdas tabellas ex curiositate, cùm de se sint libidinis quædam incentiva : similiter, eas pingentes et vendentes. Item eas in domo palàm expositas retinentes, ob occasionem ruinæ et scandali aliorum; qui enim prævidens occasionem damni præbet, damnum quoque dedisse videtur. Cap. *Si culpa* de Injur. et damno dato. Contra turpes statuas et imagines calamum stringunt SS. Patres, ut ostenditur in tractatu de Justitiâ, nempe D. Chrysost. in Psalm. 113, Clemens Alexand. in Admonitione ad gentes, D. August. lib. 1, Confess., cap. 16, Sidonius Apollin., lib. 2, Epist. 2 ad Domitium, et alii passim.

Simili peccato scandali graviter delinquunt feminæ quæ verenda absque rationabili causâ viris ostendunt, aut veste ita tenui et diaphanâ cooperiunt, ut videri possint. Idem videtur proportionaliter dicendum de simili cooperimento, aut denudatione pectoris mammillarum, eò quòd viris, ut plurimùm, occasionem ruinæ præbeant, præsertim in regionibus ubi id est insolitum et scandalosum : insolita enim magis movent et excitant; quare ubi consuetudo non est, id inhibendum esset, et citò extirpandum ne cresceret. Dixi *præsertim* quia juxta auctores, tales feminæ excusantur à mortali si hoc faciant ubi est consuetudo jam recepta, et absque pravâ intentione. Habent enim jus se accommodandi consuetudini, quam non apparet trahere ad peccata, ut constat de osculis et tactibus juxta morem patriæ : item de ornatu. Verùm isti auctores supponunt quòd in illis regionibus id non sit provocativum libidinis, quia ab assuetis non fit passio, insolita verò movent, unde foret peccatum mortale introducere hujusmodi morem. Mihi autem non omninò constat de hoc, scilicet quòd homines illius regionis inde non excitentur ad libidinem, esto quòd non tam facilè provocentur, sicut alii his non assueti : (etsi audierim quòd ubi hæc vigent, homines sunt ad luxuriæ peccata procliviores, pejùsque in ea peccata ruunt : quid mirum si de hoc aspectu libidinoso non habeant scrupulum, qui vix de fornicatione sibi faciunt? amant fortè periculum, illudque non advertere aut non vitare, sed in eo perire volunt. Ipsi et ipsæ sibi viderint : de his enim non fero sententiam, sed aliis relinquo). Nec est eadem ratio de ornatu muliebri, ac de nuditate muliebri, nec etiam de castis osculis in signum benevolentiæ et unionis cordium, ubique gentium receptis, et accommodatis, ad quæ inducti fuerunt homines naturali morum honestate et urbanitate in certis casibus; quòd si quis capiat occasionem ex hujusmodi osculis se provocandi ad libidinem, id contingit per accidens ac omninò præter intentionem eorum qui primi introduxerunt morem se isto modo salutandi et obviandi amicis, etc. Qui proinde non peccârunt, benè tamen illi vel illæ à quibus mos denudandi pectus et mammas introductus fuit, prout concedunt isti auctores : quod sanè indicium est inesse aliquid mali ac periculosi in istâ consuetudine, aut potiùs abusu et corruptelâ; hæc enim caro visibilis exponitur aut censetur vendibilis, quod in illâ consuetudine se osculandi non invenitur.

Item peccatum mortale scandali femina committit, quæ datâ operâ absque necessitate et justâ causâ, sed ex vanitate quâdam se conspiciendam præbet juveni à quo credit se turpiter concupiscendam, non ignorans turpem illius amorem, etiamsi nihil fœdum cum eo agere vellet : quia est illi occasio prævisa ruinæ, à quâ ex charitate tenebatur abstinere, ut docet D. Antoninus, 2 p., tit. 5, cap. 1, § 7. Et cum eo sentiunt communiter auctores. Eam tamen excusant Cajetanus, Azorius et alii, quando id facit ex justâ causâ, ut eundi ad ecclesiam, visitandi parentes, etc. Nulli enim malo consentit aut cooperatur utendo jure suo, sed respectu illius per accidens se habet quòd adolescens vi

dendo eam, apponat libidinem suam visioni, quæ licita de se est et communis : unde est potiùs scandalum acceptum, quàm datum; nec propter hoc tenetur domo reclusa cum gravi incommoditate remanere.

Item peccat lethaliter femina, quæ superfluè se ornat, aut faciem fucat ad excitandam hominum concupiscentiam, et ut ab eis mortaliter ametur : absque autem hâc malâ intentione si hoc faciat, puta solùm ex vanitate et levitate, non erit nisi peccatum veniale : nam ornatus non est per se malus, sed indifferens, nec repugnat charitati Dei et proximi, etiamsi aliquis ex suâ malitiâ inde capiat occasionem peccandi, ut constat de conjuge se ornante ut placeat viro suo, quæ nullatenùs peccat, etiamsi alii inde arriperent occasionem eam concupiscendi. Nam ex ejus opere et intentione non causatur illa ruina, sed ex malitiâ virorum; et propterea eventus iste remotus et non intentus, mulieri non est imputandus. Circa ornatum mulierum vide D. Thomam, 2-2, q. 169, et Cajetanum ibidem, et in Summâ, v. *Ornatus*, ubi docent non esse peccatum mortale, nisi ordinetur ad lasciviam, vel Dei contemptum, etc.

An autem mulier possit absque peccato uti veste virili, aut è converso, resp. D. Thomas q. citatâ, art. 2, ad 3, quòd cùm cultus exterior debeat competere conditioni personæ secundùm communem consuetudinem, ideò de se vitiosum est, quòd mulier utatur veste virili, aut è converso. Et præcipuè quia hoc potest esse causa lasciviæ, et specialiter prohibetur in lege, quia gentiles tali mutatione habitûs utebantur ad idololatriæ superstitionem. Potest tamen quandoque fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causâ se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti vel propter aliquod aliud hujusmodi. Hæc D. Thomas. Et Cajetanus ait, quòd illa prohibitio facta Deuteron. 22 erat judiciale vel cæremoniale præceptum, quod evanuit per Christi gratiam : additque quòd si illa mutatio habitûs fiat sine causâ ex levitate, et non ex malâ intentione, non excedit limites peccati venialis. Et in Summâ, v. *Habitus*, dicit quòd illa prohibitio legis, et decreti dist. 33, intelligitur de mutatione habitûs quando pro superstitione aut luxuriâ fit. Unde in larvis aut comœdiis hæc transire possunt; sed in continuâ conversatione non est permittendum, quia contra bonos mores, et custodiam castitatis communis est. Et nisi ab episcopo sub pœnâ excommunicationis moniti desistant, sunt excommunicandi et ejiciendi de conversatione humanâ qui his indumentis utuntur. Vide D. Ambrosium, Epist. 69 ad Irenæum; Augustinum, lib. 2 Soliloquiorum, cap. 16; Chrysost., homil. 38 in Matth.; Chrysolog., serm. 156.

Articulus V.

De turpiloquio, et lectione turpium librorum.

Catechismus concilii Trident., p. 3. de sexto Decalogi præcepto, num. 18, inter incentiva libidinis reponit turpes, obscœnosque sermones, nam verborum obscœnitate quasi quàdam face subjectâ adolescentum accenduntur animi : *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala*, inquit Apostolus 1 ad Corinth. 15; idipsum cùm maximè faciant delicatiores et molliores cantus ac saltationes, ab iis quoque diligenter cavendum est. Quo in genere numerantur libri obscœni, et amatoriè scripti : qui ita vitandi sunt ut imagines, quæ aliquam turpitudinis speciem præ se ferunt, cùm ad turpes rerum illecebras, inflammandosque adolescentum animos, vis in illis sit maxima. Hæc Catechis. de quibus hîc acturi sumus : cùm autem de fœdis imaginibus aliquid jam tactum à nobis fuerit, loco earum tractabimus de comœdiis.

Verba obscœna proferre indecorum est, cùm Apostolus ad Ephesios 5 jubeat quòd *fornicatio, et omnis immunditia nec nominetur in nobis sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet.* Christiani enim, utpote sancti et Deo consecrati, adeò debent esse ab omni immunditiâ alieni, ut nequidem ejus nomen audiatur inter illos. Si tamen absque malo animo se rebus ipsis turpibus oblectandi, aut sine intentione provocandi se aut alios ad libidinem, et sine scandalo, sed ex levitate, scurrilitate, loquacitate, malâ consuetudine, etc., proferantur, ut contingit in quibusdam juvenibus et hominibus, qui sine præmeditatione et quasi ex habitu passim illa in communibus colloquiis effutire solent, quorum guttur est quasi sepulcrum patens et fœtens, non videtur esse nisi grave peccatum veniale. Sunt tamen objurgandi et inducendi ad hunc loquendi morem pessimum exuendum : non videntur tamen excusandæ mulieres omni excusso pudore verba ista obscœna usurpantes, præsertim palàm in cœtu hominum : tum ob malum exemplum quod aliis mulieribus ingerunt, quasi inducentes hanc pessimam consuetudinem inter illas; tum ob virorum scandalum, qui inde facilè in libidinem incitantur; tum quia præbent aliis occasionem malè judicandi de pudicitiâ earum. Maximè autem cavendum est parentibus ne talia verba coram filiis et filiabus proferant : facilè enim hunc loquendi modum impurum addiscunt et usurpant; indeque provenit mala consuetudo ferè introducta in quibusdam regionibus omninò extirpanda, ut non vereantur feminæ turpiloquio uti perinde ac viri. Ita sermo parentum serpit ut cancer, ac de familiâ in familiam transit, invaditque posterorum linguam, nam sequitur haud leviter filia matris iter. Multòque minùs à peccato gravi scandali veniunt excusandi clerici sacerdotes, aut religiosi coram aliis verba valdè obscœna proferentes aut cantantes. Vide Clementem Alexand., lib. 2 Pædag., cap. 4, 5, 6; et D. Antoninum, 2 p., tit. 5, cap. 1, § 8, quintus gradus.

Loqui autem de turpibus, non obscœnis verbis, de se non est peccatum mortale sicut neque auditio eorum, cùm constet sine peccato ex causâ rationabili fieri posse, ut dùm pœnitens de illis se examinat et accusat, dùm confessarius ipsum audit et loquitur, dùm doctor, medicus, aut casuista circa hanc materiam scribit et docet, et sic de cæteris. Quando tamen

hujusmodi confabulatio, lectio, vel auditio fit animo oblectandi se rebus ipsis turpibus narratis, et objectis imaginationi, aut cum periculo commotionis gravis libidinosæ, aut ulterioris consensûs, vel ad provocandum alios ad libidinem, est peccatum mortale. Unde lethaliter peccat qui opere aliquo externo ordinato ad rem veneream excitandam deliberatè utitur, ut si quis aut libros amatorios legat, aut litteras petulantes scribat verbis æquivocis, loca inhonesta frequentet, etc., eâ intentione ut se aut alium ad luxuriam provocet, prout mox ostensuri sumus. Si tamen narratio turpium et auditio fiat præcisè ob complacentiam in modo loquendi faceto, eleganti, novo, curioso et ornato, absque aliâ pravâ intentione et affectu venereo, sine gravi commotione aut periculo pollutionis vel consensûs in libidinem, tunc esse tantùm veniale peccatum, auctores censent, secluso scandalo : supponunt enim quòd ista delectatio remotè solùm disponat ad turpia. Si tamen hæ narrationes essent omninò lascivæ, et audientes proni ad hæc vitia et fragiles, tunc possent esse mortales ratione scandali, et periculi commotionum venerearum : facilis est enim transitus à complacentiâ narrationis ad delectationem carnalem rei narratæ, præsertim si trahatur mora in his confabulationibus, nisi dùm prævidetur ac sentitur commotio, statim abscindantur, maximè quando fiunt inter personas diversi sexûs, ut experientiâ constat. Illa siquidem verba sunt quasi faces quibus accenduntur, et *qui amat periculum in illo peribit.* Vide D. Antoninum, 2 par., tit. 5, cap. 1, § 8.

Idem dicendum de nutibus, gestis, et maximè de cantilenis; qui enim libidinosas componunt, graviter peccant præbendo aliis incitamenta luxuriæ. Item qui eas cantant animo se oblectandi rebus narratis, aut periculum commotionis libidinosæ in audientes causandi, esto quòd obscœnitas verbis ambiguis obveletur : hæc enim quandoque magis ad libidinem incitant, quia mens attentiùs in penetrando sensu latente laborat, indeque majora adinvenit incitamenta luxuriæ, fortiùsque in corde infiguntur. Illas etiam cantare solà recreationis causà privatim se solo et delectari de accumine, elegantià et expressione, valdè periculosum videtur, cùm inde sit facilis transitus ad delectationem, et commotionem veneream, spectatâ conditione et fragilitate personæ. Quare si prævidet aut experta fuerit se inde commoveri ad libidinem, à gravi peccato excusari nequit, si eas cantet. Idem videtur dicendum de cantilenis amatoriis, si in cantante, aut in audientibus parem effectum et impressionem commotionis libidinosæ causent. Unde D. Anton. inter alia libidinis fomenta posuit istas cantilenas, et ex antiquis philosophis docet nihil esse potentius ad enervandum animum quàm melodiæ lenocinium. Finxit antiquitas à Sirenis maximum navigantibus naufragii periculum imminere, si vocis gratiam sequantur, quia, juxta Ambrosium, nihil aliud erant quàm puellæ quædam vocis suavitate canendi illecebris, audiendique studio navigantes illectos, in scopulos et locum naufragii pertrahentes. In eas Sirenas incidit Salomon.

Feci, inquit Eccl. 2, num. 8, *mihi cantatores et cantatrices, et delicias filiorum hominum*, quibus vocibus delinitus, à vero Deo recessit. Suavia illa profana et amatoria Sirenarum carmina, pestifera sunt quædam draconum sibila. His obscœnis cantibus delectatur diabolus, ejusque censentur venenata dulcedo, quibus repellendis, non desunt devotæ aut saltem honestæ cantiones. Inde inquit Chrysost. in Ps. 41 : *Ne dæmones lasciva et meretricia cantica introducentes omnia everterent, psalmos Deus construxit, ut eâ ex re simul caperetur utilitas et voluptas. Et quemadmodùm ubi est cœnum, eò porci concurrunt; ubi autem sunt aromata, et suffitus, apes illic habitant, ita quidem ubi sunt meretricia cantica, illic congregantur dæmones; ubi autem cantica spiritualia, illuc advolat Spiritûs sancti gratia, et os sanctificat animam.* Imò in organo divino cultui destinato, pulsare cantilenas profanas, et quod pejus est, turpes et amatorias, juxta Cajetanum in Summâ v. *Interrogatio*, et v. *Organum*, est peccatum mortale ex genere suo. Catechismus Conc. à mollioribus cantibus tanquàm ab incitamentis luxuriæ, diligenter cavendum præcipit.

Libros de materiâ luxuriæ tractantes componere ob bonum finem, puta ob salutem spiritualem, aut corporalem proximi procurandam, prout faciunt casuistæ, confessores et medici, non est peccatum, dummodò non adsit periculum consensûs in libidinem, sed *meritorium*. Benè tamen si condantur ad delectandum lectores his turpibus rebus, aut prævideatur inde periculum lasciviæ certò aut probabiliter ipsis eventurum. Peccant similiter eos legentes animo se his obscœnis delectandi, aut cum periculo commotionis et pollutionis, etiamsi ex solâ curiositate eos evolvant. Libros autem amatorios, vulgò *Romans* nuncupatos, valdè legentibus periculosos esse censeo, præsertim utriusque sexûs juvenibus. Eos inter libidinis incitamenta reponit Catech. conc. Trid., p. 3, de 6 Decal., mand. in fine, dicens : *Quo in genere, numerantur item libri obscœni et amatoriè scripti, qui ita vitandi sunt, ut imagines quæ aliquam turpitudinis speciem præ se ferunt, cùm ad turpes rerum illecebras, inflammandosque adolescentûm animos, vis in illis sit maxima.* Nam continent et docent doctrinam moralem diaboli, corruptionem seculi, ac pompas in regulas tradunt, et sequendas exponunt; profani amoris imperium inducunt, et extendunt, carnis illecebras fovent, passiones excitant, corda emolliunt, mentem nugis noxiisque replent, vitia sub ementità honestatis larvâ amanda exhibent, fragilitates humanas deplorandas, tanquàm præclaras dotes et virtutes heroicas laudant, extollunt, et canonizant, gentilem animum efficiunt, omnemque devotionis sensum extinguunt, ut mox ostensuri sumus agendo de comœdiis nostri temporis; eadem quippe est illorum damnationis et vituperationis ratio. Inde isti omnes libri, sicut et fœdæ tabellæ, flammis acribus sunt devovendi ac in cinerem redigendi, imitando noviter ad Christianæ

smum conversos, de quibus D. Lucas narrat Act. 19, quòd similes libros coram omnibus combusserunt ascendentes usque ad pretium quinquaginta millium nummorum, nullà raritatis habità ratione. Idem dicendum et faciendum censeo de missione epistolarum aut munerum : si enim litteræ ad amorem pravum incitent et concupiscentiam foveant, mortale est scribere, destinare et legere; similiter et munera ex pravo fine amoris illiciti mittere, et huic consentiendo recipere. Idcòque concremari debent, in signum veræ conversionis, et pœnitens generosè dicere : Vos perdam, ne perdar à vobis; præclarum sanè lætitiæ ignem et jucundum cœlestibus spectaculum exhibebit, cùm gaudium sit angelis super uno peccatore sic sincerè pœnitente, Luc 15.

Articulus VI.

De comœdiis et de choreis

Componentes et repræsentantes comœdias, quæ res valdè turpes et ad libidinem excitantes continent, absque dubio mortaliter peccant; quia aliis spiritualis ruinæ causam, vel occasionem præbent, quantumvis illam non intendant. Et talibus comœdiis interesse, est de se peccatum mortale, ob scilicet periculum imminens libidinis et delectationis venereæ cui temerè se exponunt.

Componere verò, repræsentare, vel spectare comœdias, in quibus nihil turpe et obscœnum, nec in substantià nec in modo repræsentatur, sed affectus inordinati duntaxat amasiorum, voce, gestu, carmine modulato, instrumentorum symphoniâ, machinis, luminaribus aliisque lenociniis exhibentur, prout fit in comœdiis nostri temporis, præsertim in iis quæ vulgò *Opera* nuncupantur, quamvis quidam auctores illas à peccato lethali excusare nitantur, dico tamen hujusmodi comœdias esse valdè periculosas : ideòque ab omnibus, maximèque ab utriusque sexûs juvenibus omninò fugiendas, tanquàm libidinis incentivas, et peccandi occasiones præbentes. Hæc nostra conclusio probari posset iisdem rationibus, quibus Tertullianus, D. Cyprianus, Chrysost., Clemens Alexandrinus aliique sancti Patres usi sunt contra spectacula. Ita enim quadrant comœdiis nostri temporis, ut sancti Patres in eas calamum strinxisse, aut potiùs damnationis fulmina vibrâsse videantur : non enim minùs quàm spectacula, ad mundi pompam et diaboli inventionem spectant, ac ab idololatris emanârunt, nec minùs istæ fictiones à Deo veritatis auctore reprobantur, nec minùs mentes profanis et noxiis cogitationibus implent, ac pietatis sensum extinguunt, nec minùs Christianum dedecent, cujus vita crux debet esse et martyrium, si juxta Evangelium vivere velit; neque minùs oblectamentum istud temporale æterno cruciatu punietur : *Momentaneum enim quod delectat, æternum quod cruciat.*

Tandem, quamvis nostri temporis comœdiæ ab idololatriâ et superstitione absint, et scena sanguine aut apertâ turpitudine non fœdetur, prout fortè contingebat in ethnicorum spectaculis, attamen sunt æquè efficaces, imò et efficaciores ad ciendos pravos affectus et inordinatos motus luxuriæ, crudelitatis, ambitionis aliorumque vitiorum excitandos, ut docet D. Thomas, 2-2, q. 167, art. 2, ubi cùm sibi objecisset istud argum. : Curiositas videtur esse in inspectione ludorum. Unde August. dicit, lib. 6 Confess., cap. 8, quòd quodam pugnæ casu, cùm clamor ingens totius populi vehementer Alipium pulsâsset, curiositate victus aperuit oculos, etc. Sed inspectio ludorum non videtur esse vitiosa, quia hujusmodi inspectio delectabilis redditur propter repræsentationem, in quâ homo naturaliter delectatur. Ergo, etc. Ecce argumentum quo utuntur patroni comœdiarum. Cui sic respondet D. Thomas ad 2 : *Dicendum quòd inspectio spectaculorum vitiosa redditur, in quantum per hoc homo sit pronus ad vitia vel lasciviæ, vel crudelitatis, per ea quæ ibi repræsentantur ; unde Chrysost. dicit quòd adulteros et inverecundos constituunt tales inspectiones.* Idque confirmari potest ex iis quæ loco citato refert D. August., de Alipio. Quando autem D. Thomas, 2-2, q. 168, art. 3, ad 3, docet histriones non esse in statu peccati, etc., non est sibi contrarius. Solùm enim loquitur de illis qui potiùs mercaturam, quàm spectacula exercent, quatenùs scilicet utuntur aliquibus honestis, facetis, et ridiculis ad attrahendum et delectandum populum, indeque commodiùs balsamum, theriacam aliaque vendendum, quibus sustentari valeant; quod quantùm distet ab spectaculis et comœdiis nostri temporis, omnes nôrunt.

Probatur ratione nostra conclusio : quamvis historiæ illæ amatoriæ, aut turpes, crudeles, honoris mundani ambitionem ostentantes, etc., fictè à fictis repræsententur, non propterea desinunt excitare motus inordinatos in spectatoribus, sicut, imò magis quàm fictè in libris narrata, aut in tabellis repræsentata quæ licet mortua et inanimata, non desinunt movere potentiam, ut ipsa docet experientia, et ostendit D. August., lib. 1 Confess., cap. 12. Quantò magis hæc objecta passiones inordinatas commovebunt in comœdiis animatâ voce modulatâ, facie comptâ, gestu proportionato, habitu ornato actorum, qui ad hoc unum tendunt et collimant ut spectatores commoveant, similemque affectum in eorum corda imprimant? sicque non casu et per accidens, sed per se ac essentialiter comœdiæ animos emolliunt, trahunt, rapiunt ad illos inordinatos affectus, ex fine scilicet auctorum, actorum, et spectatorum, qui volunt heroinam amari usque ad amentiam et deliquium, adorari, timeri, etc. Imò si auctor vel actores istarum comœdiarum, passiones, quas exprimunt, ciere nequeant, nullatenùs approbantur, frigidi, ac tædiosi apparent, et deseruntur.

Confirmatur. Non pauci ex illis qui comœdias frequentant, fatentur in istis comœdiis latere quoddam virus sensim animos improvidorum inficiens : dùm enim ratio cantu, repræsentatione, alliisque alicientibus, delectationis quasi ebrietate absorbetur, hujusmodi affectus secretò se insinuant, irrepunt, dominantur, et placent, nullo impediente, imò nec adver-

tentæ : et in hoc latet periculum ac venenum lenocinantis voluptatis, et victricis passionis, velut in aureo Babylonicæ meritricis poculo propinatum. Quantùmcumque enim ipsi comœdi, ne reprehendantur neque à magistratibus expellantur, istæ luxuriæ, crudelitatis, et ambitionis passiones larvâ quâdam honestâ, veloque pulchro contegere satagant, verùm id tantò periculosiùs agitur quantò fœditas fucata, et hâc apparente honestatis umbrâ velata sensim in animos improvidorum spectatorum fortiùs irrepere consuevit, dùm incauti accurrunt, maximè juvenes ad vitia carnis vindictæque procliviores, qui eas avidiùs sequuntur blanditiis delectationis deliniti, et irretiti, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorantes quòd ad vincula stulti trahantur, donec transigat sagitta cor eorum, velut si avis festinet ad laqueum, et nesciunt quòd de periculo animæ illorum agitur, ut lamentatur Sapiens Proverb. 7, ubi salutarem monitionem istas fugiendi illecebras ipsis tradit, sed, heu ! inquit August., serm. 242 de Temp., *juventuti malorum venenum est, quidquid veritas præcipit : esca est quidquid diabolus suggerit.* Ætas ista, subdit August., pluribus ac majoribus tentationum tempestatibus quatitur, hæc fluctuum crebriori impetu seculi inundantis operitur, calens, ignea, illecebrosa deliciis facilè despumat in libidinem, ideòque majori cautione et securitate illi opus est. Ad quid igitur istis comœdiis, amoris carnalis ignem magis in se excitant ? ad quid tentationes ex proposito sibi parant, laqueos talesque, ut iis miserè succumbere inevitabile sit, ubi tot tantisque lenociniis invitantur ac efficaciter pertrahuntur ut fruantur bonis, utantur creaturâ tanquàm in juventute celeriter, et non prætereat eos flos temporis, ut se rosis coronent antequàm marcescant, nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria eorum; nemo eorum sit exors luxuriæ; ubique relinquant signa lætitiæ, quoniam hæc est pars et sors ipsorum in terrâ, ut describit Salomon, Sapient., 2 cap.

Facilè sequuntur hos inordinatos affectus tot tantisque blandientibus repræsentationibus ac lenociniis excitatos, quia, ut inquit D. Augustinus, lib. 3 Confess. cap. 2, seipsos vident in personâ aliorum repræsentatos, et interiori quodam latente corruptionis fundo, in seipsis eamdem tragœdiam tunc agunt ac exprimunt. Nec opus foret tot armis cor jam victum impetere, aut tot objectis emollire tentatum per omnia ac commotum, neque tanto apparatu et artificio laborare ad ciendos inordinatos affectu satis superque de se à naturâ potentes ac indomitos : mens enim his impleta, nugis ligata, absorpta, excæcata, regere, attendere, vigilare, et præcavere nescit; voluntas delectatione emollita eos compescere nequit ac resistere, nec tenetur ad hoc præstandum Deus suam conferre gratiam præsumptuosis temerè de industriâ in periculum et tentationem se conjicientibus.

Confirmatur adhuc : Quamvis enim amor profanus in comœdiis nostri temporis repræsentetur depuratus ab illicitis fœditatibus realibus, factisque de se impudicis. (quæ tamen in locis theatrum circumstantibus secretò ab spectatoribus non rarò usurpari ac exerceri multi dicunt), quocumque tamen colore pallictur ac honestetur, semper ingerit et fovet concupiscentiam carnis et oculorum, ut ex Bedâ tradit D. Thomas, 2-2, q. 167, art. 2 in *Sed contra*. Imò si ista crudelia et turpia objecta realiter ut sunt in se exercerentur, adstantibus horrorem et confusionem ingenerarent. Ars igitur et cura illa velo contegendi multùm conducit ad pertrahendas alliciendasque spectatorum voluntates in concupiscentiam, modo quidem artificioso, subtili et ingenioso, sed non minùs, imò magis periculoso, dùm honestior et purior apparet. Esto itaque quòd nudæ fœditates in comœdiis non exhibeantur, relinquuntur tamen cogitandæ, majoresque imaginandæ, ac delectatione morosâ fovendæ, indeque excitatur libido aliaque innumera oriuntur, et consequuntur mala, ut experientiâ constat.

Confirmatur tandem : Comœdiæ istæ doctrinam moralem diaboli in libris et carminibus amatoriis exaratam prædicant, laudant, explicant, ac in praxim reducunt. Doctrina ista moralis est collectio falsarum opinionum, quæ ortum habent à concupiscentiâ carnis, et oculorum, et à seculi corruptione, quæ in theatro semper laudabiles, amabiles, delectabiles ac prosequendæ sub honesto velo exhibentur : item amoris profani, vindictæ, crudelitatis, honoris mundani, ambitionis passiones, aliaque vitia fucato virtutis colore exutâ turpitudine ac infamiâ, tanquàm præclaras dotes, quæ heroes et heroinas constituunt, proponit : tandem fragilitates humanas deplorandas excusat, imò extollit, et consecrat, tanquàm quid nobile, honorificum, generosum ac planè divinum. Hæc omnia diabolicæ moralis documenta discuntur, ac in praxim deducuntur in nostris comœdiis. Ibi utriusque sexûs juvenes profanum amorem oculis, et visu hauriunt ac imbibunt, artemque declarandi ac ingeniosè exprimendi illam passionem, nec non mutuum ardorem sibi communicandi, sensim edocentur; dum femina, quæ tanquàm heroina repræsentatur pudica, fortis, modesta, fatetur tandem se Cupidinis telo sauciatam, illoque amore correptam quasi deperire, non erubescit in theatro publicè profiteri se victam illi passioni succubuisse, nec inde ab adstantibus vituperatur, sed placet, sed laudatur, sed approbatur, et tanquàm heroina proclamatur. An non similem puella ex adstantibus et spectantibus quærit, exoptat et ambit habere sortem, eamdemque cum amasio tragœdiam realiter exprimere ? An non sensim exuet pudorem et horrorem quem mos et bona educatio in ejus mentem invexerat, et quo tanquàm repagulo ne præceps rueret, retinebatur ? Nonne insano amore emollita et quasi inebriata, naturæ corruptæ delectabiles et periculosas inclinationes sequi, præclarum et honorificum æstimabit ? Nonne sicut arundo vento agitata eorum nutu et impulsu movebitur, aget, sentiet ac loquetur ? Sanè experientia id tanquàm certum comprobat, indeque promanant deordinata turpiaque facta

inter diversi sexûs juvenes ferè quotidiè prodeuntia non sine scandalo et infamià.

Dicet forsan aliquis me fingere monstra quæ feriam; nihil quippe tale ex comœdiarum inspectione in se sensit ac expertus est. Verùm timeat iste ne cor Pharaonis induratum gerat, et sicut hic iræ Dei flagello non movebatur, sic iste dæmonis tela non percipiat; caveat ne insensibilitas hæc ab inveterato concupiscentiæ et delectationis venereæ habitu proveniat, quo tanquàm in statu mortis spiritualis constitutus, sensu careat; ne assuefactione horrorem istorum monstrorum amiserit; per eam siquidem feræ mansuescunt; et qui cloacas incolunt, fœtorem non sentiunt: et tandem ne ista malignitas sit in centro, ideòque conscientiam non gravet: nam et in profundo maris existentem pondus aquarum non premit. Nec se sanum reputet ex hoc quòd inflictum vulnus non advertat: tantò enim periculosius est, quantò secretius et profundius. Quandoque morbidæ qualitates paulatim in corpore congregatæ non apparent, neque temperamentum disturbant, quæ tamen postea erumpentes sine remedio mortem afferunt: ignis cinere coopertus etsi non comburat, propterea extinctus non est. Semen in terrâ latitans, non cernitur, sed suo tempore profertur et fructificat: sic concupiscentiæ ignis in isto quasi tegitur, sed postea insufflante dæmone discooperietur ac comburet. Ista dæmonis doctrina quasi semen in corde latitat; sed datâ occasione erumpet ut fructificet morti. Sicut enim verbum Dei in animâ seminatum non illicò fructus profert, sed quandoque per aliquot annos reconditum manet nullumque effectum sensibilem edit, quousque Deo sic ordinante, insurgit ut fructificet Deo, ita verbum diaboli per has comœdias in corde peccatoris seminatum, aliquando quasi mortuum manet: postea verò datâ occasione dæmon illud vivificat, refricando ideam et memoriam istarum repræsentationum, ut det fructum damnationis in tempore suo.

Tandem si neque hæc pericula timeat, non propterea sibi applaudat, cùm enim comœdi non nisi pro pecuniâ ludant, hoc ipso quòd iste est de numero confluentium atque solventium, censetur unà cum aliis, illos per se movere ad comœdias peragendas, ac fovere in peccato concurrendo ad scandalum quod infirmis spectatoribus præbent. Unde August. super Joannem dicit quòd « donare res suas histrionibus, « vitium est immane, » quia scilicet cooperantur illis peccato scandali, qui donant. Insuper suâ exteriori assistentiâ malum infirmioribus exemplum exhibet eosque excitat et pertrahit ad similiter assistendum; dicunt enim: Cùm viri aut mulieres probatæ vitæ illuc adeundi ac spectandi non faciant sibi scrupulum, sanè non est res mala, sed indifferens: aliàs abstinerent: possum et ego ad comœdias absque scrupulo accedere, etc.: *Et sic peribit infirmus in tuâ scientiâ, frater*, inquit Apost. 1 ad Corinth. 8. *Sic autem peccantes in fratres et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, quapropter si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Quantò magis personæ timoratæ ab inspectione comœdiarum abstinere debent ad vitandum infirmorum scandalum? et adhuc magis ad hoc tenentur clerici ac religiosi, quia faciliùs ab iis imminet tale scandalum. Si plura velis de comœdiis, vide in tractatu de Just. et Jure, ubi ista materia fusè pertractatur, sicut et materia chorearum.

Hic breviter monebo choreas in praxi eo modo quo fieri nunc solent, esse periculosas, multisque præbere occasionem peccandi: illas maximè quæ de nocte usurpantur, non paucis deordinationibus scatere, libidinem excitare, plerasque turpitudines inducere experientiâ constat; dæmones enim rectores tenebrarum circumagunt ad inflammanda corda et corpora luxuriæ æstu: unde D. Hieron., Epist. ad Furiam eam sic hortabatur: *Fidicinas et psaltrias et hujusmodi chorum diaboli quasi mortifera Sirenarum carmina, proturba ex ædibus tuis.* Et Theodoretus ad istas saltationes refert mundi diluvium, dicens q. 47 in Genes.: *Illecti filii Dei, ut verisimile est, instrumentis musicis à filiabus hominum excogitatis* (Thubal enim inter eas florens citharam invenerat) *permixti sunt illis, et contaminaverunt suam nobilitatem.* Et Clemens Alexandrinus, lib. 2 Pædag., cap. 4, ait: *Hæc instrumenta magis bestiis quàm hominibus conveniunt: cervas enim fistulis demulceri accipimus, et in laqueos inter venandum cantu duci.* Ita homines his fistulis et cantibus in luxuriæ retia à dæmonibus illaqueantur. Tandem Cyrillus Alexandrinus congruenter hæc verba adjungit: *Ubi citharæ sonus est et tympanorum pulsus, ac tibicinum concentus, cum numerorum concinnitate et plausibus, ibi omninò est et omne genus fœditatis, eaque fiunt clam ab illis, quæ turpe est vel dicere.*

Quidam tamen excusant choreas quæ de die publicè in plateis à simplicibus exercentur, neque de his volunt confessarios et pastores esse nimiùm scrupulosos et anxios. Ita ut rustici in diebus festivis non sint prohibendi à choreis post Missam ducendis; imò imprudenter dicunt arceri ab illis. Cùm enim non sint opus servile, non sunt peccata ex hâc parte: aliunde verò, nisi his occuparentur, vacarent otio, libidinibus, ebrietatibus, furtis, malisque machinationibus reipub. perturbativis, sicque pejus esset; et hoc modo magnâ ex parte aufertur inde occasio vitiorum, dùm choreæ pro more regionis et coram aliis publicè exercentur. Tollendi sunt tamen abusus, si qui misceantur, et modestia procuranda, quoad fieri potest. Ex periculo autem provocationis ad libidinem, unusquisque seipsum mensuret, et videat si periculo se exponat: et propterea si ex qualitate personæ, periculum alicui imminet, provideat sibi illas fugiendo; sicut debet sibi cavere etiam ab aspectu mulieris, si inde cognoscat sibi imminere periculum: idem dicendum siquis ex malâ intentione, puta ad fornicationem provocandi, aut alias impudicitias excitandi, choreis utatur. Verùm hæc per accidens hujusmodi ludis vanitatis et lætitiæ contingunt, suntque accidentia mala quæ à malis abutentibus re bonâ aut indifferenti immiscentur. De his vide Cajetanum et Sylvestrum,

v. *Chorea*. Contra choreas loquuntur sancti Patres Chrysost., homil. 49 in Matth.; S. Ephrem Syrus; D. Ambros., lib. 3 de Virginibus cap. 5 et cap. 6, et alii. Unde etiam multi prælati in suis diœcesibus meritò choreas prohibent ob tale periculum.

QUÆSTIO TERTIA.

DE MOTIBUS SENSUALITATIS, DE COGITATIONIBUS MOROSIS, ET DELECTATIONIBUS VENEREIS.

Nono Decalogi præcepto, *non concupisces uxorem proximi tui*, prohibet Deus ne pravis concupiscentiæ motibus obediamus ac consentiamus, et præcipit ut ab illicitis carnalibus desideriis, ac venereis etiam cogitationibus abstineamus, quod paucis verbis Sapiens complexus est Eccl. 18 : *Post concupiscentias tuas non eas*. Abit enim post concupiscentiam, qui suggestioni non repugnat, qui nascentem in corde delectationem non præfocat, quia fieri nequit ut consensus in peccatum diuturniorem delectationem non sequatur.

ARTICULUS PRIMUS.

An motus sensualitatis sint peccata.

In sensualitate, ut sensualitas est, constat nullum esse peccatum, quia hoc modo nobis communis est cum brutis : in illis enim sicut et in nobis appetitus habet proprios suos naturales motus, qui proinde ut tales præcisè considerati, non sunt laudabiles nec vituperabiles, neque sunt in potestate nostrâ quatenùs insurgunt naturaliter. Hæc namque intercedit differentia inter appetitum sensualem, et partes corporis nostri quoad subjectionem ad rationis imperium; quòd manus, v. g., et pedes illi obediunt serviliter, et despoticè, seu absque ullâ libertate, moveo siquidem manum meam quando volo absque ejus resistentiâ, appetitus verò sensualis ut est in nobis, obedit quidem rationis imperio, sed politicè tantùm, potestque resistere, prout ait Apostolus ad Galat. 5 : *Caro concupiscit adversùs spiritum*, etc., habetque proprium motum et impetum. Unde sensualitas humana, seu prout in homine, habet quamdam excellentiam ex hoc quòd sit connexa cum appetitu rationali, ac gubernari et regulari possit per rationem modo regio et politico. Indeque provenit ut possit esse quodammodò principium actûs voluntarii ac subjectum peccati venialis, prout docet Cajetanus, quia cùm veniale sit quid imperfectum in genere peccati, ad illud committendum sufficit imperfecta ratio potentiæ et objecti, qualem habet sensualitas in nobis, sicut et libertatem sufficientem, ut ei tale peccatum imputetur, in quo differt à manu et pede, qui cùm nullo modo liberè se moveant, nullum ipsis attribuitur peccatum. Alii verò auctores volunt istos sensualitatis motus in nobis esse veniales, non quia appetitui sensitivo præcisè secundùm se sumpto insit aliqua imperfecta libertas, sed duntaxat propter rationis et voluntatis negligentiam in quantum scilicet hos motus prævenire et impedire potuit, et non fecit.

Quid autem circa hoc sentiendum sit, indaganda est D. Thomæ mens. Docet autem S. doctor q. 7 de Malo, art. 6, ad 8, quòd quia appetitus movetur ab aliquâ apprehensione, et tamen est virtus in organo corporali, ideò dupliciter potest motus ejus insurgere. Uno modo ex corporis dispositione, alio modo ex aliquâ apprehensione. Dispositio autem corporalis non subjacet imperio rationis, benè tamen omnis apprehensio : potest enim ratio prohibere usum cujuslibet apprehensivæ potentiæ, maximè in absentiâ sensibilis secundùm tactum, quod quandoque removeri non potest. Quia ergo peccatum est in sensualitate secundùm quòd potest obedire rationi, motus sensualitatis primus qui est ex dispositione corporali, non est peccatum, et hunc appellant aliqui primò primum. Secundus autem motus qui excitatur ex aliquâ apprehensione est peccatum. Primum enim ratio nullo modo vitare potest; secundum autem vitare potest quantùm ad singulos, non autem quantùm ad omnes, quia dùm avertit suam cogitationem ab uno, incurrit in aliud, ex quo potest insurgere motus illicitus. Hactenùs D. Thomas. Vide etiam 1-2, q. 17, art. 7; et q. 74, art. 3, ad 2; et lib. 2 Sent., dist. 21, q. 1, art. 2, in corp. et ad 5, et dist. 24, q. ultim., art. 2, et 3 p., q. 41, art. 1, ad 3.

Igitur regula generalis est, illos motus sensualitatis qui ex dispositione solâ corporis proveniunt, et omnem rationis usum subitò præveniunt, quosque nullo modo vitare potest, indeque propriè vocantur motus primò primi, non esse peccata venialia : benè tamen illos qui ex apprehensione procedentes aliquantulùm rationis usum consequuntur, ita ut præcaveri ac repelli valeant, ac propriè vocantur motus secundò primi. Quia cùm voluntas possit singulos istos motus divisivè sumptos, etsi non omnes simul, prævenire ac præcavere, quælibet negligentia ad istud præstandum, sufficit ut sint aliquo modo ac imperfectè voluntarii, ipsique voluntati imputantur ad culpam venialem : ex hoc enim quòd incipiunt motus sensualitatis deordinari per delectationem, voluntate negligente ne prævaleant, quando potest cohibere, sunt peccata venialia, dummodò in motibus non intendatur delectatio, nec sit periculum consentiendi. Tunc enim graviter repugnant rationi, incitant ad ulteriorem libidinem, et sunt peccata mortalia, suppositâ deliberatione et tantâ quantitate, quantùm sufficit ad peccatum mortale. Ut enim inquit D. Thomas, q. 7 de Malo, art. 6, ad 6, quando voluntas se habet ut movens et imperans, puta dùm ex proposito motum concupiscentiæ illicitæ excitat, tunc si illicitum sit in genere peccati mortalis, erit mortale peccatum. Item delectatio morosa non solius temporis morâ, sed consensûs expressi vel taciti, in his quæ sunt ex genere suo mortalia, est peccatum lethale, prout mox ostensuri sumus. Motus itaque venerei si à voluntate excitentur deliberatè vel etiam illis aliunde excitatis, si consensum expressum aut tacitum delectationi venereæ præbeat, sunt mortales; secùs dicendum si hos nec voluntate homo excitet, nec suâ actione intendat;

tunc enim solùm videntur juxta quosdam auctores veniales ratione causæ quam homo apposuit, si illa sit tantùm venialis ex se, ut sunt verba jocosa, aspectus immoderatus, lectio curiosa, tactus non inhonesti, dummodò insurgant absque deliberato consensu voluntatis, sed potiùs ipsi displiceant, velletque non exurgere. Id tamen videtur mihi satis lubricum et suspectum, ob periculum consensûs in delectationem cui iste homo ex causâ vanâ, nec habente aliquam honestatem aut utilitatem se exponit; præsertim si dùm sentit istos motus insurgere, non abstinet ab istâ actione. Quando verò hi motus proveniunt ex causâ habente necessitatem aut utilitatem, aut honestatem, ut ex audientiâ confessionum, etc., tunc non sunt peccata etiamsi prævideri et caveri potuerint, cessante periculo consensûs in libidinem, prout dictum est supra de pollutione.

Tandem in praxi tutius ac probabilius est asserere omnem motum sensualitatis plenè voluntarium esse peccatum mortale, nisi inter conjuges fiat, nec in his venereis dari parvitatem materiæ : tum quia tunc ex suâ ratione et naturâ tendunt ad seminis effusionem et ad coitum non minùs quàm oscula et tactus libidinosi, licet ab operante id non intendatur neque sequatur; tum propter periculum pollutionis quod inducunt, tum denique quia in re tam lubricâ et periculosâ, ferè impossibile est distinguere materiam levem à gravi, et mortalem delectationem à veniali, dùm adest plena advertentia et consensus, neque motus isti reprimuntur, sed placent voluntati. Neque est eadem ratio de aliis materiis, non enim quælibet actio furtiva respicit grande ac notabile objectum, benè tamen quælibet delectatio venerea, utpote quæ ex naturâ suâ tendit ad seminis effusionem; hæc autem est contra bonum commune prolis, infertque grave damnum, nisi inter conjuges, et in vase debito fiat : ideòque est peccatum mortale, proinde et ea quæ ad illam ordinantur.

Articulus II.

De cogitatione et delectatione morosâ in genere.

Cogitationis peccata, ut asserit Cajetanus in Summâ, v. *Cogitatio*, quinque modis inveniuntur. Primò, dùm mens vanâ aliquâ cogitatione occupatur, et est peccatum veniale. Secundò cùm consentitur absolutè in peccatum aliquod perpetrandum, aut placet perpetratum, et tunc constat esse mortale, si peccatum perpetratum aut patrandum est mortale; similiter esse veniale, si peccatum est veniale. Tertiò quando conditionaliter consentitur in peccatum, puta si absque infamiâ et periculo, etc., possem, furarer : aut si possem volare, occiderem talem. Et sic de aliis conditionalibus. Et intervenit peccatum in istis consensibus tam mortale quàm veniale, sicut in consensu absolutè; id est, consensus iste conditionalis est peccatum mortale, si operatio in consequente significata in quam conditionaliter consentitur, est mortalis; si verò sit venialis, consensus quoque erit venialis. Et ratio est, quia licet conditionalis nihil ponat in esse, ponit tamen in voluntate affectum colendi illud peccatum : nec impedimentum peccato affert voluntas non peccandi, sed conditio non existens. Nec refert quòd sit impossibilis aut possibilis; non minùs enim peccat qui vellet destruere paradisum, si posset, quàm qui absolutè cupit paradisi destructionem. Hujusmodi autem conditionales consensus possent excusari à mortali, si conditio interposita tolleret ab actione volitâ rationem peccati; puta si quis diceret : Ego, si non esset peccatum, occiderem, raperem; vel, si Deus præciperet, id facerem, quia tunc voluntatis affectus et consensus freno rationis à peccato retrahitur. Quæ tamen Cajetani doctrina mox à nobis examinabitur, sicut et sequens. Addo quòd in præsenti materiâ, licet ista volitio conditionalis, v. g., vellem habere copulam cum hâc feminâ, si esset uxor mea, nihil ponat in esse, tamen delectatio hîc et nunc proveniens ex tali cogitatione et volitione, est absoluta et mortalis, ut dicetur infra. Quartò quando consentitur conditionaliter in opus non malum, sed sibi illicitum propter suum statum, ut si religiosus vellet ducere uxorem, si esset liber, voto non adstrictus, et sic de aliis. In hujusmodi enim peccatum veniale communiter intervenit propter remissam voluntatem à bono inchoato. Et ad hunc peccandi modum spectat dùm quis consentit, quòd si ingressus jam non esset religionem, minimè ingrederetur, ex quo tamen professus est, intendit servare eam. Manifestè siquidem apparet remissio voluntatis à fervore priùs habito : quia tamen consensus intra limites liberi temporis consistit, peccatum mortale non intervenit. Et scito omnes cogitationes conditionales secundùm modum, et multò magis secundùm præcedentem modum, esse opera et tentationes fatuas et diabolicas. Nam diabolicum est quemquam se aut alium in tentationem præcipitare; v. g., si esset, si fuisset, facerem, dicerem, etc.; ad nihil enim hæc ducunt, nisi ad peccatum. Quinto modo, quando in cogitando intervenit delectatio morosa, quæ est voluntaria delectatio de actu malo cogitato, sine voluntate exequendi cogitatum actum illum malum. Hactenùs Cajetanus.

Docet autem D. Thomas, 1-2, q. 74, art. 6, in corp, quòd *peccatum dicitur esse in ratione in quantum est directiva humanorum actuum : et ideò quando ratio deficit in directione interiorum passionum, dicitur esse peccatum in ratione, sicut etiam quando deficit in directione exteriorum actuum. Deficit autem ratio in directione passionum interiorum dupliciter : uno modo quando imperat illicitas passiones, sicut quando homo ex deliberatione provocat sibi motum iræ vel concupiscentiæ. Alio modo quando non reprimit illicitum passionis motum sicut cùm aliquis postquàm deliberavit quòd motus passionis insurgens est inordinatus, adhuc circa ipsum immoratur, et ipsum non expellit; et secundùm hoc dicitur peccatum delectationis morosæ esse in ratione, sicut in primo motivo, licet sit in vi appetitivâ sicut in proximo principio.* Hactenùs D. Thomas. Itaque subjectatur in ratione tanquàm imperante. Et ibidem, ad 3, ait quòd delectatio dicitur morosa, non ex morâ temporis, sed

ex eo quòd ratio deliberans circa eam immoratur, nec eam repellit, tenens et volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, ut Augustinus dicit lib. 12 de Trinitate. Quare in instanti aut brevi tempore perfici potest istud lethale peccatum, nempe statim ac adest plenus ac deliberatus consensus, quo homo advertens tale objectum esse illicitum, in eo delectatur et immoratur, cùm tamen deberet resistere, aut ad alia cogitationem suam transferre : in quo planè decipiuntur multi, præsertim rudes et fœminæ, nam de his cogitationibus non se accusant, eò quòd per longum tempus huic delectationi non immorati fuerint, quamvis deliberatè et cum advertentiâ illis adhæserint. Mihi enim sæpè contigit tales interroganti pœnitentes an turpes cogitationes, cum delectatione et consensu habuerint, respondisse se nec moram traxisse neque consensisse. Et cùm iterùm interrogarem quo durante spatio deliberatè et delectabiliter in his turpibus cogitandis remanserint, respondisse per quadrantem, aut sesquihoram, reputantes longiorem temporis requiri moram ad hoc peccatum contrahendum : tum maximè quòd istam delectationem qualitercumque ac cogitationem fortè abjecerint, scilicet postquàm plenè et deliberatè illi consenserunt; putant enim id sufficere ad evitandum peccatum et obligationem de illo se accusandi. Item has delectationes et cogitationes morosas nihil æstimant, si voluntas efficax operis exequendi non adfuerit, licet morosè his delectati fuerint, solentque dicere id leviter transiisse, nec eos animum habuisse talia patrandi, etc.; quare confessarius debet esse diligens, cautus et prudens in his interrogandis ac instruendis.

D. Thomas ibidem, a. 8, in corpore, ait, quòd cùm omnis delectatio consequatur aliquam operationem, et habeat aliquod objectum, ad duo comparari potest, scilicet ad operationem ad quam consequitur, et ad objectum in quo quis delectatur. Contingit autem quòd aliqua operatio sit objectum delectationis, sicut et aliqua alia res, quia ipsa operatio potest accipi ut bonum et finis in quo quis delectatus requiescit; et quandoque quidem ipsamet operatio, quam consequitur delectatio, est objectum delectationis, in quantum scilicet vis appetitiva, cujus est delectari reflectitur in ipsam operationem, sicut in quoddam bonum. Puta cùm aliquis cogitat et delectatur de hoc ipso quòd cogitat, in quantum sua cogitatio placet. Quandoque verò delectatio consequens unam operationem, puta cogitationem aliquam, habet pro objecto aliam operationem quasi rem cogitatam, et tunc talis delectatio procedit ex inclinatione appetitûs, non quidem in cogitationem, sed in operationem cogitatam. Sic igitur aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari. Uno modo de ipsâ cogitatione : alio modo de ipsâ fornicatione cogitatâ. Delectatio autem de cogitatione ipsâ sequitur inclinationem affectûs in cogitationem ipsam, cogitatio autem secundùm se, non est peccatum mortale, imò quandoque est veniale tantùm, puta cùm aliquis inutiliter cogitat de eâ. Quandoque sine peccato omninò, puta cùm aliquis utiliter de eâ cogitat, sicut cùm vult de eâ prædicare aut disputare; et per consequens affectio et delectatio, quæ sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum. Unde nec consensus in talem delectationem de cogitatione rei venereæ tantùm speculativâ, et nullo modo practicâ, est peccatum mortale, sed dummodò quis inde advertenter non videat ob suam fragilitatem malamque dispositionem se duci in probabile periculum consentiendi in delectationem carnis sensualem vel in opus exterius carnale.

Quòd autem aliquis cogitans de fornicatione, delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc quòd affectio ejus inclinata est in hunc actum. Unde quòd aliquis consentiat in talem delectationem ex cogitatione practicâ, hoc nihil aliud est quàm quòd ipse consentiat in hoc quòd affectus suus sit inclinatus in fornicationem : nullus enim delectatur nisi in eo quod est conforme ejus appetitui; quòd autem aliquis ex deliberatione eligat quòd affectus suus conformetur his quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est lethale peccatum. Hactenùs D. Thomas, et in q. 15 de Verit. art. 4. Hinc delectari præcisè de ipsâ cogitatione, et ex solo affectu ad illam, puta quia est de miris ac novis, subtilibus, etc., ut si quis delectetur cogitando de modis extraordinariis perpetrandi peccata, v. g., furandi, consequendi uxorem alienam, de stratagematibus belli aut duelli, etc., absque ullo prorsùs affectu ad rem malam cogitatam, non est mortale peccatum, nisi adsit periculum consensûs in delectationem actûs illiciti, et commotionis libidinosæ, quod de facili potest evenire in hâc materiâ lubricâ præsertim personis curiosis et ad res venereas affectis. Ideòque tutius est ab istis cogitationibus animum avertere, dùm ad actum se propensum aliquis sentit : nam si sentiat se moveri ab opere cogitato malo, et cum advertentiâ ac deliberatione de eo delectetur, jam committit peccatum morosæ delectationis, quæ erit mortalis, si opus cogitatum delectans sit mortale; venialis verò, si opus sit tantùm veniale. Vide D. Thomam q. 15 de Verit. art. 4, in corp.

D. Thomas 1-2, q. 74, art. 7, ad 1, ait quòd consentire est actus appetitivæ potentiæ, non absolutè, sed consequens ad actum rationis deliberantis et judicantis; in hoc enim terminatur consensus, quia voluntas tendit in id quod est jam ratione judicatum : unde consensus potest attribui voluntati et rationi. Et ibidem ad 2, subdit, quòd ex hoc ipso quòd ratio superior non dirigit actus humanos secundùm legem divinam impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire sive cogitet de lege æternâ, sive non; cùm enim cogitat de lege Dei actu, eam contemnit : cùm verò non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam, unde omnibus modis consensus in actum peccati, procedit ex superiori ratione. Hæc D. Thomas, ubi destruit fundamentum admittentium peccatum philosophicum, ab Ecclesiâ nuper damnatum : tenemur enim de lege Dei cogitare, et peccatum impedire : hinc falsum est quod quidem asserunt, nempe delectationem moro-

sam non esse peccatum mortale, nisi intellectus positivè, expressè, in actu exercito, hic et nunc advertat et judicet eam esse mortaliter illicitam ; sufficit enim quòd judicet esse malam ac illicitam, aut advertere possit esse grave peccatum, quia hoc ipso se exponit periculo peccandi mortaliter, satisque ostendit se habere affectum ad peccatum mortale. Adde quòd potest contingere quòd ex magnâ inclinatione voluntatis ad hanc delectationem non advertat esse lethale peccatum, neque cogitet de lege Dei, quæ inadvertentia, cùm procedat ex magnâ voluntatis nequitiâ, non solùm non diminuit voluntarium et peccatum, sed illud potiùs auget, et aggravat. Procedit insuper D. Thomas contra peccatum philosophicum 1-2, q. 15, art. 4, ad 3, et alibi sæpè. Tandem D. Thomas q. 15 de Verit. art. 4, ad 10, ait quòd antequàm ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet consensum interpretativum, etiamsi non resistat ; sed quando ratio jam perpendit delectationem insurgere, et nocumentum consequi, utpote cùm percipit homo se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, et in præceps ruere, nisi expressè resistat, videtur consentire, etc. Hæc D. Thomas, et 1-2, q. 15, art. 4, ad 3. Hinc constat non solùm consensum formalem et explicitum, quando scilicet voluntas advertens delectationem veneream, vult et approbat illam, ac expressè in illâ moratur, reddere illam peccatum mortale, sed etiam consensum implicitum interpretativum et virtualem, quando est plena et perfecta advertentia ; quia, ut ait D. Thomas, agere et non agere quando quis agere debet, ad idem genus causæ reducuntur, secundùm quòd peccatum omissionis ad peccatum actûs reducitur : id est, tunc reperitur voluntarium indirectum, quod sufficit ad peccatum mortale. Voluntas enim debet hanc cogitationem et delectationem repellere, utpote quæ est de objecto mortaliter malo, aliunde potest repellere, cùm adsit plena ac perfecta advertentia. Ergo non repellendo, tacitè ei consensum præbere ibique voluntarium indirectè intervenire censetur : nam positâ illâ expressâ et perfectâ advertentiâ talis delectationis illicitæ, tam voluntarium videtur ac liberum non reprimere illam cogitationem, quàm expressè in illam consentire, eò quòd in moralibus, idem reputatur hominem facere quod facere non debet, ac non facere quod debet facere.

Adde quòd, ut ait D. Thomas, tanta est in nobis colligatio et connexio voluntatis cum appetitu sensitivo, ut naturaliter in ipsâ sequatur delectatio et inclinatio, ex delectatione appetitûs, nisi repugnet et obsistat. Si ergo adhuc maneat in ipsâ postquàm advertit, eamque positivè non cohibet ac repellit, censetur cum appetitu sensitivo positivè ac liberè consentire et delectari, ex ipsâ perseverantiâ cogitationis delectabilis, seu ex continuatione delectationis ab ejus imperio non cohibitæ, quando potuit et debuit, mentem aliò transferendo, eamque imaginationem positivè repellendo, nisi quis habeat justam causam illis operibus insistendi, ut dùm cogitat de turpibus utiliter ad docendum aut prædicandum ; tunc enim sufficit ut non sit periculum complacentiæ et consensûs in delectationem de re venereâ cogitatâ. Item si quis vir timoratæ conscientiæ fatigetur et laboret in illâ cogitatione repellendâ, et tamen semper redeat, aut adhuc remanere videatur, non curando ampliùs eam positivè repellere actibus expressis positivè reiteratis, tunc non peccat ; satis enim tunc videtur esse, si in eam non consentia expressè : illa enim displicentia censetur virtualis dissensus. Idem dicendum si quis sæpiùs expertus fuerit quòd ex illâ pugnâ et positivâ resistentiâ fortiùs insurgunt hujusmodi delectationes, si verò negligantur, statim cessant, potest sine peccato illis non resistere positivè, si alioquin sit timoratæ conscientiæ et non timeat propterea consensum in delectationem venereum, aut opus pravum cogitatum. Ut enim ait D. Thomas, 2-2, q. 35, art. 1, ad 4, peccatum semper est fugiendum ; sed impugnatio peccati, quandoque vincenda fugiendo, quandoque resistendo. Fugiendo quidem quando continua cogitatio auget peccati, incentivum, sicut est in luxuriâ. Unde dicitur 1 ad Corinth. 6 : *Fugite fornicationem*. D. Antoninus, 2 p., tit. 5, cap. 1, § 2, observat quòd frequentiùs contingit homines peccare ex morosâ cogitatione in materiâ luxuriæ, quàm in aliis vitiis, ob scilicet majora incentiva et naturalem inclinationem, additque in eas delectationes venereas ex cogitatione morosâ incidere tepidos, iisque sæpè implicari, et quomodò in confessione se accusare debeant anxios remanere : ferventes enim homines spirituales quantociùs et illicò repellunt hujusmodi cogitationes dùm insurgunt, certique sunt se huic delectationi consensum nullatenùs præbuisse. Frigidi et luxuriosi subitò ad consensum etiam operis trahuntur ; tepidi verò, nec se penitùs in eas immergunt sicut isti, nec illas omninò abjiciunt et suffocant sicut alii, sed paululùm immorantes, voluntate semivictâ duntaxat huic delectationi resistunt, quasi illecti in circuitu cogitationis venereæ mentem volvunt et revolvunt, ad eam considerandam accedunt et recedunt ; nolunt quidem formali et explicito consensu huic adhærere et immorari, sed et nolunt voluntate firmâ et efficaci eam omninò abjicere ac respuere ; sic istum segnem tepidumque conflictum iterant sæpè cum consensu virtuali et implicito, vixque in confessione de hoc peccato clarè ac perspicuè se accusare possunt, nolentes sequi illud regii Prophetæ monitum : *Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram*, Psalm. 136.

Articulus III.

De delectatione et cogitatione morosâ in specie luxuriæ.

Fundamenta quæ in præcedenti paragrapho statuimus, applicari possunt et debent cogitationi et delectationi morosæ de furto et rapinâ, de vindictâ, et homicidio, de superbiâ, et acediâ aliisque vitiis ; hic autem specialiter ea peccato luxuriæ applicabimus. Dico igitur cogitationem et delectationem morosam de re venereâ esse mortale peccatum, quamvis cogitans non habeat voluntatem exequendi tale opus externum, cum quo est ejusdem speciei, proindeque in

confessione explicanda est circumstantia personæ circa quam sumitur delectatio, sicut fit quando opere externo cum illâ peccatur.

Prima pars conclus. est communis inter auctores, et colligitur ex D. Aug., lib. 12 de Trin., c. 12, relato à D. Thomâ, 1-2, q. 74, art. 8, ubi ait quòd totus homo damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi sed tamen voluntate animum talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur. Atqui nullus damnatur, nisi pro peccato mortali, ut rectè subsumit D. Thomas ibidem. Ergo consensus in delectationem est peccatum mortale. Nec refert quòd dicit August. ibidem hoc cogitationis peccatum esse longè minus quàm si opere statuatur implendum, ideòque de talibus veniam esse petendam, pectusque tundendum, atque dicendum : *Dimitte nobis debita nostra*, etc. Non refert, inquam, inquit D. Thomas ibidem, et q. 15 de Verit., art. 4, ad 1; nam sicut Augustinus dicit in Enchiridio, cap. 71 : *Oratio Dominica, et alia hujusmodi, non solùm ad delenda peccata venialia valent, sed et ad remissionem mortalium, quamvis ad eorum deletionem non ita sufficiant, sicut venialium.* Unde ista delectatio morosa est peccatum mortale; minùs tamen quàm si opere statuatur implendum. Quia, ut ait D. Thomas in illo art. 8, ad 4, delectatio quæ habet actum exteriorem pro objecto, non potest esse absque complacentiâ exterioris actûs secundùm se, etiamsi non statuatur implendum propter prohibitionem alicujus superioris, unde actus fit inordinatus et per consequens delectatio erit inordinata. Quòd enim aliquis ex deliberatione eligat quòd affectus suus sit inclinatus et conformetur his quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale, ut dictum est. Confirmatur ex D. Thomâ, 2-2, q. 154, art. 4 : non solùm consensus in actum, sed etiam consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale. Atqui cogitatio, aut delectatio morosa venerea, est consensus perfectè deliberatus et cum plenâ advertentiâ in delectationem operis cogitati lethaliter mali. Ergo est peccatum mortale. Ut enim subdit S. doctor, q. 15 de Verit., art. 4, ad 3, tota inordinatio fornicationis, undecumque contingat, redundat in delectationem quæ ex ipsâ causatur : unde qui hujus generis delectationem approbat, mortaliter peccat. Et delectatio illa quæ consequitur cogitationem de fornicatione ex parte cogitati, est mortalis secundùm genus suum, solùmque per accidens potest esse venialis, in quantum scilicet prævenit assensum deliberatum, quo adveniente perficitur ratio peccati mortalis.

Probatur secunda pars conclus. ex D. Thomâ, q. 15 de Verit., art. 4, in corp., ubi ait quòd delectatio quæ sequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ in idem genus coincidit cum delectatione exterioris actûs. Ut enim dicitur lib. 11 Metaph. delectatio per se in actu consistit. Sed species et memoria propter actum delectabilia sunt. Unde constat quòd talis delectatio secundùm genus suum inordinata est eâdem inordinatione, quâ est inordinata delectatio exterior, cujus est radix et inchoatio, prout dictum est supra de osculis et tactibus libidinosis, nempe quòd delectatio sensibilis ex ipsis orta semper ex se ac naturâ suâ, et ex fine operis ordinatur ad delectationem coitûs tanquàm ejus initium et pars. Ideòque consensus deliberatus in illam semper est peccatum mortale, quantùmvis operans sistat in eâ delectatione, nec eam ordinet ad coitum. Confirmatur ex eodem D. Thomâ ibid., ad 8, ubi ait quòd delectatio quæ consequitur cogitationem ex parte actûs cogitati, reducitur ad idem genus, quia nullus delectatur in aliquo, nisi afficiatur ad illud et apprehendat illud ut conveniens. Unde qui consentit in delectationem interiorem, approbat exteriorem, et vult eâ frui saltem cogitando de eâ; et ibidem ad 9, ait S. doctor quòd consensus in delectationem prohibetur præcepto illo : *Non concupisces*, etc. Nihilominùs, si consensus nullo præcepto prohiberetur, ex hoc ipso quòd fornicatio prohibetur, prohibentur omnia consequentia, quæ ad idem genus pertinent. Hactenùs D. Thom. Confirmatur, quia delectatio venerea non solùm est mala ex malo motivo, sicut aliæ delectationes de cæteris vitiis, sed etiam est mala ex ordinatione et causalitate quam habet ex naturâ suâ in opus externum : nam quando adest delectatio venerea in voluntate etiam inefficaci, sequitur etiam delectatio in appetitu in quo vim habet commovendi corpus et excitandi materiam libidinis ex diversis partibus usque ad perfectionem delectationis et actûs per se loquendo. Quando enim voluntas huic delectationi perversæ per consensum se subjicit, sequitur quandoque ut ipsum actum inordinatum eligat propter hanc delectationem perfectiùs consequendam; et quantò ad plures inordinationes tendit, ad hoc quòd delectationem consequatur, tantò magis in peccato progreditur. Totius tamen istius progressûs prima radix erit ille consensus quo delectationem acceptavit, unde ibi peccatum mortale inchoatur. Ita D. Thomas ibidem, in corpore. Hinc sequitur quòd sicut non satis est in confessione declarare opus externum luxuriæ in genere, sed adhuc explicanda est ultima species et circumstantia personæ, v. g., fornicatio, adulterium, etc., ita etiam in cogitationibus et delectationibus morosis, tam voluntatis efficacis opus externum exequendi, quàm simplicis affectûs et complacentiæ absque intentione perveniendi ad effectum, oportet necessariò explicare speciem, et qualitatem personarum, circa quas cogitatio versabatur, et homo cogitans morosè delectabatur. Nam si circa uxorem alterius versetur, habet malitiam adulterii, et est contra castitatem et justitiam, et sic de aliis speciebus : delectatio enim sumit speciem ab objecto, sicut habet ab illo quòd sit mortalis, aut venialis. Item ut sic perfecta notitia peccati et statûs pœnitentis haberi possit. Tandem quia difficile est cognoscere an animus verè ac sincerè steterit in illâ simplici delectatione et affectu : plerùmque enim, non deest etiam voluntas operis, si infamia aut alia incommoda abessent, et nisi respectus humanus prohiberet, etc., solùmque non tendit ad effectum, quia non judicat possibilem.

Vide D. Anton. p. 2, tit. 5, cap. 1, § 6; et D. Thomam 1-2, q. 74, art. 6.

Articulus IV.

In quo resolvuntur casus particulares in hâc materiâ occurrentes.

Quæres primò, an cogitationes morosæ de actu conjugii præteriti aut futuro ac si actus foret præsens, quas habet conjux in absentiâ alterius, sint peccata mortalia. Conveniunt omnes talem conjugem peccare venialiter, quia nec necessitas, neque pietas ei suadet talem mentis occupationem et delectationem. Imò et quandoque mortaliter, si adsit periculum probabile pollutionis. Difficultas solùm restat an peccet mortaliter, etiam dùm abest tale periculum. Quidam affirmant, quia hæc delectatio quæ est in motu venereo et appetitu sensitivo, non est de congressu maritali qui re subsistat, sed qui tantùm animo cogitatur et fingitur : sicque ratione matrimonii excusari nequit à peccato lethali, sicut nec in viduâ ob paritatem rationis. Ergo nisi delectetur de actu conjugii ob aliquem finem honestum, vel ob commoditatem et utilitatem aliquam ac bonum motivum, et non de eo apprehenso sub ratione delectabili, et ex affectu venereo, mortaliter peccat.

Respondeo tamen cum communiori sententiâ, istos conjuges actu perseverantes in matrimonio, non peccare lethaliter : delectatio enim sumit suam moralitatem à motivo seu ab actu exteriori. Sed opus externum, seu concubitus inter conjuges non est peccatum mortale ; ergo neque consensus in delectationem veneream. Unde de actu sibi licito tam externo quàm interno delectantur absolutè, ac propter perseverans bonum conjugii excusantur; sicut absolutè non damnantur de lethali tactus et oscula, quibus conjuges delectantur, etiam dùm non habent intentionem tunc coeundi, dummodò absit periculum pollutionis extra vas, quod non abesse censeo, quando conjux tactibus maximè, quandoque et intensis nimiùmque morosis cogitationibus ac delectationibus se provocat ad libidinem, excitando notabiles commotiones et alterationes in corpore, ac illas fovendo in absentiâ alterius conjugis, aut in loco ubi non est commoditas statim coeundi.

Imò quidam docent quòd si conjux non solùm cogitatione delectaretur, sed et tactibus impudicis partes pudendas valdè irritaret in absentiâ alterius conjugis, etiam secluso periculo pollutionis, et etiamsi faceret ex memoriâ ac repræsentatione alterius conjugis, adhuc mortaliter peccaret, quia sic irritare naturam tactibus, neque est actus conjugalis, eò quòd non fiat cum conjuge, neque ad copulam tunc ordinetur. Item nec ortum habet ex cogitatione et affectu actûs conjugalis, neque ad finem matrimonii ordinatur, proindeque nullo modo excusari potest à lethali propter bonum conjugii, sicut excusatur alteratio libidinosa, quæ sequitur naturaliter ex cogitatione et delectatione interiori appetitûs de actu conjugali cum uxore propriâ vivente et absente, nullusque est timoratæ conscieniæ conjux, qui de hujusmodi tactibus non sibi faciat peccati scrupulum.

Quæres secundò utrùm cogitationes et delectationes morosæ in sponsis de futuro circa copulam tempore matrimonii habendam; aùt in viduis circa copulam durante conjugio habitam, et apprehensam sub ratione delectabilis, et affectu venereo, sint peccata mortalia, etiam citra periculum pollutionis, etc. Dixi sub ratione delectabilis secundùm tactum et ex affectu venereo, quia delectari de actu conjugii præteriti aut futuri, sub aliquâ aliâ ratione bonitatis apprehensâ, nempe sub ratione honesti vel commodi temporalis, quod fuit aut erit in illo, id est, quatenùs ordinatur ad prolis generationem et educationem, fornicationis vitationem, etc., excusare potest à mortali, seclusis aliis adjunctis venereis quæ contingere possunt.

Resp. 1° sponsos de futuro, qui morosè ac sensibiliter delectantur de copulâ tempore matrimonii habendâ, peccare mortaliter, eò quòd ista delectatio libidinosa de se feratur in copulam tanquàm præsentem, quæ est ipsis lethaliter illicita. Hæc est enim differentia inter delectationem et desiderium, quòd desiderium fertur in rem futuram ut futuram, sicque desiderare conjungi matrimonio, et proponere in illo tempore habere copulam, non est peccatum mortale de se, nisi sit conjunctum cum actuali complacentiâ et delectatione venereâ. Fertur enim in actum futurum ut futurum, licitum ratione matrimonii futuri : delectatio verò est præsens et fertur in rem aliquo modo præsentem, nempe in copulam apprehensam, quæ est illicita sub mortali, nisi inter conjuges, in quibus proinde solis delectatio de actu præterito vel futuro subsistentis et præsentis matrimonii excusatur à mortali ex ipso bono perseverantis conjugii.

Resp. 2° Cajetanum, tum in Summâ v. *Delectatio*, tum in 1 tom. Opusc, tract. 14, cum multis aliis asserere quòd *formaliter et per se loquendo, vidui in isto actu non peccant, quia ejusdem moris est delectari de præsenti, præterito vel futuro. Istæ enim differentiæ non variant speciem moris de bono in malum. Ac propterea sicut viduis consensu approbativo potest placere actus præteritus, possunt absque mortali de illo delectari, utpote sibi licito pro tempore quo fuit licitus ; plus enim est explicitè approbare quàm delectari. Per accidens tamen ex adjunctis ei concomitantibus istam memoriam delectabilem actûs præteriti ut libidinosi, possunt vidui lethaliter peccare, nempe si habeat annexum malum aliquod, puta pollutionem, vel delectationem interiorem consequentem velleitatem actûs similis præteriti, aut insurgentem concupiscentiam. Esto igitur quòd ipsa delectatio voluntaria de coitu præterito, secundùm scipsam sit immunis à peccato mortali, quia tamen venerea quantumcumque licita, dùm cogitantur, annexam habent concupiscentiam carnis et motûs, qui etiam non percipiente intellectu insurgunt, prout experientia testatur, ideò si viduorum delectatio periculum habet annexum pollutionis aut ruinæ animæ ad aliquem pravum consensum ad hujusmodi delectationem, prout communiter*

videtur accidere voluntariè immorantibus talibus memoriis, tenentur has memorias evitare, sicut tenentur hujusmodi pericula vitare. Hæc Cajetanus.

Resp. 3° Quidquid sit de hàc sententiâ speculativè loquendo, in praxi tamen videntur hujusmodi vidui à lethali peccato non excusandi, ob scilicet rationem mox allatam, nempe quòd hæ cogitationes libidinosæ et morosæ delectationes venereæ sunt præsentes, ac de se feruntur in copulam ut apprehensam quodammodò præsentem. Quæ cùm sit viduis sub peccato mortali illicita, similiter et delectationes libidinosæ ad eam moventes erunt lethales contra castitatem extra matrimonii statum, et prohibentur sexto ac nono Decalogi præcepto : nec habent bonum matrimonii, quo ex parte subjecti excusari possint à mortali ; adde quòd delectatio est præsens, et illicita. A fortiori lethaliter peccat qui morosè delectatur cogitando uxorem tam quàm præsentem, quæ mortua est, et apprehendit actum conjugalem cum illâ, quia expressè tunc delectatur libidinosè de illo actu ut præsenti pro eo tempore quo jam præteritum est matrimonium. Idem dicendum de sponsis de futuro, qui intendunt carnalem delectationem ex cogitatione practicâ de copulâ futurâ.

Quæres tertiò an voluntaria delectatio de actu conditionaliter licito, sit peccatum mortale, v. g., dùm quis cogitat et delectatur voluntariè de copulâ cum tali muliere, si esset uxor sua.

Resp. Cajet., tom. 1 Opusc., tract. 14, dub. 1, et in summâ v. *Delectatio*, distinguendo inter desiderium et delectationem, nempe quòd tam desiderium quàm consensus ferri possunt in objectum absolutè vel conditionaliter : possum enim consentire et desiderare cibum absolutè sumere, aut sub conditione si non esset dies jejunii ; delectatio verò voluntaria consequens objectum interiùs apprehensum et concubitum, sive absolutè, sive conditionaliter, non potest distingui in delectationem vel absolutam, vel conditionalem, sed ex hoc ipso quòd inest hujusmodi delectatio voluntariè, et simpliciter absolutè delectatio. Undè dùm aliquis desiderat actum conjugii cum aliquâ, si foret uxor sua, seclusis aliis adjunctis, non peccat mortaliter : sed dùm delectatur de hujusmodi actu conditionali cogitato, tunc delectatio ipsa non est conditionalis, quia ponitur in esse voluntariè et est de facto præsens, nec spectat ad objectum desideratum et cogitatum quatenùs est conditionale. Cùm itaque actus ut conditionalis, non faciat delectationem conditionalem, illam relinquit in suo genere delectationis voluntariæ de concubitu seclusâ conditione, quæ sola faceret illum actum licitum, proindeque illa delectatio est de re illicitâ ac mortaliter peccaminosâ, et iste in præsenti se delectando de tali opere cogitato, cum illâ muliere si sua esset, incidit in morosam delectationem, perinde ac si nulla esset conditio apposita. Adde quòd non est eadem ratio delectationis de re mortaliter malâ si liceret, in aliis vitiis, et in luxuriâ. Nam delectatio carnalis et sensualis, quæ sub conditione, *si liceret*, capitur ab eo qui non est conjugatus, ultra manuam motivi seu actûs exterioris ad quem ordinatur et quem respicit, non ut est conditionalis, sed absolutus, saltem ut apprehensus, adhuc mala est ob causalitatem libidinis, ac commotionem spirituum, et partium deservientium ad copulam, ad quam proinde ex naturâ suâ disponit. Unde qui delectatur de copulâ cogitatâ conditionatè, probè sciens copulam hîc et nunc à tali conditione esse destitutam, capit delectationem actualem et præsentem, de se intrinsecè malam, et lethaliter peccaminosam.

Quæres quartò, quomodò discerni potest quando delectatio est de solâ cogitatione, ideòque non peccaminosa, et quando est de re cogitatâ malâ, ideòque peccatum mortale, si res sit mortalis. Respondet D. Thomas q. 15 de Veritate, art. 4, in corp., hæc duo in quibusdam actibus manifestè differre, et apertè distingui, sed eorum distinctionem in cogitatione de peccatis carnis magis latere, eò quòd propter corruptionem appetitûs concupiscibilis, ad cogitationem talium concupiscibilium, sequitur motus concupiscibilis ex ipsis concupiscibilibus causatus. Ut tamen discernat quis quod ipsum movet ad complacentiam hujus delectationis, debet advertere si sentiat se moveri ab opere cogitato ; ita ut cogitatio se habeat tantùm ut proponens et non ut movens. Et tunc jam habet morosæ delectationis naturam : si verò supra cogitationem reflectens, tanquàm supra objectum, ab eâ moveatur, utpote novâ, mirâ aut subtili, gaudeatque quòd intelligat naturam talis peccati, aut modum quemdam artificiosum et insolitum quo patratum fuit, tunc delectatio est de cogitatione, et non computatur inter delectationes morosas.

Quæres quintò, quænam regula est assignanda ad discernendum, quando homo dubitat an plenè advertit et libertatem sufficientem habuerit ad consentiendum delectationi, an inadvertentia fuerit ita indeliberata, ut non sufficiat ad mortale. Resp. auctores hanc regulam communiter assignare, nempe quòd si ille qui jam contraxit habitum in hujusmodi peccatis, et etiam dùm advertit, facilè consentit, ac ad opus progreditur si potest, neque solet resistere ac curare de peccato, tunc in his dubiis præsumendum ac potiùs existimandum est eum peccâsse, eamque inadvertentiam ortum habuisse ex malâ voluntatis inclinatione. Idem dicendum de personâ desidiosâ quæ quotidiè cum suis passionibus conflictat et sæpè cadit : tunc enim declinandum est in deteriorem partem, ac existimandum quòd consenserit. Secùs judicandum est de personâ timoratâ, quæ habet bonam voluntatem erga Deum, quem non vult offendere, nec sentit se multùm affectam ad res turpes, quas dùm advertit, solet resistere, pugnare et abstinere à consensu in delectationem et in opus. Tunc enim quando dubitat an consenserit, potest inclinare in meliorem partem et putare se non habuisse advertentiam deliberatam, nec proinde consensisse, neque mortaliter peccâsse. Tutissimum tamen est in his maximam diligentiam adhibere, et sæpè de istis dubiis conteri ac confiteri, ob aliquam negligentiam quæ irrepere solet, aut semiplenam advertentiam sufficientem ad

veniale Parcat mihi, lector, si in his scribendis, per incogitantiam aliquid minùs castum, viroque religioso non satis consonum irrepserit : charitate quâ scripsi, et *quæ operit multitudinem peccatorum*, excusari rogo ac spero ; Deumque deprecor, ut qui suâ benedictione et gratiâ scribentem servavit illæsum, pariter et legenti suo auxilio adesse dignetur. Interim cum nostro Victoriâ et Ludovico Lope breviter monebo confessarios, ut post auditam puellarum confessionem, quando viderint esse necessarium, tantâ cautelâ et tam honestioribus verbis interrogent, ut si ad istam interrogationem, quæ primò ipsis fieri debet, scilicet an habuerint inhonestas cogitationes, responderint quòd non, tunc non est ulteriùs procedendum, ne fortè scandalizentur, et advertentes ad ea quæ antea non noverant, peccare doceantur. Si autem respondeant se habuisse inhonestas cogitationes, tunc interrogandæ sunt an advertenter et deliberatè in eis immoratæ fuerint. Si dicant quòd non, tunc hîc sistendum est. Si verò fateantur morosam delectationem, interrogandæ sunt an desiderio et voluntate consenserint in opus carnale. Quòd si respondeant affirmativè, rursùm debent interrogari an opere consummaverint, utendo tamen semper verbis honestis pudori puellari, et sanctitati Sacramenti convenientibus.

EXPOSITIO
SEPTIMI PRÆCEPTI DECALOGI :
Non furtum facies. (1)

Præceptum istud latissimè diffunditur, pluresque complectitur materias. Cùm enim furti nomine, non solùm injusta rei alienæ acceptio, sed etiam illius injusta detentio intelligatur, ex D. Thomâ 2-2, quæst. 66, art. 3, ad 2, ideò restitutione opus est, ad cujus naturam penetrandam necessaria est explicatio possessionis et dominii rerum, ut patet. Unde D. Thomas 2-2, quæst. 66, agens de furto et rapinâ, appositè omninò exorsus est à rerum dominio, quærens articulo primo an possessio rerum exteriorum sit homini naturalis; et in secundo, an liceat alicui rem quasi propriam possidere : quibus præmissis statim articulo tertio agit de furto, utpote quia ex violato dominio alterius nascitur, adeò ut dominium sit basis et fundamentum acceptionis et detentionis injustæ et obligationis restituendi. De his omnibus fusissimè agitur in tractatu de Justitiâ et Jure, quæ hîc compendiosè breviterque attingemus in quantum opus est et sufficit ad hujus præcepti accuratam expositionen, lectorem ad hujusmodi tractatum remittentes.

PROLOGUS DE RERUM DOMINIO.

Non est hîc sermo de dominio jurisdictionis, quod scilicet consistit in potestate gubernandi subditos, seu jure præcipiendi, vetandi, permittendi, judicandi, puniendi, etc., sed tantùm de dominio proprietatis circa bona temporalia, quod juxta D. Thomam 2-2, quæst. 66, art. 1, consistit in potestate quam quis habet utendi rebus exterioribus ad suam utilitatem, quasi propter se factis, soletque definiri : *Facultas seu jus disponendi de re tanquàm propriâ in suum commodum, quoad omnes usus à lege permissos.*

Hinc habetur quòd dominium formaliter neque est ipse possidens, neque res possessa, sed habitudo inter rem possessam et possessorem, quæ habitudo vocatur *jus et facultas* possidentis in rem possessam ut sibi subjectam et propriam, ita ut de eâ disponere valeat : in quo differt à nudâ possessione et usufructu, quæ non dant facultatem propriam et independentem ab alterius voluntate rem alienandi, saltem quoad substantiam, donandi, vendendi, ac de illâ disponendi. Additur *in suum commodum*, ad differentiam dominii jurisdictionis, quod non tam utilitatem propriam superioris quàm inferiorum respicit. Potest tamen dominus disponere quidem de re suâ quoad omnes usus, sed *lege permissos* : quia cùm jure naturali omnia bona essent communia, et divisio ac appropriatio rerum exteriorum solùm jure gentium introducta fuerit, ut probat D. Thomas loco citato, dominio maximè convenit ut restringatur ad usus lege permissos, ad observationem justarum legum in commerciis et contractibus ab omnibus gentibus receptam. Adde quòd usus qui non est lege permissus, non est reverà usus, sed abusus ; et potestas ad talem usum, non est verè potestas, seu licita, legitima et juridica : imò nec moraliter loquendo dicenda est potestas, cùm id solùm verè possumus, quod jure possumus. Ut autem essentia dominii clariùs innotescat, explicandum est quid sit jus, quid usus, quid ususfructus, quid possessio.

Jus in definitione dominii positum, sumitur pro facultate aliquid faciendi, sive obtinendi, aut in eâ insistendi et instituendi, vel aliquo alio modo se habendi, cui sine causâ justâ, absque injuriâ contraveniri nequit, ex aliquâ ordinatione legis et juris concedentis, jubentis, vel permittentis. Et duplex est, scilicet *jus*

(1) Nonnullæ annotationes adjici possent explanationi hujus præcepti Decalogi ; verùm ab illis abstinemus, cùm subsequi debeat tractatus specialis de jure et variis contractuum speciebus, in quo fusiùs evolventur quæstiones ad hanc materiam spectantes. (Edit.)

in re, et jus ad rem. Primum est illud quod quilibet in rem propriam existentem sibi traditam ac specialiter devictam habet, tribuitque actionem nedùm in personam quæ illam retinet, sed in ipsam rem, quæ proinde ubicumque transeat, semper cum illo onere transit, et clamat pro domino suo. Secundum verò est circa aliquid quod nondùm est perfectè nostrum, nec actu possidemus, licet sit nobis devictum ex aliquâ obligatione ad illud, solùmque tribuit actionem personalem. Jus autem in definitione dominii positum sumitur pro jure in re, cujus est præcipua et potissima species. Ex quo patet omne dominium esse quidem jus, sed non omne jus esse propriè dominium, saltem proprietatis, ac latiùs patere, rectèque tenere locum generis in illius definitione.

Titulus dominii ab ipso distinguitur tanquàm ejus origo, radix, causa et fundamentum. Unde alicui dicenti se esse alicujus rei dominum, dicere solemus, quòd id probet ostendendo titulos, nempe ejus acquisitionem, aut per emptionem, aut per testamentum et donationem, aut per mutationem et præscriptionem, ex quibus tanquàm causis oritur dominium ut effectus, accedente rei traditione et possessione, tanquàm conditione sine quâ dominium et jus in re ab istâ radice et origine regulariter non emanat. Porrò hic titulus est duplex, scilicet verus, et præsumptus. Titulus legitimus et verus, est vera radix, origo et causa dominii, ut legitima emptio, etc. Præsumptus verò probabiliter et justè est quando non adest quidem vera causa, præsumitur tamen adesse, ut cùm quis bonâ fide emit, aut dono accepit rem ab eo, qui alienare non poterat, sincerè tamen credens illum posse, ac ejus esse dominum. Accedente enim tunc rei traditione, illam cum titulo et sine peccato possidet, retinetque quamdiù durat bona fides. Pari modo loquendum est de titulo usûs et usufructûs.

Ususfructus est jus utendi et fruendi alienis rebus salvâ earum substantiâ ff. *de Usufructu*, et Instit. eodem tit., unde constituitur tantùm in iis quæ non unico consumuntur usu, ut in fundo, ædibus, et jumentis, et non in aliis, v. g., vino, oleo, nisi dando cautionem de æstimatione vini vel olei restituendâ. Usufructuarius, v. g., alicujus domûs, non solùm potest eam inhabitare, sed et aliis locare. Item habet jus fruendi fundo alieno, sumendi fructus non tantùm ad usum proprium, sed etiam aliis vendendi, donandi, alienandi, ad differentiam solius et nudi usûs : usuarius enim, v g., potest quidem fructum alieni fundi sumere ad usum quotidianum, ac in eo ambulare et commorari absque domini incommodo; non tamen aliis vendere aut donare. Item potest quidem domum alienam cum familiâ inhabitare ac hospites recipere, non tamen aliis locare : uterque rei substantiam mutare, et extinguere non potest, sed integram, sartam tectamque præstare debet. In quo differunt à domino proprietatis, qui habet jus alienandi et consumendi etiam rei substantiam.

Possessio una est facti, alia juris. Prima est actus seu causa possidendi, et definitur : *Detentio rei corporis, animi et juris adminiculo.* Debet enîm res apprehendi corporaliter, et aliquâ actione corporis, ut pedibus aut manibus vel oculis, vel simili modo in se, aut in alio in quo censeatur contineri, ut tenendo claves domûs, vel scripturam quæ dat jus ad illam. Debet autem res sic corporaliter apprehendi animo possidendi : unde bajulus, aut depositarius alienas pecunias apprehendens ad portandum, vel custodiendum, non censentur propriè illas possidere. Solent autem tales apprehensiones juris adminiculo ac dispositione confirmari, ac sufficientes censeri ad possessionem constituendam, interveniente titulo. Altera verò possessio definitur : *Jus insistendi alicui rei tanquàm suæ, non prohibitæ possideri.* Dicitur *jus*, sive verum, sive putatum, ut conveniat etiam illi qui rem injustè possidet; habet enim facultatem moralem illam tuendi adversùs extraneos, imò et quodammodò adversùs illius dominum, quatenùs non potest eam auferre per vim, sed duntaxat per viam juridicam, aut aliam justam. In conscientiâ tamen non habet jus illam retinendi. Additur *tanquam suæ*, id est, nomine suo, licet aliquando per alium eam apprehendat; sic pupillus possidet per tutorem. Tandem *non prohibitæ possideri.* Sic jure positivo laicus redditur incapax possessionis loci sacri, ff. de Acquir. possess. l. *Qui universas.*

Possessio dividitur in civilem et naturalem. Civilis est quæ parit effectus civiles, nempe rei usucapionem et dominium fructuum; juris est, quæ et animo retinetur, etsi quis actu non possideat, dummodò antea possederit, aut ejus majores, cùm omne dominium à naturali cœperit possessione ff. de Acq. poss. l. *Clam possidere;* et hæc possessio est perfecta, simpliciter talis ac juridica. Possessio naturalis est quâ quis rem ab alio civiliter adhuc possessam seu nondùm voluntate propriâ, aut juris dispositione dejectam, animo sibi retinendi, actu corporeo occupat; et hæc est imperfecta, nisi aliquo jure civili adjuvetur; aliunde est injusta, nec confert jus simpliciter. Unde perfectissima possessio mixta est ex civili et naturali, ut dùm quis occupat res quas civiliter possidet. Hinc habetur, quòd possessio non tribuit jus disponendi de re tanquàm propriâ, nisi quando conjungitur cum dominio proprietatis.

Dominium proprietatis dividitur in plenum seu perfectum, et non plenum seu imperfectum, ff. de verb. Oblig. l. *Si ita stipulatus*, et ff. Qui et à quibus l. *Generaliter.* Plenum est illud quo quis habet simul rei proprietatem cum usufructu ac possessione illius et solus habet, ita ut hæc omnia in uno consolidentur, sine consorte. Non plenum verò est, quando quis in dominio rei, v. g., hæreditatis adhuc indivisæ, consortes habet, ita ut sint plures domini cum eo, vel quando unus habet quidem rei proprietatem, non tamen usum et usumfructum, vel possessionem illius, sed hæc ad alium pertinent. Iste enim licet sit dominus directus, non potest tamen plenè disponere de re, unde dicitur habere dominium non plenum ex parte objecti. Nec etiam dominium utile quod habet usufructuarius potest dici plenum, ob majorem rationem

cùm sit dominium tantùm secundùm quid. Ex quibus constat definitionem dominii supra allatam propriè solummodò competere dominio pleno, ex directo et utili consolidatis ac in unam personam simul accurrentibus coalescenti.

§ 1. *De subjecto dominii, seu quinam sint dominii capaces.*

Quilibet homo in quocumque statu et conditione reperiatur, est capax dominii, qui ratione et libero arbitrio præditus est refertque Dei imaginem, in quo consistit radix et ratio dominii, juxta illud Genesis 1 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, volatilibus cœli, et bestiis terræ ;* id est, faciamus hominem cum intellectu, voluntate et libero arbitrio, ut possit seipsum aliaque inferiora regere, ut sic suî compos ac sui juris, possit de aliis rebus exterioribus tanquàm suis uti ac liberè disponere, consentire, velle retinere jus ad illas, invitoque animo pati earum ablationem, ac injuriam inde referre. Ita D. Thomas 2-2, q. 66, art. 1. Hinc colligitur pueros esse dominos earum rerum quæ ad ipsos spectant, cùm sint rationales, habeantque liberum arbitrium, licet tutores nomine illorum possideant. Unde possunt fieri hæredes ac succedere in jus defuncti ff. de Divers. et temp. l. *Cùm hæres*, idque probat Apost. ad Galat. 4. Item amentes sunt veri domini suorum bonorum, quamvis non utantur intellectu, et libero arbitrio, sed usum rationis impeditum habeant : id enim non impedit, cùm ad dominium non requiratur actualis usus harum potentiarum, alioquin dormientes illud amitterent ; sed sufficiat quòd secundùm se, et secundùm suam naturam apti sint, et capaces uti suis rebus per intellectum, ac liberum arbitrium. Unde licet pueri et amentes à repub. justè priventur gubernatione et administratione bonorum, penès se tamen dominium retinent. Hinc fit superiores dùm amittunt gratiam per peccatum, non amittere jurisdictionem, cùm semper retineant dominii causam et fundamentum, nempe liberum arbitrium, ut ostenditur in tractatu de Justitiâ et Jure. Sequitur etiam infideles ob eamdem rationem esse dominos rerum suarum ; non enim ad dominium gratia aut fides requiritur : unde fas non est Christianis, per se loquendo, spoliare terris suis paganos et barbaros, qui nec de jure nec de facto etiam quoad temporalem jurisdictionem illis subduntur, prout dictum est alibi.

Hinc sequitur servos esse capaces dominii, quamvis illud exercere nequeant, dùm permanent in servitute : similiter et religiosos professos, in particulari alicujus rei dominium proprium habere non posse, ut habetur de statu Regul. can. *Cùm ad monasterium*. Hoc tamen non est, quòd de se absolutè non sint capaces, sed quia spontè à se abdicârunt in perpetuum potestatem et jus dominii, ac usum independentem rerum, voventes et profitentes voluntariam paupertatem, et sine proprio vivere, ac si essent mortui mundo. Difficultas solùm restat de beneficiariis secularibus, an scilicet habeant actu dominium bonorum ecclesiasticorum.

§ 2. *Utrùm beneficiarii retineant dominium redituum, et bonorum ecclesiasticorum et ad restitutionem teneantur, si hæc expendant.*

In primis certum est beneficiarios licitè posse ex illis bonis detrahere sibique appropriare quantùm opus est et sufficit ad suî decentem sustentationem, illiusque portionis congruæ dominium habere, cùm sit justa merces, et stipendium laboris et obsequii, quod ecclesiæ præstant : *dignus est enim operarius cibo suo*, et *qui altari servit, de altari æquum est ut vivat*. Unde partem redituum illi correspondentem in proprios usus necessarios et honestos consumere justè possunt.

An autem beneficiarius si parcè vivendo velit aliquid de eâ portione sibi detrahere, licitè possit illud quod reservavit, aliis donare, ac de eo disponere perinde ac de re suâ bonoque patrimoniali ; affirmant communiter auctores, quia sicut operario liberum est mercedem consumere, ita in quos voluerit usus expendere. Et D. Thomas 2-2, q. 185, art. 7, ad 2, sic ait : *Bona ecclesiarum non sunt solùm expendenda in usus pauperum, sed etiam alios usus, ut dictum est : et ideò si de eo quod usui episcopi vel alicujus clerici est deputatum velit aliquis sibi subtrahere, et consanguineis vel aliis dare, non peccat, dummodò illud faciat moderatè, id est, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant. Unde Ambrosius dicit in lib. de Offic. :* « *Hæc « autem approbanda liberalitas est ut proximos seminis « tui non despicias, si egere cognoscas, non tamen ut il- « los ditiores fieri velis, ex eo quod tu potes conferre « inopibus.* » Ubi D. Thomas non videtur requirere quòd parentes clerici sint pauperes, ad hoc ut possit sine peccato illis tribuere quod sibi parcit de suâ congruâ portione : tunc enim posset etiam ipsis elargiri sine peccato de superfluo et redundante reditu ecclesiastico post suam decentem sustentationem, sicut et potest aliis pauperibus in eleemosynam dare, sicque nulla esset differentia inter ista bona ; quod tamen D. Thomas non admittit, ut patet. Unde solùm intendit quòd clericus non peccat, moderatè tribuendo suis parentibus vel aliis aliquid de eo quod sibi ad congruam sustentationem necessariò detrahit, quantùm præcisè opus est et sufficit, ne in pauperiem et indigentiam incidant, sed statum suum honestum conservent, non verò ut ditiores evadant. Unde hujusmodi moderatio attenditur penès exclusionem imminentis indigentiæ, quæ probabiliter reventura timetur, et non penès appositionem divitiarum et mutationis statûs in altiorem et ditiorem : tunc enim per hanc dispensationem clerici peccare possunt ex inordinatione affectûs erga carnem et sanguinem, per quam contingit ut parentibus plura conferant quàm oporteat, et pauperibus non subveniant, secundùm quod requirit debitum charitatis. Non tamen tenentur ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ, ut dicit D. Thomas loco citato in corp. loquens de bonis propriis, quæ clerici possidere possunt. Si enim in his bonis patrimonialibus, quæ ex ipsâ rerum conditione non obligantur pauperibus et piis operibus conferre, sed sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri possunt, adhuc tamen ex

inordinatione affectûs, hoc modo peccare possint, quantò magis in dispensatione residui portionis congruæ, utpote quæ est de bonis ecclesiasticis? Quia tamen dantur clericis in mercedem obsequii et stipendium sustentationis, quodammodò censentur quasi patrimonialia, sicut ea bona quæ acquirunt concionando, Missam celebrando, etc. Ideòque distribuentes ea parentibus immoderatè nempe ad eos ditandos, non videntur peccare contra justitiam, nec proinde ad restitutionem obligari, ut colligitur expressè ex D. Thomâ ibidem, benè tamen alio peccato.

Hinc concilium Trident., sess. 25 de Reform., cap. 1, districtè clericis prohibet *ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant, cùm Apostolorum canones prohibeant ne res ecclesiasticas quæ Dei sunt, consanguineis donent.* Quæ prohibitio non incongruè nec violenter intelligi potest, nedùm de superfluis beneficii reditibus absolutè, sed de iis etiam de quibus est sermo in præsenti. Unde beneficiarius quantumvis illius portionis sit dominus, usus tamen talis dominii determinatur, ne scilicet in vanos usus et ad parentes ditandos hujusmodi reditus consumere valeat. Et ex præcepto habet istud onus annexum illos insumendi in proprios, aut in pios tantùm usus, ita ut contrarium faciens mortaliter peccet, transgrediendo grave istud ac strictissimum Ecclesiæ præceptum, fundatum in naturâ, conditione et constitutione hujusmodi bonorum ecclesiasticorum, quæ sunt res Dei sacræ, illi dicatæ, Christi et pauperum patrimonium, etc. Et quantùm ad hoc, videtur de istâ portione pari modo esse ratiocinandum ac de reditibus superfluis et redundantibus, juxta principia auctorum qui docent beneficiarium esse quidem illorum dominum, et tamen profanè expendendo, peccare mortaliter, licet ad restitutionem non teneatur.

Porro hæc congrua pars ex fructibus beneficiorum, quæ necessaria est ad decentem sustentationem beneficiarii, non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem juxta locorum, negotiorum, personarum et temporum circumstantias, nec potest eadem uniformis regula certa pro omnibus assignari. Unde D. Thomas quodlibet 6, art. 12, ait, quòd *beneficiarius non peccat mortaliter, etiamsi fortè aliquid plus in suos usus convertat, quàm oporteat; talia enim, quia in singularibus est eorum judicium, non possunt per omnimodam certitudinem definiri, dummodò in modico solùm deficiat et superabundet. Potest enim hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud quod fieri oportet. Si verò sit multus excessus, non potest latere. Unde videtur bonæ fidei repugnare : ideò non est absque peccato mortali.*

Monet concilium Trident. loco citato, episcopos non ad propria commoda, non ad divitias, non ad luxum, sed ad labores et sollicitudines pro gloriâ Dei vocatos esse. Vult ut ita se componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, sanctæque humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in concilio Carthaginensi, non solùm jubet ut episcopi modestâ supellectili, mensâ, ac frugali victu contenti sint; verùm etiam in reliquo vitæ genere ac totâ eorum domo caveant ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem ac vanitatum contemptum præ se habeat.

Posset forsan ex decreto Innocentii papæ XII à paucis annis solemniter emanato omnium cardinalium calculo, sigillo ac juramento obsignato contra nepotismum, desumi regula hujus congruæ portionis. In hâc enim Bullâ taxantur, determinantur, et assignantur ex reditibus Ecclesiæ duodecim mille nummi in annum pro decenti sustentatione cardinalis patroni et nepotis pontificis pro tempore existentis, et nihil ampliùs. Hinc inferiorum prælatorum congrua portio ex fructibus beneficii, per detractionem pro ratâ et proportione distantiæ inferioritatis et recessûs ab hâc supremâ dignitate quodammodò taxari, et determinari haud difficile esset. Et fortè quinque mille nummi de fructibus pinguissimi episcopatûs forent sufficientes ad congruam portionem episcopi sublimioris constituendam; tres mille nummi communiter satis essent pro decenti sustentatione aliorum; mille pro abbatibus insignibus; tandem quingenti nummi pro aliis communioribus, per se loquendo, seclusis negotiis, necessitatibus et circumstantiis, quæ per accidens occurrere possunt. Verùm de his non me intromitto, nec in alienam messem falcem mittere intendo, solùmque nudè rem propono, viris probis ac sapientibus relinquens judicium; ipsi sibi viderint beneficiarii. Porrò beneficiarius quantumvis habens pingue patrimonium, aut aliunde dives, licitè potest desumere suam congruam portionem ac decentem sustentationem, ex reditibus et fructibus sui beneficii, ac de illâ vivere aut disponere, ut ait D. Thom. quodlib. 6, a. 10; et 2-2, q. 185, art. 7, ad 3, et colligitur ex Apostolo 1 ad Corinth. 9; et ex causâ 1, q. 2, cap. *Ultimo*, et ex causâ 12, q. 2, cap. *Charitatem;* ratione siquidem laboris et officii spiritualis quod præstant, debetur eis aliquod stipendium; et quòd aliunde sint divites, id omninò et merè per accidens se habet, nec ab eis tollit hujusmodi jus ad vivendum de altari, prout fusè probabitur tract. de Just. in præloquio de Dominio.

Tota igitur difficultas est de fructibus beneficiorum ac reditibus ecclesiasticis, qui supersunt, redundant et superfluunt, post demptam sustentationem congruam ac decentem episcopi et beneficiarii, an scilicet sub peccato mortali, teneatur illos impendere in eleemosynas et pios usus. Et quidem omnes conveniunt beneficiarium peccare mortaliter, fructus illos impendendo non solùm in usus turpes et de se illicitos, sed etiam in profanos, vanos, et de se licitos, v. g., ad ditandos parentes, amicos, etc.; sub gravi enim obligatione tenetur eos in pauperes piaque opera insumere, sive habeat illorum dominium sive non. Qui enim docent esse dominum aut usufructuarium, addunt esse ligatum ad certos usus, et habere onus istud annexum ex præcepto Ecclesiæ, ut constat ex verbis concilii Tridentini mox relatis, quod videtur esse declarativum juris naturalis. Ex hoc enim quòd talia

bona simpliciter sint patrimonium Christi, res Dei, illique consecratæ, habent ex naturâ suâ et conditione, quòd in usus pios et officia charitatis duntaxat impendi debeant. Unde D. Thomas 2-2, q. 99, art. 3, et quodlib. 6, art. 12, ait quòd cùm hæc bona sint sacra, species quædam sacrilegii est illa profanè expendere.

Controversia solùm est, et quidem celebris, an beneficiarius tunc nedùm peccet mortaliter contra charitatem, aut scriptum præceptum in re gravi, sed etiam contra justitiam, proindeque teneatur restituere in opera pia ex aliis bonis quæ pleno jure possidet, ac in illius defectum, alii qui ab ipso talia bona acceperunt. Circa quod alii negant, alii affirmant, et utraque sententia gravissimorum patronorum numero, ac validarum rationum pondere insigniter munitur. Antequàm concludamus, sciendum est quòd anno 420 aut 470, cumulus bonorum Ecclesiæ in quatuor partes divisus et assignatus fuit, quorum una pars episcopo, altera clero et ministris, alia fabricæ Ecclesiæ cultûsque divini expensis, quarta denique pauperibus determinata et applicata fuit, ut habetur apud Gratianum 12, q. 2, à cap. 26 usque ad cap. 32, et alibi passim. Quæ tamen distributio non fuit ubique locorum executioni mandata, nec partes fabricæ et pauperum de facto ab aliis separatæ, sed in pluribus locis impermixtæ remanserunt. Imò contigit quòd etiam ubi distinctæ ac separatæ fuerant à clero et maximè ab episcopis reassumptæ ac cum suis partibus permixtæ fuerunt, fortè ut meliùs et securiùs servarentur, aut fideliùs distribuerentur, vel ob alium finem ; idque satis probabiliter autumandum est accidisse, quando reditus episcopi aut cleri sunt pinguissimi, eorum decentem sustentationem longè excedentes, et aliunde non apparet, ubinam pars pauperum et fabricæ subsistat, aut distincta collocata fuerit. Illis positis,

Dico, beneficiarios non esse dominos, sed duntaxat dispensatores bonorum ecclesiasticorum redundantium, seu portionis illius fructuum, quæ non est necessaria, sed superflua eorum decenti et justæ sustentationi. Ideòque si in pauperes aut pios usus non expendant, peccant contra justitiam et tenentur ad restitutionem, maximè si ea bona sint permixta, et pars pauperum distincta non apparcat.

Prob. 1° ex D. Thomâ 2-2, q. 185, art. 7, et quodlib. 6, art. 12, ubi docet episcopos et beneficiarios propriorum seu patrimonialium bonorum esse quidem dominos ; unde ex ipsâ conditione illorum non obligantur ut ea aliis conferant, sed possunt pro libito uti ac elargiri, solùmque peccare possunt ex inordinato usu et affectu, non tamen tenentur ad restitutionem quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ. At verò bonorum ecclesiasticorum sunt tantùm dispensatores, administratores, vel procuratores, juxta illud Apost. 1 ad Corinth. 7 : *Dispensatio mihi credita est.* Idemque Augustinus docet Epist. 50 ad Bonifacium ac alibi, ut refertur caus. 23, q. 7, can. *Quod autem.* Item caus. 16, q. 1, can. *Decimas.* Idem docent alii sancti Patres Ad dispensatorem autem requiritur bona fides, nempe ut fideliter distribuat ea quæ ejus administrationi sunt credita, juxta illud 1 ad Corinth. 4 : *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* In his ergo potest duplex peccatum contingere : uno modo ex conditione ipsius rei, dùm scilicet usurpat sibi quasi rem propriam, et in usus suos convertit id quod est aliis erogandum, in quo committit injustitiam, ut patet, et ad restitutionem obligatur. Alio modo ex inordinato usu eorum quæ in suam partem, seu congruam portionem cedunt, prout jam dictum est de bonis patrimonialibus, nempe si immoderata sibi retineat, et aliis non subveniat, secundùm quod requirit debitum charitatis ; non tamen tenetur ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt beneficiarii dominio deputatæ.

Confirmatur : D. Thomas 2-2, q. 185, art. 7, in corp., ait : *Quòd si bona ecclesiastica quæ debent in usum episcopi cedere, sint distincta ab his quæ sunt pauperibus et ministris ac cultui Ecclesiæ eroganda, et de his aliquid sibi retinuerit episcopus, non est dubium quin contra fidem dispensatoris agat, et mortaliter peccat et ad restitutionem tenetur. Si verò non sint prædicta bona distincta, eorum distributio ejus fidei committitur. Et siquidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud quod fieri oportet. Si verò sit multus excessus, non potest latere ; et ideò non est absque peccato mortali. Dicitur enim Matth. 24, quòd* MALUS SERVUS, etc. Ubi D. Thomas loquitur de eodem peccato de quo locutus fuerat paulò antea, nempe contra justitiam et cum obligatione restitutionis ; quod ideò non replicavit nec expressit, quia de se plus quàm evidentissimum erat, cùm tunc apertè militet eadem ratio, nempe peccatum contra bonam fidem dispensatoris, ac injusta ablatio rei alienæ, in primo casu jam applicatæ et appropriatæ, in secundo casu appropriandæ, communicandæ, et applicandæ. Certum quippe est quòd episcopus sibi retinens et usurpans alias portiones etiam quando bona ecclesiastica sunt permixta et indistincta, contra bonam fidem dispensatoris agit, jamque ea bona sunt pauperum, ipsis ab Ecclesiâ appropriata et applicata, ac sub obligatione justitiæ illis ab episcopo conferenda, sicque eos re suâ defraudat ; idque etiam colligitur exemplo mali servi et œconomi bona domini sui dissipantis, quo utitur D. Thomas. Nec obstat quod dixit idem D. Thomas, nempe quòd *de his quæ specialiter usui episcopi sunt deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis, etc.* Non obstat inquam, solùm enim loquitur de bonis ecclesiasticis, ad congruam beneficiarii sustentationem destinatis, non verò de aliis quæ post illam detractam supersunt et redundant, prout consideranti patebit.

Dices sanctos Patres et doctores ac canones appellantes beneficiarios dispensatores et non dominos, solùm loqui de bonis Ecclesiæ immobilibus, non verò de fructibus aut reditibus beneficiorum ; vel saltem velle significare non esse absolutè dominos ut liberi sint à strictissimâ obligatione charitatis erogandi superflua in usus pauperum. Nam concilium Trident., sess. 23,

cap 1, decernit beneficiarios absentes non inservientes, etc., fructus non facere suos : ergo qui munera obeunt faciunt fructus suos, subindeque sunt illorum domini. Item D. Thomas, quodlib. 6, art. 12, dicit quòd in bonis quæ sunt principaliter attributa usibus ministrorum, ut sunt præbendæ clericorum, et alia hujusmodi, non committitur peccatum nisi per abusum sicut in bonis patrimonialibus, etc.

Contra est, quia sancti Patres et canones loquuntur de bonis ecclesiasticis, quæ in usu beneficiariorum veniunt, et quæ aliis distribuere possunt, etiam consanguineis pauperibus, ut constat ex Tridentino. Atqui non possunt illis distribuere res Ecclesiæ immobiles, ut fatentur omnes ; ergo loquuntur solùm de reditibus : imò de illis expressam mentionem faciunt, ut legenti patebit. Deinde si beneficiarii haberent dominium utile fructuum, seu essent usufructuarii, possent licitè in vitâ et in morte testari ac illos relinquere extraneis, et parentibus etiam divitibus, quod tamen canones vetant, ex eo quòd illa bona sint patrimonium Christi, res sacræ Deo dicatæ, quorum proinde Christus ipse est dominus, cæteri verò eorum œconomi ac dispensatores, qui sub obligatione justitiæ, juxta ejus voluntatem ac ordinationem ea distribuere tenentur et nullibi constat illis concessum fuisse dominium utile etiam ligatum isto onere, sicque gratis omninò asseritur, cùm tamen ubique legatur esse dispensatores. Adde ex D. Thomâ 2-2, q. 87, art. 3, ad 1, quòd *in veteri lege speciales quædam decimæ deputabantur subventioni pauperum : sed in novâ lege, decimæ dantur clericis, non solùm propter sustentationem, sed etiam ut ex eis subveniant pauperibus : et ideò non superfluunt, sed ad hoc sunt necessariæ.* Ergo ex intentione et ex ordinatione Dei et Ecclesiæ, decimas instituentium ac populorum donantium, clerici non sunt domini, sed dispensatores illarum, quoad saltem superfluum et redundans congruæ sustentationi. Atqui decimæ sunt reditus. Ergo falsum est beneficiarios fructuum beneficiorum esse dominos. In loco autem ab adversariis allato, D. Thomas solùm loquitur de parte fructuum correspondente et necessariâ congruæ sustentationi beneficiariorum : si enim id intelligeret de reditibus quæ supersunt et redundant, foret sibi contrarius et contradiceret iis quæ immediatè statuerat in eodem quodlib. Sic autem D. Thomam interpretantur Navarrus tract. de Reditib. Eccles., q. 1, monito 20, et Azorius, p. 2, lib. 7, cap. 8 ; eodem modo auctores communiter exponunt Tridentinum, nempe quòd beneficiarius non inserviens, nec etiam possit percipere fructus correspondentes suæ congruæ portioni, neque illos facere suos, benè tamen si solita obsequia obeat.

Probatur secundò nostra conclusio ratione efficaci. Contra justitiam peccat qui de re quam recipit, disponit contra ordinationem et conditionem quam donator apposuit, puta si Petrus dedit centum nummos Paulo, eâ lege et conditione quòd sibi retineat quinquaginta, alios verò quinquaginta elargiatur Joanni ; si Paulus partem non det Joanni, sed totam summam sibi usurpet, dubio procul facit contra justitiam, et tenetur ad restitutionem. Atqui reditus beneficiorum, Ecclesiæ et beneficiariis donati fuerunt à piis fidelibus eâ lege et conditione saltem tacitâ, ut quod superest de reditibus post eorum congruam portionem expendatur in pios usus aut pauperibus erogetur, et non ut illos insumant ad ditandos parentes, amicos, ad pompam, ad luxum, aliosque profanos usus. Et hoc etiam modo talia bona fuerunt ab Ecclesiâ acceptata, aut saltem applicata sub isto onere et conditione : nec enim si ipsis solis providere intendissent, tantas opes contulissent, præbendo ansam luxûs, avaritiæ aliorumque vitiorum ex nimiis opibus promanantium. Unde si de hoc interrogati fuissent, se ita velle respondissent, quamvis ob reverentiam erga prælatos ac confidentiam de fideli ipsorum administratione, talem mentem suam non expresserint. Sufficit enim quòd intenderint bona hæc uniri patrimonio Christi, et frui privilegiis rebus sacris annexis, neque hæc illorum intentio excluditur per hoc quòd ea etiam bona contulerint ob peccatorum redemptionem, ob preces servorum Dei obtinendas, ob Dei cultum, etc. Rectè enim ista se compatiuntur et concurrunt ad obligationem beneficiariorum constituendam. Confirmatur : Ecclesia se conformans intentioni fundatorum, ac naturæ et conditioni bonorum ecclesiasticorum, declaravit ea esse patrimonium Christi, res Dei, alimenta pauperum, etc., ac sub districto præcepto obligavit beneficiarios quibus illa confert, ut non nisi in pios usus expendant, sicque intervenit veluti quidam contractus inter Ecclesiam et beneficiarios, quo Ecclesia confert illa bona, ut inde sumant necessaria ad decentem sustentationem · et quæ deinde redundant ac supersunt, teneantur impendere, non in quos voluerint usus, sed duntaxat in pios, in quo sanè assimilantur usuariis simplicibus. Ergo beneficiarii sibi retinentes superfluos reditus, aut expendentes in usus profanos, violant obligationem justitiæ ortam ex contractu, perinde ac eam violaret simplex fundi usuarius, qui nedùm de illis sumeret ad quotidianum usum, sed et aliis pro libito daret aut venderet, contra conventionem et domini voluntatem. Imò dato et non concesso quòd beneficiarii forent illorum redituum domini, cùm tamen juxta adversarios istud dominium sit ligatum onere expendendi illos in pauperes, ac pios usus, ad hoc contrahunt obligationem justitiæ. Sicut qui accipit præbendam cum onere solvendi pensionem annuam alteri, est quidem dominus beneficii ac fructuum, hoc tamen non impedit quin ex justitiâ teneatur pensionem alteri solvere ; idemque constat de legato dato sub modo et onere fidei commisso, etc.

Dices, ex nostrâ sententiâ sequi frustra factam fuisse quadripartitam horum bonorum divisionem; nisi enim fructus præbendarum et dignitatum ita applicentur episcopo et clericis, ut sub ipsorum dominio sint, sed quod superest teneantur in pauperes et pia opera impendere, vanum prorsùs esset ac inutile portiones sic assignare ; cùm de toto illo cumulo rectè potuissent sumere suam congruam portionem, ac deinde

totum quod superest in pia opera distribuere, absque tali determinatione. Contra est, quia ista bonorum divisio non propterea eximit beneficiarios ab omni prorsùs onere, cùm juxta adversarios impendentes in usus profanos non excuset, nec liberet à peccato mortali, sicut et ante illam peccâssent. Imò sicut tunc isti peccabant contra justitiam, ita et nunc post divisionem factam, ob scilicet conditionem personarum et naturam bonorum istorum, quia sunt res sacræ Deo dicatæ, Christi patrimonium, ex ipsarum institutione, Dei et Ecclesiæ voluntate, ac fundatorum intentione, ministris commissæ, ut inde sumant ad decentem sustentationem; reliquum verò in bona opera distribuant, quæ natura et conditio manet semper eadem, neque per illam divisionem mutata fuit. Hæc igitur divisio facta est non ad tollendam istam justitiæ obligationem, sed potiùs ad eam declarandam ac intimandam, et ad vitandas dissensiones, scandala, abusus et corruptiones, quia fortè clerici bonorum communium dispensatores, sibi plus quàm par sit usurpabant, nec pauperibus aut fabricæ Ecclesiæ tribuebant, sed tanquàm de patrimonialibus ad libitum disponebant. Ideòque Ecclesia voluit hâc determinatione sordidam et crudelem ipsorum avaritiam repellere: sicut ob compescendam usurarum voraginem, leges civiles nostri regni taxârunt interesse, et determinârunt ad quinque pro centum ad annum in mutuo; vel ad excutiendam segnitiem clericorum, qui de his bonis communibus conservandis erant parùm solliciti, vel ob alias justas rationes et causas. Probatur tertiò nostra conclusio ratione à posteriori, sumulque præcluditur istud adversariorum effugium. Ubi enim reditus beneficiorum sunt tenues, ita quòd simpliciter sufficiant ad decentem sustentationem ministri, ista distributio non videtur locum habere: benè tamen, si fuerint valdè pingues et notabiliter abundantes supra id quod est necessarium ad illam sustentationem. Tunc enim signum est hanc bonorum divisionem non fuisse ibidem executioni mandatam; aut post illam, partes alias fuisse ab episcopo et à clericis reassumptas, maximè dùm non apparent distinctæ.

Quæro enim in quos usus pauperum portio applicata et distincta fuit; quibus in rebus aut prædiis sita. Certè verisimile non est sic evanuisse ut nullum vestigium supersit. Nec dici potest ad hospitalia devenisse, quia sine fundamento id asseritur, cùm hospitalia ut plurimùm habeant fundatores sive privatos homines, sive communitates, nullo habito respectu ad clerum, et sic quotidiè augeantur illorum reditus ex piorum secularium largitionibus et eleemosynis. Deinde esto quòd illa pauperum portio tunc fuerit designata, certe nulli alteri commodiùs ac decentiùs ejus dispensatio et administratio committi potuit quàm episcopis et clero, ut eam, sicut ipsorum patres, filiis distribuerent; ac ita de facto contigisse plusquàm probabile et verisimile est: non enim in animo sapientis cadere potest, quòd pro solâ honorabili sustentatione beneficiariorum, tanta possessionum et divitiarum abundantia donata et legata fuerit, cum detrimento totius populi, sed quòd ipsis ut patribus pauperum crediti fuerint isti pingues reditus, quia scilicet seculares pii largitores oculatâ fide prospiciebant rectores Ecclesiarum esse pauperum procuratores, et hæc videtur esse ratio tanti augmenti. Ergo in istis casibus redeundum est ad tempus hanc divisionem præcedens, quando bona illa erant indivisa et permixta: et sicut tunc beneficiarii erant solùm dispensatores et administratores hujusmodi bonorum, et peccabant contra justitiam cum onere restituendi, quando defraudabant pauperes, et in pios usus reditus superfluos non impendebant, ita et nunc, aut saltem tenentur ex illis pinguibus reditibus unam partem pauperibus, aliam fabricæ Ecclesiæ elargiri ex justitiâ.

Dices jura hæc abrogata fuisse per contrariam consuetudinem tanto tempore introductam, sciente romano pontifice nec obstante, ut par esset in re tanti momenti, cum tanto pauperum detrimento. Contra est, quia, ut inquit Cajetanus, hæc non est vera consuetudo, sed abusus et corruptela, utpote contra jus naturale et divinum: licet enim ista beneficiariorum obligatio habeat aliquid juris positivi, nempe quoad quotam, puta quartam portionem, et quantùm ad istud potuerit fortè abrogari, est tamen juris divini quoad hoc quòd episcopi, et alii sint patres pauperum, et templorum suorum reparatores quoad fabricam et supellectilem, idque nullatenùs abrogari potuit, et propterea nullâ ratione beneficiarii à fideli distributione pro subventione utrorumque excusantur. Nec valet taciturnitas pontificis: multa enim per patientiam tolerantur, quæ si ad judicium venirent arguerentur. Adde quòd ideò non expressè contradicit, quia non potest una certa et universalis regula et quota assignari pro decenti sustentatione clerici: ideò Ecclesia ipsorum conscientiæ relinquit, declarans esse talium bonorum administratores, et teneri ad fidelem et statutam distributionem faciendam. Hinc juxta Cajetanum, ideò fortè etiam D. Thomas tacuit de restitutione, quia non est semper una et eadem ratio quando illa bona sunt indistincta et permixta. Alia adversariorum argumenta dissolvemus alibi, in tractatu de Justitiâ, cùm agetur de Domin.; ibi enim ista beneficiariorum obligatio fusiùs ventilatur.

§ 3. *De objecto dominii.*

Certum est per se loquendo hominem esse dominum pecuniarum suarum, bonorumque fortunæ, item spiritualium, gratiæ scilicet ac virtutum infusarum, ut ostendimus in tractatu de Justitiâ; item honoris et famæ, ex D. Thomâ 2, q. 73, art. 4, ad 1, ubi docet, *in cujusque arbitrio positum esse pati detrimentum suæ famæ, nisi vergat in detrimentum aliorum.* Idem docet q. 72, art. 3; et q. 64, art. 5, ad 3. Solùm excludit ab homine dominium propriæ vitæ, et q. 129, art. 1, inter alias res humano usui subjectas, maximam ait esse honorem et unà cum famâ computari simpliciter inter bona exteriora, quæ pertinent ad hanc vitam, quæque subjacent libero hominis arbitrio. Homo enim

suis propriis operibus sibi comparat famam et honorem; sicut ergo propter hanc rationem est dominus civitatum bonorumque fortunæ, ita etiam honoris et famæ; unde ob bonum virtutis potest illas res perdere, ut fecerunt viri sancti : sic D. Ambrosius feminas in cubiculum introduxit, ut eâ notâ arceretur ab episcopatu; sic etiam D. Augustinus in pœnitentiæ et humilitatis exercitium peccata sua manifestavit in libris Confess.; sic Anselmus perpetratam à se fornicationem deplorat, etc. Quod tamen non potuissent absque culpâ facere, si non forent suæ famæ domini : ob hanc siquidem rationem, in nullo casu et ob nullum bonum finem nemini licet seipsum vitâ privare, ut docent D. Thomas 2-2, q. 64, art. 5, ad 3 : et D. Augustinus, relatus 23, q. 5, can. *Non licet*. Per accidens tamen contingere potest ut fama unius sit ita connexa et colligata cum famâ aliorum sive particularium, sive communitatis aut reipub., ut non possit ab isto deperdi absque infamiâ, scandalo, aut detrimento aliorum : et tunc non licet uti famâ ad omnem usum, ac pro libito ejus jacturam pati.

Quando autem Scriptura custodiam honoris et famæ nobis commendat, solùm intendit nos monere ut sine causâ ea non negligamus, nec prodigalitate perdamus, cùm id sit contra præceptum charitatis, quo quisque tenetur se suaque diligere et conservare, quomodò etiam prodigalitas in pecuniis est vituperabilis. Vel dicendum Scripturam tantùm velle commendare exercitium virtutis, cùm per eam nobis bonum nomen comparemus : honor enim est præmium virtutis. Propriæ vitæ et membrorum integritatis nullus homo est dominus, sed solius Dei potestati subjacent. Ita D. Thomas 2-2, q. 64, art. 5, ad 2, et q. 59, art. 3, ad 2; et 1-2, q. 73, art. 9, ad 2, et alibi sæpè. Non enim de vitâ suâ disponere, neque se occidere potest, ut ostensum est supra in expositione quinti præcepti. Unde illius solùm est custos, administrator, possessor, usuarius et usufructuarius, et illius usu nequit sine injuriâ injustè privari, sicque homicida ad damna resarcienda obligatur. Unus homo potest habere dominium alterius, non solùm directivum et politicum, sed etiam despoticum, eoque uti tanquàm mancipio in proprium duntaxat commodum. Et hæc servitus dicitur civilis et legalis : justèque introducta fuit jure gentium, cùm approbetur à Scripturâ Levit. 25, Exodi 21, Deuteron. 20 et 21; primæ ad Corinth. 7, ad Ephes. 6, ad Coloss. v. 3 et 4, primæ Petri 2, et passim à jure canonico et civili.

Hujus dominii solent assignari tituli : primus est jure belli justi. Cùm enim victi et capti occidi possent, ad inserviendum servabantur in vitâ : inde dicitur 1 Petri 2, à *quo quis superatus est, ejus servus efficitur*. Inter Christianos tamen quandoque ablatis armis, aut despoliati dimittuntur, vel absolutè, vel cum promissione pretii, aut certâ redemptione : imò usus invaluit ut à dominis possint absque peccato fugere, si habeant commoditatem, nisi fidem illis dederint, vel jurejurando promiserint se permansuros, quousque per manumissionem, aut commutationem, aut pretii redemptionem liberentur. Item nisi ad hanc fugam opus esset domino vim et violentiam inferre : dùm autem ad suos aut amicam civitatem pervenerunt, libertatem ita plenè recuperant, ut non possint à priori domino in servitutem trahi.

Secundus titulus est condemnatio ad servitutem ob aliqua patrata crimina, quæ recensent Sylvester, v. *Servitus*, et D. Antoninus, 3 p., tit. 3, cap. 6, § 4.

Tertius titulus est venditio et emptio cum quibusdam conditionibus quas jura apponunt, et recensent præfati auctores. Quartus titulus est nativitatis conditio : qui enim nascuntur ex matre servâ, sunt servi, et dicuntur vernaculi, quia partus sequitur ventrem, l. *Partum*, c. de Rei vendit., instit. de ingenuis; D. Thomas, in 4 sent., dist. 36.

§ 4. *De acquisitione et translatione dominiorum.*

Habuit genus humanum quasi naturali jure rerum externarum et inferiorum dominium, quæ ad vitam transigendam necessariæ erant, easque fecit auctor naturæ propter usum et commodum non hujus vel illius hominis, sed omnium : sicque à naturâ omnia sunt communia, seu secundùm jus naturale non est distinctio possessionum; sed illarum divisio et appropriatio facta est secundùm humanum condictum, ac jus gentium, ob rationes quas adducit D. Thomas 2-2, q. 66, art. 2. Res igitur quæ nullius erant, ille qui primò occupat, earum dominium acquirit jure gentium, ut mineralia, pisces, feræ, aves, et similes, quæ nunquàm antea fuerant sub alicujus hominis dominio, sed remanserant communes. Aliæ verò res quæ olim fuerant quidem sub alicujus dominio, sed jam propter temporis diuturnitatem et mortem prioris domini habentur pro derelictis, ut sunt antiqui thesauri, fiunt inventoris et primò occupantis, de quibus omnibus sicut et de rebus inventis acturi sumus infra, dùm de furto erit sermo. Hic autem loquimur de rebus quæ sunt sub dominio alicujus hominis, à quo immediatè ad dominium alterius transferuntur; quæ dominii mutatio, nisi fiat debitâ viâ, infertur injuria vero domino, et manet obligatio restitutionis. Unde legitima translatio dominii definitur : *Transmutatio rei ab eo qui prius eam legitimè possidebat, in alterum qui illius incipit esse legitimus dominus*.

Hæc autem translatio potest dupliciter fieri : primò liberâ voluntate legitimi domini : supositâ enim rerum divisione, potest unusquisque non legitimè impeditus, rei suæ dominium pro suâ voluntate in alium transferre, cùm sit de ratione domini posse uti re suâ pro libito in quemcumque usum à lege non prohibitum, et consequenter eam alienare, donare, vendere, etc. Et ut dicitur Institut. De rer. divis., § *Per traditi* et ff. de Acquir. dom., l. *Quâ ratione*, nihil æquitati naturali magis convenit quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi. Secundò ex dispositione legis à repub. constitutæ, aut per justam judicis sententiam; cùm enim respub. habeat supremum dominium in res exteriores civium in ordine ad bonum commune, potest voluntatem domini cohibere, ne rei suæ dominium in alium

transferat : et aliquando eo etiam invito vel non consentiente, eas ab illo auferre, ac in alium transferre ; quia sicut ab initio auctoritas publica vim habuit res temporales singulis applicandi, ita etiam nunc apponendi, et præscribendi formam et conditiones contractibus, ad hoc ut sint validi, ad obviandum dolis et fraudibus, etc., ac procurandam utilitatem publicam et privatam civium. Non possumus hìc singulos casus particulares examinare, quibus contra prioris domini voluntatem, vel sine illâ, potest à lege dominii translatio impediri, aut fieri, ob nimiam prolixitatem : sed duos tantùm famosiores ventilabimus.

Quæres primò, an ob præscriptionem, leges rectè justèque statuerint, ut dominium unius in alium transferatur, etiam invitis dominis. Suppono præscriptionem et usucapionem pro eâdem re sumi, solùmque differre, quòd usucapio sit propriè rerum mobilium, præscriptio verò immobilium ; item quòd res breviori tempore usucapitur, quàm præscribitur : passim tamen indifferenter juristæ ac theologi utuntur illis nominibus ad significandum acquisitionem dominii et juris per possessionem tempore ex lege præscripto continuatam.

Insuper sequentes conditiones requiri suppono ad legitimam præscriptionem. Prima est ut res sit talis naturæ, quæ à jure præscribi non prohibeatur : sic liber homo nullâ præscriptione fit servus l. *Ultim.*, c. tit. de long. temp., præsc. l. *Usucapionem*, ff. de Usucap., instit. eod. titul. Item res sacræ et religiosæ, ut Ecclesiæ, jus decimarum, aliaque jura spiritualia à laicis præscribi nequeunt, extra. de Præscript., cap. *Causam quæ*. Item exemptio à superioris obedientiâ, cap. *Cùm non licet*, eodem. Item res communes quæ ad usum publicum sunt institutæ, ut viæ, plateæ, pontes, etc., l. *Usucap.*, ff. eod. et l. *Præscriptæ*, c. de operib. pub., l. *Viam*, ff. de Viâ pub. Item res furtivæ aut vi ablatæ ex institut. de usucap. *Quod autem*, et § *Furtivæ ;* cùm desit possessio bonæ fidei, ut statim magis explicabimus. Vide plura apud Sylvestrum, v. *Præscriptio*, et D. Anton. 2 p., tit. 1, cap. 15, § 7. Secunda conditio est, ut res quæ præscribi potest actu possideatur ab eo qui eam est præscripturus. Ex reg. juris in 6, reg. *Sine possessione*. Et ff. de Usucap., l. *Sine possessione*. Tertia, ut res aliquo titulo vero aut probabiliter præsumpto possideatur. Quarta est, bona fides, id est, ut possidens prudenter ac sincerè reputet rem non esse alienam, habeatque animum illam tanquàm suam retinendi. Idque adeò necessarium est ad præscribendum, ut malæ fidei possessor, nullo unquàm tempore præscribere valeat ex reg. juris in 6 reg. *Possessor*, ut definivit Innocentius papa III in concil. Lateran. et refertur in cap. *Finali de præscriptionibus*. Idemque definivit Alexander papa III, ut habetur in cap. *Vigilant.* de præscrip., atque jus canonicum abrogavit leges civiles faventes possessori malæ fidei. Hanc autem bonam fidem, seu tranquillam conscientiam, et æstimationem quòd res non sit aliena, necessariò aliquis habere debet non solùm quandò rem ab initio acquisivit, sed etiam tenere continuam ac interruptam per totum tempus à lege constitutum ad præscribendum, ut patet ex cap. *Illud autem*, et ex cap. *Fin. de præscrip.*, quia cùm bona fides debeat esse cum possessione, inde fit quòd sicut possessio toto tempore illo non est interrumpenda, ita neque bona fides, quæ illam comitatur Unde qui incipit possidere cum conscientiâ dubiâ, an res sit aliena, non est bonæ fidei possessor, neque legitimè præscribit, sed tunc solùm inchoatur præscriptionis tempus, quando, factâ diligenti inquisitione, dubium deposuerit ; quia cùm in dubiis melior sit conditio possidentis, iste non debet esse melioris conditionis quàm alter. Benè tamen quando incœptâ legitimè ac bonâ fide possessione, dubium supervenit, sicque possessionem non interrumpit, si adhibitâ tunc sufficienti diligentiâ et inquisitione, non illi constet de contrario, dubiumque depellere nitatur. Ex 34, q. 2, cap. *Si virgo*. Et cap. fin. de Præscript , et l. *Si fur*, ff. de Præscr. et l. *Bonæ fidei*, ff. de Acquis. rer. dom. Quinta denique conditio est, ut res cum bonâ fide possideatur tanto tempore continuato et non interrupto, quantùm ex legis præscripto pro rerum varietate necesse est. Res mobiles, ut vestis, navis, animalia, etc., intra tres annos præscribunt inter præsentes, et quatuor annos inter absentes. Institut. de usucap. cod. de usu cap. *L. Quas actiones*. Et caus. 16, q. 3, cap. *Possessio*. Res verò immobiles, ut domus, prædia, etc., decennio inter præsentes et viginti annis inter absentes præscribunt, ex juribus citatis. Quòd si quis possideat bonâ fide, sed sine titulo, utpote sine contractu saltem apparenti, ad præscriptionem inter præsentes, seu qui in eâdem regni provinciâ commorantur, triginta anni requiruntur ; quadraginta verò inter absentes. Cod. de Præscript. 30 vel 40 ann. *L. ultim.* Ad præscribendam rem immobilem contra Ecclesiam Romanam, requiruntur centum anni. Cap. *Ad audientiam*. Cap. *Cum nobis ;* cap. *Si diligenti* de Præscript. et authent. *Quas actiones*, cod. de sacro sanct. Eccles. Contra verò alias ecclesias, hospitalia, vel pias causas, requiruntur quadraginta anni. Ex authenticâ citatâ et cap. *Illud*, cap. *Ad aures*, et cap. *Quarta de præscript.*

Porrò ex litis contestatione interrumpitur præscriptionis tempus, quia jura in hoc favere solent possessori pacifico. His positis,

Respondeo ad quæstionem, quòd qui sic legitimè rem præscripsit, in utroque foro securus est de possessione rei, nec tenetur eam priori domino restituere, etiamsi post tempus præscriptionis elapsum cognoscat fuisse alienam. Ita D. Thomas, quodlib. 12, art. 24, ubi ponit quidem hujus rei rationem vulgarem, nempe leges in hoc voluisse punire negligentiam prioris domini in recuperandâ re suâ ; quæ tamen negligentia est solùm causa accessoria, et finis secundarius translationis dominiorum in præscriptione. Nec tamen propterea voluit excludere rationem hujus principalem, nempe ne dominia tanto tempore maneant incerta, indeque non curarent homines res conservare et augere, semper timentes quòd aliquis etiam post longissimum

tempus tanquàm suas repeteret. Item ne continuò lites in repub. orirentur; item ne conscientiæ hominum infinitis subjacerent laqueis, ac scrupulis, etc., sicque maximè bono communi et paci reipub. expedit ut præscriptio verum jus in utroque foro præscribenti conferat, esto quòd nulla culpa aut negligentia prioris domini interveniat, ff. de Usucap., l. 1, et l. 4, et docent communiter auctores.

Igitur notitia quam quis habet quòd res illa erat alterius, superveniens post completam præscriptionem, ex vi illius justæ legis relinquit priorem bonam fidem ac dominium jam comparatum, nec ea tollit, revocat, aut annullat : et iste potest et debet eam rem tanquàm suam reputare, justâ lege id statuente, ac conscientiam erroneam, si haberet, circa hoc deponere. Quam si non posset aut non vellet deponere, teneretur tunc quidem per accidens restituere, eò quòd conscientia illa obliget, non tamen per se, et tanquàm ex justitiâ alteri debitâ. Hinc infertur ementem bonâ fide rem furtivam, si per triginta annos illam possideat, cum debitis ad præscribendum conditionibus, non teneri ad eam restituendam, quamvis postea sciat fuisse alterius, ff. de Usucap., l. *Si aliena*. Idem dicendum de illo cui res furtiva legata fuit, si per triginta annos sic illam possideat. Instit. de usucap., § *Furtivæ*. Idem dicit Covarruvias, lib. 1 var. Resol., cap. 17, num. 10, de clerico aut laico qui decimas non solvit spatio 40 annorum cum titulo, vel spatio temporis de cujus initio non sit memoria, sine titulo, nempe quòd exemptionem à decimis præscribere potest. Hæc omnia fusiùs à nobis ventilantur in tract. de Just., quæst. de Dominio.

Quæres secundò utrùm per contractum jure civili nullum defectu solemnitatis substantialis transferatur dominium, v. g., an testamentum, cui deest subscriptio tabellionis, vel sufficiens testium numerus, etc., quod proinde est nullum in foro externo, sit etiam in foro interno pro nullo habendum, ita ut hæres sic in eo institutus, non possit hæreditatem in conscientiâ adire, sed teneatur hæredibus ab intestato cedere, quantumvis certus sit de voluntate quam habuit testator eum hæredem instituendi : alii negant, alii verò affirmant. Ad utramque sententiam quodammodò conciliandam, respondeo, quòd ubi nulla fraus intervenit, et lex non reddit personas inhabiles, per hujusmodi contractum et testamentum transfertur dominium, non quidem omninò firmum, sed debile ac revocabile. Ita Sotus, lib. 4 de Just., q. 5, art. 3; Bannes et Serra 2-2, q. 66, et alii.

Conclusio explicatur. Istud testamentum non est omninò nullum in foro conscientiæ, valetque saltem quantùm ad hoc quòd primò occupans hæreditatem, vel legata, ac possidens retinere possit, eò quòd inter auctores sit valdè ambiguum an hæres institutus, vel hæres ab intestato melius jus habeat in foro conscientiæ, aliunde verò melior sit conditio possidentis. Sic qui priùs ex ipsis occupaverit juvabitur possessione. Cap. *In litteris* de Prob. Si tamen lis intentetur, standum erit ultimæ ac supremæ judicis sententiæ. Volumus itaque quòd hæres sic institutus, possit tutâ conscientiâ primò occupare, adire et possidere hæreditatem, quousque hæredes ab intestato, aut alii quorum interest, in judicium vocaverint, ac per sententiam judicis deturbaverint. Post illam tenebitur in conscientiâ illis cedere hæreditatem, nec potest sibi per fraudes retinere, nec impedire quin condemnetur, aut non conveniatur coram judice, quamvis non teneatur testamenti nullitatem ipsis manifestare. Et hoc est quod intendimus, quando dicimus contractum aut testamentum sine solemnitate substantiali tribuere dominium, infirmum tamen et debile.

Probatur ex Institut. de rer. Divis , § *Per traditionem. Nihil est tam conveniens naturali æquitati quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi*. Proindeque qui certus est de voluntate sincerâ testatoris in sui favorem, habet sufficientem titulum et jus ad hæreditatem. Si ergo cum hoc titulo possessio conjungitur, jus istud in foro conscientiæ videbitur completum, etiamsi aliqua solemnitas defuerit, quousque à judice aliter fuerit ordinatum. Nec legibus civilibus repugnat, utpote quæ ubi res ad forum exterius non deducuntur, contractus suæ naturæ relinquunt, et finis quem his solemnitatibus intendunt, est ut fraudibus obvietur; proindeque ubi de bonâ fide constat, saltem in foro conscientiæ, non est necessaria hujusmodi cautio. Adde quòd istud testamentum saltem æquivalet liberæ donationi, eamque continet. Sicut ergo potest iste sibi retinere quod accepit à testatore liberè donante, ita etiam quod possidet per istud testamentum, quousque à judice repellatur : leges enim justè concedunt hæredibus ab intestato aliisque quorum interest facultatem ut beneficio repetitionis utantur in judicio, petantque declarationem nullitatis, quam tales contractus jure humano habent ad innumeris fraudibus obviandum. Ideòque necesse judicârunt et statuerunt ad transferendum dominium omninò firmum, adesse debere voluntatem testatoris, non qualemcumque, sed solemnem, seu cum debitis solemnitatibus et formalitatibus expressam. Sic etiam qui lucratus est in ludo vetito, acquirit dominium lucri, sed infirmum et debile, quia scilicet qui perdidit et victus fuit, habet facultatem illud repetendi in judicio. Item quando lex concedit restitutionis in integrum privilegium, dat facultatem impugnandi contractum aliàs validum, ejusque rescisionem petendi in judicio, et sic de aliis multis contractibus.

Dices ex nostrâ sententiâ sequi bellum posse ex utrâque parte justum esse. Nam hæres institutus ex unâ parte justè potest hæreditatem possessam sibi retinere : ex aliâ parte verò hæres ab intestato, justè etiam potest illam impugnare. — Resp. in hujusmodi ambiguitate solùm per accidens dari bellum ex utrâque parte justum. Nam titulo voluntatis ac liberæ donationis testatoris, utitur jure suo hæres institutus capiendo hæreditatem, dùm nemo opponit, et tunc etiam possessio illi favet, nec ullum adhuc est bellum, quousque hæres ab intestato voluntate et facultate

legis, jureque sibi concesso utens ipsum vocat in judicium et impugnat. Tunc enim solùm incipit bellum ac cessat, quia per judicem alter condemnatus, ampliùs pugnare et resistere nequit, sed huic tenetur hæreditatem cedere. Hæc et alia quæ ad dominium proprietatis spectant, vide à nobis abundè ventilata in primo tomo de Justitiâ tractatu de Dominio. Ubi etiam examinatur an victor in ludo alearum acquirat dominium pecuniæ lucratæ, et affertur regula quam D. Thomas assignat circa hoc 2-2, q. 32, art. 7, ad 2.

QUÆSTIO PRIMA.

DE FURTO ET RAPINA.

Quamvis in hoc septimo Decalogi præcepto solius furti mentio fiat, sub hoc tamen nomine etiam rapina intelligitur; prohibet siquidem quæcumque iniquam rei alienæ ablationem, sive per vim apertam, sive per dolum occultum usurpetur, ut rectè declaravit D. August. q. 71 in Exodum ubi ait : *Furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ : non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed utique à parte totum intelligi voluit quidquid illicitè rerum proximi aufertur.* Et refertur à Gratiano 14, q. 5, can. *Pœnale.* De iis itaque injustis ablationibus sub vocabulo furti in decursu hujus tractatûs promiscuè acturi sumus.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ furti et rapinæ.

Furtum à juristis describi solet : Contrectatio rei alienæ mobilis et corporalis, fraudulenta, invito domino, gratiâ lucrandi vel rem ipsam, vel usum ejus vel possessionem, ff. de Furtis, l. 1. Breviùs tamen et exactiùs definitur à D. Thomâ 2-2, q. 66, art. 3 : *Occulta acceptio rei alienæ.* Ubi *acceptio* tenet locum generis : sumitur autem pro injustitiâ, seu injustâ acceptione, cùm hìc sit sermo de commutationibus involuntariis, et injuriis quibus infertur damnum proximo in rebus suis, satisque hoc indicavit D. Thomas præponendo τὸ *occulta*, id est, quòd acceptio fiat contra domini voluntatem. Ideò enim fur accipiendo occultè rem alienam, subterfugere vult domini oculos et notitiam, quia vult agere contra ipsius voluntatem, reputans ipsum non consensurum, imò impediturum, si sciret aut videret bona sua auferri. Quare verba hæc, quæ aliqui addunt, scilicet, *domino rationabiliter invito*, solùm clariùs hanc furti definitionem explicant; non sunt tamen necessaria, eò quòd in τὸ *occultâ acceptione*, satis intelligantur et comprehendantur. Furtum igitur per *acceptionem*, convenit cum rapinâ et aliis injuriis ac læsionibus in bonis proximi : *per occultam* verò differt à rapinâ et ab aliis.

Rapina enim de se non est occulta, sed aperta et violenta acceptio rei alienæ, ex D. Thomâ ibid. art. 4, ubi probat specie distingui à furto, ex diversâ scilicet ratione objecti quod dicitur *injustum*, et claudit in se rationem involuntarii, quia nullus patitur injustum volens. Hinc enim fit quòd secundùm diversam rationem involuntarii, diversificetur injusti species : in furto autem ille cui res subtrahitur est involuntarius negativè et per ignorantiam; in rapinâ verò positivè et per violentiam, ideòque sunt peccata injustitiæ specie distincta.

Indeque concludit D. Thomas, art. 9, rapinam esse gravius peccatum quàm furtum, rectèque per leges graviùs puniri, quia aliquid magis est involuntarium per violentiam quàm per ignorantiam, cùm violentia directiùs opponatur voluntati quàm ignorantia. Item quia per rapinam non solùm infertur alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quamdam personæ ignominiam, sive injuriam. Et hoc præponderat fraudi vel dolo, quod pertinet ad furtum. Unde raptor in confessione tenetur explicare se per violentiam rem alienam occupâsse, aut se accusare de præparatione animi in quâ erat eam inferendi, quamvis per accidens illam non intulerit, eò quòd effractis domûs foribus, in eâ neminem invenerit, etc. Et ultra rei alienæ restitutionem, obligandus est ad satisfactionem aliquam domino positivè renitenti faciendam, pro irreverentiâ et contemptu illius personæ. Additur tandem, *rei alienæ;* hinc enim furtum committit qui occultè rem alienam accipit, non solùm ut eam integrè sibi appropriet, sed tantùm ut illâ utatur contra domini rationabilem voluntatem, puta si quis utatur re locatâ ad alium usum, vel tempus ultra præfixum; item deposito pignore, etc., absque domini voluntate saltem interpretativâ. Item furtum censetur quoties res injustè aufertur, nedùm à domino, sed etiam à quocumque alio eam legitimè possidente, etiam solùm quantùm ad usum aut custodiam; censetur enim res aliena quovis justo titulo ad alium pertineat. Hinc colligitur D. Thomam consummatam definitionem furti simpliciter tradidisse, simulque regulam generalem optimam exhibuisse ad dignoscendum quandonam ablatio rei alienæ sit furtum, quando verò non; perspiciendum siquidem est an occulta acceptio sit injusta, ita ut reverà fiat injuria domino illiusque jus violetur, proindeque sit rationabiliter invitus etiam quoad substantiam ablationis. Tunc enim est verè furtum : secùs dicendum quando reverà nulla fit ipsi injuria, nec proinde jure et rationabiliter est invitus. Hinc excusatur à furto qui accipit à furioso gladium aut apud se depositum non reddit, ne se vel alium interficiat, paratus reddere tempore opportuno. Item uxor quæ mariti pecunias clam surripit, ne comessationibus, ludis et prodigalitatibus eas consumat in familiæ detrimentum, ad cujus interim usus necessarios illas convertit. Item qui in extremâ necessitate alienum usurpat, ut habeat unde sustentetur. Item qui rem alienam expositam in loco parùm tuto aufert vel occultat, ne fures eam diripiant, animo reddendi et conservandi domino. Item qui rem joco occultat, ut dominus in eâ conservandâ cautior reddatur; si tamen putaret illum inde blasphematurum aut aliter peccaturum, posset iste peccare. Item ex auctoritate legitimâ acceptio excusatur à furto, ut quando per justam judicis sententiam, aut reipub. dispositionem, ac bonum commune, alicui sua auferuntur, vel

ex obedientiâ erga supremum bonorum Dominum : sic filii Israel jussu Dei absque furto spolia Ægyptiorum abstulerunt. Item dùm quis bonâ fide accipit rem alienam, aut illâ utitur, probabiliter præsumens adesse domini consensum : si tamen de facto contingeret dominum esse rationabiliter invitum, non foret quidem reus furti formaliter, benè tamen materialiter, et restituere teneretur rem utpote alienam. sicut è contra qui alienum occultè accipit putans dominum esse invitum etiam quoad substantiam acceptionis, cùm tamen de facto invitus non sit, committit peccatum furti formaliter, et non materialiter à parte rei, sicque tenebitur quidem de peccato agere pœnitentiam, non tamen restituere, quando sciet dominum consensisse. Hinc tandem à furto saltem mortali excusari possunt uxores, et filii, quid modicum occultè surripientes de bonis familiæ, putantes patrem aut maritum non fore invitum, sed facilè concessurum, si peterent; ob verecundiam tamen et timorem ipsum frequentibus petitionibus inquietandi, adire non audent, quia tunc quamvis patri fortè displiceat iste modus clancularie acceptionis, non tamen circa illius substantiam censetur rationabiliter invitus, si pro necessitatibus aut honestis recreationibus modicum surripiant. Verùm de his magis infra.

Hæc injusta ablatio pro varietate objectorum materialium sive rerum quæ injustè auferuntur, varia sortitur nomina. Si enim privatum quid à privato eo inscio accipiatur, vocatur *furtum*. Si bonum commune et reipubl. tollatur, dicitur *peculatus*. Si homo liber rapiatur, aut servus alterius in servitutem abducatur, dicitur *plagiatus*. Si animal alterius de grege rapiatur, vocatur *abigeatus*. Si quis furetur rem sacram de loco sacro, aut sacram de non sacro, aut non sacram de sacro, dicitur *sacrilegium*. Tandem quando vis positivè domino infertur, est *rapina*. Quantùm autem latè pateant furtum et rapina, vide in catechismo concilii Trident., p. 3, de septimo Decalogi præcepto, ubi recensentur in particulari peccata, quæ ad hæc pertinent aut reducuntur, de quibus omnibus in decursu hujus tractatûs acturi sumus, præsupponentes, præter externam actionem furandi et rapiendi, etiam animum et voluntatem id faciendi prohiberi. Ut enim inquit Catechismus, *lex Dei est spiritualis, quæ animum fontem cogitationum et consiliorum respicit.* Unde Dominus ait Matth. 15 : *De corde exeunt adulteria, furta*, etc. Et decimo speciali Decalogi præcepto concupiscentia bonorum proximi vetatur, seu inordinatus illorum appetitus, aut deliberatus consensus accipiendi injustè et in damnum proximi; seu ea omnia quorum quantùm ad opus exterius hoc septimo Decalogi præcepto prohibetur injustitia; etiam eorum actus interiores quando non procedunt ad opus, decimo vetantur præcepto, quod proinde violant, qui ex cupiditate et sine ratione desiderant auferre res proximi, aut delectantur in cogitationibus morosis furti et rapinæ, necnon qui annonæ aliarumque rerum exteriorum penuriam et charitatem expetunt ut suas cariùs vendant, et cum detrimento publico ditentur, aliorum necessitatem desiderantes. Item qui ex invidiâ tristantur de bonis proximi, quatenùs ea apprehendunt ut diminutiva proprii statûs, vellentque eos spoliare, si possent. Dico, furtum, et à fortiori rapinam, esse peccatum mortale ex genere suo, quia ex genere suo contrariatur charitati Dei et proximi, cui damnum infertur in rebus suis; sicque est etiam contra justitiam, cùm tollat æqualitatem debitam inter homines, qui si passim sibi furarentur, periret societas humana. Unde meritò Apostolus declarat, quòd *fures regnum Dei non possidebunt*, 1 ad Corinth. 6. Denique est contra septimum Decalogi præceptum : ista autem præcepta ex genere obligant ad mortale, eique etiam præcepto naturali adversatur : *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Nemo autem vellet res suas furto auferri. Ita D. Thom. hîc art. 6.

Furtum nihilominùs in individuo, potest quandoque esse duntaxat peccatum veniale, nempe ex imperfectione actûs, vel defectu plenæ deliberationis et judicii, vel ex parvitate materiæ, nempe rei furtivæ. Ut enim ait D. Thomas hîc art. 6 ad 3, *illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil : et ideò in his quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum inferri, et ille qui accipit, potest præsumere hoc non esse contra voluntatem ejus, cujus res est. Et pro tanto, si quis furtivè hujusmodi res minimas accipiat, potest excusari à mortali peccato. Si tamen haberet animum furandi et inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis, potest esse peccatum mortale, sicut et in solo cogitatu per consensum.* Quibus verbis non intendit D. Thomas, quòd si quis surripit pomum, peccet mortaliter, quia habet animum furandi illud pomum. Est enim error, quoniam animus furandi importat animum inferendi nocumentum proximo; non vocatur autem nocumentum, si est nocumentum secundùm quid, quale est nocumentum in re minimâ. Et propterea per animum furandi, intellige solummodò animum surripiendi aliquid notabile : ideòque si quis surripit aliquid minimum, habens animum non surripiendi aliquid notabile, excusatur à furto mortali; si autem parvum surripit, ita quòd si potuisset, aut quando poterit, notabile etiam surripiet, procul dubio animo furandi mortaliter peccat. Sicut nihil actu surripiens, habens tamen animum et appetitum surripiendi notabilia, ac nocendi proximo in magnis, si posset, peccat mortaliter peccato furti, solo illo consensu. Et hoc modo intelligitur et explicatur mens D. Thomæ communiter à doctoribus.

Hinc colligitur pœnitentes de parvis furtis se accusantes, interrogandos esse, an solùm defectu occasionum parva surripuerint, et habuerint animum auferendi majora ac notabilia et inferendi nocumentum simpliciter ac illimitatum, si potuissent. Item si habentes quidem animum accipiendi rem parvam talemque à se æstimatam, præviderint tamen aut animadvertere potuerint, ejus dominum hoc furto in gravem necessitatem conjici, ut si panem à mendico necessarium ad victum diurnum auferant, aut si subulam à sutore, acum à sartore, calamum à scribâ, non

habentibus aut commodè non valentibus habere similia instrumenta, surripiant, ob quod isti artifices sibi et familiæ necessaria procurare nequeant, laborando ut solebant : in his siquidem casibus res parva ablata, censetur per accidens gravis, ob scilicet notale ille nocumentum proximo illatum, et sufficiens ad constituendum peccatum mortale furti. Item interrogandi sunt pœnitentes an sciverint illam rem parvam, valdè charam esse domino ; qui propterea ejus ablationem cum gravi molestiâ tulit, in blasphemias aliaque peccata prorupit, etc. Tunc enim peccato gravi scandali sunt rei atque odii, si animo inferendi domino gravem molestiam eam rem parvam auferent, cùm id graviter repugnet charitati

1. *De quantitate necessariâ ad constituendum furtum mortale.*

Quæres primò, quænam rei ablatæ quantitas et valor requiratur et sufficiat ad furtum mortale in individuo constituendum. Respondeo, quòd ista res dupliciter considerari potest : primò absolutè sine respectu aliquo ad personas à quibus aufertur : et hoc modo potest constitui aliqua quantitas quæ respectu omnium ex naturâ suâ censeatur gravis et sufficiens ad furtum mortale, v. g., decem nummi ; et altera quæ per se loquendo et ex naturâ suâ respectu omnium censeatur levis, secluso alio damno, v. g., acceptio unius oboli, spicæ, acûs, etc., ut innuit D. Thomas, q. 10 de Malo, art. 2. Verùm certò definire aliquid inter illa extrema, quod sit materia sufficiens, difficillimum est : unde secundò consideranda est res ablata per habitudinem ad personas, locum, tempus, damnum, aliasque circumstantias. An scilicet persona à quâ aufertur sit ditissima, liberalis, consanguinea, amica, vel pauper, etc. An illa regio abundet copiâ auri et argenti, aut non. An tempus sit miserabile et infaustum, aut non. An damnum quod indè dominus patitur, sit grave ; quod enim magnum simpliciter infert uni, non nisi leve quandoque affert alteri. An dominus rationabiliter sit invitus graviter circa hujus ablationis substantiam, etc. Ex his enim boni et prudentis viri judicio, potest non quidem certa regula statui ad infallibiliter mathematicè determinandam istam quantitatem, sed moraliter ista quantitas sufficiens ad furtum mortale decerni. Sic forte quantitas sex librarum Turonensium sufficit in istis partibus ad constituendum mortale furtum etiam respectu regum, quia licet opibus abundent, immensos tamen sumptus facere debent ad onera regia sustentanda, ideòque jure censentur rationabiliter inviti circa ablationem prædictæ summæ.

Quantitas verò trium librarum, seu sexaginta solidorum, sufficit respectu ducum, marchionum, etc. Quantitas triginta solidorum sufficit respectu virorum nobilium ac civium illustrium ditissimorum. Quantitas unius libræ, seu viginti solidorum, sufficit respectu civium, ex suis reditibus aut industriâ commodè viventium, seu communium divitum. Quantitas quindecim solidorum videtur sufficere respectu artificum, qui se labore et operâ abundè sustentant, nec indigent. Quantitas decem aut septem solidorum videtur sufficiens respectu civium et artificum, qui habent necessaria duntaxat ad victum satis parcum, et ferè indigent. Tandem quantitas trium aut quatuor solidorum potest esse materia sufficiens respectu pauperrimorum, qui mendicando sibi consulunt ac prospiciunt. Verùm, ut jam dixi, nihil certum ac determinatum circa hoc statui potest. Unde non intendo dicere quòd minor quantitas quandoque non sufficiat, et quòd hæc semper et determinatè requiratur ad furtum mortale. In quo enim indivisibiliter et ad amussim consistat, solus Deus scit, nec homines decet velle divinare ; sed tantùm propono simpliciter, quod per se et communiter loquendo, seclusis aliis, quæ per accidens in casibus particularibus occurrere possunt, et quod judicio morali prudentis ac probati viri rem indagando attentis omnibus attendendis videtur quantitas respectu diversarum personarum sic variè taxata, sufficiens ad constituendum furtum mortale, salvo meliori.

Quæres secundò, an qui commisit paulatim repetitis vicibus plura parva furta, peccet mortaliter et ad restitutionem tenetur sive ab uno, sive à pluribus auferat.

Respondeo, quòd si parva furetur defectu occasionis, quia scilicet non potest majora surripere, prout ex animo desiderat, peccat mortaliter quolibet illo parvo furto, ut constat ex dictis. Idemque dicendum de eo qui sive ab uno, sive à multis exiguum quid successivè surripit, intendens paulatim indè magnam summam accumulare, ac ditescere. Peccat enim mortaliter quoties aliquid exiguum surripit, quia toties renovat illam intentionem mortaliter malam. Si verò parva furetur paulatim absque hâc malâ intentione, peccat solùm venialiter illis furtis quibus non attingit notabilem quantitatem : quàmprimum verò illam attingunt et complent, peccat mortaliter et ad restitutionem sub mortali tenetur, illo ultimo parvo furto quod cupiditate victus committit, advertens unà cum aliis præcedentibus conflare quantitatem ad mortale sufficientem. Ratio est quia iste tunc censetur alteri inferre notabile damnum, aut notabili utilitate injustè privare. Adde quod licet peccata venialia non efficiant mortale in illis rebus et materiis quæ ad invicem continuari non possunt, ut in mendaciis levibus et verbis otiosis, quæ semel prolata transeunt, nec subsequentia colligari possunt cum præcedentibus, benè tamen in iis materiis in quibus ita sunt unius generis, ut priora cum sequentibus continuari et moraliter unum efficere valeant, ut patet in intemperentiâ, quando quis uno die jejunii plura pauca comedit, quæ licet seorsim sumpta non sint materia gravis, nec sufficiant ad peccatum mortale, si tamen omnia simul collectivè accipiantur, ita moraliter continuantur, ut sufficiant ad peccatum mortale. Idem dicendum de minimis furtis ; licèt enim ultimum præcisè secundùm se ac seorsim sumptum non sit nisi veniale, moraliter tamen conjunctum et continuatum cum præcedentibus, complet gravem materiam ac notabile damnum, sicut ultima unitas in virtute præcedentium dat

speciem numero. Ergo quando aliquis per plura minima furta surripit notabilem quantitatem, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem, non solùm quando ab uno, sed etiam quando à pluribus surripit, prout definivit Innocentius papa XI, damnans hanc propositionem : *Non tenetur quis sub pœnâ peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

Alioquin injusti venditores qui dolosis ponderibus et falsis mensuris utentes, aliquid modicum à singulis emptoribus surripiunt, paulatim ditescere possent absque peccato mortali et gravi obligatione restituendi, quod est falsissimum, et reipub. valdè perniciosum; sicut et dicere quòd surripientes quantitatem notabilem ex ærario communi, non peccent mortaliter, eò quod singulis civibus seorsim sumptis modicum afferant nocumentum. Sufficit enim quòd illis collectivè sumptis gravem injuriam inferant, privando communitatem facultate disponendi de illâ summâ, quâ posset cives juvare et necessatibus communibus occurrere. Sic in proposito non requiritur quòd iste fur singulis grave nocumentum intulerit, sed sufficit quòd toti communitati notabiliter nocuerit, quatenùs omnia parva damna efficiunt unum magnum, quod communitas patitur. Ergo mortaliter peccat et tenetur restituere iis à quibus furatus est, aut si nequeant dignosci, pauperibus illius loci facienda est restitutio.

Duo tamen hîc sunt observanda : primum illa parva sive ab uno, sive à pluribus furto accepta, debere inter se moraliter continuari : si enim voluntas retractaverit ea per interpositam pœnitentiam et restitutionem antequàm complerent notabilem quantitatem, tunc acceptio, aut detentio superveniens non continuatur cum præcedentibus. Idem dicendum putant auctores quando iste fur committit ultimum furtum, præteritorum immemor, aut non advertens nulloque modo cogitans ex his parvis coalescere quantitatem ad mortale sufficientem. Item quando illa parva furta longâ temporis distantiâ inter se recedunt, ut si quis solùm post annum subripiat duos solidos oblatâ occasione, absque ullâ intentione perveniendi ad notabilem summam. Secundum, quòd quantitas quæ sufficit ad furtum mortale, si tota ab uno simul unâ vice auferatur, non sufficit ad illud si paulatim et diversis temporibus ab eodem subripiatur, sed tunc major requiritur, quia communiter homines id minùs ægrè ferunt suntque magis inviti ac in voluntarii circa primum. Sicut ob eamdem rationem quantitas quæ sufficit ad mortale, si paulatim ab uno subripiatur, non sufficit, si multis ejusdem conditionis subtrahatur, sed major requiritur juxta prudentis arbitrium, quia scilicet idem furtum non infert tantum damnum respectu multorum, nec æquali privat utilitate. Hinc plures auctores colligunt furem qui post completum modo dicto furtum mortale, nova deinde parva furta committit, mortaliter peccare toties quoties ex hoc quòd illud parvum furtum continuetur moraliter cum quantitate gravi præcedente, quæ sicut erat sufficiens ad mortale, ita et illud parvum furtum, imò eò gravius est peccatum quò efficit quantitatem præcedentem notabiliorem, cum quâ censetur continuari, ratione implicitæ, vel explicitæ voluntatis retinendi illam : nisi fortè ob interpositam pœnitentiam moraliter non continuetur. Tunc enim furta exigua consequentia, cùm sint materia levis, non sufficiunt ad mortale, donec perveniatur de novo ad notabilem quantitatem. Quod tamen intelligendum semper est, dummodò absit intentio subripiendi majora, juxtà superiùs dicta.

Quæres tertiò, an quando plures sine mutuo consensu et conspiratione, sed independenter et disparatè, singuli modicum quid accipientes ab unâ et eâdem personâ, illi damnum notabile inferunt, teneantur sub peccato mortali illud restituere. Difficultas autem procedit quando quilibet furando, v. g., unum racemum è vineâ advertebat, prævidebat, sciebat, aut videbat multos singulos uvas accipere, indeque secuturum notabile damnum vineæ domino. Respondeo quòd etsi in tractatu de Justitiâ cum aliis docuerimus non esse peccatum mortale, sed tantùm veniale, eò quòd unus non sit concausa furti alterius, neque ejus acceptioni cooperetur, sed potiùs vineæ strages ipsi displiceat, proindeque ratione parvitatis sui furti excusetur à peccato mortali, cùm non sit majus peccatum rem ablatam detinere et consumere, quàm rem ipsam invito domino auferre; re tamen benè perpensâ satius judico quemlibet teneri sub mortali abstinere ab illo parvo furto, et ablatum sub obligatione mortali restituere, si prævidit aut scivit illam magnam vineæ stragem. Ratio est, quia suppositâ illâ scientiâ furtorum aliorum, istè planè consentit actu de facto suo in hujusmodi damnum notabile, ut constat, imò efficit damnum notabile scienter, cùm dominus vineæ illud non sentiret, si quilibet hoc sciens abstineret ab acceptione uvæ, unde unusquisque suâ acceptione causa censetur voluntaria illius notabilis damni, integrando illud ob continuationem et connexionem moralem saltem materialem quam habent invicem inter se illæ acceptiones. Sicut enim furtum leve ab uno commissum integrare potest materiam sufficientem ad mortale cum levi furto ab alio commisso, ita potest continuari cum majori furto, et integrare unam majorem materiam, quâ majus damnum inferatur, et imputetur ad culpam mortalem. Et sanè si furari acum à sartore quandoque per accidens possit esse mortale, quando prævidetur ex hoc pati grave damnum, aut notabili utilitate privari, cur acceptio unius uvæ non poterit per accidens esse mortale peccatum, quando prævidetur aut scitur, inde oriri vineæ alienæ stragem?

Confirmatur. Ut enim jam ostensum est, quando unus paulatim per plura minima furta à multis accepit notabilem quantitatem, peccat mortaliter et restituere tenetur, quamvis singuli in parte levi duntaxat læsi fuerint. Ergo à pari quando plures per parva furta scienter ab uno notabilem quantitatem accipiunt, eodem modo peccant, et restituere tenentur. Probatur conseq. et paritas. Sicut enim in primo casu iste infert notabile damnum omnibus conjunctim, seu illo-

rum communitati, modicum à singulis accipiens, ita in secundo casu omnes isti simul causant notabile damnum vineæ domino, singuli unam uvam accipientes. reverà enim dominus illud patitur et jure potest compensationem petere ab aliquo, ac ad illam faciendam fures excommunicatione compellere. Ergo graviter singuli peccârunt, et unusquisque tenetur partem suam, aut æquivalens sub peccato mortali restituere. Videtur sanè ridiculum, quòd aliqua notabilis quantitas injustè ab aliquo ablata fuerit, et tamen nullus subripientium lethaliter peccaverit, neque sub mortali ad restituendum teneatur. Ad rationem in contrarium in initio adductam, dicendum solùm procedere, quando ex actu unius furis, hìc et nunc, suppositis nempe his circumstantiis temporis, loci, et personarum, non consequeretur grave damnum proximi: secùs quando scit aut prævidet illo facto suo causari enormem læsionem, prout contingit in præsenti. Tunc enim censetur voluntariè illam causare, cùm possit et debeat ab eo parvo furto abstinere : aliàs ei imputatur ad culpam lethalem, per accidens, ratione gravis nocumenti inde consecuti. Quando non conscius fuit neque novit aut prævidit alios furari, non peccavit quidem mortaliter, neque potuit liberè et moraliter continuari damnum leve quod ipse inferebat cum furtis aliorum; et quamdiù durat talis ignorantia, si sit invincibilis, excusatur à mortali, tam accipiendo quàm non restituendo. Si tamen postea accesserit notitia illati damni notabilis, tenebitur quantùm accepit, in se aut in æquivalenti restituere; et non restituendo peccat mortaliter per solam injustam detentionem, quia ex tunc damnum quod intulit censetur moraliter cum furtis aliorum continuari, ac cum ipsis enormem conflare læsionem.

Quæres quartò, an qui rem alienam rapit vidente domino et non contradicente, furtum committat. — Resp. affirmativè, si intendat occultè, seu domino nesciente ac nolente accipere, et per accidens contingat dominum eum videre, solùmque tacere ex timore et verecundiâ, aut aliâ justâ de causâ, nempe quia resistere non potest vel non audet : tunc enim non censetur spontè consentire, neque rei suæ dominium in alium velle transferre, unde hìc verè intervenit malitia furti et obligatio restitutionis.

Quæres quintò, an qui jumenta sibi commodata aut locata longiùs duxerint, alienâque re invito domino usi fuerint, rei sint furti. — Resp. affirmativè, et habetur l. *Qui jumento*, tit. de Furtis, lib. 47 Digest. Item creditor qui utitur pignore, aut alteri commodaverit l. *Si pignore*, ibidem.

§ 2. *Utrùm propter necessitatem propriam vel alienam sublevandam liceat alicui alienam rem accipere.*

Recolendum est ex dictis, acceptionem rei alienæ debere esse injustam ad constituendum furtum; seu quòd dominus illam patiatur nolens, et jure sit ac rationabiliter invitus, defectu cujus injustitiæ, plures acceptiones carere malitiâ furti in initio hujus articuli ostendimus. Duæ hìc restant difficultates examinandæ : prima est quando fit ob necessitatem, secunda est quando fit ad rem suam recuperandam, de quo § sequenti erit sermo. De causâ necessitatis hìc agimus quam triplicem distinguunt auctores, scilicet necessitatem communem, gravem et extremam. Necessitas communis est illa quam patiuntur pauperes ordinarii ostiatim mendicantes; et hanc non reddere res communes, neque illis tribuere jus in aliena bona, plusquàm certum est. Aliàs cùm mundus his pauperibus abundet, passim et ubique cives rebus suis spoliarentur, frustraque bonorum approbatio jure gentium fuisset introducta. Quam tamen violandi non apparet urgens ratio, eò quòd ista necessitas ordinariè non multùm premat, facilèque studio et industriâ vinci possit.

Quidam tamen hos pauperes et tenuioris fortunæ mulierculas excusant à gravi furto aliquos fructus in diversis agris tempore messis clam subripientes, eò quòd ab uno notabilem quantitatem auferre et ipsi notabile damnum inferre nollent. Quòd si opponas hos pauperes in fine messis notabilem quantitatem de alieno habere multis à civibus per parva furta comparatam, proindeque à gravi peccato furti non excusari, respondent quòd ipsi divites sciunt vix aliter contingere, quin hìc et inde aliquid tunc à pauperibus subripiatur, nec ita graviter ferunt, quòd hinc et inde paucas spicas colligant de messe, etiam ultra illas quæ fugiunt manus metentium, licet de die in diem illa quantitas crescat; nec videntur velle istos obligare ad restitutionem, ac veniam petentibus facilè condonant. Quando tamen pauperes partem manipuli detruncant, erectam adhuc segetem plenis manibus vellicant, càque ratione paucis diebus grave damnum possunt inferre, quod meritò graviter dominis displicet, tunc excusandi non veniunt, sed ad restitutionem, si commodè fieri possit, sunt obligandi. Sed ferè ad confessionem accedunt dùm omnia ista corrasa consumpserunt, sicque in pœnam injustitiæ pauperiores evadere solent, et verificatur illud : *Malè parta, malè dilabuntur*. Verùm in his puto non esse laxandas pauperibus habenas, de se satis ad cives despoliandos inclinatis, qui agrorum fructus ab istorum rapacitate vix tueri possunt : ideòque ab hujusmodi furtis sunt arcendi, et adducendi ut contenti sint spicis, aliisque fructibus remanentibus, post aliorum factam à domino integram collectionem.

Necessitas gravis est quam patiuntur illi qui, etsi non premantur fame, nec inferat periculum vitæ ac personæ, non habent tamen necessaria suo statui, v. g., unde debita solvant, filiarum dotem constituant, etc., et de hâc necessitate eodem ferè modo, ac de communi ratiocinandum est, quòd non reddat res communes, neque alicui tribuat jus in bona aliena, prout definivit Innocentius papa XI, damnans istam propositionem 36 : *Permissum est furari, non solùm in extremâ necessitate, sed etiam in gravi*. Natura enim ordinavit hæc bona per se ad tuendam vitam, proindeque conservatio honorifici statûs non est per se ratio sufficiens ad derogandum bonorum appropriationi jure gentium factæ : et eædem rationes, quæ

militant contra necessitatem communem, æquè procedunt contra gravem necessitatem; argumentaque Lessii et aliorum faventium huic necessitati gravi, possunt facilè contra ipsos retorqueri : vel enim nihil probant, vel idem convincunt de necessitate communi, ut consideranti patebit.

Dices 1° : Divites tenentur subvenire graviter indigentibus, et ad hoc possunt auctoritate publicâ cogi. Ergo in casu quo dare nolint, possunt egentes illud subripere, domino non rationabiliter invito nec læso, sed actu debito consentiente. Contra est, quia ex hoc quòd divites teneantur ex charitate de superfluis subvenire pauperibus communibus, malè inferretur eos posse absque furto illa superflua subripere : ita cùm solùm ex charitate et misericordiâ teneantur his gravem necessitatem patientibus occurrere, malè concluditur eos posse hæc bona sibi usurpare. Quia, ut ait D. Thomas hìc, art. 7, cùm multi sint necessitatem patientes, et non possit ex eâdem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus, nisi sit extrema; unde nullus pauper in particulari habet jus ad illa bona, proindeque non potest res alterius sibi usurpare : et in hoc dives censetur rationabiliter invitus; verùm de his magis infra in fine tract. de Restitutione.

Dices 2° : Si quis ex restitutione statim faciendâ amittere deberet suum statum, posset illam differre, et alienum retinere. Ergo potest etiam alienum accipere ad illum conservandum : pari enim passu ambulant detentio et acceptio rei alienæ, ut docet D. Thomas. Contra est, quia sicut non potest quis differre restitutionem ad conservandum suum statum injustè comparatum, ita nequit furari ad illum tuendum. Deinde negatur consequentia et paritas, quia si debitor ex contractu teneretur statim restituere cum amissione sui statûs justè acquisiti, ob illud detrimentum quod inde pateretur, plus restitueret quàm debet : hæc autem ratio non currit in præsenti. Unde dominus esset irrationabiliter invitus circa emissionem aut dilationem restitutionis, non vero circa acceptionem rei suæ, cùm non teneatur illud damnum rei suæ pati, ut alter è statu suo non decidat. Videmus enim homines illam dilationem restitutionis per se loquendo non tam ægrè ferre, quàm spoliationem bonorum factam ab istis indigentibus, eamque respicere tanquàm gravem injuriam sibi illatam. Sed de his magis infra. Igitur periculum famæ vel honoris, non est sufficiens necessitas ut quis injustè aliena bona rapere valeat, quia hæc bona temporalia non sunt media per se ordinata ad honorem hominis, utpote qui est præmium virtutis : et ex sententiâ contrariâ, multa mala et inconvenientia orirentur. Addunt tamen aliqui quòd in tali casu licitum erit homini, cui valdè indecorum est mendicare, occultè accipere aliena animo restituendi, si tamen aliter non possit sibi succurrere, qui casus est rarissimus, cùm hujusmodi homines possint principibus deservire, aut ad bellum proficisci, etc. Ratio hujus asserti est communis pietas hominum erga hujusmodi egentes : non tamen dant illis dominium, quia res temporales per se ordinantur ad sustentationem et non ad honorem. Verùm judicium de hoc aliis relinquo, non enim mihi videtur satis tutum dogma istud. Necessitas extrema est dùm imminet personæ, vitæ, aut gravis infirmitatis periculum, eique aliter subveniri non potest quàm accipiendo necessaria. Et hæc juxta D. Thomam hìc, a. 7, et alios communiter, reddit res communes, quia ut ait S. D. ea quæ sunt juris humani nequeunt derogare juri naturali vel divino : secundùm autem naturalem ordinem ex divinâ providentiâ institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc quòd ex his subveniatur hominum necessitati. Et ideò per rerum divisionem et appropriationem ex jure humano procedentem, non impeditur quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus.

Dices : Extrema necessitas non facit quòd liceat mentiri aut fornicari. Ergo neque quòd furari liceat, cùm furtum æquè sit malum, et æquè benè prohibeatur in Decalogo sicut mendacium et fornicatio. Respondeo quòd furtum semper est illicitum, sicut mendacium et fornicatio : sed nego in nostro casu committi furtum, cùm non interveniat acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito. Qui enim in extremâ necessitate constitutus accipit ad sustentandam et conservandam vitam suam, non accipit alienum, sed quod suum est, ac per hanc necessitatem factum commune, sicut erat ante rerum divisionem : habetque à naturâ jus illud subripiendi, non solùm occultè et clam, sed etiam palàm et per vim, quando aliter sibi providere nequit, et dominus tenetur ex justitiâ tunc non impedire, licet solùm ex charitate teneatur spontè donare. Nec in tali casu potest rationabiliter ægrè ferre, quòd extremè indigens rem suam accipiat, cùm tunc in deliberationem ancipitem cadere nequeat an sit huic succurrendum, an non, sicut in casu solùm gravis necessitatis jam diximus contingere posse, ob quod non est licitum accipere, eo invito. Quam differentiam rectè assignat D. Thomas hìc, art. 7. Cùm igitur isto præcepto Decalogi solùm prohibeatur acceptio rei alienæ injustè et contra dictamen rectæ rationis, ac quæ fit domino rationabiliter invito, ista acceptio pauperis non ibi prohibetur, sed mutatur materia illius præcepti; sicut contingit dùm quis cum moderamine se defendendo injustum aggressorem occidit, aut judex legitimè mortis supplicio plectit reum. Et sicut in isto casu abusivè dicitur quòd liceat judici committere homicidium, ita in præsenti est abusiva locutio quòd liceat in extremâ necessitate furari. Atverò malitia mendacii, nempe locutio contra mentem et contra veritatem, sicut et iniquitas fornicationis, nempe accessus ad non suam, non mutatur nec desinit ob extremam necessitatem, nisi Deus tunc conjugem eam efficeret, ut Oseæ contigisse legitur : ideòque nunquàm ob quamcumque necessitatem, mendacium et fornicatio à peccato excusari possunt. Imò quilibet alius posset à divite justè absque furto subripere ad subveniendum huic pauperi extremè indigenti, cùm id nihil aliud sit quàm ipsum juvare et cooperari ad

actionem licitam : dummodò tamen subripiens nihil proprii habeat, quo possit alterius extremam necessitatem sublevare. Aliàs peccaret, tum quia dives tunc est rationabiliter invitus quòd iste propriis bonis parcat, et sua diripiat; tum quia solâ publicâ auctoritate, non verò à privato compelli potest ad faciendum id ad quod ex solâ charitate tenetur. Ita D. Thomas hìc, art. 7, ad 3.

Hæc omnia demùm sunt intelligenda, modò rei dominus non existat in pari necessitate : id enim tunc videtur esse illicitum, cùm in pari casu necessitatis, melior sit conditio possidentis. Si tamen jam rem alterius quocumque modo apud se haberet, non teneretur tunc illi restituere, nisi fortè ille dominus, ex illâ actuali rei suæ ablatione foret ad necessitatem extremam redactus, quia ex unâ parte creditor et debitor sunt in necessitate pares : et aliunde huic debitori favet possessio, quæ facit ejus conditionem meliorem. Nisi foret in concursu principis aut alterius personæ reipub. valdè necessariæ. Tunc enim lege charitatis deberet illi etiam suum cedere, postponendo bonum privatum bono communi. Nullus tamen alius justè posset hanc illi rem auferre ad subveniendum huic personæ publicæ : tum quia non licet innocentem occidere directè etiam pro salute reipub., tum quia iste jus habet à naturâ conservandi propriam vitam contra quemcumque privatum : nec potest nisi auctoritate judicis istam vim pati.

§ 3. *An qui rem suam ab alio detentam occultè accipit, aliter eam recuperare non valens, furtum committat.*

Difficultas solùm procedit quando aliquis possedit rem alterius injustè absque titulo : si enim extet apud eum titulo depositi, pignoris, locationis, etc., dominus illius non potest licitè absque justâ causâ eo invito ante tempus præfixum occultè subripere, ut ait D. Thom. hìc, art. 3, et art. 5, ad 3.

Et ibidem subdit, quòd *qui furtim accipit rem suam apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia gravet eum qui detinet; et ideò non tenetur ad restituendum aliquid vel recompensandum, sed peccat contra communem justitiam, dùm ipse sibi usurpat rei suæ judicium, juris ordine prætermisso. Et ideò tenetur Deo satisfacere, et dare operam ut scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.*

Hinc auctores colligunt sequentes conditiones esse necessarias ad hoc ut ista acceptio fiat absque omni peccato. Prima est, quòd iste homo sit omninò certus rem esse suam, et quòd non potest viâ juridicâ, aut aliâ justâ eam recuperare : quia scilicet vel desunt testes, vel quia judex non vult aut non potest procedere, vel quia res est modica, et sumptus judiciales magni, vel timetur inde aliquod magnum nocumentum : aliàs ipse sibi jus dicendo peccaret contra justitiam legalem. Secunda, ut absit periculum scandali aliorum, ut infamiæ propriæ, ne scilicet furtum alteri innocenti imputetur, ne ipsemet tanquàm fur deprehendatur, et puniatur, etc. Item ut operam det ne alter aut ejus hæredes iterùm solvant, putantes teneri ad restituendum, et ne alia inconvenientia sequantur. Tertia, ut non vi aut armis rem suam recuperet, quando non extat in specie apud injustum detinentem, aut quando iste jam est in pacificâ illius possessione : tum quia ex hoc perturbaretur reipub. pax; tum quia hujusmodi violentia foret aliis scandalosa et fortè nociva, tum quia videtur aggressio et vindicta quæ non est licita nisi publicæ potestati.

Tunc quemlibet licitè posse occultè accipere rem suam multi affirmant, cum his conditionibus, quia in isto casu non agitur contra juris ordinem, quoniam juris ordo ad reddendum unicuique suum, et pacem communem ordinatur. Hìc autem pax non violatur, esto quòd iste modus sit præter justitiam, discedendo à directo illius modo. Nec in his casibus accipiens propriè sibi ipsi dicit jus, sed potiùs exequitur jus suum, cùm auctoritate aliquâ non utatur, sed solâ occultâ acceptione, quæ censetur justa defensio contra injuriam detinentis, et recompensatio sine damno et læsione alterius, nullatenùs verò aggressio aut vindicta.

Difficile tamen est in praxi absque peccato occultè accipere res suas, aut se compensare de debito, non subripiendo nisi res proprias debitoris, et quas jure acquisivit, ipsumque admonere de compensatione factâ, ut non permaneat in malâ fide et conscientiâ obligationis restituendi aut solvendi, et ne iterùm solutio fiat inter hæredes, etc. Unde nonnisi admodùm rarò et habito priùs consilio probati ac prudentis viri, hâc viâ utendum est, eamque nunquàm consulendam censeo famulis et famulabus etiam injustè à dominis convento salario defraudatis, tum ob hæc inconvenientia, tum quia deprehensi infamantur et tanquàm fures domestici in judicio, gravi pœnâ plectuntur, tum quia vix se cohibere possunt ab accipiendis longè excedentibus stipendia debita.

Item famuli, qui ex pacto saltem tacito non obligant dominos ad stipendium, sed gratis pro solo victu inservire promittunt, ad hoc spontè sese offerentes, spe ducti quòd aliquid loco mercedis sint accepturi, non possunt occultè de bonis illorum subripere ad se compensandum; quia licet ex æquitate naturali et gratitudine debeatur ipsis aliqua remuneratoria compensatio, non tamen stipendium ex obligatione justitiæ : consentur enim spontè illud condonâsse, et dominorum arbitrio reliquisse.

Tandem famuli recipientes de facto integrum stipendium et salarium, de quo justè absque fraude et vi, ab initio conventum fuit, etiamsi postea videatur tenue, improportionatum laboribus ac obsequiis, minusque justo pretio, non possunt absque furto de bonis dominorum occultè subripere quantùm opus est et sufficit ad supplendum istum defectum quem ipsi imaginantur, ut definitum fuit ab Innocentio XI, qui hanc propositionem 37 damnavit : *Famuli et famulæ domesticæ possunt occultè heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.* Eamque damnaverant antea academia Lovanien. anno 1657, et senatus Parisiensis anno 1641, tanquàm falsam, periculosam, bono publico nocivam, pacis domesticæ perturbativam, et naturam

hominis de se ad malum pronam, in furta præcipitantem, etc. Et sanè cùm vix reperiatur famulus, qui non judicet salarium conventum non respondere laboribus et obsequiis, si hæc occulta compensatio tanquàm licita admittatur, omnis ferè domus erit spelunca latronum, mundusque furtis implebitur. Meritò itaque domini sunt rationabiliter inviti circa istas clancularias compensationes, ex quo famuli liberè convenerunt de stipendio, pro quo servire aut non servire, in liberâ voluntate famulorum situm est.

Idem dicendum de venditoribus et operariis ac artificibus, nempe quòd ultra pretium et stipendium, de quo liberè conventum fuit ab initio, nequeunt justè aliquid occultè subripere ad se compensandum, dùm majus sibi deberi existimant, ut dicemus infra de sartoribus, sed debent contractum rescindere et non se obligare ad laborandum pro hoc stipendio. Idque colligitur ex parabolâ patrisfamiliâs, qui *conventione factâ ex denario diurno, misit operarios in vineam suam.* Cùm autem primi murmurarent eò quòd cùm ab horâ matutinâ laborâssent non plus acciperent salarii quàm alii, qui tantùm circa undecimam horam accesserant, dominus vineæ uni illorum sic respondit: *Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade*, etc., Matth. 20. Nec his favet Israelitarum factum, qui ad se compensandum pro justâ laborum mercede, quâ ab Ægyptiis defraudati fuerant, acceperunt vasa aurea et argentea ipsorum, etc. Ut enim ait D. Thomas hîc, art. 5, ad 1: *Accipere rem alienam occultè vel manifestè auctoritate judicis hoc decernentis, non est furtum, quia jam sibi fit debitum per hoc quòd sententialiter sibi est adjudicatum. Unde multò minùs furtum fuit, quòd filii Israel tulerunt spolia Ægyptiorum, de præcepto Domini hoc decernentis, pro afflictionibus quibus Ægyptii eos sine causâ afflixerant: et ideò signanter dicitur Sap. 10: Justi tulerunt spolia impiorum, reddidit Deus justis mercedem laborum, etc.* Isti autem famuli et operarii non accipiunt aliorum bona Dei jussu, sed contra ejus legem ac voluntatem.

Articulus II.

De furtis filiorum, uxorum, famulorum et religiosorum.

Domesticorum occultæ acceptiones bonorum communium familiæ, possunt excusari quandoque à gravi peccato furti, eò quòd pater familiâs non sit de facto aut de jure invitus circa illorum substantiam, sed tantùm quoad modum. Possunt enim plerùmque isti præsumere probabiliter quòd si hæc modica peterent, facilè concederet: ob verecundiam tamen ac timorem reverentialem, et ne frequenter petendo ipsum inquietent, non audent ad illum accedere, sed occultè subripiunt domino interpretativè saltem voluntario, quamvis fortè eidem displiceat iste modus clancularie, et non petitæ acceptionis. Verùm quamvis paterfamiliâs jus suum adversùs istos tam rigorosè prosequi non intendat quàm adversùs extraneos, quandoque nihilominùs potest esse rationabiliter invitus etiam quoad substantiam, maximè quando notabilem quantitatem occultè subripiunt et vanè dissipant: tunc enim à gravi peccato furti non sunt excusandi. Quænam autem debeat esse quantitas, arbitrio prudentis et probati viri est taxanda, pensatis variis circumstantiis, v. g., statu, conditione, et facultatibus domûs, patris indole, scilicet an sit liberalis, dives, in suos valdè affectus, etc., rei acceptæ qualitate, an sit pecunia, esculenta, poculenta, vestes, etc., an ad proprios usus, aut ad dandum vendendumque extraneis, aut ob alium finem accepta. Porrò non omne illud quod est notabile furtum respectu extraneorum, censendum est tale respectu filiorum, sed in ordine ad illos requiritur major quantitas: ideòque potest filius non peccare mortaliter subripiendo de bonis patris aliquam summam, quam extraneus absque mortali peccato furari non posset, quia pater censetur rationabiliter magis invitus circa furtum extranei, illudque reputare magis injuriosum. Certum est quòd si filiusfamiliâs aliquid notabile clam subripiat de bonis parentum contra expressam vel præsumptam patris voluntatem, peccat mortaliter, et ad restitutionem obligatur: quamvis enim ipsi competat hæreditas in futurum, actu tamen de præsenti non habet tale jus in eâ, sicque aliena quantùm ad dominium et administrationem accipit invito domino.

Difficultas solùm est an si filiusfamiliâs adhuc sub potestate patris existens acquirat aliquod peculium vivente patre, possit eo invito de his bonis absque peccato furti accipere. Pro cujus resolutione sciendum est tale peculium esse quadruplex, nempe *castrense, quasi castrense, adventitium, et profectitium. Castrense* est quod filius acquirit in bello, aut illi datur intuitu militiæ, aut ad paranda necessaria faciendosque sumptus militiæ, ff. de Pecul. castr. *L. mulier. L. miles. L. castrens. Quasi castrense* est, quod licet non sit acquisitum in bello, nec intuitu illius, gaudet tamen privilegio castrensis. *L. cùm oportet*, in princ. cod.; tale est quod filius acquirit ex exercitio officii publici, ut advocati, tabellionis, judicis, medici, professoris alicujus ex septem artibus liberalibus, aut theologiæ, aut juris. Et de his duobus peculiis, filiusfamiliâs jure pleno disponere potest, ac spectant ad illum quoad proprietatem, usumfructum et administrationem; sicque potest, sine furto, etiam invito patre accipere, alienare, consumere, tam ex testamento, quàm quovis alio modo, perinde ac si foret paterfamiliâs, ff. de Pecul. cast. *L. miles.* Imò si pater de hoc pro se vel pro alio, aliquid notabile accipiat invito filio, committit furtum, et ad restitutionem tenetur, cùm alienum rapiat.

Adventitium est illud quod filius neque ex bello aut officio et stipendio publico, nec à patre, aut ejus causâ acquirit, sed aliunde habet: ut sunt bona quæ hæreditario jure à matre, aut avis maternis, vel consanguineis, amicis aut quibuscumque aliis ipsi obveniunt absque ullo respectu ad patrem, vel ad militiam, etc. Item quæ suo labore, industriâ, fortunâ, acquirit, ut si thesaurum inveniat, dummodò ea non lucretur ex pecuniis quas pater illi administrandas tradidit. Et

hujus peculii filius habet quidem dominium et proprietatem jure communi; illius tamen administratio et usufructus ad patrem spectant, quamdiù vivit, nisi filio remiserit, et nisi qui hujusmodi res filio reliquit et donavit, hanc conditionem apposuerit, ut scilicet usufructus et administratio non pertineant ad patrem, sed totum sit filii, *L. cùm oportet. L. cùm non solùm*, c. de bonis quæ lib. instit. quibus person. nobis acq. § Igitur.

Profectitium est quod ex bonis patris vel eorum occasione, vel intuitu patris, filius acquirit. Et hæc tam quoad dominium quàm quoad usumfructum regulariter sunt patris à quo proficiscuntur, solùmque filius in illa habet jus Quòd si reliqua bona patris publicentur, hæc tamen profectitia bona publicari non possunt, ff. de Damn. infect. *L. si finita*, § de Vectig. Dixi regulariter, quia patrimonium quod assignatur filio ad sacros ordines suscipiendos, aut ad nuptias incundas, aut filiæ ad dotem, quamvis à patre proficiatur, ad ipsos pertinet quoad dominium et fructus. Si filiusfamiliâs, invito patre, aliquid notabile usurpet de hoc duplici peculio, committit peccatum mortale furti, et tenetur patri restituere, vel ex propriis bonis, si habeat, vel computando quod subripuit pro suâ parte in divisione hæreditatis cum fratribus, nisi fortè constet illos tantumdem subripuisse et expendisse, vel patrem condonaturum aut condonâsse, quod aliquando est autumandum. Potest enim contingere, quòd pater absolutè fuerit invitus quoad substantiam acceptionis notabilis quantitatis, quam filius in malos usus insumpsit: post factum tamen, non exigat restitutionem ab eo, sed remittat et condonet. Cæterùm cùm pater non habeat dominium bonorum adventitiorum, si eorum substantiam dissipet, tenetur ad restitutionem, potestque filius, implorato judice, eum spoliare hujusmodi bonorum administratione.

Quidam filium occultè hæc bona patris subripientem à peccato saltem mortali excusant in sequentibus casibus. Primò quando prudentum judicio, attentâ conditione, familiæ personarum, locorum, aliarumque circumstantiarum, quantitas rei acceptæ non censetur notabilis. Secundò quando filius probabiliter existimat patrem non fore invitum quantùm ad substantiam ablationis, sed quòd libenter rem illam ei concederet si peteret, nec tamen audet. Tertiò quandò res necessarias ad victum, decentem sustentationem, honestas recreationes juxta suum statum à patre prædivite nimis avaro obtinere nequit: tunc enim videtur habere jus ad res necessarias moderatè subripiendas. *L. si quis ex liberis*, ff. de Liberis. Quartò, si aliqua ei dispensatio à patre commissa fuerit, et ipse parcè vivendo, aliquid de expensis ordinariis sibi appropriaverit, prout videtur innuere D. Thom. 2-2, q. 32, art. 8, ad 3.

Auctores communiter, inter conjuges tria bona distinguunt, nempe bona propria mariti, bona propria uxoris, et bona utrique communia. Bona viri propria sunt ea quæ à patre, aut hæreditate, aut propriâ industriâ acquisivit, uxore NON ad hoc conferente: et de his si uxor accipiat sibi aut aliis notabilem quantitatem contra mariti voluntatem ad consumendum in ludos, et usus vanos ac superfluos, imò ad dandum suis cognatis, et ad faciendas elecmosynas, per se loquendo graviter peccat, eò quòd tunc maritus sit rationabiliter invitus etiam quoad substantiam illius acceptionis. Bona uxori propria sunt quæ habet mulier alio titulo quàm dotis, ut quæ constante matrimonio acquirit hæreditate, legato, donatione, etc., et vocantur paraphernalia. Horum uxor in quibusdam locis habet non solùm dominium, sed etiam administrationem et usumfructum, potestque de illis pro suâ voluntate disponere independenter à marito; imò peccabit maritus, si inscià aut invitâ uxore ea auferat et distrahat; in aliis verò locis maritus retinet eorum administrationem, sicut et dotis, debetque integra servare, reddere, ac respondere obligando bona propria. Et tunc non potest uxor absque expresso, vel probabiliter præsumpto mariti consensu, notabilem illorum quantitatem accipere; cùm enim usufructus ad maritum spectet, alienum raperet invito domino, sicque grave furtum committeret, et ad restitutionem teneretur; secùs verò, quando retinet illorum etiam administrationem.

Bona communia jure communi sunt illa quæ conjuges percipiunt ex fructibus dotis, arrharum et eorum quæ maritus habet donata sibi aut constituta causâ nuptiarum, et quæ correspondent doti. Horum bonorum uxor aliquid notabile invito marito subripiens, grave furtum committit, quia accipit alienum: etenim nomine rei alienæ, non solùm res ipsa, sed etiam usufructus vel usus solus intelligitur. Unde licet uxor in isto casu rem suam quoad proprietatem accipiat, quia tamen usus seu usufructus et administratio tam dotis quàm bonorum superlucratorum non ad ipsam, sed ad maritum tanquàm ad caput et principalem domûs gubernatorem spectent, aliquid notabile absque viri licentiâ saltem præsumptâ accipiens, verè furtum committit, et ad restitutionem obligatur. Nec est similis ratio de tutore et depositario, quia licet isti habeant usumfructum et administrationem, non tamen in suî, sed in pupilli et deponentis utilitatem, benè tamen maritus, ideòque dùm pupillus aut deponens, res suas auferunt, non faciunt illis injuriam et injustitiam: benè tamen eam facit uxor marito, dùm hujusmodi fructus subripit absque proprii mariti licentiâ, saltem tacitâ. Porrò hæc mariti licentia præsumpta censetur adesse et à peccato furti excusare, quando uxor tantùm elargitur ea quæ mulieres sui statûs, facultatis et conditionis in eâ regione expendere solent, tum ad eleemosynas, tum ad honestas recreationes, largitiones vestes, etc., aut donare ex rebus domesticis, ut vestes jam detritas, comestibilia, etc., juxta qualitatem et statum personarum ac receptam loci consuetudinem, videntibus maritis et non contradicentibus. Imò si vir esset ita severus aut avarus, ut nollet aliqua de his moderata, et absque notabili familiæ detrimento uxori expendenda permittere, censeretur irrationabiliter invitus: licet enim tunc

non consentiat actu elicito et de facto, benè tamen consensu rationabiliter debito, cùm id videatur includi et pertinere ad competentem uxoris sustentationem, ad quam se obligavit, dummodò nullus intervenial abusus, aut familiæ notabile detrimentum. Vide D. Thomam, 2-2, q. 33, art. 8, ad 3.

Idem dicendum quando uxor accipit à marito avaro ad sibi vel familiæ necessaria pro victu, vestitu et medicamentis comparandis, quia in his non censetur maritus rationabiliter invitus. Item quando accipit ad vitandum grave mariti damnum, sive temporale, sive spirituale, ut si aliqua impendat in eleemosynas aut Missas pro conversione mariti, aut felici exitu litis, vel negotii magni momenti à Deo obtinendis; tunc enim utiliter gerit marita negotium, qui proinde in hoc esset irrationabiliter invitus. Item ad sublevandas necessitates extremas proximi, imò et graves parentum suorum, ita tamen ut post mariti obitum, teneatur quod in parentes sic distraxit, in suam partem et dotem conferre. Ratio est, quia quando habemus bona propria, tenemur ex illis subvenire parentibus, servatis deinde servandis. Tandem quando vir incidit in amentiam, et alius administrator auctoritate judicis non assignatur, tunc absoluta domûs administratio ad uxorem devolvitur. Secùs dicendum videtur, si vir tantùm absit à domo, nec uxori commiserit administrationem aut non adsit necessitas dispensandi, aut consuetudo locorum contrarium habeat, etc.; quòd si vir fuerit prodigus, bonaque familiæ perdat, et vanè dissipet, potest mulier accipere, eaque pro communibus necessitatibus servare et impendere, ut supra dictum est.

Famuli et famulæ peccatum mortale furti committunt, de bonis dominorum quoad substantiam rationabiliter invitorum aliquid notabile subripientes, et ad restitutionem tenentur. Nec tanta requiritur ad hoc quantitas, quanta in furtis uxorum et filiorum, quamvis fatear quòd debeat esse major, quàm in furtis extraneorum, loquendo de rebus domesticis ordinariis, quæ non sunt pretiosæ, neque solent accuratè concludi, quia domini probè sciunt res istas humanâ fragilitate attentâ, non posse ita fideliter administrari quin manibus contrectantium aliquid adhæreat, præsertim comestibilium.

Imò quidam volunt servos excusari à furto mortali, quando minimam quantitatem victualium, esculentorum, poculentorum successivè furantur, quæ fit notabilis progressu temporis, dummodò illam convertant in proprios usus, eò quòd tunc dominus non censeatur invitus quoad substantiam, sed solùm quoad modum: secùs dicendum si accipiant ad vendendum et comedendum cum extraneis, aut donandum illis. Hinc excusant famulos et pueros aulicos deservientes mensis dominorum, si comedant quæ de mensâ tollunt, eò quòd hujusmodi superflua destinantur ad familiæ comestionem; deinde famuli isti tantò minùs postea horâ consuetâ comedunt, quod tamen intelligendum volunt non de cibis pretiosis et integris qui de mensa tolluntur, si fortè sint destinati pro stipendio architriclini vel alterius officialis, prout usu receptum est in quibusdam curiis: tunc enim talis acceptio esset verè furtum, cùm fiat invito officiali. Ita Bannes hìc, art. 6. Navarrus rectè censet monendos esse famulos à confessariis, ut fideliter res dominorum suorum conservent, nec eas inutiliter ac superfluè consumant; cùm enim proprio labore non eas acquisierint, non possunt pro libito dare aut consumere. Rapinæ autem rei sunt domini, qui debitam operariis mercedem non persolvunt, aut eam dare in longum tempus differunt, eosque damnat Scriptura, Levit. 19, Deuteron. 24, Tobiæ 4, Malach. 3, Jacobi 5; D. Ambros. lib. de Tobiâ, cap. ult. et alii Patres.

Religiosi professi in particulari sunt omninò incapaces dominii, possessionis, usufructûs, imò et nudi usûs independenter à prælato: ita ut aliquid proprio nomine et jure habere nequeant, ac sint quasi mortui civiliter mundo, et sine proprio vivere teneantur, ut habetur in Decret. 12, quæst. 1, cap. *Non dicatis aliquid proprium*, et de statu Monach., cap. *Ad monasterium*. Et ex Trid. sess. 25, c. de Regul. Hinc fit quòd dùm religiosus professus rem temporalem notabilem absque superioris licentiâ tanquàm propriam habet, aut illâ utitur suo jure et nomine independenter à prælati voluntate, est verè proprietarius, ac furti mortalis reus, sacrilegii gravitate qualificati, ob transgressionem voti paupertatis voluntariæ, quo religiosus spontè se abdicat omni dominio et juris usu independente cujuscumque rei temporalis, ac promittit in perpetuum sine proprio vivere. Hinc fit quòd religiosus professus peccet mortaliter res communes monasterii in notabili quantitate absque assensu superioris sibi applicando, etiam quoad solum usum, sive illas extrahat ex officinis conventûs, sive subripiat quæ sunt in camerâ alterius religiosi, et quæ ipsi ad usum in particulari fuerunt à prælato concessæ. Item quando inscio superiore et absque illius assensu saltem tacito, alias res ab extraneis oblatas accipit superiori non ostensas. Quidquid enim acquirit monachus, monasterio acquirit; et quemadmodùm religiosi persona est tota Religioni mancipata, ita et ejus bona, sicque fiunt cum cæteris monachis communia. Nisi ergo illas res accipiat cum intentione ostendendi superiori, ejusque dispositioni relinquendi, est in malo statu: imò neque ab alio religioso ejusdem ordinis et communitatis potest licitè absque tali assensu superioris accipere, sicut et alter nequit illi donare ea quæ sibi ad usum concessa fuerunt. Hinc religiosus professus absque superioris licentiâ saltem tacitâ graviter peccat aliquid notabile alienando, donatione, vel contractu, etc., et qui ab illo recipiunt, non sunt tuti in conscientiâ, sed restituere tenentur. Idem dicendum de illis qui de furtis filiorum, uxorum, et servorum accipiunt, eò quòd omnes isti non sint sui juris quantùm ad hoc, et alienum donent. De his omnibus furtis abundantiùs agetur in tractatu de Justitiâ.

Articulus III.

Utrùm defraudantes gabellas committant furtum, et restituere teneantur.

Cajetanus in Summâ deducit justitiam gabellarum ex quatuor causis, scilicet efficiente, materiali, formali, et finali. Dicitque imponentem gabellas debere esse supremum principem, nullum alium superiorem in suâ ditione, à quo dependeat, agnoscentem. Item quòd gabellæ non imponantur super res et personas ab isto onere liberas aut exemptas. Item quòd contineant æqualitatem proportionalem, seu non gravent unum civem præ alio. Tandem ut ob justas causas imponantur, v. g., sustentationem dignitatis principis, necessitatem, vel magnam utilitatem boni communis, cui aliter subveniri non possit; nec vectigalia debent esse majora quàm causa postulet, et tantùm continuari quamdiù illa necessitas durat, nisi alia similis causa tunc de novo superveniat et tantùm impendi ad usum boni communis publici ob quem exacta fuerunt, et non ad alios vanos et superfluos. Difficultas non procedit de gabellis injustis, sed solummodò de justis quibus nulla deest ex conditionibus allatis. Navarrus in Manuali, cap. 17, num. 201, docet quòd cùm leges civiles imponentes gabellas non imponant præceptum ad mortale, sed tantùm statuant ut solvantur, seu ut subditus eligat unum è duobus, scilicet vel solvere gabellas, vel subire pœnam confiscationis et incidere in commissum si deprehendatur, idque post judicis sententiam, non est peccatum illas defraudare; non enim leges civiles obligant ad mortale, si habeant pœnam adjunctam temporalem, cùm tunc sint solùm pœnales.

Dico tamen probabilius esse contrarium ac communius, nempe quòd defraudantes gabellas manifestè justas, peccant contra justitiam, et ad restitutionem in conscientiâ obligantur : non tamen ad luendam pœnam nisi deprehendantur, et deinde cogantur, aut per sententiam judicis condemnentur. Ita D. Thomas, opusc. ad Ducissam Brabantiæ, et lib. 1 de Regim. principum, cap. 10, et lib. 3, cap. 5 et 11. Item super cap. 13 Epist. ad Rom., lect. 1, quem sequuntur communiter tam Thomistæ quàm extranei. Idque colligitur ex verbis Christi Domini, Matth. 22 : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari*, etc. Ex quibus, et ex exemplo Christi, Matth. 17, D. Hieronymus, Theophilactus, Euthimius, D. Ambros., et alii Patres, probant tributum et pecuniam debere solvi principibus, et decimas Deo in ejus ministris. Colligitur etiam ex Apostolo ad Rom. 13, ubi docet principes esse Dei ministros, quibus omnis anima debet esse subdita, nisi velit Dei ordinationi resistere, et postea sic concludit : *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram*, seu timorem pœnæ ac vindictæ, *sed propter conscientiam. Ideò enim tributa præstatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Ubi vectigal illis præstare, dicitur debitum, seu stipendium gubernationis solvere, et administrationis : sicque ex justitiâ est præstandum, prout exponunt D. Thomas, aliique sancti Patres, à Gratiano relati, 11, q. 1.

Probatur ratione ex his locis deductâ. Jus naturæ postulat ut principibus justum stipendium, pro labore et administratione, ac subsidio necessario ad pacem conservandam, ad cives defendendos ab hostibus, etc., illis solvat respub., sicut idem jus dictat ut Ecclesiæ ministris persolvantur decimæ à populo in stipendium sustentationis pro laboribus et functionibus quas in ipsorum utilitatem spiritualem exercent. Ut enim dicit Christus Dominus : *Dignus est operarius mercede suâ.* Et 1 ad Corint. 9 : *Quis enim pascit gregem, et de fructu ejus non comedit : quis militat suis stipendiis unquàm?* Ergo tributa justa in communi, jure naturali et divino debentur ex justitiâ principibus, sicut decimæ clericis, et non tantùm ex legis humanæ obligatione et ordinatione, licet quoad quotam sint juris positivi humani, quæ taxatio si justa fuerit est etiam debita ex justitiâ, non minùs quàm id quod ex aliquo contractu, stipendio, et labore alicui ex justitiâ debetur. Vide D. Augustinum, Epist. 124 ad Olympium, officiorum magistrum.

Hinc constat istas leges non esse purè pœnales, sed verè præceptivas; quibus additur pœna ad hoc ut homines, qui frequentiùs formidine pœnæ quàm virtutis amore ducuntur, cautiores et exactiores in tributis et decimis solvendis reddantur. Nec pœna in illis contenta tollit vinculum juris naturalis et divini ad culpam obligantis, falsumque est leges obligantes ad pœnam eo ipso non obligare ad culpam, prout ostenditur tract. de Just. et tract. de Legibus. Igitur fraudantes gabellas justas saltem pro mercibus impositas, peccant contra justitiam et tenentur ad restitutionem, etiam ante omnem coactionem et judicis condemnationem. An autem impositæ pro victualibus et usualibus, seu quæ non causâ negotiationis, et ad vendendum, sed duntaxat ad proprium et familiæ usum deferuntur, sint justæ ex parte materiæ et formæ, ac in conscientiâ debeantur, quidam probabiliter negant, quia plus gravatur civis pauper ex hoc præcisè quòd plures habeat filios alendos et ex istis rebus magis indigeat, plusque consumere oporteat, quàm dives; sicque ex parte materiæ et formæ censentur injustæ. Unde usu et consuetudine videtur ita receptum, ut tales absque scrupulo defraudare liceat, et confessarii non denegent absolutionem pœnitenti, qui earum defraudationem restituere nollet. Alii verò probabiliùs affirmant esse justas et deberi in conscientiâ, si habeant debitas conditiones, quia ratio recta, et communis necessitas id quandoque expedire dictabit, esto quòd inde per accidens unus præ alio gravetur. Nam etiam vectigalia quæ pro mercibus imponuntur, non tam in mercatorum quàm in populi gravamen redundant, cùm eò cariùs deinde vendantur, quò majores existunt delationis sumptus. Alii tandem volunt quòd ante factum, prima sententia nemini est consulenda, imò reprobanda; post factum tamen tolerari potest, ne onus nimiùm grave pœnitentibus imponatur et contra morem receptum vexentur.

Quæres primò an gabellæ manifestè justæ sint debitæ, etiamsi ab exactoribus non petantur, quia ob incuriam non advertunt transeuntes, merces deferentes. Resp. quòd occultantes merces dolo et fraude, ut per vias indirectas et non assuetas deferentes eo animo ut non incidant in exactores, sine dubio peccant, et ad restitutionem tenentur, sicut et hi qui, interrogati à publicanis, negant se habere merces gabellæ subjectas, aut tantas quantas habent : nemini enim fraus patrocinari debet. Quando verò deferentes merces, patenter, sincerè, bonâque fide per viam publicam et solitam transeunt, servanda est locorum consuetudo recepta, nempe quòd ubi jam viget mos solvendi gabellas absque petitione, transeuntes tunc debeant requirere exactorem; si absit, et non advertens non petat, adhuc ipsi proprio motu exhibere solutionem, quia tunc modus solvendi taxatur, et obligat; secùs dicendum ubi recepta est consuetudo contraria. Indeque domini gabellarum sunt solliciti de ponendis exactoribus, et determinandis locis transitûs, fortè scientes et timentes quòd aliàs transeuntes non requisiti, absque scrupulo gabellas non solverent.

Quæres secundò, utrùm quando dubitatur de justitiâ vectigalis de novo impositi, vel quando vetus augetur, de cujus augmenti justitiâ non constat, etiam apud viros prudentes et doctos, adhuc vasalli teneantur illud solvere in conscientiâ. Alii negant, quia subditus est in possessione suæ pecuniæ, ac immunitatis à vectigalibus : in dubio autem melior est conditio possidentis. Alii verò affirmant, quia in dubio præsumendum est in favorem principis possidentis facultatem præcipiendi. Unde ad hoc ut subditi in aliquo particulari casu illi non teneantur obedire, probare debent eum non posse tale quid præcipere. Nec sufficit quod de hoc dubitent. Quando igitur non constat id esse injustum, ei parere tenentur. Plura de his, vide in trac. de Just.

Articulus IV.

De furtis bella gerentium.

D. Thomas, 2-2, q. 40, art. 1, ad justitiam belli tres conditiones requirit. Primò auctoritatem publicam principis, cujus mandato bellum est gerendum. Secundò justam causam, ut scilicet illi qui impugnantur, talem mereantur impugnationem propter aliquam causam : et defectu harum duarum conditionum, est contra justitiam, ac ad restitutionem damnorum obligat. Tertiò potest contingere ut sit legitima auctoritas indicentis bellum, et causa justa : nihilominùs ob pravam intentionem, bellum reddatur iniquum, illicitum et peccatum contra charitatem, ut si non intendatur, vel ut bonum commune promoveatur, vel ut malum vitetur; sed nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, libido dominandi immisceantur, sicut judex peccat, reum legitimè damnando ad mortem, adjuncto odio privato; non tamen propterea ad restitutionem obligatur. Vide dicta superiùs in expositione quinti præcepti, art. 4, § 1. Unde difficultas est tantùm de bello injusto ex defectu primæ et secundæ conditionis.

D. Thomas, 2-2, q. 66, art. 8, ad 1, ait, quòd si illi qui hostes deprædantur, habeant justum bellum, ea quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; et hoc non habet rationem prædæ, unde nec ad restitutionem tenentur, benè tamen si habeant bellum injustum. Hinc in bello justo res mobiles hostium sunt militum eas accipientium, nisi aliter statuant principes, aut aliter consuetudine receptum sit : id enim bono communi expedit, ut spe prædæ audaciores evadant milites ad hostes debellandos, qui cùm harum dominium tunc amittant, isti non tenentur postea eisdem restituere. Ex instit. lib. 2, tit 1, § 17. Tenentur nihilominùs ad restitutionem damni illati hostibus, contra expressam ac intimatam ducis prohibitionem, si eam tulerit volens ex christianâ pietate hostibus parcere. Tunc enim nocent ex privatâ, et non publicâ auctoritate, proindeque injustè hæc mala inferunt. Secùs dicendum si prohibitionem fecerit, duntaxat ut disciplina militaris servaretur, et ne inde exercitus aliquod damnum pateretur, tunc enim solùm contra obedientiam peccant milites : qui autem bonâ fide pugnârunt existimantes bellum esse justum, depositâ deinde ignorantiâ, non tenentur ad restitutionem damnorum, nisi in quantum facti sunt ditiores : secùs si ad bellum processerunt, de injustitiâ illius conscii. Ut princeps finem justi belli obtineat, potest omnia media adhibere huic fini accommodata, v. g., procurare victoriam per insidias et stratagemata, (sine mendacio tamen) hostibus damna temporalia inferre, eorum bona subripiendo, comburendo, etc., dare urbes in prædam ex urgentissimâ causâ; interdicendo tamen violationes, sacrilegia, etc.; imò ecclesias devastare et solo æquare, si ad victoriam obtinendam fuerit omninò necessarium.

Quando tamen pœna longè excedit culpam, et recompensatio damnum illatum, tenetur princeps excessum restituere, vel pro eo satisfacere. Unde si hostis unicam urbem ex ejus regno detineat, videtur quòd propterea integram ejus provinciam sibi usurpare non valet, nisi aliter pax inter illos obtineri nequeat, aut aliud suadeat justa necessitas. Quidam nihilominùs advertunt jure gentium fuisse introductum, ut bona mobilia, quantumvis damnum illatum excedant, fiant occupantis; imò quandoque princeps justè potest urbes et res immobiles hostium retinere in compensationem injuriæ, vel damnorum, vel sumptuum, vel ad securitatem regni sui astruendam. Tunc enim judicis officium in reos exercet, seque ac suos indemnes ac securos servat; imò et in vindictam pro injuriâ potest confiscatione urbium arciumque illos punire, prout obligatur ex cap. 20 Deuteronomii. Hinc etiam servato juris ordine licitum est uti repræsaliis, id est, licitum est principi, ut compenset damnum injustè illatum alicui ex suis subditis, à subdito alterius principis accipere illius vel alterius etiam innocentis bona, quando debita compensatio aliter obtineri nequit. Nullus tamen nisi supremus princeps potest dare

facultatem sic utendi repræsaliis, sicut nullus alius potest bellum movere : qui tamen non debet talem facultatem concedere nisi pro gravi damno illato, eoque certo, et solùm ex hypothesi quòd alter princeps rogatus non curet debitam compensationem à lædente fieri.

Sive bellum justum fuerit, sive injustum, lethaliter peccant milites, et duces, concives et amicos apud quos transeunt, vel in quorum hospitiis in statione hiemali commorantur, latrociniis et extorsionibus vexantes ac ab illis extorquentes pecunias, ultra in quod constitutum est, damnaque notabilia ipsis inferentes, contra illud Joannis Baptistæ præceptum, Luc. 3, illis intimatum : *Neminem concutiatis neque calumniam inferatis, et estote contenti stipendiis vestris.* Nec in his concussionibus, furtis, et rapinis excusantur per hoc quòd debitum ipsis stipendium non solvatur, aut sufficiens non tribuatur, cùm cives non sint hujus causa, neque res ipsorum illis obligentur. Neque dissimulatio ducis aut principis eos excusat à peccato, et ab onere restituendi, cùm nonnisi in pœnam alicujus culpæ possint ista permittere. Unde peccant principes promissa militibus stipendia non solventes idque statuto tempore, cùm ad id ex justitiâ teneantur, indeque cogantur milites homicidiis et rapinis victum quærere. Quare obligantur ex justitiâ damna omnia, quæ propterea vel ipsi milites vel alii subditi patiuntur, compensare. Idem dicendum de ministris principis et ærarii præfectis per quos stat ne militibus stipendia solvantur. Quare mortaliter peccant et tenentur ad restitutionem, quando pecunias ad sustentationem militum destinatas in proprios usus per aliquod tempus convertunt, procrastinantes solutionem militum, aut ab eis dementes aliquid de pecuniis debitis, si velint promptam habere solutionem.

Idem dicendum de ducibus exercitûs, si non solvant, aut si minuant stipendia militibus taxata, nempe quòd teneantur ad restitutionem, ac damnorum reparationem tum ipsis militibus, tum civibus et rusticis qui eâ occasione vexantur ac spoliantur à militibus. Imò et ad hoc tenentur etiam præcisè ex hoc quòd dissimulent et non reprimant hujusmodi concussiones, cùm desint suo officio, eisque mala hæc imputentur. Quantò magis istius peccati et obligationis restituendi sunt rei, quando ipsimet extorquent à communitatibus pecunias ad quietè et pacificè cum civibus convivendum, coguntque auctariis indebitis vexationes redimere !

Item peccant duces cum onere restituendi qui iter faciendo fingunt se modò hàc, modò illàc ituros, eo fine ut à diversis pagis pecunias accipiant, ne per eorum fines transeant. Item qui hospitandi loca determinata non observant, sed acceptâ pecuniâ à civibus unius urbis, in quam se recipere debebant, illam pertranseunt, et milites longiùs itinerantes deducunt ad aliam urbem ad quam nonnisi alterâ die hospitii causâ se recipere debebant. Peccant enim et restituere tenentur, si ista urbis inde notabiliter gravetur, puta quia milites fessi accedunt, inquieti, irati, famelici, cogunt cives in obsoniis majores sumptus facere, etc. Peccant insuper cum onere restituendi, qui pro majori numero militum quàm habeant aut habere debeant, plura stipendia recipiunt, v. g., qui dùm à commissariis recensentur, fictos et ementitos milites veris immiscent, aut unum plures personas repræsentantem substituunt, ut stipendiorum partem sibi retineant. Siquidem principi aut civibus restituere tenentur hujusmodi stipendia furto ablata, et rursùs gravia damna ex propriis bonis resarcire, si quæ inde oriantur, ut plerùmque accidit. Idem dicendum de iis qui pravum et corruptum victum comparant, cujus causâ milites moriuntur, ut princeps grave patitur damnum. Similiter peccant milites, qui cùm plures sibi faciant assignari domos, et ad hoc accipiant aut suffurentur schedulas, ad unam tantùm domum divertunt, et ab aliis pecuniam accipiunt. Et hoc de bello justo.

Quando autem bellum est manifestè injustum, nec latere potest duces et milites, tunc furtum et rapinam committentes etiam circa hostes quos impugnant, graviter peccant et tenentur ad restitutionem, ac ad reparanda damna illata, cùm isti bonorum suorum dominium tunc non amittant, solùmque per injuriam opprimantur. Attamen quantùm ad obligationem restituendi observandum est istud discrimen inter duces et milites, quòd dux dirigens exercitum ad damnum aliquod injustè inferendum, tenetur de toto illo damno in solidum, eò quòd est causa efficax illius : at singuli milites tenentur tantùm pro ratâ juxta damnum quod quisque intulit, nisi etiam quis eorum sit causa specialis damni ab aliis illati, ut quando mutuâ conspiratione seu unâ manu se juvant ad injustè depopulandum civitatem aut domum. Tunc enim quilibet tenetur in solidum, prout ostenditur in tract. de Justitiâ.

Quæ hùcusque dicta sunt à nobis, dura sunt militiam exercentibus, nec facilè illis persuaderi possunt, etsi vera, ipsoque rationis lumine jureque naturali evidentia : ea tamen notent confessarii, qui talium confessiones audiunt, ne incautè eos absolvant, antequàm prædicta damna compensent ; ac breviter observent ex Cajetano, verbo *Miles*, quòd eorum peccata consistunt in hoc quòd non sint contenti stipendiis suis. Hinc oriuntur concussiones pauperum et civium : vi et metu ab eis extorquent ultra solitum ac debitum, et quandoque ipsorum personam lædunt. Hinc procedunt calumniæ, imponentes civibus quòd sint factiosi, rebelles, hostes, etc. Hinc emanant prædæ et rapinæ. Præter autem tria hæc mala, quæ à D. Joanne Baptistâ didicimus, Aristoteles luxuriam ponit, tanquàm gens militaris nata sit ad carnis petulantiam ; implicantur quoque hodiè multi eorum blasphemiæ, ebrietatis, et crudelitatis ac vindictæ peccatis, et ut vulgo dicitur :

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.

An verò quis possit à militibus emere viliori pretio ea quæ injustè abstulerunt, respondeo per se loquendo id non esse licitum ; nam priores domini dominium non amiserunt. Per accidens autem quando verisimile est ea bona nunquàm ad istos perventura, juxta ali-

quos auctores tunc ea possumus emere vili pretio, cum illâ tamen intentione quòd, comparente domino, hæc illi restituamus eodem pretio : si verò non compareat, eadem retineamus. Tunc enim domini non censentur esse rationabiliter inviti, cùm ipsorum negotium utiliter geramus.

Articulus V.

Quandonam venatione, aucupio, et piscatione furtum committatur.

Ex lib. 2 Instit. tit. de rerum divisione, § *Feræ*, animalia dividuntur in ea quæ sunt omninò fera ex naturâ suâ, ut lepores, grues, aves sylvestres, pisces, etc.; et in ea quæ sunt ex naturâ suâ mansueta, ut canes, equi, gallinæ, etc.; et tandem in illa quæ naturâ suâ sunt quidem fera, per accidens tamen arte et industriâ hominum mansuefiunt, et cicurantur, ut cervi, falcones, columbæ. Et è contra quædam, licet naturâ suâ non sint fera, talia nihilominùs evadere possunt longâ mansione et educatione in sylvis, sicut porci domestici fiunt apri, etc.

Animalia naturâ suâ non fera et domestica, regulariter sunt dominis suis appropriata ; ideòque licet aliquando aberrent et vagentur, non propterea sunt extra illorum dominium, nec proinde licitum est invenienti ea sibi usurpare. Imò, si à lupis devorentur, aut aliâ ratione interficiantur et percant, carnes, pelles et quæ supersunt, ad dominum pertinent, et qui suâ industriâ illa eriperet de lupi faucibus, teneretur domino reddere, accepto pretio laboris, et deductis expensis, si quas fecit in eorum reductione. Animalia nullo modo mansueta, quæ nec abire nec redire solent, tamdiù sunt dominorum, quamdiù occlusa sub eorum custodiâ manent. Cùm primùm verò in suam se receperint libertatem, ac custodiam evaserint, ita ut comprehendi ac retineri nequeant, amittitur ipsorum dominium fiuntque primò capientis. Ex Instit. loco citato. Animalia verò quæ educatione mansueta redduntur et abire ac redire solent, tamdiù sunt dominorum quamdiù egredi ac certis temporibus reverti solent, quia tunc habentur tanquàm domestica proindeque ad possessionem dominorum æquè pertinent ac alia de se cicura et domestica. Unde qui illa aufert, furtum committit et restituere tenetur. Ex Instit. loco cit. et ff. de Acquir. rer. dom., l. *Naturalem*. Quando verò ita fugiunt domini oculos ut facilè comprehendi nequeant, et prorsùs de se amittunt consuetudinem priorem ad eum revertendi, etiam non impedita, tunc censentur pristinam libertatem recuperâsse ac communia evasisse, fiuntque primò occupantis : illa autem consuetudo secundùm quosdam amittitur per binum actum ; secundùm alios, plures requiruntur. Verùm in his standum est judicio prudentum : si enim non longè vagantur in sylvis, sed in locis vicinis et suburbanis commorentur, ac per quindecim dies non redeant, patianturque se reduci, non censentur consuetudinem redeundi amisisse ; et si haberent aliquas notas, ut cujus erant agnosci possint, ad proprios dominos reduci debent : et in dubio an libertatem naturalem acquisierint, præsumendum est in favorem domini, cique sunt restituenda. Hinc patet quid sentiendum sit circa animalia quæ sunt propria alicui domino et ab ipso retinentur, ut apes in alveari, cuniculi in leporario, columbæ in columbario, pisces in piscinâ aût vivario. Qui enim ea ibi reposita à domino eripit, furtum committit, sicut et qui ex alieno columbario fraude et dolo columbas alterius ad suum attrahit, ut sibi commorentur, ac obligatur ad restitutionem, nisi opposita urgeat consuetudo, quod proinde à prudente confessario est expendendum. Item qui aucupatur columbas prope ipsum columbarium, peccat et ad restitutionem tenetur, sicut et qui gallinas aliasque domesticas aves aufert et occidit. In quibusdam locis taxatus est terminus, v. g., unius leucæ à columbario, intra quem columbas capere est prohibitum et peccatum cum onere restituendi. Videtur tamen dicendum, quòd adhuc eas capere etiam extra illum terminum non liceat, quamdiù redire consueverunt.

Unde illud ponendum est discrimen inter feras quæ continentur in aliquo exiguo loco erecto à privato ipsius domino, ut in piscinâ, leporario, etc., et eas quæ in vasto loco, ut in magnis sylvis aut peramplo stagno includuntur ; quòd priores spectant ad dominum custodiæ : posteriores verò ad primò capientes, eò quòd ibi videntur naturali suâ libertate gaudere, cùm a domino fundi nequeant facilè capi. Quod tamen quidam adhuc limitant, dicentes quòd si feræ sint in aliquâ vastâ sylvâ aut stagno peramplo à naturâ ipsâ, et non ex hominum industriâ clausis, tunc potiuntur naturali suâ libertate, fiuntque primò occupantis : at verò si ille locus arte et industriâ hominum fuerit vallatus et occlusus, tunc ad dominum loci illius feræ pertinent. Verùm alii docent quòd qui venatur aut piscatur in loco et fundo alterius, ubi aliqualem fecit clausuram, non tamen ita arctam, quin liberum quasi egressum inde habeant animalia, quamvis peccet et injuriam faciat in venando et piscando invito domino loci, indeque teneatur illi resarcire damnum aut lucrum cessans quod inde subsequitur, non tamen animalia capta eidem restituere, cùm ea capiendo ipsorum acquirat dominium. Ratio est, quia etsi agri illi sint aliquo modo circumsepti, et lege humanâ prohibeatur ne quis agrum illius eo invito ingrediatur, quia tamen feræ in nullius adhuc bonis sunt, nec per talem prohibitionem domino applicantur, cùm eas nondùm apprehenderit, proindeque gaudeant libertate naturali, fiunt primò occupantis ; non enim per solam fundi clausuram censentur in dominio possidentis fundum, si pro libito aut saltem facilè capere nequeat, ut suppono contingere in locis vastissimis ; et aliunde non sunt animalia domestica, sed fera ac omninò communia jure gentium. A fortiori quando egrediuntur ex illis locis et fugiunt, à quolibet occupari et retineri possunt.

Qui venatur feras in locis patentibus et minimè circumseptis, cujuscumque sint ea loca, acquirit dominium prædæ, nec tenetur ad restitutionem, nisi ferarum magnam stragem ac devastationem faciat. Ratio est, quia licet iste faciat contra prohibitionem et præ-

ceptum superioris, ideòque peccet contra legalem fortè justitiam, nulli tamen aufert suum; quia illæ feræ nulli appropriantur, et adhuc suâ libertate naturali potiuntur, suntque communes et primò occupantis fiunt. Ergo non tenetur restituere feram à se captam, sed tantùm ad luendam pœnam post judicis sententiam : et si fera à judice domino applicetur ob injuriam ipsi illatam, tunc venator per accidens eidem reddere tenetur. Item si faciat magnam stragem, tunc exspoliat dominum jure quod habebat in illas feras, et delectatione ac utilitate quam ex eo loco capere poterat, sicque damnum ipsi injustè infert et tenetur restitutionem facere arbitrio prudentis viri, attentis circumstantiis occurrentibus, et consuetudine locorum.

Leges prohibentes venationem in locis publicis possunt esse justæ, ut si reges aut principes, aut domini oppidorum ex licentiâ ac privilegio regis, aut aliquo contractu absque vi et dolo cum oppidanis inito, aut consuetudine immemoriali et legitimè præscriptâ, talem habentes facultatem, sibi reservent quædam loca in quibus soli ipsi venari, et venatione animum relaxare et oblectari possint. Siquidem nec jure naturæ, nec jure gentium venatio præcepta aut prohibita est, sed solùm permissa et licita : sicque supervenire possunt justæ ac legitimæ causæ quibus bono communi expediens ac decens sit eam aliquibus personis ut clericis prohiberi, et aliis supradictis reservari. Item prohiberi certis anni temporibus, ut tempore nivium, et quando animalia gravidantur, aut fœtus nutriunt, ne destruantur, aut notabiliter minuantur. Item vetari ne certis laqueorum, retium, aliorumve instrumentorum generibus uti liceat, ob eamdem rationem. Verùm hujusmodi loca nimiùm multa esse non debent, ne subditi eâ reservatione nimiùm graventur; et aliquo beneficio ab isto onere videntur compensandi. Nec venantibus justum tunc est gravem pœnam corporalem imponere, ut flagellationis publicæ aut mutilationis, nisi hæ leges latæ sint ad terrorem incutiendum, et non ut executioni mandentur; vel nisi transgressor sæpiùs venando notabile damnum bono publico intulerit, aut gravem injuriam spectatis circumstantiis legislatori irrogâsse censeatur. Tandem si quod damnum venando equis, canibus, vel quâvis aliâ ratione dùm feras insequuntur, prædiis alienis intulerint, in conscientiâ resarcire tenentur, sicut et nocumenta quæ feræ supra modum multiplicatæ subditorum agris et vineis causant, nisi illis eas permittant expellere baculo, lapide, ac capere si opus fuerit.

Dùm lex prohibens venationem justa est, peccat qui illam transgreditur; cujus gravitas peccati non debet colligi præcisè ex gravitate pœnæ transgressoribus impositæ, sed ex gravitate damni bono communi illati; ut si quis inficiat aquas stagni aut fluvii, indeque contingat magnam quantitatem piscium mori, etc. Quare qui tale damnum infert, non videtur mortaliter peccare, neque tenetur feram à se captam restituere, ob rationem mox allatam; tum quia leges tantùm venationem prohibent, nec irritant ferarum venatione captarum acquisitionem.

Quæres an peccet et ad restitutionem teneatur qui feram ab alio lethaliter percussam, aut in ejus laqueo irretitam, sibi usurpat. Respond. quòd si Paulus, v. g., feram à se percussam fugientem insequebatur, et probabiliter eam capturus erat, tunc nequit à Joanne sibi usurpari, quia Paulus eam naturali suâ libertate privâsse, illamque occupâsse censetur. Secùs dicendum, si eam non persequebatur, aut licet persequeretur, probabiliter capturus non erat. Quidam tamen volunt quòd in isto casu æquitas postulare videtur, ut fera inter ipsos dividatur, si vulnus à Paulo inflictum fuerit causa quòd à Joanne sit capta.

Eodem modo fera incidens in laqueum Pauli ad ipsum pertinet, si inde non poterat se extricare : illam enim censetur occupâsse. Si tamen de facto evasisset, nisi Joannes Paulum præveniendo illam cepisset, tunc fit Joannis, qui tamen videtur aliquid de prædâ Paulo debere dare. Quando Joannes feram sequitur, eaque incidit in laqueos Pauli, tunc qui prior ex illis eam capit, ejus dominium acquirit, quia in pari jure, melior est conditio possidentis; aut ex quâdam æquitate inter ipsos est dividenda. In his quæ ad venationem pertinent, spectandum est quid ferant leges, et consuetudines approbatæ locorum. Plura vide in tract. de Just.

Articulus VI.

De furtis eorum qui ligna cædunt, aut herbas decerpunt in sylvis aliorum.

Certum est quòd ii qui ligna cædunt in sylvâ propriâ alicujus privati, quam ipse aut ejus antecessores plantaverunt, aut plantatam emerunt, furtum lethale committunt, nisi excusentur ex parvitate materiæ, in quâ discernendâ standum erit judicio prudentis viri, talemque censet Bannes magnæ integræ arboris acceptionem, et damnum illatum ante omnem judicis sententiam restituere tenetur, pœnamque etiam solvere post judicis condemnationem. Ita communiter auctores, quia iste alienum rapit domino rationabiliter invito. Idemque dicendum de iis qui ducunt animalia sua ad pastum in pratis, alicui privato applicatis. Nec in hâc acceptione lignorum excusantur pauperes, nisi ob evidentem et urgentem necessitatem; puta si ex nimio frigore immineat periculum personæ, morbi, aut vitæ, cui aliter subveniri non potest. Ideòque non est ipsis licitum accipere ad aliis vendendum, indeque familiam sustentandam extra casum necessitatis extremæ, dùm per laborem, aut famulatum, aut eleemosynarum petitionem, aliter sibi providere nequeunt.

Si tamen sylva antea communis, dono aut concessione tantùm reipub. aut principis fuerit alicui privato applicata et appropriata, cives pauperes gravem necessitatem patientes, puta ad familiæ sustentationem indigentes, non peccant, neque ad restitutionem tenentur, ligna moderatè inde accipientes. Ratio est, quia isti concedentes non possunt sibi applicare sylvam, quæ initio communis fuit, sponteque suâ arbores profert, quin saltem in tali necessitate licitum sit aliis exinde

ligna ad necessarios usus desumere, dummodò sylva sufficiat ad hoc. Ergo non potuerunt plus tribuere juris in istum privatum quàm ipsi habebant. Ita Sotus, lib. 4 de Justit., quæst. 6, art. 4; Bannes, 2 2, quæst. 62, art. 3, et alii. Secùs dicendum videtur quando respub. vendit aut locat alicui sylvas vel herbas communes. Tunc enim etiam incolæ ligna cædentes, aut animalia ad pastum ducentes, peccant et tenentur ad restitutionem, quia per injuriam auferunt ab aliquo, quod illi appropriârunt contractu oneroso, cedentes juri quod antea habebant. Requiritur tamen justa et gravis causa, ad hoc ut respub. possit alicui privato vendere seu locare usum et commodum bonorum communium, eoque incolas privare, et ut ipsorum consensus rationabilis adesse censeatur.

Ut autem hæc clariùs innotescant, statuendum est posse rempub. vel communitatem justè prohibere suis civibus cæsionem lignorum, pastumque animalium in sylvâ et pascuo communi, ita scilicet ut nemini liceat in tali loco aut tempore herbas animalibus nutriendis insumere, talia ligna aut tantam eorum molem cædere, etc. Talis enim prohibitio bono communi valdè conducit, nec reipub. potestatem excedit. Ideòque hujusmodi leges sunt justæ, et ex consuetudine introductâ ac receptâ desumi debet vis obligationis illarum. Nam ubi consuetudo loci habet quòd transgressor non solùm ad pœnam, sed etiam ad restitutionem rei acceptæ aut ejus valoris soleat condemnari, tunc acceptio in notabili quantitate est peccatum mortale : ubi verò solùm condemnari solet ad pœnam, tunc signum est mentem legislatoris non esse obligare transgressores ad culpam, sed duntaxat ad pœnam. Cùm autem lex illa pœnalis sit justa, transgressor post condemnationem tenetur eam persolvere in conscientiâ.

Ordinariè tamen loquendo non videtur peccare mortaliter, nec obligari ad restitutionem, nisi quando notabile detrimentum infert bono communi, attentâ proportione quantitatis et magnitudinis ipsius sylvæ. Ratio primi est, quia cives, præsertim indigentes, moderatè aliquid ad suos usus inde accipientes non nocent justo fini à repub. intento; et aliunde non accipiunt de alieno, sed tantùm de eo quod sibi et cæteris civibus est commune, nec tunc respub. præsumitur esse graviter invita ac cum tanto rigore suos cives obligare voluisse, neque in ipsis præsumitur adfuisse voluntatem se graviter ac ex justitiâ obligandi in his materiis, sed tantùm ad pœnam post condemnationem luendam. Ratio verò secundi est, quia civis depopulans communem sylvam, peccat contra justitiam commutativam, quoniam tollit et destruit à communitate et à concivibus jus quod habent ex justitiâ commutativâ ad ipsam sylvam et ad utilitatem illius, eorumque partem sibi injustè usurpat, aut destruit. Ergo tunc ad restitutionem ex ipsâ rei naturâ obligatur.

Si sint duo oppida vicina, quorum quodlibet suam communem sylvam habet contiguam, tunc oppidani unius loci, ligna in alienâ sylvâ auferentes (dummodò id moderatè faciant, neque valdè notabile damnum inferant) excusantur tam à culpâ mortali, quàm ab onere restituendi : deprehensi tamen et condemnati, pœnam luere tenentur. Ratio est, quia cùm passim sciatur hinc inde ex utràque parte exigua damna furtaque fieri, censentur communitates horum duorum oppidorum vicissim condonare restitutionem rei ablatæ, mutuamque cedere compensationem inter oppidanos. Secùs dicendum quando unum oppidum caret sylvâ communi, vel habet quidem, sed adeò remotam ut ab oppidanis alterius loci habentis sylvam propinquam et vicinam, nequeat cæsionem lignorum pati. Tunc enim locum non habet ista compensatio : ideòque tales oppidani, perinde ac extranei, ligna cædentes in sylvâ alterius oppidi peccant, et ad restitutionem tenentur ante judicis condemnationem, non tamen ad pœnam luendam, nisi post sententiam.

Concludit Bannes, 2-2, quæst. 62, art. 3, concl. 5, quòd in sylvis in quibus licet arbores sylvestres cædere, licebit fructus earumdem arborum colligere : et è contra, quando non licet primum, nec etiam secundum licebit, quia fructus sequitur naturam et conditionem arboris, eodemque modo applicatur suis dominis, qualiter applicantur sylvæ. Ergo de utrisque quantùm ad hoc idem judicium est ferendum. Et ibidem concl. sextâ docet quòd qui pecora ducunt ad pastum in sylvis alienis circumseptis et reservatis, tenentur restituere damnum domino illatum ante judicis sententiam; secùs verò si sint loca patentia et non specialiter reservata. Ratio est, quia sicut erectio sylvarum et plantatio arborum tribuit perfectum jus et proprietatem domino, ita et sepe circumdare prædia, tribuit jus domino ad herbas ibi nascentes, easque sibi reservare potest. In aliis tamen prædiis, nisi sint vineæ, oliveta et similia, quæ ex pastu animalium magnum paterentur detrimentum, ferè communiter statutum est ut collectis fructibus et frugibus, nullus prohibeat aliis pastum animalium, dùm semine carent. Tandem de pascuis communibus eodem ferè modo ratiocinandum est ac de sylvis ad communitatem, quoad lignorum cæsionem pertinentibus. Vide legem: *Si furtivam* et alias digest. l. 47, titul. 7. Regula generalis ad dignoscendum quid in hâc parte liceat aut non liceat, est recurrere ad communitatis aut dominorum expressam aut tacitam voluntatem consensumque rationabilem, locorum usum, et consuetudinem, utpote quæ hujusmodi legum præstantissima interpres esse solet. Fusiùs de his agitur tract. de Just.

Articulus VII.

De furtis rerum inventarum, et de thesaurorum inventione.

Res quæ sub nullius unquàm dominio fuerint, ut gemmæ, lapilli, conchæ, quæ sunt in littore maris, pisces, aves et feræ sylvestres, metalla, etc., jure gentium, imò et jure civili communi fiunt primò inventientis et occupantis. Ex instit. de Rer. divis. § Feræ, § Item lapilli. Et ff. de Acquir. dom. rer., l. 1 et 3, ff. de Acq. posses., l. 1, et in decret. dist. 1, can. *Jus naturale*, et can. *Jus gentium*. Item ex D. Thomâ, 2-2, q. 66, art. 4, ad 2. Hæc igitur jure naturæ, jure gen-

tium, et jure civili communi, non sunt alterius quàm invenientis in loco publico ac communi et ea occupantis. Cum quo tamen stat, quòd jus particulare inventoris, possit impediri alio jure naturæ universaliori, nisi scilicet propter bonum commune expediat quòd efficiantur reipub, aut principis. Tunc enim lex positiva particularis quæ hoc determinat, fundatur in jure naturali, quo unaquæque pars est propter bonum totius, bonumque commune est præferendum particulari. Adde quòd etsi jure naturæ omnia dicantur communia, nihilominùs jure gentium facta est rerum divisio, eò quòd jus naturæ non præcipiat positivè illam rerum communitatem, sed ad illam merè negativè se habeat, quatenùs nulli in particulari applicat, sicque permissivè et non contrariè se habet ad istam appropriationem : ita enim jus gentium, et jus civile commune, quo facta est hæc rerum applicatio primò occupanti, determinari potest jure positivo regni et provinciæ ; proindeque rex poterit sibi hujusmodi bona applicare tanquàm tributa ad suum statum et ad reipub. defensionem necessaria. Qui tamen ea inveniret, non teneretur per hanc prohibitionem restituere ante condemnationem, eò quòd hujusmodi lex censeatur pœnalis, sicut et lex prohibens venationem et piscationem.

Eodem modo ratiocinandum est de thesauris antiquis quorum nullus extat dominus, quamvis olim eum habuerint; nempe de pecuniâ aliâve re pretiosâ, quondam ab aliquo repositâ et absconsâ cujus absconsionis tempus, ratio, et auctor dignosci nequeunt. Hæc enim duo requiruntur ad rationem thesauri propriè dicti. *Res* igitur absconsa, et post longissimum tempus reperta, cùm habeatur pro derelictâ, ac in nullius bonis, jure naturæ fit ipsius inventoris. Ex Instit. de rerum divis. § *Thesauros*, et ff. de Acq. rerum domini, l. *Nunquàm*, et ex D. Thomâ, 2-2, q. 66, art. 4, ad 2.

Jus tamen civile positivum statuit quòd si ab aliquo quæratur et inveniatur thesaurus arte magicâ, totus adjudicatur fisco. Cod. de Thes., l. *Un.* Et Cod. de Malefi., l. *Nemo*, ff. de Furtis l. *Falsus* et ff. de Acq. Cùm sint pœnales contra artem magicam, non obligant ante condemnationem judicis. Si verò absque arte prohibitâ inveniatur ab aliquo in proprio fundo, totus est inventoris, ex dictis leg. Si autem quis illum inveniat in fundo alieno, tunc si tantùm casu, aliud intendens eum invenerit, medietatem dare debet domino agri, sive sit persona privata, sive communitas. Si autem ex industriâ datâque operâ inconsulto domino agri repererit, tunc deductis expensis, totum thesaurum domino reddere debet ex dictis legibus. Utrùm autem istæ leges in conscientiâ ante judicis sententiam sint observandæ ab isto inventore, tam de industriâ quàm casu, certum est quòd casu inveniens thesaurum in agro alieno, tenetur in conscientiâ, dare partem illius domino; quia in hoc finis legis non est punire, sed componere cives inter se, ipsoque facto adjudicare dimidiam partem uni, et dimidiam alteri ad obviandum litibus et controversiis. Quidam censent quòd inventores de industriâ tenentur in conscientiâ totum thesaurum dare domino agri, juxta has leges, quæ quantùm ad hoc statuunt quid juxta æquitatem sit faciendum. Etenim hic inventor perinde se habet ac qui seminat in agro alieno absque licentiâ domini. Alii volunt istas leges esse tantùm pœnales, contra quærentem de industriâ thesaurum in agro alterius, seu velle punire audaciam ejus, qui in eo agro sine licentiâ domini voluit laborare suamque industriam exercere, sicque non obligare in conscientiâ ante judicis condemnationem, solùmque medietatem inventi thesauri teneri domino dare, et aliam medietatem sibi retinere posse.

Qui scit aliquem thesaurum latere in agro alieno, non tamen adhuc illum quæsivit, licitè potest agrum emere hoc fine, pretio ordinario, nihil indicando domino de thesauro, cujus proinde ipse acquiret dominium, sicut et agri, prout indicatur Matth. 13, et à D. Th., loco citato; ac colligitur ex ff. de Rei vindicat., l. *Tutore*.

Ratio est, quia ager venditur et appretiatur secundùm superficiem quam habet magis vel minùs fructiferam, non verò secundùm accidentaria ibi latentia : proindeque cùm iste emat agrum justo pretio, nullam facit injuriam venditori; nec illius ignorantiæ ac involuntarii est causa ipse emptor; non enim tenetur eidem manifestare quod ipse suâ industriâ cognoscit, maximè quia thesaurus absconditus non pertinet ad substantiam rei venditæ. Quemadmodùm si quis emeret equum, quem scit hausisse et bibisse margaritam in flumine, non teneretur id indicare domino equi, eò quòd non pertineat ad substantiam equi, neque ad valorem illius.

Item quia emptor non acquirit dominium thesauri ex venditione alterius, sed ex inventione in agro proprio : neque venditor antea erat dominus thesauri, alioquin non esset thesaurus propriè dictus; de cujus ratione est quòd non habeat dominum. Dixi, si thesaurum antea non quæsivit nec suffodit : si enim jam invenisset, et illum terrâ coopericns agrum emeret, quamvis tunc fortassè jure gentium posset domum aut agrum eodem pretio emere, quomodò procedit parabola Salvator. Matth. 13; attamen quia jam verè thesaurus est inquisitus et inventus tempore quo vendens erat dominus agri aut domûs, hoc ipso secundùm jus civile acquisitum illi erat aliquod jus, ac proinde medietas thesauri eidem debetur. Thesaurus verò impropriè dictus, seu depositio pecuniæ, quam aliquis lucri gratiâ, vel metûs, vel custodiæ sub terrâ condidit, habetque de proximo dominum, non illicò fit inventoris, sed restitui debet verò domino aut ejus hæredibus. Idemque dicendum de rebus deperditis quæ habent dominum de præsenti ac de propinquo : nempe quòd si inventor eas accipiat non animo sibi retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et similiter si pro derelictis habeantur, et hoc credat inventor, licet sibi retineat, non committit furtum, ut expressè docet D. Thomas, loco citato, et colligitur ex Inst. de rer. divis.,

§ 47, ubi dicitur : *Si res pro derelictâ habita sit, et eam quis occupaverit, ejus fit, si dominus eam abjecit, ut nolit in rerum suarum numero esse.* Quod dùm clarè non constat, voluntas domini circumstantiis est indaganda, et arbitrio prudentûm omnibus consideratis definiendum erit. In dubio tamen æquali, in favorem prioris domini est declinandum. Regulariter autem quæ tempestate ingruente levandæ navis causâ ejiciuntur, et è rhedâ currente cadunt, non sunt habenda pro derelictis. Ex institut. de rerum divis., § *Ultimo* ff. de Furtis, l. *Falsum.* Igitur bona naufragantium restituenda sunt. Item bona quæ projiciuntur et accipiuntur quando accidit aliquod incendium. Item ligna, trabes, et similes res quæ fluminis inundatione raptantur, quando pro earum qualitate constat dominum eas non habere pro derelictis.

Difficultas restat de rebus perditis, quæ de præsenti et de propinquo habent dominum, qui non creditur eas habere pro derelictis, et quidem certum est inventorem teneri inquirere dominum, eique reddere si invenerit. Solùm controvertitur an si post adhibitam omnem diligentiam requisitam dominus non dignoscatur, tunc inventor acquirat earum dominium, etiamsi dives extiterit, ac de illis possit disponere. Dixi, si sit dives; omnes enim conveniunt quòd si sit pauper potest eas sibi accipere ac retinere. Multi graves auctores affirmant, quia bona incerta non ex jure naturæ debentur reipub. vel pauperibus, nec sunt impendenda in opera pia pro salute animæ illius ad quem pertinent, sed tantùm ex dispositione juris humani : nulla autem lex positiva humana applicat inventa pauperibus, ut patet. Deinde ratio naturalis potiùs dictat, ut post factam diligentem inquisitionem res illa inventa, pro derelictâ à domino habeatur, sitque primò occupantis, prout de thesauris jam dictum est : quòd enim res sub alicujus potestate fuerit ab antiquo, vel de recenti, nihil facit ad rem, quandoquidem, nec in istis, nec in illis dominus reperiri potest, ac proinde jure naturali et gentium sunt inventoris. Insuper voluntas interpretativa domini non est quòd in pia opera pro salute suâ spirituali impendatur res inventa. Nam si Turca aut paganus illam perdiderit, de hoc non cogitat : imò, contrarium est præsumendum ex hoc quòd si res illa maneat penès inventorem, faciliùs eam recuperare poterit quàm si à pauperibus consumatur, cùm apud inventorem nunquàm præscribat, defectu bonæ fidei, sciatque ab initio rem esse alienam. Tandem jura et domini voluntas solùm procedunt de rebus injustè acquisitis, quarum dominium nequit in possessionem injustam transire, cùm iniquitas nulli suffragari debeat, neque justum dominii titulum præbere queat. At verò inventa post factam sufficientem diligentiam, justo titulo inventionis à possidente habentur. Unde injustè acquisita, sunt quidem eroganda pauperibus de præcepto : inventa verò solùm de consilio. Quando autem jure præcipiunt inventoribus ut reddant, solummodò loquuntur de illis qui vel debitam diligentiam non faciunt ad verum dominum inveniendum, tales enim tanquàm fures sunt judicandi; vel de illis qui inventa eo animo retinent, ut etiamsi dominus appareret, non restituerent. Hæc sententia probabilis apparet.

Communior tamen et tutior sententia docet inventorem divitem ea bona non posse sibi applicare, sed in pauperes et pios usus expendenda necessariò esse, si alicujus valoris extiterint. In hanc sententiam inclinat. D. Thomas loco citato. Ubi postquàm dixit quòd inventor non committit furtum retinendo sibi res quæ pro derelictis habentur, et id probabiliter credit, statim subdit : *Aliàs committitur peccatum furti. Unde caus.* 14, *q.* 5, *ex Augustino refertur istud : Si invenisti et non reddidisti, rapuisti.* Atqui dominus non habet illas res pro derelictis, nec id potest probabiliter inventor credere ; constat enim ordinariè dominos circa eas anxios esse, cum diligentiâ quærere, cum lætitiâ invenire, cum gratiarum actione reddentes excipere, etc. Et si qui de illis ut derelictis loquantur, non propterea signum est velle eas de numero rerum suarum abjicere, sed tantùm quòd desperent de recuperatione velintque mœrorem deponere, sese Dei ordinationi conformando. D. Thomam sic exponunt Cajetanus hìc, Sylvester, verb. *Inventum.* D. Anton., p. 2, tit. 1, cap. 15, § 2.

Probatur, quia cùm bona ista alicujus esse sciantur, quamvis non appareat cujus sint, ipsorum inventio non est titulus per se sufficiens ad transferendum dominium in inventorem, nisi accedat vel legis auctoritas, vel rationabiliter præsumpta domini voluntas. Atqui nullus ex his titulis intervenit. Ergo, etc. Major patet, quia cum istâ inventione semper remanet dominium penès eum qui perdidit, per se loquendo. Minor etiam constat quoad primam partem, nempe quòd nullum jus afferri possit transferens rei dominium in inventorem : jura enim solùm loquuntur de rebus quæ nullum habent dominum, ut sunt thesauri antiqui; aut si habeant, censetur eas pro derelictis reputare. Probatur verò eadem minor quoad secundam partem. Nam rationabilis et interpretativa domini voluntas censetur esse ut in usus pios et pauperum necessitates ad spiritualem animæ suæ utilitatem distribuantur hæc bona, ex quo nequeunt ipsi deservire ad temporale commodum : et ita fieri se velle responderet, si de hâc re interrogari posset. Nulla quippe gens adeò barbara reperitur quæ non existimet eleemosynam esse bonum et pium opus, potiùsque non eligat res suas deperditas, necessitatibus proximorum, bonoque publico inservire, quàm retineri ab inventore. Et per hanc rationem facilè solvuntur argumenta in favorem primæ sententiæ adducta. Supponimus enim esse moraliter impossibile, quòd ea bona possint redire ad dominum, et tad commodum temporale ipsi deservire, cùm non sit verisimile ut dignosci valeat. Et tunc dicimus rectam rationem dictare, ut expendantur juxta ejus rationabilem interpretativam voluntatem, quæ est ut de iis disponatur saltem in propriam utilitatem spiritualem : tunc enim iste modus est melior et unicus, ut possint hæc bona ad ipsum redire, et ita fieri communi con-

suetudine receptum est. Multique episcopi id statuunt in suis diœcesibus, virique timoratæ conscientiæ hoc observarè solent, sibique injicerent scrupulum peccati si aliter facerent. Verùm de his fusiùs in tractatu de Justitiâ agitur, et legendus est D. August., serm. 19 de verbis Apostoli, cap. 6, 7 et 8, ubi refert cujusdam pauperis grammatici circa reddenda à se inventa præclaram generositatem : vide et D. Thomam loco citato 2-2, q. 66, art 4, ad 2.

Articulus VIII.

De furtis bonorum ecclesiasticorum.

Certum est defraudantem decimas, ubi consuetum est solvi, committere furtum, quia non reddit debitas res Ecclesiæ cui tenetur reddere de necessitate salutis. Non enim sunt puræ eleemosynæ, sed stipendium pro labore et administratione spiritualium, ministris Ecclesiæ à populo ex justitiâ debitum. Unde Christus dixit Lucæ 10 : *Dignus est operarius mercede suâ;* et Apost. variis exemplis convincit 1 ad Corinth. 9; D. Thomas, 2-2, q. 87, art. 1, et quodlib. 2, art. 8, egregiè probat, et Trident. sess. 25, de Reformat. cap. 12, definit. Ex quibus constat hanc defraudationem esse ex suo genere peccatum mortale et sacrilegium nisi propter imperfectionem actûs, ut in aliis contingit, et ad restitutionem obligare. Verùm plena decimarum tractatio ad expositionem præceptorum Ecclesiæ remittenda est, solùmque de beneficiorum abusu circa reddituum ecclesiasticorum dispensationem sermo texendus.

Constat ex dictis in præloquio hujus præcepti, § primo, beneficiarios habere quidem jus desumendi ex redditibus ecclesiasticis ea quæ sunt necessaria ad decentem sustentationem, ac illius portionis congruæ acquirere dominium : secùs verò aliorum fructuum, qui redundant et superfluunt; sed esse duntaxat procuratores, dispensatores, œconomos, cum obligatione eos impendendi in opera pia et eleemosynas, tum ex intentione largientium et fundatorum, qui illos ut essent patres pauperum commiserunt; tum ex voluntate Ecclesiæ, quæ sese conformans intentioni fundatorum ac naturæ et conditioni horum bonorum, declaravit esse res sacras, Deo dicatas, patrimonium Christi et pauperum, etc., districtoque præcepto ipsos obligavit, ut nonnisi in pios usus expenderent. Ergo in profanos usus hæc bona impendentes, aut sibi retinentes, usurpant alienum domino rationabiliter invito, sicque furtum committunt sacrilegum, cum obligatione restituendi. Idem dicendum de rectoribus secularibus confraternitatum, qui pecunias in eleemosynam ad fabricam capellarum, aut ornamenta, paramenta, etc., datas, sibi usurpant aut compotationibus et conviviis insumunt, et sacrilegi reputantur causâ 12, q. 11, can. *In legibus;* et cap. *Qui abstulerit.*

Beneficiarii ex suâ culpâ et absque legitimâ causâ omittentes recitationem divini officii, non possunt absque furto sibi retinere redditus ecclesiasticos, et tenentur etiam ante judicis sententiam restituere fructus pro ratâ omissionis horarum : ita communiter auctores, idque videtur definitum in concilio Lateranensi sub Leone X, sess. 9, ubi privatur beneficio qui post sex primos menses à pacificâ beneficii possessione incipiendos, his saltem officium per quindecim dies non recitaverit : quæ lex cùm sit pœnalis non obligat ante condemnationem judicis. Volunt tamen auctores quòd intra illos sex menses primos sine legitimâ causâ officium omittens graviter peccet, eò quòd faciat contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, ac contra finem propter quem confertur beneficium; beneficium enim propter officium confertur, ut sæpissimè dictum fuit. B. Pius Papa V, in suâ Bullâ editâ 12 calend. octob. anni, 1571, quæ incipit : *Ex proximo*, subdit : *Statuimus, ut qui horas canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii sui, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent si quotidiè dividerentur, restituere teneatur; qui verò matutinum, tantùm dimidium; qui cæteras omnes horas, unam medietatem; qui horarum singulas, sextam partem ejusdem diei amittat.* Et ratio est, quia stipendiarius tenetur ex justitiâ illud opus præstare pro quo stipendium recipit; et datum ob causam repeti potest causâ non secutâ : atqui beneficium datur propter officium tanquàm stipendium et causa illius. Ergo quotiescumque omissio officii est peccatum mortale, inducit amissionem aut restitutionem fructuum in conscientiâ, nisi ab isto onere relevetur beneficiarius ab Ecclesiâ, prout fecit circa eum qui per primos sex menses à possessione beneficii, non recitavit officium, idque ob bonas rationes. Unde Alexander Papa VII damnavit hanc propositionem : *Restitutio à Pio V imposita beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientiâ ante sententiam declaratoriam judicis, eò quòd sit pœna.*

Idem dicendum de beneficiario qui officium quidem recitat, sed absque attentione saltem virtuali et cum distractione voluntariâ. Cùm enim non satisfaciat præcepto Ecclesiæ in concilio Lateran. sub Innocentio III intimato, et refertur in cap. *Dolentes*, de Celebr. missar., quo districtè in virtute obedientiæ præcipitur ut officium *studiosè pariter et devotè* recitetur, perinde se habet ac si officium non recitâsset. Nam idem est aliquid non facere absolutè, ac non facere quoad substantialia et præcepta, ut colligitur ex cap. *Veniens*, de presbyt. non baptiz. Ergo tenetur officium repetere, aut beneficii fructus restituere. In his autem casibus restitutio faciendа est fabricæ ecclesiæ aut domûs beneficii, vel pauperibus prout colligitur ex concilii Lateran. decreto et Bullâ B. Pii V, jam relatis. Similiter canonici recitantes officium cum voluntariâ distractione, nequeunt in conscientiâ percipere distributiones et fructus beneficii, quia non explent officium, ob quod dantur. Item quando absque justâ causâ ex ra tempus absentiæ à concilio permissum, choro non intersunt, aut cum aliis non canunt, etiamsi privatim in domo dicant officium, quia ad munus canonici et aliorum choro deputatorum spectat publica et alta horarum canonicarum decantatio in ecclesiâ, ad hoc ut fideles illi officio interesse valeant, Deumque

laudare per se et per ministros, quibus eâ de causâ stipendium conferunt.

Sacerdos pro labore celebrationis Missarum et applicatione alicui factâ, justè potest ab eodem stipendium sustentationis recipere et exigere : *Dignus est enim operarius mercede suâ, et qui altari deservit de altari vivere debet.* Verùm restituere tenetur Missarum stipendia pro quibus non satisfecit, aut quarum celebrationem nimiùm distulit ; adeò ut verisimiliter non profuerit secundùm specialem intentionem ejus qui stipendium dedit ; v. g., si ad obtinendum felicem exitum in negotiis, aut sanitatem infirmi, Missa petita eò usque dilata fuerit ut infirmus obierit, aut occasio jam præterierit ante celebrationem : sic enim sacerdos ex culpâ suâ frustrans petentis intentionem, stipendium datum retinere nequit absque injustitiâ. Similiter onus restituendi sacerdoti incumbit, qui post acceptum pro Missâ justum, rationabile et constitutum lege aut consuetudine integrum stipendium ab uno et pro unius intentione, illam celebravit pro pluribus acceptis totidem integris stipendiis, quia sacerdos iste violavit justitiam commutativam, et non servavit mutuum contractum et pactum initum. Qui enim accepto stipendio voluntariè se obligat ad aliquid præstandum in commodum alterius, tenetur ex justitiâ stare promissis, suæque obligationi satisfacere, aut stipendium acceptum restituere. In nostro autem casu, ille qui dat stipendium pro Missâ, intendit obligare sacerdotem, ut pro eo laboret, offerat, et applicet totum sacrificium : aliunde verò sacerdos acceptando tale stipendium, videtur hoc promittere. Ergo, etc. Idque definitum fuit à sacrâ Congregat. Cardin. ann. 1625, ab Urbano VIII approbatâ. Idem postea determinavit Alexander Papa VII, damnans contrariam sententiam, quæ continebatur in hâc propositione ab eodem proscriptâ : *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre : neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Idem pontifex damnavit adhuc istam propositionem : *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eâdem Missâ licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* Vide tract. de Justitiâ, ubi fusè agitur de injuriis ex læsione in bonis spiritualibus.

Articulus IX.

De furtis falsariorum.

Falsarius in proposito est qui alium dolo et cum jacturâ injustè decipit falsificando monetam aut scripturas, aut pondera minuendo, aut mensuras decurtando.

Moneta autem potest esse multipliciter defectuosa. Primò in materiâ, ut si adulterina fuerit, *L. Paulus* ff. de Solut. *L. qui nummos. L. Cornelia*, ff. de Falsar., ubi qui hoc modo cudit monetam, tenetur crimine falsi. Secundò in pondere, quando decurtata cuditur, aut cusa raditur et minuitur. Tertiò in formâ, quando scilicet imponitur signum aut sigillum illius, qui eam cudi non fecit. *L. falsi nominis*, et *L. quæ nomine* ff. de Fals., ut qui apponunt monetæ quam cudunt, effigiem principis absque ejus assensu, ac legitimâ functione id præstandi. Et hæc tria requiruntur ab substantiam legitimam monetarum. *L.* 1, § 1, ff. de Contrah. emption. Monetam cudere non licet sine consensu principis ex *L.* 1 et 3, ff. de Falsar. monet. Et qui contrarium facit, reputatur falsarius et mortaliter peccat, nec est absolvendus antequàm desistat. An autem si ex bonâ materiâ et cum legitimo pondere cudat, solumque falsificet signum principis, reputandus sit fur, et teneatur de damno respectu illorum ad quos nummus transit, non conveniunt auctores. Navarrus et alii, negat, eò quòd ordinariè loquendo hujusmodi falsitas nihil civibus referat. Affirmat verò P. à Navarrâ eò quòd civibus exhibeat iste simplex metallum auri et argenti, cùm moneta ut talis, à formâ, ab institutione principis, et à publicâ auctoritate valorem habeat, sicque iste plus vendit res quàm valeant. Adde quòd cives ad quos pervenit hæc moneta adulterina, exponit gravi periculo. Conveniunt tamen auctores istum falsarium injuriam inferre principi ac reipub. et pœnis à lege statutis esse plectendum, et graviter peccare.

Item diminuentes pondus absque principis et reipub. consensu, sunt falsarii et tenentur ad restitutionem, pariter et attondentes monetam, vel per aquam fortem subtilisantes, si sint privati, etiamsi tantùm exuberantes monetas attondant ; tenentur enim principi vel communitati de materiâ quam auferunt, eò quòd illa aut per errorem fuerit apposita, vel quia princeps voluit ex bonitate monetæ laudari, etc. Vide Sylvestrum, v. *Falsariis*. Tandem cudentes monetam ex materiâ adulterinâ, admiscendo metallum vilius nobiliori, sunt verè falsarii, et tenentur ad damna illata reparanda, restituendo iis qui acceperunt, si cognoscantur ; vel pauperibus, si læsi fuerint ignoti. Similiter qui acceperunt hujusmodi monetas defectuosas in pondere, aut materiâ, easque expendentes, si hoc ex ignorantiâ faciant, bonâque fide existimantes esse legitimas, aliàs non darent ; excusantur quidem à peccato, et à crimine falsarii : ex quo tamen ad notitiam veritatis deveniunt, tunc cessat bona fides, et tenentur sub pecato compensare damnum illi cui monetam dederunt. Idem dicendum de isto et de aliis deinceps in simili casu : non enim se excusare possunt, quòd talem monetam innocenter ab alio acceperint ; id enim suo infortunio aut imprudentiæ adscribere debent, nec justum est ut inde alii damnum reportent.

Petes quinam restituere teneantur quando nummi isti adulterini jam longo cursu de manu in manum ad plures transierunt Respondet Lopez, parte 2, cap. 4, tunc fabricatores horum nummorum primos teneri, cùm fuerint prima et principalis causa hujus nocumenti. Secundos in istorum defectu teneri, qui scientes esse falsos, ut tales expenderunt. Tandem in horum defectum illos teneri, qui ex ignorantiâ crassâ et culpabili tales nummos alienârunt : dum enim falsos esse no-

verint, ampliùs eos expendere nequunt, sed reddere possunt ei à quo acceperunt, et restituere debent ei cui dederunt, et qui tunc illos habet, ut sic ejus damnum vitent et ulteriorem cursum impediant. Circa hæc vide D. Anton., 2 p., titulo 1, cap. 18, § 4.

Vendentes sophisticata pro veris, vel negantes rerum defectus quos habent, vel falsas bonitates affirmantes scienter, cum gravi emptoris id requirentis illisque confidentis nocumento, sunt falsarii et tenentur illud reparare, ut ostenditur in tractatu de Justitiâ. Item falsantes mensuras et pondera; id enim graviter reprehenditur in Scripturâ sacrâ. Item falsatis scienter utentes : et ultra peccatum mortale, tenentur hi omnes restituere, ac de medio tollere hujusmodi mensuras et pondera, aut ad justam æqualitatem reducere. D. Anton. ibidem § 6. Tabellio falsarius est, instrumentum falsum conficiens, absentium nomina subscribens, vel sigillum subripiens, vel aliter quàm partes convenerint notans, vel aliquid necessarium scienter tacens, unde lites oriri possunt, etc. D. Anton. ibidem § 7. Item falsarius est qui lacerat, vel comburit, vel occultat scripturas publicas aut privatas ad alium spectantes, ita quòd ampliùs non apparcant, in grave illius detrimentum; et ultra pœnam falsarii, tenetur ad restitutionem totius interesse. *L. qui tabulas* ff. de furto.

Qui schedulam obligatoriam aut quodvis aliud instrumentum perdidit, cujus defectu lite gravissimi momenti evincendus est, et aliud falsum fabricat ac supponit, non peccat quidem contra justitiam commutativam, eò quòd nullâ tunc injuriâ afficiat proximum, sed se tueatur et defendat, modo tamen illicito, nempe mendacio, ac suppositione alterius instrumenti, quod producit ac si esset primum legitimè confectum cum debitis subscriptionibus. Mendacium autem juxta D. Thomam, 2-2, q. 109, art. 3, ad 4, non solùm habet rationem peccati ex damno quod infertur proximo, sed suâ inordinatione. Non licet autem uti aliquâ illicitâ inordinatione ad impediendum nocumenta et defectus aliorum, sicut non licet furari ad hoc quòd homo eleemosynam faciat : et ideò non est licitum mendacium dicere ad hoc quòd aliquis alium à quocumque periculo liberet; proinde non licet aliqui falsam schedulam similem illi quam amisit fabricare ac supponere, proindeque peccat; non tamen ad restituendum obligatur. Pari ratione non licet clerico, qui testimoniales vel dimissorias sui episcopi litteras, aut parochi de baptismo fidem facientes amisit, alias fabricare ac supponere, ut ad ordines admittatur; nec religioso iter facienti amissis sui superioris obedientialibus litteris, alias similes fabricare. De falsificatione factâ in Bullis papalibus et rescriptis, vide D. Antoninum, 2 p., tit, 1, cap. 18, § 7. Item de falsificatione in filiis, dùm supponitur marito alienus partus ibidem § 8, et de falsariis in ludis. Vide D. Thomam, 2-2, q. 32, art. 7, ad 2, et nostrum tract. de Dominio.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE RESTITUTIONE IN COMMUNI.

Contra istud præceptum non solum militat acceptio rei alienæ invito domino, sed etiam injusta illius detentio; ut enim ait D. Thomas, 2-2, quæst. 66, art, 4, ad 3, *Detinere id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet, cum acceptione injustâ : et ideò sub acceptione injustâ, intelligitur etiam injusta detentio.* Unde necessaria est restitutio, de quâ agemus in communi in præsenti tractatu : et postea in sequenti tractatu de eâ sermonem statuemus in particulari, ortâ tam ex delicto seu injuriâ, quàm ex contractu.

Restituere, inquit D. Thomas, 2-2, quæst 62, art. 1, *nihil aliud esse videtur, quàm iteratò aliquem statuere in possessione vel dominium rei suæ.* Unde restitutio latè sumi potest pro omni actu quo redditur alicui id quod ab ipso ablatum vel acceptum est, sive jure sive injuriâ, quomodò redditio mutui, pignoris, depositi, etc., actus restitutionis dici potest. Hic autem strictiùs consideratur à nobis, pro eo solùm actu quo damnum proximo injustè illatum reparatur : quare non est simplex donatio, nec animi gratitudo pro beneficio accepto, sed importat rationem debiti ex justitiâ violatâ. Cum nomen restitutionis, in quantum importat iterationem quamdam, supponat rei identitatem, ideò secundùm primam impositionem hominis restitutio videtur locum habere præcipuè in rebus exterioribus, quæ manent eædem, et secundùm substantiam et secundùm jus dominii ab uno possunt in alium devenire. Sed sicut ad nuiusmodi rebus nomen commutationis translatum est ad actiones vel passiones, quæ pertinent ad reverentiam vel injuriam alicujus personæ, seu nocumentum vel profectum, ita etiam nomen restitutionis ad hæc derivatur, quæ licet realiter non maneant, tamen manent in effectu, vel corporali, puta cùm ex percussione læditur corpus; vel qui est in opinione hominum, sicut cùm aliquis verbo opprobrioso remanet infamatus, vel etiam minoratus in suo honore. Ita D. Thomas, 2-2, q. 62, art. 1, ad 2. Licet autem tunc propriè sit satisfactio, seu recompensatio pro injuriâ, eam tamen promiscuè comprehendimus sub nomine restitutionis.

Sola læsio justitiæ commutativæ, non verò distributivæ et aliarum virtutum, inducit obligationem restituendi, quia sola inæqualitas, quâ violatur rigorosum debitum, seu jus in re aut ad rem, reparanda est per restitutionem : ut sic læsus iteratò statuatur in possessionem vel dominium rei suæ. Atqui ex læsione aliarum virtutum, non violatur tale jus ac debitum, cùm vel non sint ad alterum, vel non respiciant æqualitatem bonorum temporalium utilium, nec eorum commutationes. Sicut licet charitas respiciat proximum, tamen non habet pro suo objecto justum, seu facere æqualitatem, sicque ejus læsio non est violatio æqualitatis. Tandem læsio justitiæ distributivæ præcisè secundùm se sumptæ, nisi habeat admixtam et conjunctam justitiam commutativam, non inducit inæqualitatem et injuriam propriè dictam; quia illud debitum quod non datum fuit alicui civi, debebatur ipsi tantùm ut bonum commune appropriandum, non verò tanquàm proprium, sicque non læsus fuit in eo quod habebat, neque passus est inæqualitatem propriè dictam

per restitutionem reparandam : recompensatio enim secundùm æqualitatem rei ad rem, respicit debitum ut proprium. Ergo sola læsio justitiæ distributivæ per se et ratione sui non inducit obligationem restituendi. Verum quidem est quòd unà cum justitiâ distributivâ sæpè violatur simul commutativa, puta quia distributor bonorum communium non est absolutè illorum dominus, sed solùm dispensator et minister designatus, quandoque et stipendio conductus, ut ea appropriet et applicet civibus juxta æqualitatem proportionis. Unde malè distribuendo, tunc restituere tenetur illis quos omisit, aut damnificavit : id tamen solùm provenit ex læsione justitiæ commutativæ adjunctæ ac connexæ, prout innuit D.Thomas, loco citato, ad 3. Et ut ait Sylvester, nullus tenetur ad restitutionem, nisi qui est causa inæqualitatis rerum exteriorum. Atqui sola justitia commutativa versatur inter datum et acceptum, inter quæ constituit æqualitatem : unde ejus læsio sola est violatio debitæ æqualitatis in rebus exterioribus.

Acceptio rei alienæ, sicut et retentio justa de consensu libero domini, quamdiù durat, non inducit propriè obligationem restituendi ; v. g., si quis pecuniam mutuo, vel in deposito accepit ad tempus determinatum, illamque retribuit intra legitimum terminum, non dicitur propriè restituere, sed reddere aut solvere debitum, donec sit in morâ culpabili : tunc enim rem alienam detinens domino rationabiliter invito, eum impedit ab usu rei suæ, non minùs ac ille qui eam furatus est ; unde æqui aratur furi. Cap. *Sæpè* de Restit. spoliatorum : et D. Thomas, 2-2, q. 62, art. 3, ad 2, ait illam detentionem habere eamdem rationem nocumenti ac injustam acceptionem, et tunc habet locum restitutio rei et reparatio damni. Conveniunt omnes cum D.Thomâ, 2-2, quæst. 62, art. 2, necessarium esse ad salutem necessitate præcepti, ut qui injustè accepit aut retinet alienum, illud restituat, quomodolibet ad manus illius pervenerit, ut colligitur ex Scripturâ, Tobiæ 2, v. 21 ; Ezechielis 33, v. 14, Matth. 22, v. 22 ; ad Rom. 13, v. 7 ; et ex Augustino Epist. 54 ad Macedonium, ubi ait : *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Illud autem sine quo non agitur vera pœnitentia, nec remittitur peccatum, est procul dubio ad salutem necessarium.

Probatur ratione D. Thomæ. Conservare justitiam est de necessitate salutis. Ut enim monet Apostolus 1 ad Corinth. 6 : *Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt ;* nec potest violari justitia quin lædatur charitas erga proximum, nocumentum illi inferendo. Atqui nisi restituatur alienum injustè ablatum, damnumque illatum reparetur, non conservatur, sed violatur justitia, utpote quæ reddit unicuique quod suum est, facitque æqualitatem, ut scilicet unus non plùs habeat, alter verò minùs quàm debeat habere. Ergo restitutio est de necessitate salutis, supposito quòd quis justitiam commutativam graviter læserit.

Non quidem necessitate medii, loquendo de opere externo restitutionis, ita ut eo prætermisso medio etiam ignoranter et inculpabiliter salus absolutè obtineri non possit : constat enim hominem variis de causis infra referendis ab hâc restitutione excusari posse ; et tunc sufficere quòd animo sit dispositus et paratus alienum reddere, damnumque reparare quando facultas suppetet. Unde solâ necessitate præcepti restitutio exterior est necessaria ad salutem. Quia actus specialis virtutis necessariæ ad salutem, cadit sub aliquo speciali præcepto, ex D. Thomâ, 2-2, q. 2, art. 5. Atqui restitutio est actus principalis specialis virtutis necessariæ ad salutem, nempe justitiæ commutativæ. Ergo cadit sub speciali præcepto, quo tenemur domino reddere suam rem injustè ablatam vel detentam ac istum bonum justitiæ commutativæ exercere : et ex hâc parte, et ex suâ formâ est affirmativum, ac violatur per omissionem actûs reddendi nec proinde obligat semper et pro semper, sed tantùm pro illo tempore quo res aliena reddi potest et debet. Involvit tamen negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius injustè detinere. Et ex hâc parte obligat pro omni tempore, ut nunquàm homo aliena injustè detineat : ita ut quicumque scit se ea habere domino rationabiliter invito, teneatur vel ea actu restituere si fuerit opportunitas ; aut saltem proponat se ea redditurum quamprimùm nactus fuerit opportunitatem moralem. Non enim tenetur statim surgere è lecto aut è mensâ, etc., et ire ad restituendum : sed datâ commoditate, tenetur sub mortali aliena restituere. Quare reducitur ad præceptum negativum : *Non furtum facies*, quia ut ait D. Thomas, 2-2, quæst. 66, art. 3, ad 2, detinere id quod alteri debetur, eamdem habet rationem nocumenti, cum acceptione injustâ : quia tamen peccata propriè distinguuntur pro diversitate virtutum quibus opponuntur, aut pro diversitate modi valdè diversi, quo repugnant eidem virtuti, non verò pro diversitate præcepti affirmativi aut negativi cui adversantur, ideò qui non restituit quando potest et debet, non propterea committit duo peccata, unum scilicet contra præceptum affirmativum restituendi, et aliud contra negativum non retinendi alienum ; quia hæc uni et eidem justitiæ commutativæ eodem modo adversantur : unde præcisè ex hoc capite adhuc non intervenit, nisi unicum peccatum.

ARTICULUS PRIMUS.

De radicibus et causis unde oriatur restitutionis obligatio.

Divus Thomas, 2-2, qu. 62, art. 6, duas radices assignat, ex quibus generatim omnis obligatio restituendi promanat, nempe *ratione rei acceptæ, aut ratione injustæ acceptionis.* Sic quicumque apud se habet rem alterius, quam tamen ab eo non accepit, nec de illius consensu retinet, sed ab alio emit quem furatum esse ignorabat, tenetur solùm restituere ratione rei acceptæ, utpote quæ est aliena, et semper clamat pro domino suo. Qui verò rem alterius furto subripuit, eam tamen apud se ampliùs non habet, adhuc tamen eam restituere tenetur, ratione solius acceptionis. Qui tandem rem alienam, v. g., equum furatus est, eumque apud se habet, restituere tenetur ratione utriusque

simul, nempe tam ex re acceptâ, quàm ex injustâ acceptione. Ratio horum omnium est, quia in his omnibus violatur æqualitas, quam justitia commutativa exigit.

Qui enim rem alterius habet, plùs quàm suum habet, et alius tantumdem minùs de suo : sicque violatur debita æqualitas, ad quam reponendam, necessariò restituenda est res accepta. Porrò nomine rei acceptæ, rectè monet Cajetanus non solùm intelligi rem ipsam alienam in se, et in suâ substantiâ, sed etiam omne illud quod ejus loco extat, nempe ejus valorem et pretium, si vendita fuerit, ejus fructus, si quos naturaliter protulerit et sit de se frugifera : item effectus, puta si conduxerit ad conservandas res alterius, quæ aliàs erant consumendæ, etc., ita ut sit restituenda in specie et individuo si extet, quia sémper clamat pro domino suo : vel in suis fructibus et effectibus naturalibus, si non extet : fructus verò industriales, sicut non computantur in re, neque sunt illius partus, ita nec sunt obnoxii restitutioni. Est tamen hæc differentia in hoc, quòd si tota res extet, possessor simpliciter seu ad eamdem totam domino reddendam obligatur : si verò bonâ fide consumpta fuerit, possessor obligatur ad reddendum id quod ejus loco restat solummodò in casu et in eo in quo inde factus est ditior, eò quòd tunc solùm in hoc lucro censeatur plus habere et dominus minùs quàm sit illis debitum, quæ proinde inæqualitas per restitutionem est reparanda. Et ista prima regula ex re acceptâ deducta, diligenter est annotanda : valet enim ad infinitos casus in hâc materiâ occurrentes, facilè resolvendos.

Item dominium rei alienæ in alium transferri non potest nisi voluntate domini, vel auctoritate legis, ut ostensum est supra. Sed quando quis habet rem alienam, aut eam accepit, sive justè, sive injustè, neque lex neque voluntas domini transfert dominium illius in ipsum, ut suppono; ergo habet aliquid plùs, alter verò minùs quàm habere debeant. Nomine autem *acceptionis* hìc intelligitur quæcumque acceptio non gratuita, sive ea sit justa et de voluntate domini ab initio rem suam alteri dantis non gratuitò, sed pro compensatione ex pacto faciendâ tempore statuto, ut contingit in mutuo, deposito, conductione, etc.; sive sit injusta, puta cùm domino rationabiliter invito accipitur, ut per furtum, rapinam, usuram, et per omnem actionem per quam injustè damnum proximo infertur; sive res maneat, apud accipientem, sive non maneat, nec in ipsum transeat, ut dùm quis domum vel segetem alterius comburit, vel proximum in bonis corporis, animæ, honoris et famæ lædit. Quia per omnem damnificationem injustam, ille qui læsus est, minùs habet quàm habere debeat : læsor enim videtur ipsi auferre id in quo eum damnificat, damnumque dicitur ex eo quòd aliquis minùs habet quàm habere debet, juxta Philosophum 5 Ethic., c. 4, et probat D. Thomas in hâc q. 62, art. 4.

Ille qui tenetur restituere ratione acceptionis, semper restitutioni manet obnoxius, etiamsi res apud ipsum non maneat, etiamsi acceptio fuerit justa, dummodò sit in utilitatem ipsius accipientis. Sic qui pecuniam mutuo accepit, eam summam restituere tenetur mutuanti, quantùmvis absque suâ culpâ eam amiserit, aut casu fortuito perierit; quia non solùm ratione rei acceptæ, sed adhuc ratione acceptionis restituere tenetur, ac benefactorem ex justitiâ indemnem servare obligatur. Et à fortiori ad id tenetur, si acceptio injusta fuerit; nam quicumque alteri injuriam intulit, obligatur ex justitiâ ad eam resarciendam, etiamsi inde nihil lucri habuerit, cùm in re illâ damnum ipsi dederit, proindeque minùs habeat, quàm habere debet, ut probat D. Thomas, art. 6, ad 1. Ille verò qui solùm ratione rei acceptæ restituere tenetur, ad id tantùm obligatur quando rem illam habet, vel aliquid loco ipsius, in quo factus sit ditior, eò quòd tunc plùs habeat, alter verò minùs quàm habere debeat. Ad nihil autem tenetur, si eam non habeat nec aliquid ex eâ unde factus sit locupletior : cùm enim solùm teneretur ratione rei acceptæ, cessante eâ causâ, cessat effectus, nempe obligatio restituendi, nisi suâ culpâ rem illam amiserit. Item nisi antequàm res periret, eam vel alienaverit, vel consumpserit sciens esse alienam, quia ex jure naturali, qui causam damni culpabiliter dedit, damnum dedisse videtur : unde tunc ad restitutionem obligatur. Sic qui accipit rem alienam custodiendam de consensu domini, ac in ejus utilitatem et non in propriam, ut in deposito gratuito, non tenetur ratione acceptionis, sed rei acceptæ : ideòque si absque ejus culpâ pereat, non obligatur ad restituendum, benè tamen si suâ notabili culpâ illam amiserit. Et hæc secunda regula *ex acceptione* desumpta rectè est perpendenda ad casus particulares resolvendos.

Quoties igitur acciderit dubium an quis teneatur ad restitutionem faciendam, considerandum est an habeat rem alienam : quomodocumque enim ad illius manus pervenerit, contrahit obligationem eam domino restituendi. Item considerandum est an rem alterius acceperit, sive justâ sive injustâ acceptione, non gratuitâ. Tunc enim eam domino reddere tenetur, ac damnum injustè illatum reparare. Tandem considerandum est an rem quam injustè accepit, apud se habeat, vel ejus pretium. Tunc enim obligatur ad restituendum ex parte utriusque, scilicet injustæ actionis et rei acceptæ, et quia ex simplicibus consurgunt composita, facillimum erit nôsse hunc tertium obligationis modum, applicando duas dictas regulas circa utramque restitutionis radicem assignatas. Quotiescumque autem facienda est restitutio, si fieri nequeat in eâdem re, numero vel specie, debet fieri in valore æquivalenti. Nam per se loquendo idem numero reddi debet, si commodè fieri possit, quia, ut ait D. Thomas hìc, art. 1, ad 2, nomen restitutionis in quantum importat iterationem, supponit rei identitatem : per accidens tamen aliquando sufficit, ut reddatur aliquid ipsi æquivalens damno illato, ut sic dominus servetur indemnis, et reponatur debita æqualitas.

Articulus II.

De possessore bonæ fidei.

Possessor bonæ fidei est qui habet rem alienam

sincerè credens esse suam, aliàs nollet eam retinere. Et iste non peccat quidem excusante legitimè hâc ignorantiâ, quamdiù durat : imò si stante illâ bonâ fide rem consumpsit, et in nullo factus sit ditior, ad nihil quoque restituendum tenebitur, etiam quando postea sciet fuisse alienam, quia solummodò ratione rei acceptæ ad restituendum tenebatur. Si verò antequàm eam consumat, deprehendat esse alienam, tenetur eam restituere : aut si in aliquo factus sit locupletior ex eâ post illius consumptionem bonâ fide factam, ad id restituendum obligatur; aliàs jam incipit esse possessor malæ fidei, et obligatur ad restituendum etiam ratione injustæ detentionis, quæ æquivalet injustæ acceptioni.

Porrò ille dicitur locupletior factus, non solùm qui habet aliquid quod antea non habebat, ut si quis rem alienam sibi dono datam, bonâ fide accepit et vendidit, credens non esse alienam, consetur locupletior factus in illo pretio, quod proinde domino restituere debet; sed etiam qui sumptibus faciendis pepercit, ut si quis bonâ fide invitatus ad cœnam, de vitulo aut pullis furto sublatis comedit, indeque pepercit sumptui quem in domo suâ cœnando fecisset; in illâ summâ quam apud se fecisset, evasit ditior, et eam tantùm domino hujusmodi ciborum alienorum restituere tenetur : ad nihil verò reddendum obligatur, si adhuc consuetos propriæ cœnæ sumptus in domo suâ fecit, quia in nullo inde locupletior est effectus. Et idem dicendum de aliis rebus alienis bonâ fide consumptis.

Possessor bonæ fidei licitè in conscientiâ detrahere potest omnes expensas, quas fecit in ipsâ re eam conservando vel meliorando durante bonâ fide, si detrahi possint ex fructibus naturalibus, quos unâ cum re domino reddere debet. Si autem illa expensarum detractio nequeat à re separari, seu absque illius detrimento fieri, tenetur dominus ipsum compensare, ac indemnem servare alio modo quo voluerit. Hæc omnia patent ex jam dictis, indeque resolvi possunt innumeri casus particulares.

Quæres primò, an qui bonâ fide rem usu consumptibilem dono accepit à latrone ad restituendum non impotente, adhuc teneantur eam cum fructibus restituere vero domino. — Resp. affirmativè, si latro satisfacere noluerit. Quia si latro esset impotens, iste possessor bonæ fidei teneretur ratione rei acceptæ. Atqui etiam si sit potens, noluerit tamen satisfacere, iste possessor adhuc tenetur ratione rei acceptæ, utpote alienæ quæ, quamdiù extat et ab aliis bonis furis discerni potest, tamdiù clamat pro domino suo apud quemcumque transeat. Ergo, etc. Confirmatur et explicatur. Si res aliena fuerit ita permixta cum aliis rebus furis ut discerni nequeat, fur tunc habet quidem jus in illum cumulum, potestque de eo aliquid donare, si inde non fiat impotens faciendi restitutionem ad quam habet obligationem personalem; et alter potest recipere, si ei certò constet latronem non rem furtivam, sed propriam dare velle. Si tamen ipsi constet latronem non nisi alienum dare voluisse, ita ut nihil ipsi de suo contulisset, si nihil furatus esset, tunc nisi fur aliunde satisfaciat, et dominus illo contentus sit, accipiens restituere tenetur in conscientiâ, et rem domino reddere.

Quæres secundò, an qui rem furtivam bonâ fide à latrone emptam, postea cum eâdem bonâ fide vendidit alteri, quandò deinde cognoscit fuisse alienam, teneatur rescindere contractum et rem domino, pretium verò emptori in conscientiâ restituere. Multi probabiliter negant. Quia iste nec habet rem alienam, nec in eâ factus est ditior, cùm non majori pretio, sed eodem aut minori vendiderit quo ipse emerat à latrone, ut supponitur. Si enim majori vendidisset, in eo excessu factus esset ditior, sicut si rem alienam à latrone dono datam, pretio alienâsset, in toto illo pretio esset ditior, et restituere teneretur. Respondeo tamen probabilius et tutius esse, quòd si dominus, v. g., equum suum furto ablatum, sit aliquando recuperaturus et petiturus ab isto secundo emptore, venditor tenetur in conscientiâ restituere ipsi pretium : secùs dicendum si nullum inde damnum huic secundo emptori immineat. Ratio est, quia jure naturæ venditor tenetur emptorem servare indemnem. Si autem in nostro casu cederet illi præcisè actionem de evictione adversùs latronem, non servaret illum indemnem : fortè enim latro non comparebit, aut erit impotens reddendi pretium, aut nonnisi cum litibus et expensis extorqueri ab eo poterit. Ergo tenetur contractum rescindere et pretium emptori restituere, salvo postea suo recursu ad latronem : tum etiam quia venditor non potuit transferre in emptorem rei furtivæ dominium, proindeque nec emptor in venditorem transtulit pretii dominium, cùm iste contractus nullus extiterit; tum quia venditor pretium accepit pro re quæ sua non est. Ergo neque pretium debet esse suum. A fortiori tenebitur iste venditor rescindere contractum, si emptor id exigat, nolitque acceptare actionem de evictione, et recursum ad latronem, cum quo nullatenùs contraxit.

Hæ rationes etiam absolutè probare videntur emptorem bonæ fidei, si rem illam furtivam bonâ fide vendat, quamprimùm sciet fuisse furtivam, teneri rescindere venditionis contractum, ut rem illam domino restituat, aut pretium rei; et hoc sive postea à latrone possit recuperare pretium suum, sive non. Ratio est, quia apud ipsum manet pretium rei furtivæ, quod est idem moraliter cum ipsâ re; sicque ratione rei acceptæ, nempe ratione pretii quod loco ejus extat, et in quo censetur ditior factus, tenetur ad restitutionem illius. Si enim vellem retinere pecuniam alterius, eò quòd latro totidem à me accepit, facerem injustam compensationem, neque à lege neque à voluntate domini, ejus dominium acquirerem, sicque haberem aliquid quod meum non esset, et plùs quàm habere debeam, in quo proinde ditior effectus essem. Idem autem contingit in isto venditore, cujus pretium est amissum apud latronem, à quo solo potest illud recuperare, et non ab alio, vendendo eidem alienum, ut se indemnem servet : iste enim emptor tunc jure potest contractum rescindere reddendo rem venditori, et repetendo pretium illi da-

tum. Nunc quæro an venditor iste habens rem alienam, v. g., equum, sciens esse furtivum, non tenebitur. Ergo etiam antea tenebatur pretium domino restituere, si non poterat equum suum illi reddere, cùm illud pretium sit fructus equi, nec minùs censeatur alienum et ipsi indebitum, quàm ipse equus. Et per hoc patet solutio argumenti pro primâ sententiâ allati.

Quæres tertiò, an Petrus, v. g., qui bonâ fide enim equum furtivum, postquàm hoc scit, possit cum fure, à quo emit, rescindere contractum, recuperando suum pretium, et reddendo illi equum, etiamsi sciat eum nunquàm dominum habiturum; an verò in hoc casu domino equum restituere tenetur etiam cum periculo amissionis pretii, quod latro nunquàm restituet. Quidam volunt Petrum in isto casu teneri equum domino reddere, etiam cum jacturâ pretii. Tum quia est verè res aliena pro domino clamans ubicumque reperiatur. Illi ergo immediatè reddenda est, non latroni, cui nihil deest, nec habet minùs quàm habere debet. Neque licitum est propriæ indemnitati consulere cum injuriâ et damno alterius innocentis, reponendo rem ejus ad eum statum in quo ampliùs illam habere nequeat, ejusque jacturam patiatur rationabiliter invitus. Ergo tunc iste emptor non potest equum à bono et commodo statu in quo nunc est apud ipsum existens, reducere ad infaustum et pessimum statum in quo erat antea apud latronem : transiret enim in crimen alienum, et videretur cooperari cum latrone ad injustam rei detentionem. Unde si dominus equi conveniret hunc emptorem coram judice, judex eum compelleret equum domino absque pretio restituere, ex quâdam naturali æquitate. Alii verò asserunt Petrum ad id minimè teneri : sed posse tutâ conscientiâ rescindere contractum cum latrone reddendo illi equum, ut pretium ab ipso recuperet, si aliàs illud foret amissurus. Ratio est quia cùm iste contractus fuerit involuntarius, aut non omninò voluntarius, eò quòd ignorantia rei furtivæ dederit causam contractui, est nullus, aut rescindibilis ab emptore qui læsus ac deceptus fuit. Sicut enim latro non potuit in Petrum emptorem dominium equi transferre, ita nec Petrus dominium pretii in latronem, sed tantùm in verum dominum equi transferre voluit ac intendit, sicque illud nondùm à se abdicâsse censetur. Confirmatur, quia nemo in pari causâ et innocentiâ, tenetur sibi nocere ut alteri prosit. Sed iste emptor est in pari casu et innocentiâ cum domino ; nam absque suâ culpâ amitteret pretium, sicut dominus perdidit equum ; sicque jam habet legitimam causam reddendi cum latroni. Nec censetur ejus acceptioni et detentioni injustæ cooperari : nemo enim cum proprio majori aut æquali detrimento, tenetur rem alienam conservare ; ejusque iniquam detentionem vitare, nisi fortè aliàs sit obligatus ex officio aut stipendio ; sed potest se indemnem servare, permissivè se habendo ad illam furis detentionem, quæ respectu illius emptoris tunc merè per accidens se habet, solùmque ex malitiâ latronis provenit. Neque domino facit injuriam, sed tantùm reparat injustitiam sibi factam, et quasi se defendit à latrone, remittendo illi rem furtivam et deducendo eam in pristinum statum in quo erat antea. Unde dominus non potest ægrè ferre, quòd sibi consulat : neque conqueri quòd non reponat suum equum in meliori statu, quia ad id non tenetur cum proprio incommodo. Sicque utitur jure suo reddendo illum latroni, et licitè eligit medium ordinatum ad se indemnem servandum, et ad restituendum equum domino per latronem, qui est principaliter obligatus ; sufficitque in nostro casu ut sic mediatè restitutionem equi faciat meliori modo quo potest, reducendo equum ad statum in quo erat antequàm illum haberet, et in quo dominus possit ipsum recuperare, nisi per malitiam latronis stet, quem tamen monet, rogat, et hortatur ut restituat.

Fateor equidem quòd dominus potest per judicem hunc emptorem cogere ad ei reddendum equum : imò ipsemet illum sibi capere, si absque vi et scandalo præstare valeat : cùm enim tunc utatur jure suo, nulli facit injuriam. Verùm hoc non probat quòd iste empter de se tencatur equum reducere positivè ad meliorem statum, reddendo illum domino cum tanto suo incommodo : et quòd si antequàm dominus illum petat ac requirat, non possit illo brevi tempore latroni reddere ad recuperandum suum pretium, dùm non suppetit alia via ad se indemnem servandum : id enim satis convincitur rationibus jam adductis. Unde hæc secunda sententia potest admitti ut tuta etiam in praxi.

Dices : Postquàm iste bonæ fidei emptor scit equum esse alienum, nec potest rescindi contractus cum latrone qui non comparet, aut conveniri nequit, tunc ad se indemnem servandum et recuperandum suum pretium, non potest equum alteri vendere, sed domino restituere tenetur etiam cum amissione pretii. Ergo idem faciendum, quando latro conveniri potest, ac contractus cum eodem rescindi. Probatur conseq., quia quòd latro compareat, aut conveniri nequeat, non tollit jus à domino, et ad illud merè per accidens se habet. Ergo, etc. Resp. concesso antecedente, negando conseq. et paritatem, quia tunc iste vendens reduceret equum non in priorem, sed in deteriorem statum. Item quia cùm ipse non possit jam recuperare pretium suum quod erat causa et finis honestans et excusans rescissionem contractûs, tenebitur ratione rei alienæ equum domino restituere : non enim habet jus repetendi pretium suum nisi ab eo cui dedit, nempe à latrone rescindendo contractum, cum illo. Denique tunc nullus alius ipsi restat modus restituendi, quàm equum domino reddere cum propriæ pecuniæ dispendio, quod suo infortunio adscribere debet : non enim justè potest pretium equi datum à domino exigere ut patet. Ergo, etc. Ad probationem conseq. resp. quòd absentia vel præsentia latronis non tollit secundùm se jus veri domini, sed facit possibilem rescissionem contractûs et recuperationem pretii, quibus honestatur ista actio. Quòd autem res clamat pro domino suo, probat solùm eidem esse reddendam à latrone quidem immediatè, à Petro verò mediatè. Circa hæc autem videnda sunt quæ habentur in tractatu de Justitiâ, ubi disputatur de restitutione in communi.

ARTICULUS III.

De possessore dubiæ fidei.

Hùcusque locuti sumus de bonæ fidei possessore, qui scilicet habet rem alienam, id inculpabiliter ignorans bonâque fide credens esse suam; qui proinde solùm ex parte rei acceptæ ad restituendum obligatur. Porrò hæc ignorantia non debet esse juris, puta si quis probabiliter sciat rem esse quidem alienam, sed tamen putat non esse restituendam; sed debet esse facti, non crassa et affectata, puta quando cogitare debebat rem esse alienam, quia communiter ab omnibus vel ab aliquibus prudentibus reputabatur furtiva. Tunc enim censetur negligentia lata, quæ dolo æquiparatur. Unde sicut non excusat à peccato, ita nec ab obligatione restituendi. Debet igitur talis ignorantia esse valdè probabilis et invincibilis. Nunc agendum de possessore dubiæ fidei. Possessor dubiæ fidei est ille qui dubitat rem quam accipit aut habet esse alienam, sive hoc dubium habeat in initio contractûs, dùm rem illam emit, sive postea dùm jam possidet, superveniat. Non loquimur autem hîc de dubio solùm speculativo, quod solet practicè vinci, aut de levi et scrupuloso, seu ex conscientiâ scrupulosâ orto, aut ex levibus et incertis, aut indifferentibus, sed de dubio probabili et cum fundamento, desumpto ex probabilibus signis generantibus probabilem suspicionem, et præsumptionem, quibus communiter sapientes judicant rem esse alienam. Et quærimus an qui cum tali dubio rem emit, peccet mortaliter, et ad ejus restitutionem obligetur, et an idem sit faciendum quandò postquàm bonâ fide illam emit, supervenit tale dubium.

Incipiendo à primo, certum est quòd si rem illam emat ad consulendum utilitati veri domini, nempè animo illam conservandi et reddendi domino, qui aliàs forsan nunquàm eam recuperaturus esset, non peccat. Tenetur tamen postea diligentem pro rei et dubii qualitate, adhibere inquisitionem ad inveniendum verum dominum; quo invento, eidem restituere debet, ac ab ipso potest repetere pretium quod pro eâ rededit; non enim tenetur quispiam alterius commodum procurare, aut damnum vitare cum proprio detrimento. Imò dominus ad hoc in conscientiâ tenetur, cùm iste negotium illius utiliter gesserit. Interim dùm non constat de domino, potest iste rem sibi retinere: nec dominus in hâc emptione et retentione potest esse rationabiliter invitus, cùm id totum pro ejus utilitate sit factum. Ergo iste non peccat, ut declaratur caus. 14, q. 5, cap. *Rapinam*. Si cominùs post factam sufficientem diligentiam non inveniatur, potest illam vendere: tenetur tamen emptorem de hoc admonere; aliàs censeretur fraude emptorem decepisse, et teneretur ad damna reparanda, si quæ inde incurrat. Si verò cum illo probabili dubio, eam rem emat ad eam sibi retinendam, et in proprium commodum, non præmissâ sufficienti diligentiâ ad vincendum tale dubium, et absque debitâ veritatis inquisitione, tunc mortaliter peccat et ad illius restitutionem obligatur. Ratio est quia se committit probabili periculo peccati mortalis, nempe contrectandi rem alienam invito domino, et censetur malæ fidei possessor: unde nequit eam alteri vendere, aut rescindere contractum cum latrone, sed semper tenetur illam domino restituere. Cùm enim malâ fide incœperit possidere, non censetur melior conditio hujus possidentis. Adde quòd nondùm est possessor.

Vide quantùm noceat non adhibere sufficientem diligentiam ad inquirendum et sciendum an res emenda aut accipienda sit furtiva, eamque cum tali dubio incipere possidere; iste siquidem comperto domino tenetur non solùm rem ipsam, sed et fructus illius restituere, quos consumpsit ex eo tempore quo dubium habuit. Qui verò præmissâ diligenti inquisitione bonâ fide rem emit, justè illam retinet aut consumit. Quòd si verus dominus postea compareat, solùm tenetur rem ipsi restituere, si extet; aut id in quo factus est ditior, si jam fuerit consumpta. Idque benè notare debent emptores vestium, aurifices, et alii qui facilè agnoscere, aut rationabiliter dubitare possunt, res quæ ipsis offeruntur furtivas esse, et tamen parvitate pretii ac spe lucri illecti, eas emere in proprium commodum non verentur. Idem quoque diligenter considerare debent ipsorum confessarii. Vide Bannem, 2-2, q. 62, art., 6, dub. 5.

Quoad secundum dubium, dico, quòd qui à principio bonâ fide rem furtivam occupavit, et postea rationabiliter dubitat an sit furtiva, tenetur diligentem inquisitionem facere ad veritatem cognoscendam; aliàs se exponit periculo retinendi rem alienam invito domino. Quòd si noverit esse alienam, restituere tenetur: si verò solùm remaneat adhuc dubius, potest illam retinere, eâque uti, quia in dubiis melior est conditio possidentis bonâ fide. Et iste debet ac potest tutò practicè deponere dubitationem hanc speculativam, quia possessio ipsi favet vincitque jus dubium alterius.

An autem possit eâ uti quando fit inquisitio? Distinguunt auctores, dicentes non posse illâ uti, si sit usu consumptibilis, ut vinum, triticum, etc.; secùs si non consumatur nec deterioretur ipso usu, dummodò habeat intentionem solvendi pretium usûs, v. g., equi, si domino sit reddendus, detractis sumptibus et expensis. Ratio est, quia in isto casu dominus non censetur rationabiliter invitus; benè tamen in primo casu. An verò iste post diligentem inquisitionem solùm dubitans an res sit aliena, possit eam vendere sine peccato, auctores communiter affirmant, quia jam bonâ fide possidet. Tenetur tamen istud dubium emptori manifestare, utpote rei defectum et vitium ex quo potest eidem provenire damnum: aliàs ipsum defraudaret. Fortè enim nollet rem cum illo vitio emere, aut minus pretium dare vellet. Hâc lege servatâ, poterit rem alteri vendere; animo tamen paratus esse debet pretium domino rei restituere si compareat; sicut enim teneretur tunc illi rem, si extaret, reddere, ita et pretium quod loco illius remanet et succedit.

ARTICULUS IV.

De possessore malæ fidei.

Possessor malæ fidei ille est qui rem injustè acqui-

sitam scienter malâ intentione, ac in proprium commodum occupat, sive eam accipiat per donationem sive per emptionem et contractum. Et iste tenetur illam restituere semper vero domino si extet; nec potest eam reddere latroni à quo accepit, si non sit certus quòd restituet, quia illa nova traditio tunc est quasi ablatio rei alienæ invito domino, et consensus cum ipso latrone, qui iterùm rem alienam accipit invito domino. Nec refert quòd amittat suum pretium : suâ enim culpâ illud detrimentum patietur, sibique imputare debet, quod rem furtivam scienter emerit.

Si verò non extet, puta quia periit etiam casu fortuito, aut eam consumpsit, etiamsi inde ditior non evaserit, aut eam alienavit donatione vel contractu, adhuc tenetur ejus valorem domino restituere; imò et fructus illius naturales non solùm quos percepit, sed illos etiam quos dominus ex eâ percepisset, si iniquè ablata aut detenta non fuisset, denique et lucrum cessans ac damnum emergens. Ratio est, quia iste furi æquiparatur, et est particeps iniquæ acceptionis ac detentionis rei alienæ; nec minùs damnificat dominum, neque minùs est in morâ culpabili, non reddendo eam, quàm primus latro illam subripiendo. Ergo æquè ac fur ad ista damna domino reparanda obligatur ratione rei acceptæ et ratione iniquæ acceptionis ac detentionis, utpote illorum causa injusta et efficax. Imò possessor iste malæ fidei non potest licitè detrahere expensas, nisi necessarias quas fecit in fructibus acquirendis, congregandis, et conservandis, et quas dominus indispensabiliter facturus erat : puta quia si factæ non fuissent, res periisset, aut deterior evasisset. Ratio est quia nemo debet ditari cum injuriâ alterius; dominus autem in nostro casu locupletaretur, si res ei redderetur longè meliorata, non solvendo labores et expensas necessarias melioranti, quidquid sit de foro externo, quod sæpe culpam furis et morosi detentoris hâc privatione compensationis expensarum punit. At forum internum respicit æqualitatem, nempe ut unusquisque suum aut sibi debitum habeat : expensas tamen voluntarias, voluptarias, aut etiam utiles, quæ rem tantùm ornant et fructus non augent, dominus solvere non tenetur, quia cùm sint superfluæ, eas non fecisset, nec forsan facere voluisset; solùmque petit rem suam recuperare in eo statu in quo fuisset, si eam in suâ manu habuisset.

Hinc colligi potest resolutio difficultatis quàm fusè et ambiguè hîc tractant auctores, nempe an fur aut possessor malæ fidei debeat restituere rem, aut ejus valorem, juxta statum quem habebat, quando illam accepit, aut quem habet dùm facit restitutionem, aut juxta optimum statum quem habuit in aliquâ temporis parte suæ detentionis.

Statuendum enim est istud principium, nempe quòd restitutio in conscientiâ facienda est ad reponendam æqualitatem debitam secundùm justitiam commutativam. Hæc autem æqualitas in eo posita est ut tantùm domino restituatur, quantum habiturus fuisset, si illâ re non fuisset injustè privatus. Unde considerandum est ad quantum valorem ea res in manu domini pervenisset : an statim illam erat venditurus, consumpturus, aut alienaturus, vel in posterum servaturus ut cariùs venderet. Item an eodem modo in manu domini periisset aut deteriorata fuisset, quo periit et deteriorata fuit in manu latronis, aut non. Item an sit res usu consumptibilis, et ita permixta cum bonis latronis ut discerni nequeat, aut non. Ex quibus aliisque variis circumstantiis, res moraliter et quoad valorem immutatur : proindeque in proposito variis modis facienda est restitutio, prudentum judicio attendendis, et pensatis omnibus circumstantiis debita æqualitas introducenda, nec potest uniformis et generalis alia regula assignari in hâc materiâ. Vide plura tract. de Just. disp. de rest. Vide insuper Sylvestrum, v. *Restitutio*, 3, q. 7.

Ubi dicit quòd qui emit rem quam sciebat vel probabiliter credebat esse furtivam, sive sit primus emptor, sive secundus, sive tertius, sive alius in infinitum, dictis obligationibus gravatur, quoniam idem jus est ac si primus esset, ff. de min. l. *Sed ubi*, ff. de pet. hæred. l. *Sed si lege*. Nec liberatur à restitutione per statutum disponens quòd ea res sit ementis publicè in mercatu, nec per amissionem rei qualitercumque accidat : semper enim censetur esse in morâ sicut fur; ff. de condon. fur. l. *Si pro fure*, nisi rem pro loco et tempore domino obtulerit, et ille recipere recusaverit quia tunc censetur moram purgâsse, ff. de furt. l. *In re furtivâ*. Unde si periret aut deterioraretur sine suâ culpâ, non teneretur. Item nequit à domino petere pretium quod furi dedit : Cod. de furt. l. *In civilem*. Et si foret aliquod statutum, quod petere posset, non valeret, utpote contra bonos mores. Hæc Sylvester. Nec etiam potest pretium recuperare à latrone cui dedit, reddendo illi rem et rescindendo contractum, nedùm quando scit, sed etiam quando probabiliter timet aut dubitat, sicut communiter et ordinariè timendum ac dubitandum est, eum domino non redditurum nec satisfacturum; quia per iniquam rei detentionem, non furem, sed dominum damnificat, et impedit ne re suâ utatur. Adde rationabilius longè esse ac justius quòd dominus qui re suâ injustè spoliatus fuit eam recuperet, quàm quòd iste injustus detentor pretium iniquè et scienter pro re furtivâ datum, recuperet. Aut saltem id curare debet sine veri domini præjudicio, nempe vel conveniendo furem coram judice, aut alio modo contra ipsum agendo. Quousque igitur dominus rem suam habuerit, iste possessor malæ fidei, non erit à restitutione immunis, cùm obligetur ratione rei acceptæ et ratione iniquæ acceptionis; ob eam siquidem emptionem, tenetur ad restituendum in solidum, perinde ac si primus eam furto accepisset, adhucque magis ad id obligatur ratione injustæ detentionis.

Articulus V.

Ex quâ culpâ aliquis teneatur ad restituendum alienum ratione acceptionis justæ, si perire contingat.

Res per justum contractum accepta perire potest, vel absque ullâ prorsùs culpâ, soloque casu fortuito,

ut si igne comburatur, aut maris inundatione absorbeatur, etc.; vel ex culpâ accipientis, quam in præsenti distinguunt auctores in *theologicam*, quia consideratur à theologis, et est propriè peccatum mortale, aut veniale; et in *juridicam*, quæ à juristis consideratur, nec propriè, saltem semper, est peccatum, licèt ex interpretatione et præsumptione juris interdùm pro peccato reputetur, sed est propriè quædam negligentia, incogitantia, seu omissio diligentiæ ex quâ sequitur aliquod incommodum proximo.

Hæc autem culpa dividitur in *latam*, *levem* et *levissimam*: *lata* est omissio circumspectionis et diligentiæ, quam communiter homines ejusdem professionis in tali re adhibere solent; ut si quis librum commodatum, in limine domûs aut in plateâ reliquerit, ubi à transeuntibus statim furto ablatus fuit. Porrò culpa latissima est dolus apertus: latior verò dolus præsumptus. *Levis* est quâ quis deviat ab eâ diligentiâ quam homines circumspecti et diligentiores in similibus rebus adhibent: ut si quis librum commodatum habuit in camerâ, sed reliquit ostium apertum, et ab ingredientibus ablatus fuit. *Levissima* est, quâ quis deviat ab eâ diligentiâ quam homines circumspectissimi adhibent; ut si quis librum commodatum intra cameram reliquit, ostium clausit, putavitque benè obseratum, sed manu non probavit an hoc esset, prout diligentissimi faciunt; verùm cùm non esset benè obseratum, liber ereptus est.

Præsens difficultas non procedit de contractibus dominium transferentibus, ut contingit in mutuo; cùm enim res pereat domino suo, sequitur quòd si pecunia mutuata pereat quomodocumque, etiam casu fortuito, pereat mutuatario, qui illius factus est dominus. Unde solùm movetur quæstio de aliis contractibus, quibus dominium rei non transfertur in accipientem. Suntque triplicis generis. Quidam enim plerùmque fiunt in solius dantis utilitatem, ut depositum; quidam in solius accipientis utilitatem, ut commodatum; quidam tandem in commodum tam dantis quàm accipientis, ut locatio et conductio. His prænotatis,

Dicendum primò quòd in contractibus dominium non transferentibus nulla est obligatio restituendi rem acceptam, si pereat casu fortuito, dummodò accipiens non sit in morâ reddendi, et eodem modo esset peritura apud dominum, si illam habuisset, prout justè habere debebat. Ratio est quia casus fortuitus, cùm sit eventus inopinatus quem humana providentia prævidere vel impedire non potuit, evenit absque ullâ culpâ accipientis, sicque non illi, sed domino tunc res perit. Adde quòd nec ratione rei acceptæ, neque ratione acceptionis tenetur ad restituendum, nisi in his tribus casibus exceptis: 1° Si culpa præcesserit casum; ut si equus commodatus aut locatus ad iter faciendum Lugdunum, ducatur Tolosam, eoque in itinere rapiatur à latronibus vel alio casu fortuito pereat. 2° Si intercedat culpabilis mora, et interim res deterior fiat, aut pereat apud commodatarium et conductorem. 3° Si ex pacto expressè se obligaverit ad casum fortuitum: qui tamen non videtur comprehendi, si conductor solùm generatim se obliget ad omnem casum. Cùm enim casus fortuitus extraordinariè contingat, non censetur his verbis generalibus contineri. Extra. de commodato, cap. *Cùm gratiâ*. Dicendum secundò esse obligationem restituendi damnum in rebus alterius, quando oritur ex dolo, et latâ culpâ. Id enim omnia jura clamant; imò nequit fieri pactum quo quis non teneatur de dolo et latâ culpâ cùm id sit contra bonos mores, præbeatque occasionem peccandi. Ita communiter doctores. Dicendum tertiò in contractibus qui sunt in utilitatem solius accipientis, teneri etiam de culpâ levissimâ: æquitas enim non patitur ut qui sine ullo suo commodo, rem suam commodat, usuique alteri tribuit, damnum sentiat ex ejus culpâ etiam levissimâ: Ex cap. *Cùm gratiâ* de commod. et ex ff. de commod. l. *In rebus* et l. *Si ut certo*. Unde tenetur rem illam eâ sollicitudine custodire quâ quisque diligentissimus eam servaret: ad precarium tamen, leges solùm dolum et latam culpam excludunt, l. *Quæsitum*, tit. de Precar., quia cùm sit ad arbitrarium tempus commodatum, potest à dante revocari, quoties voluerit, ideòque damnum impediri.

In contractibus verò qui sunt in solius dantis utilitatem, ut in deposito gratuito, accipiens non tenetur nisi de culpâ latâ, sive gravi aut dolo. Ex l. *Si ut certo*, ff. de commod., ff. depositi l. 1, quia cùm accipiens nullum emolumentum inde percipiat, satis est quòd in re alienâ custodiendâ eam diligentiam adhibeat, quâ quisque passim res proprias similes conservare solet: aliàs si teneretur etiam de levi culpâ, nullus vellet depositum recipere, sicque periret contractus adeò reipub. necessarius. Tandem in contractibus qui in utriusque utilitatem redundant, ut in locatione et conductione, accipiens tenetur de culpâ levi, non de levissimâ. Quia cùm hi contractus medium teneant, in eis non debent accipientes teneri de levissimâ, sicut in contractibus qui fiunt in ipsorum utilitatem duntaxat. Nec solùm de latâ sicut in aliis qui fiunt in solam utilitatem dantis, sed debent medio modo se habere, nempe teneri de levi; prout Gregorius Papa IX definivit, cap. *Bona fides*, de deposito, quod fit pro pretio, et in utriusque utilitatem, cap. fin. *De injuriis et damn.* et *L. contractus*, ff. de reg. juris et lib. 3 Instit., tit. 15, § 4. Quæ leges obligant in conscientiâ ante sententiam judicis, eò quòd non sint purè pœnales, sed statuant id quod est naturali æquitati consentaneum: quâ sanctione positâ contrahentes implicitè se obligant ad præstandam diligentiam quam leges exigunt in conservatione rei alienæ. Quare si ex ejus omissione etiam sine peccato res pereat, oritur ex contractu aut ex officio obligatio illam restituendi. Tandem qui ad rem pretiosam et raram, sed fragilem, de loco in locum transferendam sese offert aut obligat, suasque operas locat stipendio extraordinario, exhibendo se peritissimum, et promittendo, quòd securè rem illam integram portabit, tenetur tunc de culpâ levissimâ, ff. tit. locati. § 7.

Articulus VI.

An, et quænam culpa requiratur ad obligationem restituendi ratione iniquæ acceptionis et damni illati.

Fur et qui rem alienam scienter ab eo accepit et retinet, cùm sint semper in morâ et culpâ, tenentur rem aut ejus valorem restituere quocumque modo perire contingat, etiam casu fortuito, quando eodem modo non esset peritura apud dominum, si illam habuisset. Ratio est, quia contrectant rem alienam domino rationabiliter invito, ipsique damnum inferunt, re suâ illum privando. Difficultas est an quando comburit ejus domum aut segetes, aut ipsum mutilat, aliudve simile damnum infert, requiratur ut in hoc committat aliquam culpam theologicam, seu peccatum ad contrahendam obligationem tale damnum reparandi in conscientiâ; et an tale peccatum debeat esse mortale, aut sufficiat veniale. Dixi, *in conscientiâ*, quia in foro externo quicumque infert damna vel per se vel per alios, aut etiam per sua animalia, sive sit in culpâ, sive non, obligatur ad restitutionem illorum, ff. ad L. *Aquiliam leg.* in l. *Aquil.* et in titulo de injur. et damn. dat., can. *Si hos.* Et can. *Si læseris.* Dicendum primò requiri aliquam culpam theologicam, seu quæ sit verè peccatum coram Deo, ad contrahendam in conscientiâ obligationem restituendi ob tale damnum. Probatur tum ex illâ communi regulâ juris tit. de injuriis et dam. dato: *Si tuâ culpâ damnum datum est*, etc., quâ requiritur culpa; tum quia tale damnum censetur tunc omninò involuntariè datum absque intentione et dolo, proindeque dominus non peteret rationabiliter ut iste restitueret; tum quia iste non tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ, cùm nihil alienum apud se habeat, neque ratione injustæ acceptionis, quæ non est sine peccato. Ergo ubi quis nullum commisit peccatum, latamque culpam quæ pro peccato reputatur, non tenetur in conscientiâ reparare damnum illatum extra contractum. Hinc damnum illatum cum ignorantiâ concomitante, non videtur esse restituendum ex obligatione justitiæ. Sic qui occidit hominem, invincibiliter credens esse feram, quem nihilominùs occidisset, si cognovisset esse inimicum, non tenetur ad restitutionem pro homicidio. Ratio est, quia iste adhibuit sufficientem diligentiam, ne interficeret hominem; ideòque actio illa exterior homicidii non censetur voluntaria, nec ipsi imputatur ad culpam homicidii, excusante ignorantiâ concomitante; quamvis non excuset culpam pravi interni illius affectûs. Et hæc sequuntur ex iis quæ docent communiter Thomistæ 1-2, q. 6, art. 8, de ignorantiâ concomitante, quos consulere poteris. Dicendum secundò, ad incurrendam obligationem restituendi in conscientiâ ob damnum illatum extra contractum, non requiri peccatum mortale, sed sufficere veniale, utpote cùm sit formalis injustitia, ac voluntariè damnum inferatur proximo rationabiliter invito, quod proinde ex justitiâ est resarciendum; pro cujus intelligentiâ,

Notandum est duplicem esse culpam venialem, nempe aliam ex parvitate materiæ, aliam ex indeliberatione et ex imperfectâ solùm rationis advertentiâ, etiam circa materiam gravem: quando igitur in damni illatione committitur culpa venialis ex levitate materiæ, tunc ex eâ oritur obligatio restituendi tantùm sub veniali. Quando verò venialiter peccatur ex indeliberatione, tunc non est quidem obligatio restituendi nisi subveniali, quamdiù durat illa inadvertentia: attamen quando quis plenè advertit se proximo grave damnum intulisse, tunc contrahit obligationem satisfaciendi sub mortali; aliàs sequeretur eum qui paulatim per minuta furta notabilem quantitatem abstulit, non teneri sub mortali ad restituendum, quando advertit se divitem ex alienis effectum. Adde quòd rarò contingit aliquem inferre grave damnum proximo, absque voluntario saltem indirectè, quia rarò in operibus externis periculosis contingit inadvertentia solùm venialis, eò quòd statim periculum suum ingerant et mentem excitent ad suî considerationem, unde in praxi grave damnum sine gravi peccato et obligatione mortali restituendi vix inferri potest.

Dicendum tertiò, quòd quando aliquis alteri damnum dedit voluntariè quidem, non tamen directè, sed tantùm indirectè et interpretativè, tenetur ad restitutionem damni illati: sed juxta Bannem, 2-2, q. 62, art. 4, conclus. 2, non erit obligandus ad solutionem pretii rigorisi, quo æstimaretur res illa si venditioni exponeretur; v. g., qui per ignorantiam culpabilem occidit puerum mancipium, aut conculcavit segetes in herbâ, non est obligandus ad totum damnum rigorosè reparandum, quia solùm obligatur ex injustâ acceptione, et in pœnam: atqui inter actiones injustas ea minima reputatur quæ fit, per ignorantiam et inconsiderationem solùm venialem, nec totam pœnam assignatam meretur, sed duntaxat proportionatam. Ergo, etc. Dicendum quartò, quòd qui voluntariè directè per se primò damnum alteri injustè intulit, tenetur restituere quantùm satis est ad æqualitatem damni illati: ita quòd si quantitas rei vel damni certa sit, tantumdem restitui oporteat. Si verò incerta sit, ut contingit in damnis honoris et famæ, homicidii, vulneris, fructuum, segetum, etc., tantùm restitui debeat, quantùm vir bonus arbitrabitur consideratis circumstantiis negotiorum, personarum, locorum, temporum, etc., quantùmque requireretur ad æquivalens si fieri posset; ita ut vir bonus conetur appropinquare ad æquale, perpendendo quanta erat potentiæ propinquitas, spes lucrandi, probabilitas periculorum, expensarum, etc.

Probat D. Thomas, 2-2, q. 62, art. 4, dicens, quòd *quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id in quo ipsum damnificat: damnum enim dicitur ex eo quòd aliquis minùs habet quàm habere debet; et ideò tenetur homo ad restitutionem ejus in quo aliquem damnificavit. Aliquis autem damnificatur dupliciter: uno modo quia ei aufertur id quod actu habebat; et tale damnum semper est restituendum secundùm recompensationem æqualis, ut si diruat illius domum*, etc.; *alio modo si damnificet aliquem, impediendo ne adipiscatur quod erat in viâ habendi. Et tale damnum non oportet recompensare ex æquo, quia minùs est habere aliquid in virtute, quàm*

habere actu : qui autem est in viâ adipiscendi aliquid, habet illud solùm secundùm virtutem et potestatem : et ideò si redderetur ei ut haberet hoc in actu, restitueretur illi non simplum, sed multiplicatum, quod non est ac necessitate restitutionis. Tenetur tamen aliquam compensationem facere secundùm conditionem personarum et negotiorum. Ex quo patet quòd qui alterius sata conculcat, aut pecuniam creditoris ultra terminum concessum detinet, non tenetur omne lucrum speratum si illi cessans restituere, quia erat solùm in virtute, et multipliciter impediri poterat, sed solùm quantùm attentis periculis et deductis laboribus ac expensis, aliisque pensatis, æstimatur illa virtus et potentia, in quâ erat granum ad messem, et pecunia ad lucrum. Hæc D. Thomas. Ex hâc doctrinâ tanquàm regulâ generali, facilè resolvi possunt omnes casus particulares in hâc materiâ occurrentes, de quibus remittimus ad tractatum de Justitiâ, ubi agitur de restitutione.

Quoad animalia verò et servos, attendenda est consuetudo hominum in eorum æstimatione, quia valor rerum ex communi hominum æstimatione et consuetudine, magis quàm ex rebus ipsis sumitur. Unde quia fructus communiter æstimantur juxta potentiam quam habent ad maturitatem ac messem, sicut et pecunia ad lucrum, inde sumenda est regula ad quantitatem restitutionis faciendæ ab eo qui illos conculcat aut qui hanc injustè detinet. Quòd si è contra communis consuetudo habeat ut animalia viventia æstimentur tantùm juxta statum præsentem, nullo habito respectu ad futurum, tunc qui voluntariè occidit pullum equinum alterius, tenebitur solùm eidem reddere quantùm valet, et dare pretium quo similem pullum emere possit, si velit; idemque lucrum reportare.

Dicendum quintò, quòd ad restitutionem faciendam ratione justitiæ vindicativæ, quæ non est à commutativâ distincta, cùm statuat æqualitatem inter pœnam et culpam, ut innuit D. Thomas, 2-2, q. 61, art. 4, aliquando restitui debet plus quàm ablatum fuit, quando scilicet per legem aut judicem in pœnam injuriæ proximo illatæ, id statueretur : ut colligitur Exodi 22, v. 1, et ex D. Thomâ, 2-2, q. 62, art. 3, ubi ait quòd *dùm aliquis injustè accipit rem alienam, duo sunt ibi consideranda, nempe inæqualitas ex parte rei, cui remedium per restitutionem adhibetur, ad quod sufficit quòd restituatur tantùm quantùm habetur de alieno, aut quantùm æstimatur damnum. Secundò potest ibi esse injustitiæ culpa, puta cùm quis intendit violentiam inferre, aut alium lædit : Et tunc adhibetur remedium per pœnam, cujus inflictio ad judicem pertinet : et ideò antequàm iste læsor sit condemnatus per judicem, non tenetur restituere plus quàm accepit; sed postquàm est condemnatus, tenetur in conscientiâ pœnam aut emendam solvere à judice statutam.*

Articulus VII.

Quænam personæ censeantur cooperari ad damnum injustè ab alio illatum, et unà cum ipso ad restituendum teneri.

Omnes conveniunt quòd quicumque est causa injusta et efficax damni alteri illati, tenetur ad illius restitutionem. Quidam tamen volunt ad hoc indispensabiliter requiri ut sit causa sine quâ tale damnum non foret illatum, aliàs non censeri causam efficacem; quorum sententia refutatur in tractatu de Justitiâ, ubi agitur de restitutione. Quidquid enim sit de rebus physicis, in moralibus tamen, non semper est de ratione causæ efficacis, ut sine eâ non sequatur effectus; sed sufficit ut eâ positâ ponatur effectus, verèque influat et causet illum; eique imputatur juxta modum quo confert ad illum. Aliàs qui furatur, qui occidit, qui dat ad usuram, qui detrahit, etc., non censeretur causa efficax damni, nec ad restitutionem obligaretur; quia non deessent alii qui hæc eadem facerent. Item Petrus scandalizando proximos, ob eamdem rationem non peccaret; scriptum est enim : *Necesse est ut veniant scandala*, audi tamen quod sequitur : *Verùmtamen væ homini illi per quem scandalum venit.*

Inprimis igitur executor injustæ actionis, id est, qui exercet illam per seipsum, ut est ille qui furatur, occidit, comburit, etc., sive hoc faciat motu proprio, sive ex domini sui præcepto, sive pro proprio, sive pro alieno lucro, tenetur ad restitutionem, quia est verè causa proxima efficiens injustam actionem et damnum. Neque excusatur per hoc quòd alius idem facinus fuisset perpetraturus, si ipse illud non commisisset : imò si quis hodiè Titio, v. g., inflixisset vulnus lethale, quo tamen non esset moriturus, nisi post aliquos dies, qui cras illum percuteret et occideret, teneretur ad restitutionem : eò quòd alio modo concurrit ad homicidium, nempe citiùs et acriùs. Si verò plures communi conspiratione concurrant ad idem damnum eodem modo inferrendum, v. g., ad domum Petri comburendam, singuli tenentur ad restituendum in solidum, quia singuli efficaciter cooperantur ad damnum, etiamsi unus solus potuisset illud causare sine aliis.

Novem autem sunt modi quibus causari potest injusta acceptio; id est, executore damni non computato, novem sunt personæ quæ illi cooperari possunt, et ad damnum concurrere; comprehenduntur autem his duobus versibus à D. Thomâ, relatis 2-2, q. 62, art. 7 :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ubi S. doctor novem hujusmodi cooperatores unà cum executore, ad restitutionem obligari probat, tum ex Apost. ad Rom. 1 : *Digni sunt morte, non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus;* tum ex illo principio, nempe quòd quicumque est causa efficax injustæ actionis, tenetur ad restitutionem : potest autem illam causare directè vel indirectè; directè quidem quando aliquis alium inducit ad accipiendum; idque tripliciter contingere potest. Primò ad ipsam acceptionem movendo, quod fit præcipiendo, consulendo, consentiendo expressè et laudando aliquem quasi strenuum, de hoc quòd aliena accepit. Secundò ex parte ipsius accipientis, quia scilicet ipsum rece-

ptat, vel qualitercumque ei auxilium fert. Tertiò ex parte rei acceptæ, quia scilicet particeps est furti vel rapinæ, vel socius maleficii. Indirectè verò quis censetur causa iniquæ acceptionis, quando non impedit, cùm possit et debeat impedire, vel qui subtrahit præceptum sive consilium impediens furtum vel rapinam; vel quia subtrahit suum auxilium, quo possit obsistere, vel quia occultat post factum.

Quando probabiliter æstimari potest quòd ex consilio, adulatione, non manifestatione, et non locutione, injusta actio est subsecuta, tunc isti modi inducunt obligationem restituendi; secùs verò quando non censentur causa illius : non enim semper illam causant, prout faciunt communiter alii quinque modi : ut ostendit D. Thomas, et constabit ex ipsorum explicatione sigillatim faciendâ.

§ 1. *De jubente, seu mandante.*

Præcipiens alteri expressè vel tacitè actionem injustam, habet rationem principalis causæ moventis suo imperio ad patrandum facinus; ideòque si ex jussione sequatur, ad restituendum obligatur, etiamsi nihil inde receperit : dans enim causam damni, damnum fecisse censetur; unde læsum tenetur indemnem reddere.

Quòd si mandatum non fuerit causa damni, aut quia is cui præcipitur furtum et homicidium, non commisit, aut aliàs de se erat paratissimus et omninò determinatus ad illud perpetrandum, ita ut neque facinorosum eo imperio excitaverit, neque in suo iniquo proposito persistentem, ad illud animosiùs, vehementiùs, citiùsque committendum induxerit; tunc jubens non censetur causare neque concurrere, proindeque ad restitutionem non obligatur. Verùm tunc est potiùs permissio quædam, quàm vera jussio, et facit hunc sensum : *Fac quod vis;* sicut Christus Dominus dixit Judæ proditori : *Quod facis, fac citiùs.* Et quasi habet rationem consilii respectu ejus qui non est subditus, ut si quis dicat pauperi amico suo : Rape ubicumque poteris. Si verò mandans esset superior illius, tunc cùm ex officio teneatur obstare et impedire ne subditus alteri noceat, ratione talis omissionis potiùs quàm ex vi jussionis, tale damnum ipsi imputabitur. Item si jubens revocaverit mandatum antequàm executioni mandaretur, eaque revocatio innotuerit mandatario, tunc si adhuc velit facinus perpetrare, mandans non obligatur ad restitutionem damni ab eo illati, quia ab istius malitiâ, et non à jussione pervenisse censetur.

§ 2. *De consulente.*

Nomine consulentis hoc in loco intelligitur ille qui suo consilio, instructione aut exhortatione, aliquem inducit ad furtum, homicidium, aliudve nocumentum proximo inferendum. Et quidem si fuerit causa efficax, ita ut alter inde moveatur ad faciendum quod non esset facturus, aut ad securiùs, animosiùs ac velociùs perpetrandum malum, tenetur ad restitutionem : secùs si consilium non pervenit ad hoc ut fuerit causa furti vel homicidii, etc. Idque dignosci potest et debet ex testimonio, aut ex indagatione animi ipsius agentis, et ex aliis circumstantiis, maximè temporis, puta si statim ac consilium accepit, damnum intulit, etc.

Quando aliquis suo consilio adjunxit exhortationes, rationes, motiva, significando alteri honorem, utilitates et commoditates, quas illâ suâ iniquâ actione erat reportaturus indicando modos perveniendi ad illum malum finem, tunc non sufficit retractare consilium ante ejus executionem, dicendo rem esse illicitam, etc., sed adhuc necesse est, ut consulens omninò suadeat alteri contrarium, ac de facto impediat executionem damni. In quo differt à jubente, qui postquàm retractavit simpliciter mandatum expressè aut tacitè, eaque retractatio innotuit mandatario, si tunc iste procedat adhuc ad nocumentum proximo inferendum, illi et non jubenti imputatur; ratio disparitatis est, quia mandatarius iniquam actionem exequitur non suo arbitrio proprioque nomine, sed tantùm in vi mandati, ac gratiâ, nomine et auctoritate jubentis tanquàm totâ ratione agendi : sicque jubente, mandatario notum faciente se nolle ut facinus exequatur, cessat omnis motio, ac impulsio antea ab ipso proveniens : proindeque tunc non censetur ampliùs causa. Atverò consilium movet alium propter rationes et motiva allata, quæ revocato etiam consilio adhuc influunt, et excitant. Unde nisi consulens reipsà clavo clavum trudat, aliisque rationibus efficaciter alium dissuadeat, ac impediat, ne damnum proximo inferat, tenetur in solidum ad reparandum damnum et restituendum læso, utpote illius causa efficax.

Quæres ad quid teneantur malè consulentes in particulari facto circa aliquem contractum, v. g., mutui, locationis : dicendo licitum quod est illicitum. — Resp. 1° quòd idiotæ, rustici, mulieres inexpertæ, et simplices personæ, si consilium præbeant rogatæ ab aliis et non se ingerentes, bonâ fide consulentes prout sciunt et credunt, nec advertunt ad errorem aut damnum inde secuturum, non tenentur ad restitutionem, quia damnum imputari debet scienti ipsorum ignorantiam, et nihilominùs consilium ab eis petenti, cùm posset et deberet peritos consulere; sicque in eo facto videtur virtualiter errare voluisse, ac noluisse intelligere ut benè ageret. Quidam tamen volunt, quòd si istæ personæ se ingerant, tunc cùm dolosè officium consulendi usurpent, damnum inde consecutum ipsis imputetur. Resp. 2° quòd advocati, medici, theologi, casuistæ, et similes quibus ex officio vel ex stipendio competit consilium dare, tenentur salubre consilium dare, hi quidem qui periti in arte habentur et nominantur, de latâ culpâ tenentur : alii verò qui stipendium accipiunt ad dandum consilium aut medicinam, tenentur de levi culpâ : non tamen de levissimâ, nisi in duobus casibus. Primus est, quando quis quærit expertissimum et diligentissimum in arte virum, offertque pro hoc competens stipendium; et iste officialis talem se profitetur, promittitque facere quod alii ejusdem professionis expertissimi præstare possunt et solent. Secundus est, quando officialis locat operas suas ad tractandas res aut negotia peragenda,

quæ de se exquisitissimam diligentiam et peritiam requirunt, et pro hoc labore recipit pretium proportionatum ; qui enim accipiunt pretium majorem tenentur adhibere diligentiam, quàm alii qui gratis id præstant ; adde quòd cùm illud opus cedat in utilitatem utriusque, nempe tam accipientis, quàm dantis consilium, consulens debet teneri de levi culpâ. Nihilominùs absolutè dici potest non teneri de levi quatenùs scilicet tenetur solùm eam diligentiam adhibere quam passim homines ejusdem professionis adhibere solent accepto pretio ; quamvis sit major eâ quam adhibere debent ii qui inde nullum pretium accipiunt, prout ostenditur in tractatu de Justitiâ, disput. de Test. in communi, et habetur cap. *Si culpâ*, extra. de injuriis et damno dato.

Quæres insuper, an viro jam determinato ad perpetrandum grave nocumentum, v. g., ad occidendum Petrum, possit quis licitè minus malum consulere conditionatè, v. g., solùm percutere : ex quo scilicet non potuit correctione ac ratione eum dimovere à proposito occidendi, conatur ejus animum hâc arte emollire, illi proponendo quod certè in nullo deberet nocere Petro : quòd si obduratè velit eum lædere, deberet levi percussione tantùm id facere ; proponendo istud minus malum, ut in eo sistens, totumque virus evomens, vitetur, Petri occisio. — Resp. tunc esse licitum consulere minus malum : istud enim consilium habet bonum objectum, cùm adhibeatur, tantùm ut medium et remedium, hîc et nunc supposità malitiâ hujus facinorosi efficax ac necessarium ad impediendum irreparabile Petri damnum, nempe illius occisionem : hoc autem modo non respicit minus malum ut malum absolutè, sed tanquàm bonum, et efficax remedium ad liberandum à morte Petrum. Nec tunc consulens absolutè ac solitariè accersit et consulit hanc Petri percussionem, quam etiam vitare vellet si posset, sed tantùm conditionatè : supposito enim quòd Petrus à malefactore infallibiliter sit lædendus, procurat ne enorme recipiat nocumentum.

Tutius tamen foret, quòd iste simpliciter offerret malefactori, nudèque ostenderet ac proponeret materiam minoris mali, quomodò scilicet non occidendo Petrum, posset aliter voluntatem se vindicandi explere, grandeque hoc malum vitare, infligendo minus ; nullum tamen circa hoc consilium aut suasionem, aut influxum adhibendo : ita ut tota intentio proponentis feratur ad liberationem à majori malo, per nudam ostensionem materiæ minoris mali, absque ullâ motione ad illud, etiam conditionatè sumptum.

§ 3. *De consentiente.*

Non loquimur hîc de nudo consensu, qui est mera voluntatis complacentia mali absque ullo influxu, ut dùm cives approbant bellum injustum jam decretum et publicatum : quamvis enim sit mortale peccatum, nullum tamen inducit obligationem restituendi. Sed est tantùm sermo de consensu qui est simul causa damni proximi, ut dùm magnates, et ii ad quos spectat suo suffragio decernere an bellum injustum sit movendum, de hoc requisiti consentiunt, eoque consensu efficaciter influunt. Ita Cajetanus in Summâ, v. *Restitutio*. Hinc haberi potest quòd si in communitate aliquâ, plura vincant vota, et dùm dantur vota aperta, aliquis ex ultimis videns vota præcedentium jam vicisse, et quòd suum votum in contrarium nihil prodesset, consentit ob aliquem humanum respectum injusto facinori, peccat quidem mortaliter, quia consentit iniquitati, et veritas atque justitia nullo modo in re gravi sit deserenda : ad restitutionem tamen non tenetur, quia consensus ejus nec est causa nec concausa damni nedùm quoad substantiam, sed etiam quoad modum, nempe ut acriùs, faciliùs aut citiùs veniat : suppono enim ad hoc minimè concurrere, taliaque vota tanquàm omninò inutilia ferri, item posteriores vocales non esse tantæ auctoritatis, ut probabile sit præcedentium voluntates et suffragia mutare posse, contradicendo et quod rectum est suadendo ; tandem quòd ipsi non inclinant in eamdem partem, nec habent cum aliis eumdem animum, neque id simpliciter illis arridet : aliàs censerentur concurrere cum aliis ad damnum, et tenerentur ad restituendum. Nec est par ratio de præcedentibus, quia licet videant subsequentes ad malum consensuros, illorum tamen consensus non propterea à causarum numero excluditur : tum quia consensus omnes antecedentes sunt et tendunt verè ad integrandam causam : tum quia in instanti homo mutatur, unde possent subsequentes dissentire ; quod in primo casu locum non habet.

Si secretò suffragia ferantur, sive vocalis sciat, sive ignoret quid alii priores fecerint, aut sint facturi, etiam si certò cognoscat majorem partem in deteriùs esse determinatam, nihilque suo voto proficere, adhuc peccat contra charitatem et justitiam, si contra bonum et contra æquitatem, cum aliis consentiendo suffragium suum ferat ; tum quia rarò contingere potest, ut in hoc secreto suffragandi modo quis omninò certus sit quid alii fecerint, multoties enim contrarium illius faciunt, quod exteriùs dicunt et in facie ostendunt, sicut experientiâ patet ; tum quia in effectu non est hîc major ratio vocalium priorum quàm posteriorum, omnesque reipsu consentientes sunt concausæ delicti et damni secuti.

Adverte obiter quòd ille qui est vocalis ex officio, et capitulo tunc commodè interesse potest dùm tractatur grave negotium, aut electio, si renuntiet suo suffragio, nolitque intrare, prævidens aut prævidere debens fore ut suâ illâ renuntiatione quid injustum decernatur aut indignus eligatur : peccat contra charitatem et justitiam, eo quòd censeatur tunc causa efficax indirecta damni secuti, non obstando, cùm tamen posset et deberet obstare.

§ 4. *De adulatore et receptante.*

De palpone seu adulatore eodem modo ratiocinandum videtur ac de consentiente, cùm verba illius consilia quædam esse censeantur. Unde si sit pura adulatio lætificativa tantùm furti aut homicidii, etc.,

est quidem peccatum mortale : non inducit tamen obligationem restituendi : benè tamen si fuerit etiam causativa injustæ actionis, puta si adulator laude suâ et applausu efficaciter procuret damnum, aliumque provocet et excitet ad furandum, occidendum, etc., ut si læso nobilitatem, honorem et generositatem exaggeret, quibus verbis tanquàm stimulo excitetur ad læsorem interficiendum. Ad quod etiam reducuntur exprobationes ignaviæ, turpitudinis, et infamiæ, nisi de læsore vindictam sumat, quibus irrisionibus efficaciter motus procedit ad se vindicandum, et occidendum inimicum.

Receptatoris nomine intelligitur omnis ille qui recursum, receptaculum, refugium, et patrocinium præstat malefactori, formaliter et reduplicativè, quatenùs malefactor est, eumque fovet in crimine, et in ordine ad damnum inferendum ; vel securitatem postea ipsi præbet ne restituat, aut ne deprehendatur ac capiatur sicque continuandi mala audaciam illi præstat, tanquàm patronus iniquitatis. Et iste semper ad restitutionem obligatur, et latitantes res furtivas in domo suâ, si habet in suâ potestate, domino reddere debet ac meliori modo quo poterit, damnum illatum reparare.

Secùs dicendum si sit tantùm receptator malefactoris materialiter, puta quia ignorat aut dubitat talem esse ; aut etiamsi sciat, eo tamen intuitu non recipit, sed solùm ratione communis humanitatis et hospitii, quâ solet adventantes recipere, aut ratione amicitiæ vel sanguinitatis, etc. Talis enim non tenetur ad restitutionem, quia nihil habet de furto, nec ad illud concurrit, nec aliquid per se præstat ad iniquam actionem pertinens, ut suppono. Item qui furem fugientem ministros justitiæ aut alios persequentes, recipit vel adjuvat in casu necessitatis, ne scilicet morte plectatur, non peccat, nec ad restitutionem tenetur, dummodò procuret ut furta non continuet, ac ablata restituat : quia sicut licitum est latroni fugere, ita et aliis qui ex officio eum detinere non tenentur, in fugâ juvare, qui tamen apud judicem pro fure intercedunt, factumque palliant, ac impediunt ne ad malè ablata restituenda aut nocumenta reparanda compellatur, peccant et ad restitutionem obligantur. Vide plura in tract. de Just., q. de Restit. in communi.

De participante. — Aliquis potest dupliciter participare cum fure : primò solùm in prædâ seu re furtivâ, quam bonâ fide accipit, et iste tenetur restituere tantùm ratione rei acceptæ ; et de hoc participante non est sermo in præsenti. Secundò in crimine, tanquàm socius et particeps furti et iniquæ acceptionis, ut simul furando, scalas ascendente fure sustinendo, excubias agendo, instrumenta suppeditando, explorando, mediando, aut quoquo modo juvando ad actionem injustam.

Conveniunt omnes, quòd quicumque sic est particeps criminis, ut sit etiam causa, seu concausa injustæ actionis, tenetur ad restituendum in integrum, cùm sit causa efficax damni. Et cùm damnum in tali casu communi conspiratione, seu unâ manu et unâ causâ totali ex pluribus partialibus conflatâ, ab omnibus illatum fuerit, nec sit major ratio de uno quàm de alio, omnes ad restitutionem totius damni in solidum obligantur : secùs dicendum si absque conspiratione, conventione et excitatione ac omninò disparatè se habeant ad damnum inferendum : tunc enim quilibet tantùm suam partem restituere tenetur. Hinc quia omnes milites exercitûs tanquàm causæ partiales efficiunt unam totalem, ac communi conspiratione expoliant urbem, unus alteri præstat fiduciam et qualemcumque opem, in bello injusto singuli tenentur in solidum ad istud damnum restituendum ; quia singuli efficaciter, licet non totaliter, ad damnum integrum concurrunt ac cooperantur. Quamvis enim physicè à singulis particulariter causetur, moraliter tamen à quolibet procedit, non quidem ut sit causa totalis, totalitate causæ, benè tamen totalitate effectûs, qui ipsis attribuitur, et pluribus totalibus moraliter æquivalent. Idemque dicendum de pluribus ex conquoque faciendum, eâque lege jurisdictionem ventione vineam alienam devastantibus : plura vide disp. de Rest., loco citato. Et ff. titul. de furtis, l. *Vulgaris* § *Si duo.*

§ 5. *De muto, non obstante, et non manifestante.*

Mutus hîc dicitur qui potest et tenetur loqui præcipiendo vel reprehendendo, vel consulendo, aut dissuadendo, aut scribendo, aut manifestando, etc., et tamen tacet ; propterea cùm desit officio suo et obligationi justitiæ, censetur causa indirecta damni inde secuti, et ad illud negativè efficaciter concurrere : sicque ad ejus restitutionem obligatur.

Non obstans est ille qui potest et tenetur impedire damna alterius ; et tamen non præbet auxilium impeditivum injustæ actionis. Iste enim censetur causa indirecta et privativa illius. Sic domini temporales qui non obstant latrociniis crebrescentibus in terris suis, tenentur ad restituendum damnum passis, quia sunt custodes justitiæ, et malis possunt ac tenentur obstare ex officio.

Non manifestans est ille qui non prodit malefactorem, vel dùm infert damnum, vel post factum, quando potest et tenetur ex stipendio aut officio ; ita quòd non manifestatio sit causa vel injustæ actionis, vel injustæ detentionis. Sic ad damnum restituendum tenentur custodes vinearum, sylvarum, agrorum, aut aliarum rerum, quando ex illorum dissimulatione proximus læditur.

Requiritur igitur ut istæ tres personæ sint restitutioni obnoxiæ, quòd possint sine gravi incommodo impedire damnum alterius ; insuper quòd ad id teneantur ex justitiâ ; si enim solùm ex charitate obligentur, licet non impediendo mortaliter peccent, non tamen propterea videntur ad restitutionem obligari, nisi aliquâ ratione positivè se haberent, significantes sive verbis sive signis se tacituros, quò animus furantis firmaretur qui alioquin timens clamorem aut manifestationem, non ausus esset damnum inferre ; quia tunc censentur ad illud quasi positivè concurrere.

Item nisi à judice interrogentur : tunc enim si taceant, aut negant, ad restitutionem tenentur. Item dummodò à fure non accipiant aliquam partem prædæ ut taceant. Secùs docent plures, si ex propriis latronis pecuniis pretium accipiant ad tacendum, quibus non reddatur impotens ad restituendum.

Quæres primò, an confessarius qui pœnitenti obligato ad restitutionem, quam fecisset si ab eodem monitus fuisset, quam tamen non præstitit, quia confessarius non injunxit, teneatur ipse ad restituendum. Et quidem non est sermo de confessario qui ex malitiâ vel ignorantiâ, crassâque culpâ dixit pœnitenti non teneri, aut alteri teneri cui nihil debebat. Tunc enim hujusmodi consilium censetur causa efficax damni consecuti. Sed est tantùm difficultas de confessario, qui non monet pœnitentem de tali obligatione, ex quo silentio credens se ad nullam restitutionem teneri, eam prætermittit ; quod tamen non contigisset, si confessarius suo munere rectè functus esset. Supponimus adhuc quòd postea confessarius nequeat tollere deceptionem ac monere et corrigere pœnitentem, aut quia eum non novit determinatè, aut longè absit, etc.

Resp. episcopos, parochos, aliosque confessarios habentes curam animarum obligari ad restitutionem ; quia cùm officio teneantur consulere saluti pœnitentis, ipsumque tenquàm subditum regere ac instruere de necessariis, consequens est ut damna ex tali omissione culpabili consecuta, illis imputentur. Adde quòd intentio fidelium decimas dantium, et etiam Ecclesiæ tale officium conferentis ,ea est ut non tantùm saluti pœnitentis, sed etiam bono communi consulant, diligenter curando quantùm in ipsis est, ne fideles damnum aliquod vel injuriam patiantur. Hinc dissolvitur fundamentum auctorum contrarium asserentium, nempe quòd confessarius ex justitiâ solùm tenetur prospicere saluti spirituali pœnitentis : non verò bonis temporalibus aliorum. Licèt enim isti confessarii non habeant hoc officium principaliter et immediatè in gratiam creditorum, nec ab eis mercedem ad hoc immediatè recipiant, quia tamen salus spiritualis pœnitentis habet necessariam connexionem cum reparatione damni aliis ab eo injustè illati, consequenter, mediatè et ratione pœnitentis tenentur ex officio prospicere bono aliorum temporali per restitutionem pœnitenti injunctam, et curare ne respub. aut ejus membra quorum stipendiis aluntur, damnum patiantur. Si ergo sint in causâ suâ negligentiâ, quòd illud patiantur, obligantur ipsi ad illud reparandum et tenentur quasi de levi : cùm habeant officium in propriam suam et fidelium utilitatem, modo supra exposito.

Cæteri verò confessores, hoc ipso quòd tale onus et officium suscipiunt et exercent gratis, videntur se obligare ex pacto ad id quoque faciendum, eâque lege jurisdictionem accipere, nempe ad officium judicis et medici spiritualis ritè et sine cujusquam injurià obeundum, eaque peragenda sine quibus pœnitens nequit salutem spiritualem obtinere, etiamsi tale impedimentum ex aliquo temporali proveniat. Unde si suâ latâ culpâ sint causa cur pœnitens non restituat, tenentur ipsi per se loquendo restituere, maximè si suâ sponte se huic ministerio ingerant.

Quæres insuper an famulus videns alterum conservum aliqua furari, teneatur ad restitutionem si non manifestet domino, quandò secretò monitus desistere noluit, aut quandò nulla est spes emendationis. Et quidem tunc ex charitate graviter obligari ad detegendum furem ei qui prodesse potest, vel tandem domino pandere, certum est ; cùm lege charitatis teneatur potiùs damnum tertii innocentis, præsertim domini sui vita re, quàm damnum alterius nocentis. Difficultas solùm est utrùm ad id teneatur etiam ex justitiâ.—Resp. quòd si fur aliquis extraneus fuerit, tunc quilibet famulus, ad id tenetur ex justitiâ ; nam ex officio famulatûs debet esse custos domûs, ne extranei illam aggrediantur. Si verò fur domesticus fuerit, ille solùm famulus aut famula tenetur ad hoc ex justitiâ, cui cura hujusmodi rerum fuit specialiter demandata, et ad custodiendum claves commissæ ; quia ex fidelitate et ex justitiâ bona ea domini conservare, atque illæsa custodire ab exteris et domesticis tenetur : cæteri verò famuli, tacendo et non impediendo videntur peccare solùm contra charitatem, non verò contra justitiam, dummodò aliter non cooperentur, aut eorum taciturnitas aliis occasionem furandi non præbeat. Plura circa istas novem personas vide tract. de Just.

§ 6. *Quomodò et quo ordine novem isti cooperatores, unà cum executore damni, teneantur ad illud restituendum.*

Teneri ad restituendum in solidum, est obligari in totum, seu ad integrum damnum reparandum : ita ut aliis deficientibus aut non solventibus, quilibet ex ipsis interim obligetur ad totius damni compensationem, salvo postea suo excursu ad suos complices, ut ipsi refundant de suo quod pro eorum parte solvit ; quando scilicet plures homines, tanquàm concausæ, communi conspiratione concurrunt simul ad idem damnum et efficaciter cooperantur, ac influunt in injustam acceptionem et damnificationem, prout jam dictum est de militibus in bello injusto civitatem hostium despoliantibus.

Hæc igitur decem personarum genera tenentur hoc modo ad restituendum damnum proximo, si quod ex injustâ actione consecutum fuerit : id est quilibet supradictorum hominum tenetur ad restitutionem in solidum, nempe ad reparandum totum damnum quod causavit, aut potiùs concausavit ; quia fuit causa aut concausa totius actionis, quæ damnum intulit ; et cùm non sit potior ratio de uno quàm de alio, singuli ad restitutionem in integrum obligantur.

Quia tamen secundus lædens non tenetur restituere in solidum, nisi deficiente primo, vel non potente aut nolente restituere, aut aliis suas partes nolentibus aut non potentibus restituere læso ; examinandum est quo ordine restituere teneantur. Ordinem quippe inter istas causas admittendum esse innuit D. Thomas, 2-2, q. 62, art. 7, ad 2.

Dicendum inprimis, quòd quando actio injusta est lucrativa agentibus, seu aliquid positivè ablatum est, ut pecunia, vestis, etc., tunc primò et principaliter ad restitutionem obligatur qui rem injustè acceptam apud se habet; ad hoc enim tenetur et ratione rei acceptæ, et ratione acceptionis. Idem dicendum si eam hâc malâ fide consumpsit aut alienavit : cùm enim sciens et volens ex eâ commodum præ aliis reportaverit, ante illos quoque contrahit obligationem restitutionis, qui si integram domino reddiderit prædam, tunc cæteri neque domino restituere, neque isti socio quidquam refundere tenentur : quia nec dominus, nec iste post restitutionem rei factam, minùs habent in bonis suis, quàm habere debeant. Dicendum secundò, quòd si actio non sit lucrosa, sed tantùm damni illativa, ut incendium domûs, segetumque, occisio, mutilatio, etc., primo loco tenetur restituere jubens, postea exequens : quia mandans censetur movens et causa principalis; exequens verò instrumentum liberum ab ipso motum : actio autem principaliter procedit à motore, ipsique attribuitur. Jubente autem restituente, tunc alii sunt à restitutione immunes : non enim tenentur ad hoc nisi in illius defectum : et è contra si aliæ causæ secundariæ restituant, jubens illis refundere tenetur.

Quando executor non fuit imperio superioris adductus nec coactus ad damnum inferendum, sed à seipso motus illud intulit, tunc censetur causa principalis, et ante omnes alias tenetur ad restitutionem : post illam autem factam, cæteræ causæ cum illo concurrentes sunt à restitutione immunes; quia quando ille qui est causa principalis damni restituit, cæteri, qui tantùm accessoriè ac in ejus defectum restituere tenebantur, tunc ab isto onere relevantur, nisi ipsum reduxerint et deduxerint ad hunc statum. Vide Cajetanum, 2-2, q. 62, art. 6, ad 2.

In cæteris verò causis, ordo inter illas observandus est quem ponit D. Thomas, nempe post jubentem et executorem sequi tertio loco consulentem, quarto consentientem, quinto receptantem, sexto non impedientem : ita ut posterior possit expectare donec sciat an prior non possit aut nolit satisfacere, cùm non nisi in defectum illius restituere teneatur. Ubi tamen sunt plures causæ in eâdem specie et gradu : v. g., duo consulentes, duo executores, duo consentientes, etc., etiamsi non fuerint simul tempore in delicto, sed unus alteri accesserit, ut dùm successivè feruntur suffragia, tenentur restituere altero non expectato, cùm in his non sit ordo prioris et posterioris. Unà tamen ex his causis secundariis restituente in solidum, aliæ tenentur illi refundere suas partes, si causæ principales non possint aut nolint totum eidem refundere.

Alii verò docent in his causis secundariis et minùs principalibus, nullum inter se servandum esse ordinem, sed omnes æquè primò et immediatè teneri in defectum causæ principalis : ita tamen ut juxta majorem vel minorem influxum ac proportionem concursûs, una ad plus, alia ad minus restituendum obligetur. Ratio est, quia una non concurrit tanquàm instrumentum alterius, eique non subordinatur, nec in nomine illius agit; sed unaquæque per se in suo ordine cooperatur ad movendum aut juvandum, aut non impediendum malefactorem. Plura vide tract. de Just., disp. de Restit., q. 4, art. 1, et § *Unico*. Ibidem, q. 1, habes plures casus particulares concernentes personas obligatas ad restituendum. Nempe art. 5, an qui accipit mercedem ad faciendam vel omittendum id ad quod ex officio vel ex charitate solùm tenebatur, obligetur in conscientiâ ad illam restituendam; et § primo quæritur an qui accipit pretium ad omittendum actum de se intrinsecè malum et injuriosum proximo, vel ad illum perpetrandum in gratiam et jussionem alterius, non possit illud retinere, sed etiam post patratum maleficium, illud restituere teneatur, non solùm lege positivâ, sed de jure naturali : et § 2 examinatur, an et quænam mulieres pretium prostitutionis à viris recipere aut retinere possint. Tandem, tract. de Just., q. 4, art. 1, examinatur, an qui injustè alium impedit ab officio, beneficio, aut bono ad quod habebat jus, teneatur damnum illatum reparare, et quomodò. Vide ibi.

QUÆSTIO TERTIA.

DE PERSONIS QUIBUS RESTITUTIO FACIENDA EST, ET QUO ORDINE.

Regulam generalem in hâc materiâ assignat D. Thomas, 2-2, q. 62, art. 5, dicens quòd per restitutionem fit reductio ad æqualitatem justitiæ commutativæ, quæ consistit in rerum adæquatione. Hujusmodi autem rerum adæquatio fieri non potest nisi ei qui minùs habet quàm quod suum est, suppleatur quod deest. Ergo communiter illi facienda est restitutio rei, ad quem pertinet, seu qui minùs habet quàm debeat habere ad hanc suppletionem faciendam. Unde qui ab aliquo accepit rem alienam furto vel alio modo injustè occupatam ab ipso, non tenetur restituere illi à quo accepit, utpotè qui inde non minùs habet quàm quod suum est; sed debet facere quantùm potest ut reddatur domino; debet tamen illi qui rem alienam occupaverat, tunc per aliquam bonam viam significari, quòd talis non tenetur satisfacere pro tali re, ne remaneat in peccato; aut si fortè veniat ad pœnitentiam, bis restituere contingat. Hoc siquidem modo restituens, domini et latronis simul negotium utiliter gerit : salvis tamen iis quæ supra diximus, de possessore bonæ fidei qui emit rem furtivam à latrone, nempe posse eam ipsi reddere rescindendo contractum, ut pretium datum recuperet, seque indemnem servet.

Insuper applicandi hîc veniunt duo tituli supra explicati è quibus tanquàm è radicibus oritur omnis obligatio restituendi. Si enim ex solâ re alienâ acceptâ restitutio contingat, reddenda est regulariter domino rei : appellatione autem domini hîc intelligitur ille cui debetur, sive dominium perseveraverit apud eum, sive translatum fuerit, sive sit verus dominus, sive administrator, procurator, dispensator, custos, ut si in pignus, aut depositum, aût conductionem habeat,

omnis denique qui justo titulo est ejus possessor, aut jus habet ad illam, aut ejus possessionem, qualis est sartor respectu vestis conficiendæ; si igitur res ab aliquo istorum ablata fuerit, qui illam habet eidem et non domino restituere debet, si citra injuriam illâ non possit privari toto tempore concesso ad usum, vel assecurationem, etc. Secùs videtur dicendum, si nihil ipsi intersit quod Domino reddatur.

Si autem restituto consurgat ex acceptione injustâ, discernendum est an acceptio illa fuerit ex datione prohibitâ; ita quod non solùm obligatus ad restituendum acceperit injustè, sed etiam ille qui donatione iniquâ dedit, ipsaque datio fuit mala, ut cùm datur pecunia pro corrumpendo judice, vel pro ingressu monasterii vel pro quocumque spirituali. In ejusmodi enim dationibus prohibitis restitutio quidem facienda est, sed non illi qui malè dedit. Unde in simoniacis dationibus, restitutio facienda est ecclesiæ in cujus injuriam datum est, aut Christo hæredi universorum. Ita D. Thomas hîc, art. 5, ad 2.

Si verò sola intervenit acceptio injusta, ei qui ex eâ damnificatus est, restitutio est facienda, simul concurrentibus his duabus circumstantiis : prima quòd iste verè incurrat damnum, secunda quòd ei proveniat ex hâc acceptione injustâ : aliàs non esset illi facienda restitutio : ut patet cum quis furatus esset à mercatore aliquod pignus, tunc enim licèt damnum sit duorum, nempè domini pignoris, et mercatoris qui tenebat pignus, fur tamen tenetur restituere non domino, sed mercatori; quia actio furti damnificavit mercatorem, qui tenetur domino de pignore reddendo : ita quòd in hujusmodi restitutione, persona cui debet restitui, non ex dominio rei, sed ex damnificatione sibi allatâ discernitur et definitur. Ratio est, quia ipsius interest saltem custodire, seu reddere illam domino, si non est sua. Verumtamen quando res sine scandalo potest publicè vel secretò reddi domino sine alterius injuriâ, damno vel periculo reali, potest in foro conscientiæ restitui domino, tanquàm exequendo jus naturæ, ut si restituenda sit ablata à fure, aut latrone, aut usurario, qui non creduntur unquàm restituturi, potest restitui vero domino cum illo grano salis, quòd provideatur ne iteratò contingat fieri restitutionem, si quandoque venerint injusti illi occupatores ad pœnitentiam. Hactenùs Cajetanus in Summâ. Plura vide supra, q. 1, art. 1.

ARTICULUS PRIMUS.

An quando res creditur nociva domino vel alteri, sit ipsi reddenda, si tunc illam exigat.

Divus Thomas, 2-2, q. 62, art. 5, ad primam hanc regulam assignat, nempe quòd *quandò res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, vel alteri, non debet ei tunc restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur; omnia enim quæ possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet rem alienam sibi appropriare; sed vel reservare ut congruo tempore restituat, vel alibi tradere tutiùs conservandam.* Cùm enim restitutio sit actus virtutis, solùmmodò actu facienda est, conformiter ad rectam rationem, nempe ubi, quando, etc.; tunc autem in hujusmodi circumstantiis recta ratio dictat esse differendam, ad vitandum detrimentum domini rei vel alterius, ut de se patet : et in hâc dilatione dominus censetur irrationabiliter invitus, cùm cedat in ejus utilitatem. Vide D. Thomam, 2-2, q. 57, art. 2, ad 1.

Hanc tamen regulam limitat D. Thomas in 4 Sent., dist. 32, art. 2, q. 3, ad 3, dicens, *quòd gladius reddendus esset furioso, quando majus periculum timetur in non reddendo.* Ratio est quia iste non tenetur cum gravi proprio damno, impedire alterius nocumentum, si id ei ex officio non incumbat; sed potest cæteris paribus sibi potiùs præcavere quàm alteri : sicque tunc redditio illa gladii non censetur ipsi voluntaria, nec damnum alteri inde secutum illi est imputandum; maximè si ex dilatione reddendi gladium, nulla sit probabilis spes impediendi tale nocumentum, feceritque omnem mortalem diligentiam ad illud avertendum.

Quando dominus petit rem suam à depositario, ut alteri injuriam inferat, puta gladium ad occidendum aut in bonis fortunæ nocendum, depositarius si absque gravi incommodo tunc denegare p ssit, reddendo peccat contra charitatem, cùm non diligat proximum sicut seipsum, et etiam contra justitiam, cùm censeatur causa secundaria damni, eique cooperari; et tenetur ad restitutionem. Ex cap. fin. *Si tuâ culpâ*, tit. de injuriis et dam. dat.: præbet enim alteri instrumenta hîc et nunc destinata ad nocendum proximo, absque legitimâ causâ excusante, nempè vitatione proprii damni, cùm supponamus nullum inde grave ipsi imminere. Idem dicendum quando reddit gladium domino petenti ad seipsum occidendum.

Si autem rem domino reddat petenti in damnum spirituale alterius, v. g., pecunias suas depositas aut debitas exigenti ad sollicitandas et corrumpendas feminas, cùm tamen absque gravi suo incommodo posset earum redditionem differre, tunc censetur cooperari peccato scandali et peccare contra charitatem, ut enim dicitur Eccl. 17 : *Unicuique mandavit Dominus de proximo suo* : atqui in hoc eventu iste potest absque detrimento proprio vitare scandalum et ruinam spiritualem proximi. Ergo tenetur vitare retinendo illas pecunias, si illâ detentio sit profutura, et probabilis spes quòd tale malum impediet. Si verò petat instanter suas pecunias in proprium damnum spirituale duntaxat absque ullâ proximi injuriâ, v. g., ad se inebriandum, ad convivia cum carnibus in quadragesimâ paranda, ad luxum ad ludos prohibitos exercendum, etc., an reddens peccet similiter contra charitatem, si absque suo incommodo possit differre solutionem, et hoc modo illius peccatum impedire, sub lite est.

Quidam enim negant, quia debitoris est solvere, nec illius interest examinare an creditor in pios aut malos usus pecunias suas sit consumpturus, quandò sine tertii injuriâ hoc facit : non enim est illius su-

perior, ut suppono, nec habet jus ipsum destinendi ac impediendi ne peccet, si velit : adde quòd ferè semper debitores possent occasiones differendi solutionem afferre, verisimile putantes quòd pecuniis illis creditor sit abusurus in ruinam animæ suæ ; quod contra justitiam et bonum publicum redundaret. Nec est eadem ratio de bono corporali ipsius creditoris, vel de bono spirituali et corporali proximi vitando. Duplex enim assignatur disparitas. Prima est, quia retentio debiti pro tunc est medium efficax et ex naturâ suâ ordinatum, ut tam creditor quàm proximus non incurrant illud damnum corporale : item ut tertia persona non scandalizetur, nec ad peccatum pertrahatur : secùs verò ut creditor non incurrat damnum spirituale. Quantumvis enim tunc denegetur ei debitum, jam in corde suo fornicatus est ac interiùs peccavit ob pravum finem et voluntatem se inebriandi ; et fortassè magis peccabit ex non redditione debiti propter majorem appetitum ex privatione, propter iracundias, injurias, blasphemias in quas prorumpet. Unde tunc medium ordinatum est monitio et correctio fraterna, quâ præmissâ à debitore, si creditor adhuc molestè persistat in petitione nolitque in dilationem consentire, poterit iste suas pecunias tutâ conscientiâ reddere.

Secunda ratio disparitatis est, quia homo non est dominus vitæ et bonorum corporis nec bonorum spiritualium alterius, benè tamen propriorum. Unde quando illa bona periclitantur, tenetur quisque ea tueri etiam repugnante domino. Atverò nemo potest cogendo impedire hominem ne peccet, quando vult peccare, nullâ interveniente injuriâ tertiæ personæ, nisi fortè sit judex, aut prælatus. Sicut ex hoc quòd homo sit dominus propriorum bonorum temporalium, licitum est ipsi solvere pecunias debitas etiamsi petat ad eas dilapidandas et perdendas : secùs verò si petat ad damnum in temporalibus innocenti inferendum, eò quòd non sit illorum dominus. Cùm ergo sit dominus propriorum bonorum spiritualium, licitum erit solvere ipsi debitum, etiamsi illo sit abusurus ad peccandum ; secùs dicendum si eo abuti velit ad inducendum alios ad peccatum, eò quòd istorum bonorum spiritualium non sit dominus.

Alii verò affirmant. Quia D. Thomas non distinxit de damno spirituali vel corporali, sed universaliter dixit, quòd quando restitutio apparet esse graviter nociva huic vel alteri, tunc non est facienda, sed differenda, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur. In nostro autem casu, cederet in ejus in damnum spirituale, quod multò majus est quàm corporale. Ergo nequit absque peccatò tunc fieri, et dominus in hoc est irrationabiliter invitus, cùm ejus negotium utiliter agatur. D. Thomas, 2-2, q. 57, art. 2, ad 1. Utraque sententia est probabilis, et potest iste debitor absque peccato huic reddere tunc suas pecunias, aut solutionem differre. Aliquis enim potest habere jus dupliciter ad aliquid petendum, uno modo absolutè secundùm rationem justitiæ materialiter sumptæ, et quantùm ad substantiam actûs ; alio modo in his circumstantiis et formaliter secundùm rationem justitiæ requirentis circumstantias virtutis. Quando igitur creditor petit debitum suum, semper habet jus ad petendum priori modo, et debitor solvens facit opus justitiæ quantùm saltem ad substantiam actûs, etiamsi aliàs peccet : atverò quando creditor petit debitum in his circumstantiis et ad abutendum, debitor sufficienter excusatur ab obligatione tunc restituendi, ut probant rationes adductæ : non tamen propterea convincunt eum peccare quando præmissâ correctione fraternâ et tentatis aliis viis ad avertendum creditorem à malo usu, reddit ipsi debitum instanter petenti in suum duntaxat spirituale damnum, ut vult prima sententia, quæ proinde est probabilis et sequi potest. Unde relinquendum est prudentiæ debitoris quòd tunc reddat, aut differat solutionem, prout magis expedire judicaverit omnibus ritè pensatis. Porrò, quando diximus depositarium non teneri cum proprio gravi damno denegare rem depositam domino petenti ad se vel alium occidendum, sermo est tantùm de personâ privatâ. Si enim ex illâ redditione salus personæ publicæ valdèque reipub. utilis periclitaretur, non foret licita, quia bonum commune particulari est præferendum. Ex istis autem D. Thomæ regulis, facilè resolvi possunt omnes casus particulares in hâc materiâ occurrentes.

Articulus II.

Cui facienda est restitutio, quando rei alienatio aut acceptio est illicita de se, aut prohibita ?

Divus Thomas loc. cit., art. 5, ad 2, duas conclusiones ponit. Prima est, quòd quando datio est illicita ab intrinseco, et contra legem, ut in datione simoniacâ pretii ex utrâque parte, ille qui dedit meretur amittere quod dedit ; unde ipsi non debet fieri restitutio : et quia ille etiam qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere, sed in pios usus convertere.

Secunda est, quòd quando ipsa datio non est illicita, sed fit propter rem illicitam, accipiens non tenetur ad restituendum, nisi superfluè aliquid accipiat, ad fraudem vel dolum extorqueat : tunc enim danti tenetur illud superfluum restituere. Exemplum ponit D. Thomas in pretio quod datur meretrici pro illicito usu corporis illius : titulo de Condict. ob turpem causam *L. idem*, § 3. Has duas conclusiones per breves quæstiones ventilabimus ; exactior enim illarum pertractatio habetur disp. de Restitut., quoad verò tractationem de simoniâ, ad alium locum remittimus.

Quæres primò, an qui ab alio accipit pretium ad faciendum aut omittendum id ad quod ex justitiâ obligatur, eidem in conscientiâ restituere teneatur. — Respondent auctores communiter affirmativè. Ratio est, quia cùm iste teneatur ex justitiâ id facere aut omittere, alter dare non debuit illi pretium : imò nec voluit nisi coactè et rationabiliter invitus, ac ad redimendam vexationem suam, eò quòd aliter facere nolebat quod debebat ; sicut qui solvit usuras involuntariè ad habendum mutuum, quod aliter obtinere non posset. Unde non transfert dominium pretii in accipientem qui proinde tenetur in conscientiâ illud eidem

restituere. Hinc judex ultra stipendium justum à lege taxatum aliquid accipiens à parte ad sententiam justam in ejus favorem ferendam, peccat et ad restitutionem tenetur. Item testis aliquid accipiens præcisè pro veritate dicendâ. Item alii officiales habentes stipendium taxatum, recusantes tamen aut dissimulantes vel procrastinantes officio suo fungi donec à partibus aliqua merces ipsis offeratur. Similiter uxor quæ nollet viro suo debitum conjugale reddere, nisi aliquod pretium ab eo acciperet. Item subditus qui nonnisi pro mercede vellet obedientiam prælato suo debitam reddere. Et sic de aliis qui pretium exigunt pro re, quam tenebantur præstare gratis et ex debito justitiæ, quia tunc dans nonnisi involuntariè donâsse censetur. Hinc si quis à te exigat pretium ne te occidat, ne furetur bona tua, et à nocumento injustè inferendo abstineat, tenetur illud tibi restituere in conscientiâ ante sententiam judicis, ob rationem jam allatam.

An autem idem dicendum sit de eo qui vult alium occidere, et in gratiam tuî abstinet ab eâ occisione pro pretio quod illi offers, an scilicet teneatur in conscientiâ tibi pretium acceptum restituere, controversia est inter doctores. Alii affirmant istum obligari in conscientiâ ad tibi statim ex naturâ rei et ratione iniquæ acceptionis ante omnem repetitionem restituendum pretium, utpotè contra justitiam acceptum, et datum involuntariè cum quâdam coactione, ac veluti ad redimendam vexationem injustam proximo illatam et pro omittendo nefario opere, quod ex justitiâ omittere tenebatur. Alii verò docent, sic accipientem pretium, peccare quidem mortaliter, non tamen teneri ad illud restituendum, quousque à te repetatur, et à judice condemnetur; quia licet iste gratis ab eâ actione injuriosâ absolutè abstinere teneatur, non tamen in tuî gratiam et obsequium, quod stando in jure naturæ est aliquid pretio æstimabile; nec illa datio censetur tibi involuntaria et necessaria, cùm id nihil tibi intersit; nec ea omissio occisionis proximi est tibi ex juxtitiâ debita : non enim peccaret contra justitiam erga te occidendo alium extraneum; neque aliquid juris habes ad impediendum eum qui non est tuus subditus. Ergo potest sibi retinere istud pretium, donec condemnetur. Et tunc in conscientiâ illud tibi restituere debet; idque solùm determinant leges civiles, ff. de Condit. ob turp. caus., l. 1, l. 2, l. 4, et l. ultim., et apud Gratianum 14, q. 5, cap. *Non sanè*.

Quæres secundò, an qui ab alio accipit pretium ad faciendum vel omittendum opus quod facere aut omittere tenetur non ex justitiâ, sed solùm ex charitate, religione, aliisque virtutibus, v. g., ut sacrum die festo audiat, ut jejunet in quadragesimâ, ut non mentiatur, non blasphemet, etc., ut curet, patrocinetur et opem ferat extremè indigenti, teneatur in conscientiâ acceptum restituere danti?

Alii negant, quia hæc facere aut omittere in gratiam alterius, meretur mercedem ab eo; non enim tenetur quis gratis in alterius obsequium præstare aut omittere operas suas liberas : neque obligatio charitatis aut alterius virtutis tollit ab eis valorem quem secundùm se habent. Adde quòd sola violatio justitiæ commutativæ inducit obligationem restituendi : in proposito autem non violatur, nec ulli fit injuria, ut de se patet; ergo, etc. Alii affirmant. Valet enim hæc consequentia : Iste gratis tenetur facere; ergo turpiter aliquod pretium exigit, quo illud faciat. Item potest aliquis mercedem illius actionis accipere. Ergo non tenetur eam gratis præstare : quæ enim gratis fieri debent, pro pecuniâ vendi nequeunt; aliàs esset aperta contradictio; et qui pecuniam dat, censetur involuntariè dare ejusque dominium non transferre, sicque conceditur eidem repetitio. Respondeo pro his actionibus aut omissionibus, neminem quidem posse exigere ac extorquere mercedem ab invito : posse tamen aliquid spontè liberèque oblatum recipere et retinere : in hoc enim nulli fit injuria, neque talis acceptio aliquâ lege prohibetur. Unde in his conventionibus communiter non offertur pretium per modum causæ finalis et principalis, sed tantùm munera offeruntur ad ea opera præstanda vel mala vitanda per modum invitantis, allicientis, et disponentis, nec non sub conditione, si iste ea opera bona ad quæ invitatur, efficiat, aut à malo desistat : constat autem non esse illicitum hoc animo donare et accipere.

Quæres tertiò, an qui recipit pretium ad perpetrandum opus de se intrinsecè malum contra justitiam et injuriosum ac nocivum proximo, illud in conscientiâ restituere teneatur; ut si Petrus det pecunias judici pro iniquâ sententiâ, aut testi pro falso testimonio, aut sicario ut interficiat Paulum, ut ejus domum aut segetes comburat, etc. Et inprimis non est controversia de reparatione damni injustè illati Paulo, vel parti adversæ litiganti. Certum quippe est restituendum esse, tam ab executore homicidii, iniquo judice, et teste, quàm ab eo qui homicidium consuluit, vel mandavit, aut pretium dedit; sed tota difficultas est an pretium acceptum sit restituendum à judice vel sicario accipiente. Insuper conveniunt omnes, istos hìc contrahentes mortaliter peccare : imò judicem et sicarium ante perpetratum maleficium teneri in conscientiâ rescindere contractum, et alteri restituere pretium; quia promissio, stipulatio et pactio de re turpi, ante rem completam est nulla, invalida et peccaminosa : ac in malis promissis fides rescindenda est 2-2, q. 4, cap. *In malis*. Solùm igitur quæstio est an malefactor post impletum opus, v. g., homicidium Pauli in gratiam Petri commissum, possit ab eo exigere pretium justum conventum, aut si jam acceperit, valeat illud sibi retinere, vel restituere teneatur ante sententiam judicis; circa quàm duæ sunt sententiæ.

Prima asserit accipientem pretium teneri in conscientiâ ad illud restituendum ante omnem repetitionem et condamnationem judicis. Quia ad eamdem virtutem justitiæ pertinet, præcipere opera justitiæ, et prohibere opera injustitiæ. Nam sicut ad justitiam pertinet jus suum unicuique reddere, ita et prohibere injustitiam, et impedire ne damnum innocenti inferatur. Ergo sicut judex tenetur gratis facere justitiam, itaque quoque gratis vitare injustitiam. Item licet illud

maleficium ut commodum mandanti, et laboriosum ac periculosum exequenti, videatur pretio æstimabile; quia tamen fit ex ordinatur ad injuriam et nocumentum grave innocenti inferendum, non potest nec debet compensari. Item qui dedit pretium, non abdicavit à se illius dominium, nec in alterum transtulit; quoniam per conventionem jure nullam et irritam, non transfertur dominium. Talem autem esse hanc conventionem patet ex l. *Juris gent.*, ff. de Pactis, l. *Generaliter*, ff. de Verb. oblig. et ex Gratiano 14, q. 5, can. *Non sanè*, qui desumptus est ab August., Ep. 54 ad Macedonium. Multùm tamen laborant hi auctores in assignandâ personâ cui tale pretium sit restituendum. Alii enim volunt tribuendum parti læsæ; alii pauperibus; alii ei qui dedit; alii fisco; alii ante judicis sententiam restituendum esse danti; post illam verò, illi cui à judice fuerit applicatum.

Secunda verò sententia docet post patratum maleficium, teneri promittentem solvere pretium, et accipientem posse sibi retinere nec obligari in conscientiâ ad illud restituendum : tum quia sicut iste adimplevit quod promiserat in contractu oneroso, ita par est ut ille etiam adimpleat contractum promissum solvendo pretium; tum quia promissio illa pecuniæ quamvis adimpleri sine peccato nequeat, quamdiù participat malitiam pravi operis, seu ante factum, benè tamen post factum : tunc enim non participat illam malitiam nec ad peccatum inducit, potestque fieri tunc absque probatione, imò et cum detestatione peccati, et cum proposito illud non committendi de cætero; tum quia licet hæc actio ut injuriosa proximo et offensa Dei formaliter et reduplicativè considerata, sit prorsùs invendibilis nulliusque valoris, materialiter tamen sumpta prout est actio humana, laboriosa, ac periculosa elicienti, et commoda ac utilis mandanti, sub hâc ratione censetur pretio æstimabilis, sicut et aliæ actiones humanæ vitæ conducibiles; aliàs sequeretur quòd faber acuens gladium ex pacto alterius qui vult occidere hominem, teneretur ad restitutionem pretii pro suo labore. Item quòd miles stipendio conductus ad bellum iniquum, teneretur ad stipendium restituendum. Item quòd adultera recipiens mercedem ab adultero, teneretur ad illius restitutionem, quæ omnia constat esse falsa. Tandem tanta est discrepantia inter auctores asserentes faciendam tunc esse restitutionem, in assignandâ personâ cui fieri debet, ut magnum argumentum sit, nullam esse faciendam, idque magis constabit ex impugnatione illorum dicendi modorum.

Et inprimis tale pretium non est restituendum læso : licet enim habeat jus naturale ut sibi compensetur damnum illatum : non tamen ut sibi detur pretium pro actione læsivâ datum et acceptum. Neque pauperibus est tribuendum, cùm habeat certum dominum cui restitui potest : nam restitutio facienda est vero domino comparenti, nisi fortè propter crimen in pœnam illâ re privetur. Atqui juxta adversariorum sententiam necessariò dicendum est, quòd qui pretium dedit, adhuc remanet illius dominus, cùm non transtulerit nec transferre potuerit ejus dominium, lege positivâ impediente : et quòd non est illo domino spoliatus, cùm id solùm contingat post judicis sententiam; lex enim quæ repetitionem pretii prohibet est solùm pœnalis, proindeque non obligat ante condemnationem. Ergo si facienda sit restitutio pretii, non læso, non pauperibus neque alteri quàm illi qui dedit, fieri debet. Quòd verò neque huic sit facienda, inde colligitur, quòd pretium sponte et contractu oneroso dederit, et alter non acceperit nec retineat illo invito, sicque liberè à se abdicavit illius dominium, ac in malefactorem transtulit opere completo, quasi emendo aut locando operas illius ad rem faciendam sibi conducibilem et alteri laboriosam, ac periculosam, pretio æstimabilem, ineundo contractum innominatum : scilicet *do*, *ut facias*, qui licet sit injuriosus et contra justitiam per ordinem ad læsum, non tamen per ordinem ad ipsum mandantem, ut patet. Ergo accipiens pretium non tenetur in conscientiâ restituere danti, nec alteri, sed poterit sibi retinere : tum quia fecit aliquid pretio æstimabile in gratiam alterius; tum quia nullâ lege redditur inhabilis, aut impeditur translatio dominii : in quo ista conventio differt à conventione simoniacâ, in quâ res spiritualis est indivisibilis, et pecuniâ non compensabilis; ideòque leges impediunt translationem dominii in accipientem, reddendo ipsum inhabilem, et ipso facto privant dantem ejus repetitione.

Resp., spectando solùm jus naturæ, malefactorem non teneri in conscientiâ restituere pretium acceptum opere completo; sed posse sibi retinere, prout satis superque convincitur argumentis pro secundâ sententiâ adductis. Jus tamen positivum reprobat hujusmodi pactiones pro delictis contra justitiam, ut constat ex locis adductis pro primâ sententiâ et ff. de Condict. ob turpem causam, l. 2 et 3, ac denegat actionem et repetitionem pretii ei qui dedit pro maleficio perpetrando : ibidem et cod. eod. tit., l. 2, et de Regul. jur., in 6, dicitur quòd in pari delicto et causâ, melior est conditio possidentis : cùm ergo isti contrahentes sint in pari turpitudinis gradu, qui pretium accepit, meliorem habet conditionem, nec tenebitur restituere alteri qui dedit, sed alteri cui judex applicuerit post condemnationem, ut volunt aliqui : eò quòd leges istæ sint pœnales, prohibeantque actum, non verò lucrum. Alii verò sentiunt hujusmodi leges declarare tales stipulationes et promissiones nullas et irritas, ac accipientem reddere inhabilem et incapacem translationis dominii, sicque teneri in conscientiâ, ante etiam judicis sententiam, illud restituere, in pia opera expendendo juxta consilium prudentis viri aut confessarii, ut fit de rebus simoniacè datis et acceptis, quo exemplo utitur D. Thomas hìc : per hoc innuens idem sentiendum de aliis facinoribus, in quibus datio et acceptio est de se et intrinsecè mala, maximè quando vergit in nocumentum tertii. Quid autem circa aut jura humana statuerint, non est adeò clarum. Potuerunt siquidem tales pactiones et promissiones irritare illisque resistere, ac malefactorem ipso facto reddere incapacem dominii pretii accepti. Quod an reverà fecc-

rint, non mihi constat. Unde super hoc consulendi sunt jurisperiti.

Quæres quartò, an publicæ meretrices, aliquid tanquàm mercedem pro copulâ à viro exigere, et acceptum retinere valeant, aut restituere teneantur. — Resp. post habitam copulam, eas posse retinere pretium datum; imò et habere actionem in foro exteriori ad exigendum pretium promissum, si non fuerit illis datum. Imò si nullo constituto pretio copiam sui corporis fecerint, cogetur fornicarius solvere pretium consuetum, eò quòd illæ pro eo et non gratis copulam admisisse censeantur, idque attendere debebat fornicarius. Probat Bannes ex communi omnium nationum usu. Etenim publicæ meretrices non solùm permittuntur in republ., sed etiam defenduntur petentes pretium usûs sui corporis, et ff. de Condict. ob turp. causam, l. 4, conceditur ipsis actio ad petendum pretium, ac decernitur datum non posse repeti. Imò et in conscientiâ fornicarium post habitam copulam teneri ad solvendum pretium colligitur ex hoc quòd meretrix tunc exigat quod ei debitum est ex justitiâ pro usu et locatione sui corporis : sicque fornicarius non solvendo, actum injustitiæ committit. Probat 2° ex Scripturâ, Genes. 38, ubi legitur Judam fecisse pactum cum Thamar, quam existimabat meretricem, et post copulam sollicitum fuisse de pretio eidem solvendo. Item Ezech. 16 : *Omnibus meretricibus pretium datur*, etc. Et tandem Proverb. 6 : *Pretium scorti vix est unius panis*. Pretium tamen est, licet exiguum et vile. Probat 3° ex D. Thomâ, 2-2, quæst. 32, art. 7, ad 2, ubi ait, quòd *mulier quæ meretricium exercet, turpiter agit, et contra legem Dei. Sed in eo quòd accipit, non injustè agit, nec contra legem. Unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest, et de eo eleemosyna fieri.* Et quæst. 62, art. 5, ad. 2, clariùs idem asserit. Probatur tandem ratione, quia lucrum pro copulâ lege non prohibetur, nec recipitur pro eâ formaliter ut est offensa Dei, sed solùm materialiter, prout est actio humana, physica, conducibilis, delectabilis, et pretio æstimabilis apud homines; quoniam si puella consentiat viro petenti copulam, eâ conditione, ut postea ducat eam in uxorem, eâ habitâ justè poterit femina exigere adimpletionem promissi matrimonii; dabitur eidem actio in judicio, et compelletur vir eam ducere, vel dotare. Ergo multò magis poterit pretium copulæ promissum exigere ac retinere. Hinc fit alias mulieres clanculùm uni aut paucis viris copiam sui corporis facientes, justè posse pro eo usu pretium accipere et sibi retinere, cùm exhibeant materiam actûs delectabilis : vendere enim et locare operas suas quantùm ad hoc secretò aut publicè, nihil prorsùs refert : imò et majus pretium quàm meretrices exigere possunt. Non tamen ipsis conceditur actio ad exigendum in judicio promissum pretium : Cod. de Condict. ob turp. causam, l. *Mercatem*. Imò eo privabuntur ob hujusmodi delictum per judicis sententiam, antequàm proinde possunt sibi retinere, cùm lex non reddat ipsas inhabiles.

In quibusdam tamen casibus meretrices, tam publicæ quàm secretæ, pretium recipere ac retinere nequeunt. Primò si fornicator non sit sui juris, ut filiifamiliàs et minores, qui tamen censentur tantùm meretrici posse dare, quantùm ex decentiâ statûs et voluntate interpretativâ parentum ludo et aliis recreationibus expendere possunt. Quidam idem dicendum putant de religiosis professis : alii verò rationabiliùs id negant, quia superior ad eum finem et causam religioso aliquid dare non vult nec validè potest, unde accepta monasterio sunt restituenda. Secundò si pretium à meretrice acceptum fuerit excessivum habitâ ratione facultatis et conditionis tum viri persolventis, tum mulieris recipientis : restituendus est enim ille excessus justi pretii, maximè si mulier superfluè ad fraudem et dolum extorserit, ut docet D. Thomas loco citato. Ratio est, quia quantùm ad hunc excessum, dans censetur rationabiliter invitus. Igitur si pretium alicubi sit taxatum, illud justè exigi potest. Ubi etiam pactum legitimum de pretio moderato et proportionato intervenerit, servandum erit. Quòd si nullum præcessit pactum de pretii quantitate, arbitrio boni viri juxta debitas justitiæ regulas, erit taxandum. Ex dictis hactenùs colligitur, quòd quando opus pro quo datur pretium non est per se peccatum, nec datio est ex objecto mala, sed tantùm per accidens ex circumstantiâ loci, temporis, personæ, scandali, voti, juramenti, etc., accipiens pretium licitè illud sibi retinet. Ut si quis in die festo, aut in loco sacro merces suas vendat justo pretio, aut locet operas suas, aut si hospitibus advenientibus carnes in quadragesimâ præbeat ad cœnandum, etc. Ratio est, quia emptio illa aut locatio rei alioqui pretio æstimabilis, non est de se illicita, sed tantùm per accidens ratione circumstantiæ. Quamvis autem peccatum committatur in eo quòd violetur dies festus, aut profanetur locus sacer, atque adeò pro illâ violatione pretium accipi nequeat, benè tamen pro re quæ venditur, quæque non propterea amittit suum valorem. Ergo, etc.

Articulus III.

Cui facienda sit restitutio rei, quando ejus dominus non comparet, puta quia aut est mortuus, aut ignotus, aut absens.

Divus Thomas hìc, art. 5, ad 3, hanc statuit regulam dicens, quòd *si ille cui fieri debet restitutio sit omninò ignotus, debet homo restituere secundùm quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus; præmissâ tamen diligenti inquisitione de personâ ejus cui est restitutio facienda. Si verò sit mortuus ille cui facienda est restitutio, debet restitui hæredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso. Si verò ille sit multùm distans, debet ipsi transmitti quod ei debetur, et præcipuè si sit res magni valoris, et possit commodè transmitti : alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, et domino significari :* ubi D. Thomas tres casus numerat in quibus rei dominus dicitur non comparere. Primò, quando est omninò ignotus, et tunc dicit illam rem esse restituendam et impendendam in elee-

mosynas, seu in opera pia, distribuendo non solùm pauperibus, sed etiam ecclesiæ, monasteriis, xenodochiis, etc. Secundò, quando dominus erat notus, sed jam obiit. Et tunc dicit restituendam esse ejus hæredibus. Tertiò, quando est notus et vivit, sed distat. Et tunc dicit transmittendam esse in locum ubi est dominus, maximè si sit res magni momenti, etc. Qui tres casus sunt à nobis diligenter examinandi.

§ 4. *Cui restituenda sit res quando ejus dominus est ignotus.*

Conveniunt omnes dominum moraliter loquendo non censeri ignotum, donec in eo inquirendo et inveniendo præcesserit sufficiens diligentia arbitrio boni viri juxta qualitatem negotiorum, rerum, locorum, temporum et personarum: aliàs culpabiliter esset ignotus, ex parte ejus qui rem alienam habet, ac de eo verificaretur istud: *Noluit intelligere: ut benè ageret.* Conveniunt insuper, dominum non esse omninò ignotum, quando jam factâ sufficienti diligentiâ et inquisitione, etsi non constet determinatè quisnam sit verus dominus, constat tamen esse Petrum aut Paulum, solùmque dubitatur an sit potiùs iste quàm alter. Tunc enim res inter ipsos dividenda erit juxta dubii proportionem. Nec etiam dominum dici ignotum, quando etsi neque determinatè neque disjunctivè constet de personis particularibus, ad quas hujusmodi res spectat, constat tamen de oppido in quo damnum fuit illatum, aut cujus erat civis verus illius dominus. Tunc enim restitutio facienda est illi communitati; tum quia verisimile est quòd in eo oppido maneant saltem hæredes veri domini: tum quia præsumitur quòd verus dominus in tali casu habeat voluntatem interpretativam, ut illi oppido restituatur ob amorem erga patriam, quem quisque præsumitur habere. His positis,

Dico quòd quando factâ sufficienti diligentiâ, dominus manet omninò incertus tam in particulari, quàm in generali, qui habet rem alienam, non est propterea immunis à restitutione, cùm plus habeat quàm justè habere debeat, nec à lege, neque à domini præsumptâ rationabili voluntate, rei dominium acquirat, sicque remaneat aliena. Sed si nulla prorsùs verisimilis et probabilis spes affulgeat inveniendi dominum post sufficiens tempus dilatæ restitutionis, ita ut moraliter censeatur impossibile quòd comparere et rem suam recuperare valeat, tunc pauperibus restituenda est, piisque pauperibus impendenda. Rationabiliter enim præsumendum est, dominum velle potiùs rem suam in pios usus sibi ad animæ salutem utiles expendi, quàm appropriari possessori, præsertim diviti, aut malæ fidei, prout ostensum est supra art. 7, dùm de furto rerum inventarum sermo erat; unde ex hâc præsumptâ domini voluntate introduci potuit consuetudo universalis et usus communis hujusmodi bona incerta expendendi in pia opera. Nec non legibus humanis id sancitum fuit, cap. *Cùm tu* de Usuris, et cap. *Quanquàm* eodem tit. in 6, et cap. *Non sanè* 14, q. 5, quæ jura licet expressè tantùm loquantur de acquisitis per usuram, simoniam, aliisque malè partis, ex communi tamen consuetudine, et interpretatione extenduntur etiam ad alia omnia bona incerta aliena, sive ex parte rei acceptæ, sive ex acceptione justâ et ex contractu habita, ut colligitur ex illo cap. *Non sanè*, ex eod. de Success. collat. 10, leg. penult. et ex authent. *Omnes peregrini*, ubi decernitur quòd bona peregrini morientis absque testamento, distribuenda sunt pauperibus aut piis operibus, si legitimis hæres non compareat: quæ leges sunt sanctæ et justæ, ad scilicet impediendum nè homines alienis ditescant, ac pluribus injustitiis præcludatur via. Imò sunt juri naturali conformes. Ratio enim naturalis dictat rem illam non debere cedere in bonum possidentis, sed potiùs in utilitatem domini expendendam esse, cujus ea præsumitur mens et voluntas, ut si de facto sibi restitui non possit, in aliquam suam utilitatem saltem spiritualem quomodò solùm ad eum pervenire potest, expendatur. Ita D. Thomas loco citato et adhuc expressiùs in 4 sent., dist. 15, ubi dicit, quòd pauperes sunt hæredes hujus domini incerti, qui non propterea amisit bonorum illorum dominium, censeturque ea in pios usus pro suâ utilitate spirituali expendi velle, et ut ait Cajet. in Summâ: « Mortuo succedit hæres, ignoto verò « post exactam diligentiam succedit Christus de quo « scriptum est, quòd est hæres universorum. » Fitque restitutio Christo, quando res pauperibus erogatur, juxta illud Matth. 25: *Quamdiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Sicut ergo jure naturæ mortuo succedit hæres, ita et pauperes huic domino ignoto succedunt.

Vel dicendum quòd hujusmodi bona jure naturæ efficiuntur reipub. seu in usum publicum veniunt, sicut erant ante divisionem jure gentium factam; principes autem maximè pontifices potuerunt decernere et de facto statuerunt, ut in usus pauperum, piaque opera insumerentur: quoniam superflua eroganda sunt in pios usus et eleemosynas: hæc autem bona incerta, reipub. videntur esse superflua. Plura vide tract. de Just., disp. de Restit., in quo ostenditur primò, esse quidem expediens ac rationi valdè consonum, hanc restitutionem facere auctoritate episcopi, et de consilio prudentis confessarii: absolutè tamen et ordinariè id non esse necessarium multis videtur, sed per se loquendo habentem hujusmodi bona incerta, posse absque tali assensu restituere pauperibus: tum quia jura nullam mentionem faciunt assensûs; tum quia ratio naturalis potiùs suadere videtur, ut persona obligata per seipsam restituat: sic enim meliùs et certiùs obligationi suæ satisfacit, suamque conscientiam exonerat, quàm restituendo per alium, tum denique, quia si dominus compareret, nulla foret necessaria facultas episcopi ad illi restituendum. Ergo neque in nostro casu ad restituendum ejus hæredibus, nempè Christo et pauperibus. Nec obstat quòd plures episcopi in constitutionibus Synodalibus hujusmodi distributionem sibi reservent. Respondent enim Bannes, Navarrus,

Lopes, Sylvester, et alii, quòd si hujusmodi leges sint justæ, debent intelligi tantùm de peccato quod committunt ii qui hujusmodi bona pauperibus non distribuunt, ejusque absolutionem reservare possunt episcopi : non tamen propterea huic pœnitenti prohibere ut per se restituat, si velit et possit eam restitutionem ritè facere, nec sit aliunde suspectus de malâ fide, quo modo intelligendus est textus in cap. *Quanquàm*, de Usuris in 6, et cap *Cùm sit*, de Judæis. Et D. Thomas in 4 sent., dist. 15, q. 1, art. 5, q. 4, ad 3, et opusc. 12, ad ducissam Brabantiæ, vel, ut ait Sotus, D. Thomas vult, esse de consilio et non de præcepto, assensum et auctoritatem episcopi aut parochi adhibere in hâc restitutione faciendâ. Vide D. Antoninum, 2 p. Sum., tit. 2, cap. 4, et Sylvestrum, v. *Restitutio*, q. 8, num. 5 et 6, nisi fortè constaret de voluntate episcopi id jubentis, ut addunt aliqui.

Ibidem insuper ostenditur, quòd iste debitor non tenetur ex necessitate absolutè distribuere pauperioribus, nisi forent in extremâ necessitate constituti, sed sufficit quòd verè pauperes eligat : jura enim solùm decernunt bona hæc pauperibus restituenda esse, nec pauperioribus aut melioribus ea applicant. Imò iste debitor potest sibi retinere, aut suis consanguineis et familiaribus elargiri, si verè sint pauperes, si necessitas fuerit certa et evidens, eaque distributio fiat absque fraude et dolo : non enim debet esse deterioris conditionis, quàm alii pauperes. Quando autem necessitas non est ita certa, non debet iste sibi aut suis hæc bona applicare sine auctoritate, assensu et consilio parochi aut prudentis confessarii, ne proprio affectu et judicio in suâ causâ decipiatur. Ubi autem semel cum tali assensu ista bona sibi aut suis applicaverit, non tenetur ampliùs ad restitutionem, etiamsi ad pinguiorem fortunam venerit : id tamen solùm intelligendum est de bonis quæ consumpsit ut propriæ indigentiæ subveniret : non enim omnia ordinariè sibi sumere debet, sed ea tantùm quæ illi necessaria vir prudens judicaverit ; alia verò reliquis pauperibus distribuere.

Ibi denique ostenditur quòd si post factam legitimè distributionem omnium hujusmodi bonorum præmissâ diligenti ac sufficienti inquisitione dominus compareat ; nihil eidem restituere tenetur. *Bona fides enim non patitur ut semel exactùm iterùm exigatur*. De reg. juris, in 6. Nec habet obligationem restituendi ex parte rei acceptæ, cùm nihil apud ipsum remaneat, et in nullo factus sit ditior, ut suppono ; neque ratione acceptionis, quia bonâ fide totum distribuit quibus tunc debebat, ut satisfaceret suæ obligationi. Ergo, etc. Secùs dicendum si non adhibuerit sufficientem diligentiam ad inquirendum dominum ; cùm usque ad illam dominus non sit judicandus ignotus, et injustè re suâ spolietur. Unde factâ sufficienti diligentiâ optimum consilium est, rem illam apud superiorem aut magistratum deponere, aut juxta illius consilium et assensum in pauperes distribuere : tunc enim factâ restitutione, tutus manet in utroque foro.

§ 2. *Cui facienda sit restitutio rei, quando ejus dominus est quidem certus, sed obiit, aut longè distat.*

Quando ille cui restitutio est facienda jam obiit, bona restitui debent ejus hæredibus, sive necessariis, sive ab intestato, sive testamento, etc., quia ejus personam repræsentant, ac in ejus jura et debita tam activa, quàm passiva succedunt. Quòd si res restituenda sit alicujus valoris, tunc coram judice, juxta morem et consuetudinem provinciæ, facienda est hæredum sufficiens et debita inquisitio, quando non comparent ; quâ adhibitâ, si nulli inveniantur, tunc ex ejusdem judicis decreto, in pauperes et opera pia pro animâ defuncti expendi debet, nihilque postea apparentibus hæredibus debitor restituere teneretur : secùs si propriâ auctoritate sic expendisset.

Absenti domino rei, si fideliter et facilè mitti potest, transmitti debet vel saltem reponi in aliquo loco tuto, ipsique significari, ut de eâ in tali loco existente disponat, nisi fortè res tam parva sit, et distantia tanta, ut arbitrio boni viri censeatur dominus ratum habere quòd detur Christo pro suâ animâ. Verùm quando res non sine sumptibus foret transmittenda, ad dignoscendum quis debeat illos facere, distinguendum est de restitutione quæ consurgit tantùm ratione rei acceptæ, aut acceptionis justæ absque morâ culpabili debitoris, in reddendo, et de eâ quæ oritur ratione acceptionis iniquæ. Possessor enim bonæ fidei, rem quam existimabat suam, quandò scit esse alterius, non tenetur propriis expensis transmittere ad illum, sed si longè distet, debet ipsum monere, ut ad rem suam accipiendam veniat, aut mittat aliquem, aut disponat quid sit agendum. Cum enim iste habeat rem alienam absque culpâ, non debet puniri, reddendo rem cum proprio damno, faciendo illas expensas. Idem dicendum de eo qui rem invenit, nec longè à domino discessit de industriâ secum rem asportando, ne dominus de facili ac sine sumptibus eam recuperare posset ; solùm enim tenetur reddere rem in loco ubi eam invenit. Idem dicendum de debitore ex justâ acceptione, seu contractu aut quasi contractu. Regulariter enim solùm tenetur reddere rem ubi accepta fuit aut contractus celebratus, nisi in eo alius locus solutioni destinatus fuerit ; tunc debet illam suis sumptibus illùc transmittere si in propriam utilitatem acceperit, sumptibus verò creditoris si in ejus utilitatem servat, ut in deposito : cessante igitur morâ culpabili, fraude et injusto recessu, non tenetur iste debitor rem debitam propriis sumptibus mittere ad dominum, qui ante solutionis terminum mutavit domicilium et longè distat, sed sufficit ut solvat in loco convento, et id domino significet : cum enim non fuerit in culpâ, non debet reportare damnum.

Possessor verò malæ fidei, qui tenetur restituere ratione injustæ acceptionis, nempe furti, usuræ, etc., tenetur propriis expensis rem alienam ad dominum distantem transmittere, si fuerit alicujus momenti, ac transmitti possit. Quoniam ipse semper fuit in morâ et in causâ iniquâ quòd dominus non potuerit re suâ uti antequàm perveniretur ad hunc articulum necessitatis,

ut oporteat ad illum mitti. Nec dominus innocens debet hoc gravi damno puniri. Adde quòd lex restitutionis exigit, ut dominus in pristinum statum reponatur ac servetur indemnis. Atqui si rem suam nonnisi magnis sumptibus recuperare posset, non servaretur indemnis, nec repararetur æqualitas debita. Ergo, etc. Unde per accidens quandoque est necessarium ut fur plus expendat quàm acceperit, et faciat majores expensas in eâ transmissione, quàm res valeat; ad hoc scilicet ut dominus reponatur in pristinum statum. Hinc etiam fit, quòd si dominus habuisset rem illam dùm discessit, eam secum asportâsset cum aliquo sumptu; tunc fur non tenetur eò sumptu proprio eam transmittere; sicut enim dominus non debet reportare damnum ex eâ injuriâ, ita nec lucrum, seu non plus recipere quàm habere debeat : aliàs non sufficeret restituere simplum; quod tamen est falsum. Secùs dicendum si dominus nullas vel paucas expensas facturus erat aliquâ interveniente bonâ fortunâ, vel industriâ vel amicitiâ alterius : tunc enim latro nihil deducere potest, sed rem illam ad dominum distantem propriis expensis transmittere debet.

Ex his duabus regulis facilè resolvi possunt casus particulares in praxi occurrentes : necnon alia quæstio huic affinis, nempè si res pereat dùm transmittitur, an domino seu creditori pereat, vel debitori et mittenti. Si enim sit tantùm restituenda ratione rei acceptæ, et commissa fuerit communi bajulo, aut fideli nuntio, vel pro tali reputato, tunc perit ipsi domino cujus negotium utiliter peragitur, nec alius tenetur ampliùs restituere; fecit enim totum quod in se erat, nec in suam utilitatem habebat rem mittendam, inventam, aut depositam, aut conductam. Quando verò res quæ mittitur non est eadem numero, sed æquivalens, ut pecunia mutuata vel alia res quæ accipit functionem, tunc sive fuerit debita ratione acceptionis justæ, sive injustæ, et committatur etiam nuntio fideli, perit non creditori, sed debitori, qui in suam utilitatem tantùm illam accepit, ejusque dominium penès se habet : qui enim sentit commodum, æquum est ut damnum sentiat. Idque confirmat Bannes, quoniam si talis debitor haberet rem illam paratam ut restitueret vero domino, v. g., pecuniam numeratam in mensâ suâ, et fur accederet qui eam clam subriperet; procul dubio adhuc iste debitor domino restituere teneretur : eadem autem est ratio, si pereat in viâ.

Observat autem idem Bannes, quòd si cum consensu domini ea res fuerit commissa bajulo ordinario, vel alteri ab ipso misso, aut electo, et designato, tunc semel illi tradita, periens vel casu fortuito, vel culpâ internuntii, ipsi creditori seu domino, et non debitori perit : tùm quia voluntas et consensus domini illum debitorem excusat; tùm quia in hoc casu nuntius gerit quasi unam personam cum domino, qui veluti alterius cautionem exhibet, et accepta illam traditionem, quasi sibi factam solutionem. Ergo, etc. Secùs dicendum si ille nuntius fuit tantùm missus à domino ut debitorem de solutione admoneret, non autem ut illi rem traderet : ille enim non censetur tunc unam personam cum creditore facere tandem possessor malæ fidei, ut fur, quomodocumque rem alienam transmittat ad dominum, etiam per fidelissimum inter bajulos à se electum, si etiam casu fortuito perire contingat, non eodem modo peritura apud dominum, semper restitutioni manet obnoxius, nec unquàm ab isto onere liberatur, quousque de facto ad domini manus pervenerit : unde quamcumque diligentiam adhibeat, semper ipsi perit, quantùmvis non sit illius dominus, ejusque valorem vero domino restituere tenetur, ut sic indemnis servetur cessetque malitia injustæ acceptionis, quæ perseverare censetur, quamdiù dominus rem suam recuperaverit.

Articulus IV.

Quinam ordo sit servandus inter personas quibus facienda est restitutio.

Quando debitor certus est se habere sufficientia bona ad satisfaciendum omnibus creditoribus et de facto habet, tunc non est necessariò servandus aliquis ordo : dummodò enim tempore constituto singulis solvat, præcisè ex ipsâ ordinis immutatione, neminem jure suo defraudat, nullique injuriam facit : solùm igitur procedit difficultas in casu quo non ipsi suppetunt facultates ad omnibus creditoribus satisfaciendum.

Et inprimis certum est, priùs solvenda esse debita certa quàm incerta, seu quorum creditores ignorantur tam in communi quàm in particulari, et quæ forent pauperibus distribuenda : hi enim minus jus habent in bona creditoris incerti, quàm habeat creditor certus in bona sibi debita et quæ illi sunt restituenda; et ipsa naturalis æquitas postulat ut priùs avertatur damnum personæ certæ, quàm omninò ignotæ. Si tamen res credita debitori incerto, extet eadem numero, ut calix consecratus, restituendus est Ecclesiæ, quia debitor tenetur creditoribus certis satisfacere ex bonis propriis et non ex alienis, seu quorum non habet dominium. Hinc etiam fit ut debita certæ personæ priùs solvenda sint quàm legata pia, cùm eleemosyna, aut oblatio ex propriis, et non ex alienis fieri debeat, nec omittenda sint præcepta et debita ex justitiâ propter consilia et supererogationes. Ita D. Thomas opusc. 75, de Usur., cap. 18. Sylvester, v. *Restit.*, q. 6, num. 6, et verb. *Hæreditas*, q. 3, num. 9. Petrus à Navar., lib. 4 de Restit., cap. 6, num. 7, et q. 10, num. 47. Hinc fit quòd si res debita, adhuc extet eadem numero, ejusque dominium in debitorem non fuerit translatum, ut in rebus depositis, pignoratis, commodatis, furto sublatis, reddenda sit creditori utpotè ejus domino : res autem semper clamat pro domino suo, et ex propriis, non verò ex alienis facienda est restitutio. Hinc etiam fit quòd si res vendita non persoluto pretio extet apud emptorem, venditor quoad illam rem præferendus sit aliis creditoribus : videtur enim ab æquitate alienum quòd ista res alteri tradatur : et licet ejus dominium per traditionem in emptorem transierit, ex jure tamen civili

manet semper obligata solutioni, quamdiù non est alienata aut consumpta, sed invenitur adhuc in suâ formâ apud emptorem; et in nostro casu quasi rescinditur emptionis contractus, habetque venditor duplex jus, scilicet in personam et in rem ipsam. Certum est insuper obligationem onerosam, liberali et gratuitæ præferendam esse, quantumvis tempore posteriorem, v. g., præferendam esse obligationem ex mutuo aut emptione, obligationi ex legato vel donatione, vel simplici promissione : tum quia ista est de justitiâ, altera verò de consilio ; tum quia creditor ex contractu oneroso majus detrimentum pateretur, quàm alius ex donatione gratuitâ; tum quia se obligans gratuitò, ad id solùm tenetur, quod potest : in nostro autem casu, non potest promissionem implere obstante debito ex contractu, et mutato rerum statu. Ergo, etc. Certum est insuper priùs solvenda esse debita realia, quæ scilicet rem aliquam certam obligatam habent, quàm personalia, quæ scilicet personam tantùm debitoris obligatam retinent, quia strictiùs sunt debita, cùm directè tribuant jus in illas res hypothecatas, et indirectè in personam debitoris : debita verò personalia solummodò jus tribuant directè in personam et indirectè in bona debitoris.

An autem debita ex contractu oneroso licito personalia, et quando res non extat in specie, v. g., ex mutuo, locatione, etc., sint priùs solvenda quàm debita personalia ex contractu illicito, et ex delicto, v. g., ex usuris, ex furto, etc., quidam affirmant, aliqui negant. Alii verò probabiliùs docent inter ista debita nullum ordinem ex necessitate esse servandum, sed debitorem quæ priùs maluerit solvere posse. Supposito enim quòd res in specie non extet, nec ulla sit realis hypotheca, aut privilegium personale, sed tantùm persona debitoris obligata, nullo jure aut infirmâ ratione probatur unum ex his creditoribus esse aliis præferendum : jura enim potiùs statuunt inter debita personalia nullam habendam esse temporis rationem, nec distinguunt an licitè vel illicitè fuerint contracta : unde in foro judiciali unum alteri non præfertur. Adde quòd non minùs est debitum ac restitutioni obnoxium illicitè contractum, quàm licitè; bonaque debitoris non sunt magis hujus, quàm illius, et consequenter omnes habent jus ad illa. Pari ratione debita ex delicto contracta inter se, restituenda sunt pro ratâ omnibus læsis nec priùs necessariò restituenda sunt quæ cum majori injuriâ contrahuntur : sed vel omnibus pro ratâ, si simul accedant dividenda esse constat, vel primo venienti et petenti, totum aliquando esse solvendum, juxta inferiùs dicenda. Certum est præterea servanda esse statuta municipalia et leges locorum quibus ordo satisfaciendi creditoribus determinatur, quando non repugnant juri naturæ, et non sunt iniqua ; si verò nullum statutum extet, servandum est jus commune : et ubi diversitas opinionum occurrit, tutior pars est eligenda, si vera nescitur. Oportet igitur nos esse cautos in hujus judicio, interrogando si ibi extent aliqua statuta de hoc, et consulere peritos an justificata sint. Si namque contra prædicta pugnarent, tuta non viderentur, nisi fortè aliter disponerent de rebus emptis, quia pro communi bono creditorum certorum, quos oportet aliquid perdere de suo, tolerabile videtur, ut res emptæ ac possessæ extantes licet non solutæ, inter bona debitoris computarentur, sicut alia, quoniam hoc etiam pro communi bono civitatis videtur, et non est contra jus naturale. Ita Cajetanus in Summâ, v. *Restitut.*, cap. 8. Examinandum superest, quid jus commune statuat circa ordinem restituendi.

Dico primò, creditores hypothecarios præferendos esse creditoribus personalibus, etiam antiquioribus, etiam privilegiatis? l. *Eos.* Cod. qui potior in pign., l. *Prodebit.* Cod. de Bonis jud. aut. poss. Ratio est, quia hypothecarius habet speciale jus et actionem in rem obligatam : hypothecæ enim et pignora dantur in securitatem et prælationem solutionis.

Si creditores habentes hypothecam expressam concurrant inter se petentes restitutionem, præferendi sunt in eâ re, qui anteriorem habent in illâ hypothecam, ex l. *Potior*, et ex l. *Qui balneum*, ff. qui potior in pign. et ex reg. juris in 6 : *Qui prior est tempore, potior est jure.* Ratio est, quia res alicui obligata et quasi alienata, non potest regulariter absque ejus voluntate transire in jus alterius. Dixi *regulariter :* quibusdam enim casibus, singulari jure et privilegio posteriores creditores hypothecarii anterioribus præferuntur, ut constat de fisco, l. *Si is qui*, ff. de Jure fisci. Item de muliere dotem repetente, l. *Assiduis* et ex l. *Qui potiores*, ff. qui potiores. Item de eo qui credidit seu mutuavit pecuniam ad constructionem, refectionem et conservationem rei, v. g., domûs vel navis jam alteri obligatæ, l. *Interdùm* et l. *Cujus enim*, ff. qui potiores in pignore. Et sic de aliis. Quare regula jam allata habent locum quando creditores in aliis omnibus sunt pares excepto tempore : tunc enim solùm obligatio et hypotheca quæ prior est tempore, dat primum et potius jus.

Post istos creditores veniunt qui tacitam habent impignorationem seu hypothecam, qui proinde præferendi sunt personalibus seu chirographariis. Porrò hypotheca tacita est quæ à lege fit et contrahitur, ut res dotales : bona enim viri sunt tacitè hypothecata pro dote uxoris sibi traditâ, l. *Assiduis*, cod. qui potiores. Et ex Innocentio III, tit. de Pign., cap. *Ex litteris.* Item bona illius qui cum fisco contraxit, aut respub. quæ pecuniam alicui credidit, vel tributa colligenda tribuit, etc., cod. quibus causis., l. 2, et l. *Quamvis*, de privilegio fisci. Item bona prælati sunt tacitè hypothecata pro malâ Ecclesiæ administratione. Ex glossâ, cap. *In litteris.* Item domus vel navis constructa vel conservata per pecuniam ab aliquo mutuatam, manet ipsi tacitè hypothecata, ff. qui potior in pign., l. 2 authent. de collat. dotis, § *His consequens.* Post tacitam hypothecam habentes, veniunt depositarii, id est, deponentes et commodantes, quando res jam non extat, aut non est reddenda eadem numero, sed specie, ut pecunia deposita l. *Si hominem*, ff. Depositi. Post hos veniunt habentes actiones perso-

nales, inter quos præferuntur privilegiati seu habentes privilegio personalia. Tandem post hos omnes veniunt creditores merè personales, qui scilicet nullam hypothecam tacitam aut expressam, vel pignus, vel privilegium, sed solam actionem personalem, qui à juristis vocantur creditores chirographarii. Inter istos nulla habenda est ratio temporis et anterioritatis, sed si postquàm aliis creditoribus satisfactum est, aliquid supersit ex bonis debitoris, pro ratâ illis tunc accedentibus et parentibus dividendum erit, l. *Privilegia*, ff. de Privil. cred. et l. *Si hominem* ff. Depositi. Hinc fit quòd is qui in debiti exactione, et solutionis petitione alios prævenit, melioris sit conditionis, et sibi quisque suam in petendo negligentiam imputare debeat, l. *Inter eos*, ff. de Re jud. Sicut enim hypotheca et privilegium in aliis creditoribus facit meliorem conditionem, ita et in istis diligentia in petendo facit potiorem conditionem illius qui alios prævenit, quamvis alioqui sit posterior tempore. Contrarium tamen valdè probabile esse ostendimus tract. de Just. Porrò ante omnia debita non solùm personalia, sed et realia ac hypothecam habentia, solvendæ veniunt expensæ funeris, eò quòd sint magis favorabiles et privilegiatæ, l. *Privil.* ff. de Privil., cred. et l. *Impensæ*, ff. de Relig. et sumpt. funer. Fortè quia necessitas sepulturæ judicatur extrema. Item priùs deducendæ ac solvendæ sunt omnes aliæ expensæ factæ causâ hæreditatis, ut in testamento, in inventario, aliisque. Circa hæc omnia vide Sylvestrum, v. *Restitutio*, q. 6.

Dico secundò quòd ubi jus Cæsareum est receptum, istæ leges obligant nedùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ; sunt enim præceptivæ, et æquitatis naturalis declarativæ in re magni momenti, valdè utili, imò necessariâ quieti et bono communi. Hinc quando debitor suâ sponte, non coactus, violat istum ordinem, regulariter peccat contra justitiam, et tenetur resarcire damna creditoribus læsis, quia illos fraudat partibus suis. Hinc etiam creditor non servans dictum ordinem et bona debitoris extra locum suum præoccupans cum injuriâ et damno aliorum potiùs jus habentium, per se loquendo peccat contra justitiam, et læsis restituere tenetur. His tamen non obstantibus facilè poterit esse ignorantia invincibilis in ipsis popularibus, ita ut excusentur à peccato, quando præoccupant sibi debita non servato juris ordine: quando tamen istud factum ad notitiam confessarii pervenerit, tenetur eos erudire, ac præcipere ut restituant aliis creditoribus quos contra juris ordinem iniquè prævenerunt.

QUÆSTIO QUARTA.

QUOMODO ET QUANDO RESTITUTIO SIT FACIENDA, ET QUIBUS DE CAUSIS DIFFERRI POSSIT.

Ad complementum hujus tractatûs, tria supersunt de restitutione in communi examinanda: nempe modus, deinde tempus restituendi, et tandem causæ excusantes ab statim restituendo.

ARTICULUS PRIMUS.

De modo restitutionis faciendæ.

Quæres primò, utrùm bona inferioris ordinis, v. g., pecuniæ, sint aliquandò necessariò restituenda cum jacturâ bonorum superioris ordinis, v. g., famæ, et fama cum jacturâ vitæ. — Respondeo negativè per se loquendo, et præcisè ex vi debiti justitiæ. Ratio est, quia justitia commutativa solùm reparat æquali tatem nec obligat ad duplum, sed tantùm ad simplum restituendum, seu non ad plus rependendum quàm fuerit ablatum; alioquin si aliter fieri nequeat, censenda est impossibilis, et dominus erit irrationabiliter invitus, si eam tunc exigat. Atqui fama cujuslibet hominis est longè pretiosior divitiis; et à fortiori vita longè illis et famæ præponderat. Ergo, etc. Unde solùm per accidens, ratione scilicet alicujus adjuncti, per quod hìc et nunc eleventur ad altiorem ordinem, debent hæc bona inferiora compensari jacturâ bonorum superiorum: secùs verò ex se præcisè ratione suî considerata. Non negamus tamen, bona superioris ordinis quandoque compensari posse per bona inferioris, ordinis, v. g., læsionem famæ aut integritatis corporis per pecuniam: si nempe pars læsa illam exigat, eâque sit contenta. Verùm tunc non est restitutio æquivalens et rigorosa, sed tantùm qualis possibilis est arbitrio boni viri, prout ostenditur in sequentibus.

Quæres secundò, an qui totum quod debet statim commodè restituere potest, sine causâ tamen, ob avaritiam et proprium commodum nonnisi morosè, successivè, paulatim et per partes vult restituere absque consensu tacito vel expresso creditoris, imò eo rationabiliter invito, peccet et an sit absolvendus à confessario. — Resp. peccare, et absolutionis non esse capacem. Ratio est, quia est in morâ culpabili, detinendo rem alienam, ac dominum rationabiliter invitum usu rei suæ privando. Nisi ergo resipiscat integrè satisfaciendo, prout commodè potest, vult perseverare in eo malo statu, et consequenter non est absolvendus. Loquimur autem de restitutione quæ oritur et delicto, vel ex re acceptâ: ea verò quæ procedit ex contractu, facienda est juxta conventionem et pactum contrahentium: fides enim data servanda est.

Quæres tertiò, an restitutio fieri debeat publicè, vel secretò. — Respondeo restitutionem non esse necessariò publicè faciendam per se loquendo, saltem ex lege justitiæ, etiam quando delictum est publicum, quia sufficit ut reparetur æqualitas; id autem fieri potest, etiam secretò dominum in pristinum statum reponendo. Imò restitutio occultè facienda est, quando debitor ex publicâ restitutione periculum infamiæ subiret. Unde ex lege justitiæ per accidens est quòd restitutio fiat publicè aut secretò, solùmque ex lege charitatis potest aliquando publicus latro aut debitor ad restitutionem publicè faciendam obligari, nempe si id necesse fuerit ad vitandum scandalum et offensionem aliorum; qui tamen factâ secretò restitutione, non teneretur ad novam faciendam, quantùm pertinet

ad obligationem justitiæ, cùm jam ablata fuerit inæqualitas; sed tantùm obligaretur ex charitate alia media adhibere ad tollendum scandalum, patefaciendo restitutionem integrè esse factam.

Quæres quartò, an debitor teneatur per seipsum satisfacere. — Resp. id necessarium non esse, sed per alium ritè satisfacere posse : tum quia ut habetur in 6, de Reg. juris, qui per alium facit, per seipsum facere censetur; tum quia inæqualitas sufficienter reparari potest reddendo debitum domino non solùm per seipsum, verùm etiam per alium; eique debet esse indifferens, dummodò suum recuperet et statuatur æqualitas. Imò si non possit absque damno famæ reddere debitum, puta quia furtum est occultum non debet se prodere restituendo per seipsum, sed adhibere aliam personam fidelem et secretam. Adduntque auctores expediens esse quòd per confessarium cui detectum est crimen, et de cujus probitate ac fidelitate non dubitat, restitutionem faciat Si tamen absolutè restitutio nec per tertiam personam fieri posset absque eo quòd proderetur ac infamaretur læsor aut debitor, tunc differri posset ad tempus opportunum quo cesset prædictum inconveniens, vel sufficit reddere rem in æquivalenti; cùm tunc per accidens ad vitandum illud grave damnum, non possit eadem numero reddi, nec debeat etiamsi extet; nec in hoc dominus censeretur rationabiliter invitus.

Quæres quintò, an si confessarius acceptam à pœnitente pecuniam non restituat domino, aut quia sibi eam ex avaritiâ usurpat, aut quia ex culpâ suâ illam perdidit, aut quia nuntio infideli imprudenter reddendam domino commisit, debitor in hoc casu denuò restituere teneatur. — Alii absolutè negant, tum quia pœnitens fecit totum quod in se erat, tum quia dominus tunc tacitè et consensu debito id approbâsse censetur. Alii dicunt, quòd tunc debitor non excusatur à novâ restitutione, si habebat dominium rei restituendæ, ut in solutione mutui : secùs verò si rei dominium erat apud creditorem, ut in re locatâ aut depositâ : res enim domino suo perit. — Respondeo tamen in praxi istum pœnitentem teneri ad denuò restituendum domino, salvo suo recursu ad confessarium, aut illam tertiam personam. Ratio est, quia cùm ista restitutio ordinariè fiat per tertiam personam ad non detegendum peccatum, et non infamandum peccatorem, regulariter oritur ex delicto : debitor autem ex delicto, nunquàm ab onere restitutionis liberatur quousque de facto dominus rem suam recuperaverit, prout ostensum est supra quæst. præcedenti, art. 3, § 2. Unde fur in isto casu debet subire tale infortunium, sibique imputare quòd ad istas angustias redactus sit.

Ad rationes in contrarium allatas, respondeo furem, quod in se est fecisse ad vitandum injustæ detentionis novum peccatum : non tamen debitum extinxisse, nec domino plenè satisfecisse. Item dominum non designâsse talem personam tertiam, nec juri suo cessisse. Dato enim quòd tacitè consenserit restitutionem sibi fieri per confessarium, non tamen suo periculo et damno, voluitque semper retinere jus quod habet, ut donec realiter in rei suæ possessionem devenerit, restitutio non censeatur facta. Vide superiùs loco citato dicta à nobis.

Articulus II.

An sub peccato restitutio statim sit facienda dùm adest opportunitas.

D. Thomas in hâc quæst. 62, art. 8, concludit quòd *quilibet tenetur statim restituere, si potest; vel petere dilationem ab eo qui potest usum concedere.* Ubi adverbium *statim* mathematicè et pro puncto indivisibili est accipiendum, quoad propositum et voluntatem restituendi : quamprimùm enim aliquis scit et advertit se alienum invito domino detinere, confestim debet habere voluntatem et propositum illud restituendi, nec potest unquàm sine peccato illud mutare, et contrarium formare. Quoad verò executionem et actum exteriorem restituendi, adverbium *statim*, accipiendùm est tantùm moraliter et juxta regulas prudentiæ, pro loco et tempore opportuno, aliisque circumstantiis : datâ itaque opportunitate, debitor tenetur statim restituere, ac sine causâ restitutionem differendo, peccat mortaliter ex ipso genere peccati, cùm sit contra justitiam.

Probatur ex D. Thomâ. Quia præceptum de restitutione faciendâ, quamvis secundùm formam sit affirmativum obligans pro loco et tempore, habet tamen annexum et implicat in se negativum præceptum quo prohibemur rem alienam detinere invito domino, quod proinde obligat semper et pro semper tempore congruo et opportuno, reduciturque ad istud præceptum Decalogi : *Non furaberis.* Ut enim ait D. Thomas, sub injustâ acceptione intelligitur etiam injustâ detentio; eamdem quippè rationem nocumenti habet, eodemque modo dominus impeditur ab usu rei suæ. Sicut ergo semper et pro semper prohibitum est accipere rem alienam domino rationabiliter invito, ita et illam detinere : sed statim ac commodè reddi potest, illi restituenda est; nam per dilationem restitutionis committitur peccatum injustæ detentionis, quod justitiæ opponitur : ideò necesse est tempus esse determinatum, ut statim restitutio fiat. Hinc fit quòd præceptum restituendi speciali quâdam ratione sibi propriâ habeat adjunctum negativum. Ratio quippe essentialis obligandi in præcepto restituendi explicatur negativè, et ad præceptum de non injustè accipiendo, seu de non detinendo alienum tanquàm ad principale tendit, et intrinsecè ordinatur : hæc siquidem est tota ratio quare alienum sit restituendum. Atverò alia præcepta affirmativa, ut honorandi parentes, et diligendi Deum, etc., habent tantùm apparentiam adjunctam præcepti negativi, de non odio habendi, cùm ulla negatio nullatenùs sit ratio quare Deus sit diligendus, et opus sit faciendum, sed tantùm quia est summè bonus, et sic de aliis præceptis affirmativis : sicque ipsa essentialis ratio obligandi in illis affirmativè explicatur, solùmque ad eam quasi reducitur obligatio præcepti negativi. Hinc etiam fit circumstantiam temporis aliter se habere

.n actu restituendi, et in actu aliarum virtutum. In illis enim tempus non est certum, ac determinatum ordinariè, nec pro semper obligant, sed quando prudentia et recta ratio assignat : in restitutione verò quamdiù adest opportunitas, tempus ex naturâ rei est assignatum ac determinatum, cùm nullo tempore fratri injuriam liceat inferre, eo invito, rem illius detinendo : ideòque ex naturâ rei restitui debet, quamprimùm fieri potest. Quo fit ut omissio actuum aliarum virtutum non repugnet virtuti, nec sic peccatum quovis tempore ; benè tamen omissio et dilatio restitutionis, sine legitimâ causâ excusante : tunc enim quovis tempore, justitiæ repugnat, et est peccatum. Unde rem alienam injustè detinens, non solùm remanet in peccato habituali, sicut alii peccatores ; sed adhuc est in peccato actuali, continuando scilicet et semper augendo præcedens peccatum injustæ acceptionis, tantòque reddit majus, quantò longior est mora culpabilis restitutionis, etiamsi non renovet propositum non restituendi, et consensum retinendi : dummodò non interrumpat moraliter. Ratio est, quia ex hujusmodi dilatione restitutionis, crescit damnum et injuria proximi, tantaque potest esse mora in restituendo, ut de necessitate in confessione sit explicanda : cùm tamen eadem maneat voluntaria omissio nondùm interrupta, et eadem duret exterior retentio et damnificatio, consequenter non erunt multa peccata, sed unum continuatum et auctum in voluntariâ omissione internâ, et retentione ac læsione externâ.

A fortiori iniquus detentor continuat et auget suum peccatum, quandò renovat illud propositum non restituendi, vel formaliter et expressè, ut dùm positivè apud se statuit, non reddere ; vel virtualiter et interpretativè, ut dùm advertens aut advertere debens se habere alienum, datâque opportunitate restituendi, non proponit firmiter illud reddere, ut quandò vult confiteri, aut condere testamentum ; aut quandò videt dominum re suâ indigere vel petere, vel quandò eam rem alienam consumit ac distrahit, etc. In his enim casibus non sufficit suspendere voluntatem, ac merè negativè se habere, seu indifferenter, nec eliciendo propositum restituendi, neque non restituendi ; sed tenetur firmiter proponere quòd datâ opportunitate restituet. Et si datâ opportunitate, et hoc advertens actu non restituat, consentit iniquæ detentioni et consequenter peccat. Imò in isto casu juxta plures auctores, peccat de novo : omissio siquidem præcepti pro tempore quo obligat est novum peccatum ; atqui tunc quando adest opportunitas, præceptum istud restituendi de novo obligat. Ergo, etc. Idem dicunt de aliis casibus allatis, nempe peccata ista numero multiplicari juxta multiplicitatem hujusmodi actuum. Alii verò licet concedant iniquum detentorem toties de novo peccare, quoties elicit novum consensum, et novum commissionis actum contra istud præceptum negativum, negant tamen istum elicere novum consensum et novam commissionem, quando priorem non retractavit nec interrupit per pœnitentiam, neque solvere proposuit eliciendo actum contrarium. Tunc enim ex multiplicitate physicâ, volitiones et nolitiones successivè et diverso tempore elicitæ non discontinuantur moraliter, nec interrumpuntur ; sed in genere moris censentur duntaxat continuare primum propositum, et cum eo efficere unum peccatum tantò gravius quòd longior est mora : quousque illo retractato per pœnitentiam et per propositum contrarium moraliter interrupto ac quasi destructo, postea mutatâ voluntate in pejus, denuò firmiter statuat non restituere, sed detinere alienum : aut advertenter faciat actum externum detentionis aut restitutioni oppositum. Tunc enim committit novum peccatum à præcedenti numero distinctum, quia iste novus actus non elicitur in vi et virtute præcedentis, utpote rescisi ac moraliter interrupti, nec proinde amplius influentis ; sed virtute propriâ determinat iniquum detentorem ad hanc injustitiam, facitque eum de novo peccare. Solùm igitur toties multiplicat peccata, quoties pœnituit ac restituere proposuit ; et postea mutatâ voluntate, rursùs firmiter proponit alienum retinere, datâque opportunitate non restituit.

Quidquid sit de istis duabus sententiis, existimo in praxi tempus notabile quo quis fuit in morâ culpabili detinendo alienum, datâque opportunitate non restituit, esse in confessione explicandum : quia juxta omnes auctores est saltem circumstantia notabiliter aggravans, et de facili in eâ morâ committi possunt plures volitiones et negationes moraliter discontinuatæ, plura majoraque nocumenta domino inferri censentur, magisque animum rationabiliter invitum illum habere circa suæ rei injustam detentionem. Advertunt auctores, confessarium in investigando numero horum peccatorum interruptorum non debere nimis anxiè, prolixè et scrupulosè se gerere, sed sufficere quòd requirat spatium temporis detentionis ; per hanc enim notitiam paulò plus vel minùs perspectum habebit numerum peccatorum, et statum pœnitentis : sicut fieri consuevit cum publicâ meretrice, quæ nescit peccatorum numerum præcisè manifestare ; sufficit enim scire per quod temporis spatium meretricium exercuit, et quamdiù se omnibus exposuit.

Quæres quo modo se gerere debeat confessarius circa pœnitentes restitutioni obnoxios, eamque sine causâ omittentes. — Resp. absolutionis sacramentalis incapaces esse qui sincerum et efficax propositum statim integrè restituendi, si commodè possint, non habent, quia non minùs sunt in malo statu, quàm qui remanent in voluntate fornicandi, occidendi, etc., nec tale propositum mutant. Quòd si prudenter timeat confessarius quòd datâ opportunitate de facto non restituent, quantùmcumque promittant, et dicant se habere propositum satisfaciendi, eos tunc absolvere non debet antequàm reipsà restituerint : maximè si semel aut iterùm confessi et absoluti sub eâ promissione illam non adimpleverint et restitutionem negligenter et culpabiliter omiserint : quia prudenter credi potest ac judicari, neque hâc vice restitutionem facturos, et in priori culpâ remansuros. Unde Caje-

tanus in Summâ, v. *Restitutio*, cap. 6, dicit, quòd confessarius huic pœnitenti promittenti et dicenti : *Hâc vice, pater, restituam verè*, etc., *respondere debet : Credo tibi ; et propterea modò in illâ bonâ dispositione vade ad restituendum, et postea absolveris. Debet enim confessarius credere pœnitenti pro se et contra se : sed tamen cum hoc debet etiam cavere ne mora pariat delictum, sicut aliàs peperit.* Quemadmodùm manens in periculo concubinatûs, et iterùm monitus, nec se emendans, absolvendus non est, quantumvis promittat se ab eâ feminâ recessurum ; donec reipsâ illam expellat : ita et iniquus detentor in nostro casu, cùm non sit minor pecuniarum quàm mulierum cupiditas.

Hinc fit, non absolvendos esse pœnitentes qui cùm possint in vitâ commodè restituere, volunt tamen usque ad mortem differre restitutionem et in testamento suis hæredibus faciendam imponere, ob rationes allatas. Idem dicendum de pœnitente in articulo mortis existente, qui cùm commodè et absque inconvenienti posset tunc restituere, vult tamen restitutionem solùm facere per hæredem in testamento designatum ; regulariter enim absolvendus non est, antequàm actu restituat : tum ob rationes adductas, tum quia si isti supervivant, experientiâ constat ipsos non restituere ; tum quia hæredum conscientias illaqueant, et creditores debita sua nunquàm recuperandi periculo exponunt.

In quibusdam tamen casibus justisque de causis, infirmus iste absolvi poterit, ut ratione scandali vitandi, vel infamiæ, vel perturbationis rerum, vel ob alia inconvenientia, si quæ ex actuali restitutione oritura prudenter et probabiliter timerentur : vel quando moribundus esset omninò certus hæredes vel amicos meliùs et commodiùs integram restitutionem facturos, quàm ipsemet in præsenti statu faceret. Et sic de aliis similibus casibus, prudentis confessarii judicio excusantibus, attentis circumstantiis locorum, temporum, rerum et sinceritate pœnitentis ac probitate hæredis, sumendo omnes securitates possibiles : quales jura requirunt in can. *Quanquàm* de Usuris in 6, ab usurario manifesto ad has angustias redacto : nempe ut det cautionem idoneam, vel pignus, vel ut sequestret pecunias quas habet, ut sic defraudatis creditoribus satisfactio exhiberi possit : hæredes enim ut plurimùm in hoc negligentes et infideles esse solent. Si enim ipse testator, cujus potissimùm interest, non consuluit animæ suæ dùm viveret, multò minùs id curabunt alii post ejus obitum.

Articulus III.

De causis excusantibus à restitutione statim faciendâ.

Quamvis restituendi præceptum statim datâ opportunitate obliget, nec tempus expectet, nonnullæ tamen possunt subesse causæ quæ dùm occurrunt et quamdiù subsistunt, excusant hominem à re alienâ vel in toto vel in parte tunc reddendâ. Ratio est, quia præceptum istud quâ parte est affirmativum, præcipit actum virtutis justitiæ, nempe constituere æqualitatem, unicuique quod suum est reddendo : in omni autem virtutis actu procedendum est juxta regulas prudentiæ et rectam rationem, observando circumstantias loci, temporis, negotiorum et personarum. Quâ parte verò est negativum, obligat quidem semper et pro semper, quando alienum detinetur et domino rationabiliter invito · contingit autem per hujusmodi causas occurrentes, quòd res vel non sit aliena, ut dùm habetur à personâ in extremâ necessitate constitutâ, aut quæ condonationem à creditore obtinuit ; vel non detineatur domino rationabiliter invito : ut quando detinens efficitur tunc restituendi impotens, aut nequit restituere tunc absque proprio longè majori detrimento, et in aliis casibus mox referendis. Ergo præceptum pro tunc statim non obligat, etc.

Et inprimis ostensum est supra, q. 2, art. 1, quod quando res restituenda, probabiliter creditur esse domino vel alteri novica, ut gladius furioso, differri potest restitutio : imò quandoque intervenit obligatio eam differendi. Item ostensum est in hâc quæstione art. 1, non urgere præceptum restitutionis, quando bona inferioris ordinis forent compensanda per jacturam rerum superioris ordinis, ut si debitor nequeat rem temporalem restituere, nisi seipsum vendendo, vitam suam periculo exponendo, aut se infamando, etc. Item potest omitti restitutio, quando à creditore facta est sufficiens compensatio, quia per illam jam reparata fuit inæqualitas Ut tamen licitè fiat, requiritur quòd debitum sit liquidum et certum, ut sit debitum ex justitia ; et tandem quòd creditor per viam juridicam aliamve justam et ordinariam solutionem illius commodè obtinere non valeat ; de quâ compensatione, vide supra art. 1, de furto, § 2. Item restitutio omitti potest per remissionem seu condonationem, sive expressam, sive tacitam debiti, à creditore factam : volenti enim se consentienti non fit injuria ; debet tamen hæc condonatio esse omninò spontanea et voluntaria ; ita ut absint ignorantia, vis, metus aut dolus dans illi causam ; item necesse est quòd jus eam non impediat, neque sit facta ab eo qui non est sui juris. Item debitor eximitur ab obligatione restituendi per cessionem bonorum : tum quia censetur habere impotentiam integrè satisfaciendi omnibus creditoribus, tum quia leges justè illi concesserunt remedium istud ratione ejus impotentiæ. Qui autem cedit bonis suis justo titulo possessis ut solvat debita ex quodam infortunio et absque culpâ contracta, videtur jure naturæ retinere posse quantùm necesse est ac sufficit ad sui et familiæ sustentationem ; et circa hoc creditores non censentur rationabiliter inviti, legesque id ei concedentes sunt æquissimæ : secùs dicendum de bonis injustè possessis, ut furto, usuris, aut illicito contractu acquisitis. Tunc enim nihil omninò sibi retinere potest, eò quòd talia bona nunquàm fuerint illius. Unde debet victum quærere laborando, aut mendicando, aliove modo licito ; quia tamen per cessionem bonorum non extinguuntur debita, sed tantùm sopiuntur, si debitor ad pinguiorem fortunam venerit, habet tunc obligationem restituendi, quia cessante impotentiâ, cessat ratio differendæ solutionis. L. *Qui bonis*, tit. 71.

Rapinæ tamen rei sunt, qui fraudulenter bonis suis cedunt aut sibi usurpant et abscondunt juxta illud Psalm. : *Mutuabitur peccator et non solvet :* et ex D. Ambros., de Tobiâ, cap. 21. Item præscriptio rei legitima à restitutione excusat. Ratio est quia per illam res transit in dominium debitoris, nec est ampliùs aliena neque restitutioni obnoxia, juxta superiùs dicta in initio hujus præcepti, præloquio de rerum dominio, § 3. Aliæ etiam causæ à restitutione statim, aut omninò faciendâ excusantes solent ab auctoribus afferri ; ut juris vel judicis auctoritas præceptiva, et non fundata in falsâ præsumptione, nec æquitati aut ordini justitiæ contraria. Item rei interitus. Item solutio seu compensatio à debitore facta, non ipsi creditori, sed alteri creditori ipsius creditoris. Duæ principaliores supersunt explicandæ, nempe professio religiosa, et necessitas seu impotentia debitoris ad satisfaciendum.

§ 1. *An per assumptionem et professionem statûs religiosi, debitor ab obligatione restituendi liberetur.*

Conveniunt auctores debitorem mortaliter peccare, qui ingenti ære gravatus supra facultates suas, aut rationibus reddendis ita obnoxius, ut timeantur lites et molestiæ ipsi inferendæ, ingreditur religionem, cum gravi creditorum detrimento, quibus brevi tempore adhuc remanendo in seculo absque animæ suæ periculo, satisfacere posset : tum quia de jure naturæ est solvere debita et obligatio ex justitiâ, quæ cæteris paribus præferri debet operibus de consilio ; tum quia sicut non licet aliena furari ad ingrediendum religionem ita nec detinere quando absque vocationis amissione et salutis periculo debitor brevi consuetis operibus vacando in seculo solvere potest ; aliàs creditores damnum patiuntur rationabiliter inviti : sicque mortaliter peccat, et etiam religiosi ipsum recipientes, quia illius peccato cooperantur. Unde Sixtus papa V, anno 1587, Calendis decembris, in Bullâ quæ incipit : *Cùm de omnibus ecclesiasticis*, id vetat sub gravibus pœnis, talesque declarat ad profitendum inhabiles. Clemens verò VIII, per Bullam editam anno 1602, quæ incipit : *In supremâ*, revocavit eam quoad nullitatem professionis, reducendo illam quantùm ad hoc ad terminos juris communis : reliquit tamen in suo robore quoad pœnas taxatas contra superiores et alios religiosos hujusmodi debitores recipientes. Igitur si hoc non obstante debitor iste professionem emiserit, valida erit, nec ad statum secularem redire poterit. Adhuc tamen remanet obligatus ad satisfaciendum creditoribus meliori modo quo poterit, si ab eis remissionem non obtinuerit, puta laborando et aliquam artem exercendo intra monasterium decentem ; et prælatus tenetur hanc ei facultatem concedere, nisi communitas malit ex bonis monasterii ejus debita solvere.

Quando tamen aliquis, sive ex delicto, puta ex furto vel usurâ, sive ex contractu licito, ut ex mutuo aut emptione, sive ex promissione aut juramento, est obligatus, nec habet unde solvat, neque sit probabilis spes quòd remanendo in seculo posset acquirere bona ad solvendum sufficientia, aut ad hoc impiendum, oporteret ipsum per multos annos, fortè cum salutis periculo, remanere in seculo, et adhuc nonnisi labores insolitos et extraordinarios exercendo, cedendo bonis suis potest sine peccato religionem statim ingredi. Ratio est, quia tunc censetur esse in impotentiâ verâ solvendi, tum de præsenti, tum de futuro, et per cessionem bonorum suorum satisfacit eo modo quo potest, ac ab ulteriori restitutione eximitur, potestque de suâ personâ tunc disponere eam religioni emancipando, cùm ob debita pecuniaria persona liberi hominis in pignus obligari nequeat. Ex cap. 2, de Pign., l. *Ob æs alienum*, cod. de Actione et oblig., et l. *Quæ in pign. oblig.* et l. 1 de Pign., nec cum tanto detrimento libertatis et laboribus extraordinariis cum in seculo remanere ad solvendum cogere possunt creditores, cùm in eo ingressu nullam faciat eis injuriam, sintque irrationabiliter inviti, si etiam post cessionem bonorum, ab eo ipsum impedire velint.

Nec obstat quòd solvere debita sit de jure naturæ. Non obstat, inquam, quia etiam jure naturæ cessat tunc ea obligatio ratione omnimodæ impotentiæ solvendi. Unde tunc cedendo bonis suis potest ingredi religionem. Deinde sicut de jure naturali est satisfacere creditoribus, ita etiam libertas hominis quæ superat omnem æstimationem pecuniæ, est de jure naturæ, atque ideò persona debitoris cedendo bonis suis libera manet ad disponendum de suo statu, prout jura statuunt declarantia jus naturale solvendi debita, non obligare quando debitor laborat impotentiâ ; illudque moderantia per aliud jus naturale dictans nihil esse naturaliùs quàm restitutionem pecuniarum non urgere cum jacturâ vitæ, libertatis personæ, famæ ac cum dispendio salutis æternæ : sicque dominium rei suæ cessare, quoties qui eam habet est in impotentiâ solvendi, tanquàm per arctius vinculum. Hæc omnia miro modo complexus est D. Thomas, 2-2, q. 189, art. 6, ad 3, cujus verba aurea non sunt omittenda, sed legenda. Vide dicta à nobis in expositione quarti præcepti art. 1, § 4.

§ 2. *An et quomodò omnimoda impotentia seu necessitas extrema debitoris, eum à restitutione liberet.*

Impotentia vera et omnimoda, quando scilicet debitor nec actu habet, nec probabiliter sperat aliunde acquirere posse unde restituat, ipsum excusat, sicut ignorantia probabilis juris aut facti quamdiù durat, ut docet D. Thomas hîc, art. 8, ad 2. Idemque dicendum de eo qui extremâ necessitate laborat ; quia ut ait Cajetanus in Summâ, v. *Restitut.*, cap. 6, talis detentio rei censetur debitori involuntaria, et tunc voluntas ejus parata ad restituendum sufficit coram Deo, ac sufficere debet creditoribus, velint nolint : censentur enim irrationabiliter inviti, cùm ad impossibile nemo teneatur ; dùm autem D. Thomas addit debitorem teneri nihilominùs petere remissionem vel dilationem ab eo cui debet, intelligit solùm quando impotentia non est omninò certa et manifesta ; persæpè enim

mentitur iniquitas sibi. Unde si quidpiam dubitationis suboriatur circa illam, salubre consilium est illo uti remedio.

Quæritur an si iste transactâ extremâ necessitate, postea ad pinguiorem fortunam venerit, teneatur ad æquivalens restituendum; et quidem non procedit præsens difficultas, de eo qui solùm per accidens, et secundùm quid est indigens, non verò simpliciter in extremâ necessitate constitutus, quatenùs scilicet etsi hîc et nunc nihil prorsùs habeat ad sibi succurrendum, alibi tamen bona habet, vel proximè probabiliter sperat habere. Tunc enim sopita et non extincta censetur obligatio restituendi : verè enim consumpsit alienum, ideòque restituere tenetur : sola quippe extrema necessitas, qualis non est ista, res communes reddit : nec dominus tenebatur huic concedere gratis et per eleemosynam, sed duntaxat mutuo dare, ut docet D. Thomas quodlib. 5, quæst. 11, art. 17.

Resp. igitur, quòd existens in extremâ necessitate, si tantùm accipiat et consumet id quod est necessarium ad vitæ sustentationem, ad nullam postea restitutionem tenetur, cùm in extremâ necessitate omnia sint communia quoad usum : unde si res erat usu consumptibilis, iste non consumpsit alienum, sed proprium sibi factum; cùm in his rebus usus non distinguatur à domino, et dominus censendus non erit rationabiliter invitus, ejusque valorem aut æquivalentem postea repetere non potest. Si verò res non erat usu consumptibilis, sed transactâ necessitate, adhuc in suâ specie extet, tunc restituenda erit domino; cùm in isto casu sufficiat concedere gratis ejus usum, quo solo iste indigebat ad subveniendum præsenti necessitati. Ut si quis nequeat aliter mortem ab hostibus sibi imminentem vitare, nisi equo alterius utatur ad fugam : ubi periculum evasit, equum si adhuc sit superstes, domino suo reddere tenetur, si aliunde opus non habuerit eum vendendi ad se sustentandum equi pretio, existens in extremâ necessitate, cui aliter subvenire non possit. Si tamen quis ante extremam necessitatem pecuniam mutuo accepisset ab alio, eamque consumeret ad ipsam sublevandam, eâ transactâ et ad pinguiorem fortunam postea evectus, teneretur illam pecuniam domino restituere ac debitum solvere. Ratio est, quia cùm iste hujus pecuniæ mutuatæ haberet ante dominium, id quod suum erat, consumpsit, eique utpotè domino perire debuit; et cùm de suo sibi tunc subvenire potuerit, alter non tenebatur ei de propriis bonis succurrere, nec ea donare. Unde tunc obligatio personalis quam mutuatarius iste contraxerat solvendi debitum, non planè extincta, sed solummodò consopita censetur durante illâ necessitate, eâque cessante reviviscit. Vide D. Thomam quodlib. citato, et ea quæ circa necessitatem istam superiùs dicta sunt à nobis art. 1, de Furto, § 1, ubi statuimus licitum esse in extremâ necessitate constituto aliena rapere, non verò gravem necessitatem patienti : posse tamen differre restitutionem et solutionem debitorum; ibique disparitatem attulimus. Pro cujus majori intelligentiâ sequentem paragr. instituimus.

§ 3. *Utrùm ob valdè gravem necessitatem liceat restitutionem differre.*

Quando debitor statim restituere nequit absque suo gravi damno temporali, quod pateretur in rebus suis si tunc restitueret, potest restitutionem differre : puta si domum, agrum vel merces suas teneatur vilissimo pretio vendere, quas post mensem longè majori vendidisset; aliunde verò creditor nullum aut leve damnum ex hâc dilatione est accepturus. Ratio est, quia tunc creditor censetur circa eam irrationabiliter invitus, adestque moralis impotentia statim satisfaciendi. Loquimur autem solùm de damno quod tunc debitor pateretur in rebus suis : non enim excusatur ab statim restituendo, quantumvis alienum reddendo, magno se privet emolumento et lucro quod inde erat reportaturus, quia aliud est aliquid amittere de suo; aliud relinquere alienum, et desinere lucrari ex illo : istud autem posterius non est sufficiens causa differendi restitutionem, cùm non liceat ex alieno ditari invito domino

Difficultas restat an teneatur quis statim restituere etiam cum diminutione et jacturâ proprii statûs. — Dico debitorem posse differre restitutionem, quando hîc et nunc non potest illam facere, nisi è proprio statu justè acquisito excidat : ut si nobilis cogeretur arare ad vitam sustentandam, vel mercator ad mendicandum, etc., solùmque est debitor ex contractu vel alio titulo sine culpâ : tenetur nihilominùs tunc ad minuendam pompam et reseranda superflua, ea tantùm sibi retinendo quæ præcisè ad congruum ipsius statum necessaria videntur. Non comprehendimus tamen casum in quo creditor esset in æquali necessitate constitutus cadendi è suo statu, nisi statim reciperet; quia tunc debitor etiam cum jacturâ proprii statûs restituere teneretur, eò quòd creditor ultra titulum necessitatis, in quo est æqualis debitori, adhuc habet supra illum et retinet dominium ac jus in re suâ; ideòque melior est illius conditio, quando non adest extrema necessitas omnia reddens communia. Unde loquimur absolutè, quando scilicet debitor incidet in gravem necessitatem, cadetque è suo statu, si statim restituat; creditor verò ex prorogatione solutionis, nullum aut leve damnum est passurus.

Explicatur conclùsio. Status in quo quis est potest esse justè acquisitus, ut proprio labore et industriâ, vel hæreditate sibi relictâ, honesto titulo et bonâ fortunâ comparatus : vel injustè acquisitus aut retentus, ut per furtum, rapinam, usuras, concussiones et contractus illicitos. Item qui in aliquo statu est constitutus, potest reddi impotens ad restituendum, casu in infortuniis, absque suâ culpâ : vel prodigalitate, ludis, compotationibus et ex propriâ culpâ. Denique debita restituenda contraxit, vel ex contractu licito et ex justâ causâ, ut ex mutuâ emptione, creditâ pecuniâ, vel ex causâ injustâ, puta ex furto, rapinâ, usuris, etc. Nostra autem conclusio procedit de eo qui sta

tum in quo est, justè sibi comparavit, et citra suam culpam factus est impotens ad restituendum.

Probatur conclusio. Quemadmodùm enim impotentia simpliciter à restitutione absolutè faciendâ excusat, ita impotentia pro tali tempore excusat à restitutione statim integrè faciendâ. Atqui in præsenti casu debitor censetur moraliter impotens ad statim restituendum, ob scilicet enormem læsionem quam pateretur in bonis suis : et dominus foret irrationabiliter invitus, si vellet debitorem cum tanto suo detrimento statûs, famæ, familiæque statim restituere, et aliunde ipsemet leviter solùm eâ restitutione tunc indigeat, nec multùm gravetur ex hoc quòd debitor paulatim successivè ac ut commodiùs poterit, satisfaciat. Ergo, etc.

Si tamen debitor statum illum injustè acquisivit, puta cùm nihil ferè antea haberet, per injustitias ad illum evectus est; tenetur statim restituere etiam cum jacturâ ejusdem, et etiam si creditor similem necessitatem minimè patiatur; tum quia id non est è statu suo cadere, sed ab eo qui non est huic debitus, reponi in priorem ac transire è statu furis, ad conditionem pristinam talis hominis; tum quia non est minor iniquitas conservare statum ex malè partis, quàm illum sibi comparare rapinis et injustitiis. Atqui contra justitiam est rapere aliena ad comparandum aliquem statum. Ergo et illum solis rebus injustè acquisitis conservare. Unde iste restituendo nullum damnum patitur, cùm de suo nihil amittat; loquimur enim de illis qui injustè debita contraxerunt, nihilque habent in eo et pro eo statu conservando, quod non sit injustè acquisitum. Non tamen propterea tenetur se in extremam necessitatem conjicere, sed potest sibi retinere necessaria præcisè secundùm sui statûs pristini conditionem, ut habeat unde vivat ut sustentetur; si nimirùm in eo statu habebat sufficientia bona propria ad se congruè sustentandum : aliàs melioris conditionis efficeretur ob rapinas et injustitias quas patravit. Unde si iste fur nihil antea habebat, tunc omnia restituere debet subeundo quamcumque necessitatem citra extremam, usque ad mendicitatem, juxta Sotum. Alii tamen volunt istum etiamsi nihil aliunde habeat, posse aliquid sibi reservare ad aliquam suî et familiæ sustentationem. Idque probat Bannes ex Alexandro III, can. *Cùm tu* de Usuris, ubi pontifex præcipit usurarios compellendos esse ad restitutionem faciendam, dummodò in facultatibus habeant unde vivere possint. Illi autem qui non habent, non debent ullâ pœnâ mulctari, cùm eos nota paupertas evidenter excuset. Pontifex autem non dicit quòd extrema necessitas, sed manifesta paupertas illos excuset. Nec valet dicere has leges solùm esse permissivas et non excusare in foro conscientiæ. Nam contra est, quia ibidem subdit pontifex inhumanum esse ut aliquis in solidum damnetur, aut quòd fraudetur alimentis quotidianis; quæ verba non solùm permissionem legis, sed et consensum et approbationem indicant. Denique monet Bannes, circa hæc omnia prædicta necesse esse, ut confessarii sint valdè solliciti et diligentes ad discernendas causas prorogationis, quas debitores sibi fingere solent, et quòd in casu dubio semper de bemus in favorem creditoris inclinare. Et hæc de restitutione in communi breviter dicta sufficiant. Si fusiorem tractatum quis requirat, inveniet illum in tract. de Justitiâ et Jure, ubi difficultates modo scholastico ventilantur, et argumenta nostris opinionibus contraria referuntur ac solvuntur.

QUÆSTIO QUINTA.

DE RESTITUTIONE IN PARTICULARI ORTA EX DELICTO.

Recolendum est ex dictis, solam violationem justitiæ commutativæ inducere obligationem restituendi. Commutativam verò justitiam esse directivam commutationum, quæ attendi possunt inter duas personas : quarum quædam sunt involuntariæ, quædam verò voluntariæ, ex D. Thomâ, 2-2, q. 61, art. 3. Involuntariæ dicuntur quando aliquis utitur re alterius vel personâ vel opere, illo invito, seu invitus læditur ac injustè damnificatur; et tunc consurgit obligatio restituendi ex delicto. Voluntariæ verò commutationes dicuntur, quando quis voluntariè transfert rem suam in alterum, vel ad tempus, cum obligatione reddendi similem, ut in mutuo; vel pro pretio, ut in venditione, locatione, etc.; et tunc oritur obligatio restituendi ex contractu licito. Ad hos duos communes titulos reducitur tota materia restitutionis in particulari, eosque in sequentibus examinabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De restitutione faciendâ propter læsionem in bonis corporis.

Divus Thomas, 2-2, q. 73, art. 3, in corp. ait, quòd peccata quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundùm nocumenta quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ. Tantò autem est majus nocumentum, quantò majus bonum demitur. Triplex autem est bonum hominis, scilicet bonum animæ, quod est maximum; deinde bonum corporis, et tandem bonum exteriorum rerum, sub quibus continentur honor et fama, bonaque temporalia, seu fortunæ. De læsione in his bonorum generibus, ac de restitutione illorum hîc agendum est : restitutionem tamen faciendam ex læsione in bonis fortunæ prætermittimus, quia jam satis abunde constat ex supra dictis de furto et rapinâ. Ibi etiam art. 8 aliquid quasi per transennam de restitutione bonorum spiritualium et illis annexorum aliquid tetigimus, remittentes lectorem ad tract. de Just. ubi hæc materia ex professo ventilatur. Solùmque duo alia bona, nempe corporis et famæ examinabimus.

Corpus injustè lædi potest per homicidium, mutilationem, percussionem et per adulterium, ac stuprum quæ proinde inducunt obligationem restituendi ex delicto in lædente, cùm peccet contra justitiam, grave nocumentum proximo injustè inferendo. Difficultas est quomodò et quid restituere teneatur.

Certum est istam non posse restituere æquale,

nempe vitam mortuo, nec integritatem membri quod mutilavit, aut prorsùs inutile reddidit. An autem præcisè pro ipsâ vitâ ablatâ, aut læsione et deformitate membrorum, seclusis aliis damnis temporalibus, sit aliquid parti læsæ ad arbitrium boni viri restituendum, si hoc exigat, plures negant injustum læsorem ad id teneri, saltem ex justitiâ; eò quòd istæ læsiones nullâ pecuniâ compensari possint, sicque ex hâc parte restitutio censenda est impossibilis, esto quòd ex charitate et æquitate quâdam arbitrio boni viri aliqualis compensatio fieri debeat, parti læsæ aliquid sibi dari petenti. Dico tamen contrariam sententiam affirmantem læsorem ad id teneri etiam ex justitiâ, veriorem et communiorem esse.

Prob. 1° ex D. Thomâ, 2-2, q. 62, art. 1, ubi cùm sibi objecisset argumentum adversariorum, nempè tunc restitutionem censeri impossibilem, sicque non esse de necessitate salutis, ait : *Respondeo dicendum quòd in quibus non potest compensari æquivalens; sufficit quòd ibi recompensetur quod possibile est; sicut patet de honoribus qui sunt ad Deum et parentes. Et ideò quando id quod ablatum est, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est; puta cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei compensare vel in pecuniâ, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ secundùm arbitrium boni viri.* Ubi D. Thomas non loquitur de damnis in bonis fortunæ consequentibus mutilationem aut occasionem : constat enim in iis posse æquivalens compensari : secùs verò in læsione corporali; unde affert exemplum de membro amputato injustè, quod cùm non sit restituibile per æquale, debet tunc mutilator facere compensationem, qualis possibilis est puta in pecuniâ, etc. Item D. Thomas censuit hanc compensationem esse ex necessitate salutis, si pars læsa illam exigat : non verò ex quâdam congruitate tantùm et æquitate naturali. De hâc enim nulla erat difficultas, solùmque procedebat argumentum de necessitate salutis, ut legendi patebit; quod proinde D. Thomas totum concessisset, nec tam accuratè statuisset hanc compensationem, si existimâsset eam non esse de necessitate salutis. Tandem cùm D. Thomas hoc in loco agat de actu justitiæ, nempe de restitutione, non verò de actu charitatis, intendit læsorem ad hoc obligari etiam ex justitiâ.

Probatur ratione. Licet enim justitia commutativa per se exigat restitutionem æqualis et in eodem genere : per accidens tamen quando æquale et in eodem genere res ablata reddi nequit, exigit aliquam compensationem, qualis possibilis est per alias res inferioris ordinis ad illam, maximè per pecuniam quæ in commutationibus est mensura rerum, adinventaque fuit ad faciendas compensationes, quæ in eodem genere bonorum fieri nequeunt : sic, licet non benè pro toto libertas vendatur auro, potest tamen homo liber in aliquo casu seipsum vendere. Item, interdùm erit obligatio pecuniâ compensandi læsionem famæ alterius. Cùm igitur injustè occidens vel mutilans alium, non solùm inferat damna fortunæ inde provenientia, sed etiam contra justitiam causet deformitatem et læsionem boni corporalis, quod secundùm humanam æstimationem est pretio æstimabile, tenebitur ex justitiâ, si non ad æqualitatem simpliciter, ad aliquam tamen qualis est possibilis in pecuniâ ad arbitrium prudentis viri, si pars læsa id exigat : quamvis enim res inferioris ordinis, ut debitum pecuniæ, nunquàm debeat ex justitiâ et ex necessitate compensari per jacturam rerum ordinis superioris, v. g., famæ et vitæ, nullusque ad id possit adigi, benè tamen è converso. Plura vide circa hanc difficultatem tract. de Justitiâ.

Dico secundò, homicidam aut mutilatorem teneri ex justitiâ ad compensanda damna temporalia, ex ejus injustâ actione consecuta, eò quòd fuerit illorum causa efficax et injusta. Unde solvere et compensare tenetur expensas in medicinis, et cibis carioribus factas, et quæcumque in curatione insumpta fuerunt, detractis solitis sumptibus, quos læsus in cibo et potu ordinario facturus erat : ex cap. *Si rixati*, et ex cap. *Si tua culpa*, tit. de Injur. et dam. dato Non tamen ad expensas funeris solvendas tenetur læsor, quia tempore mortis naturalis læsi, erant faciendæ propriis sumptibus, nec in hoc censetur ab alio damnificatus : nisi ex acceleratione mortis et ratione temporis ac loci distantis, majores essent faciendæ expensæ. Tunc enim læsor hunc excessum restituere teneretur. Item compensare tenetur omnia damna huic læso emergentia ex injustâ læsione, puta si occisus haberet census vitalitios, vel officium quod suis resignare non potuit. Item lucrum cessans, puta si occisus aut mutilatus industriâ et arte multùm lucrabatur suamque familiam alebat. Hæc enim omnia sunt compensanda ad arbitrium viri prudentis, pensatis circumstantiis ætatis, et valetudinis læsi, et impedimentorum quæ aliàs accidere poterant; occisus enim poterat conjici in carcerem, aut ægrotare, aut mori, aut mutare voluntatem laborandi, vitaque nostra non paucis subjacet periculis; quod autem solùm est in potentiâ, aut in spe, potestque multipliciter impediri, minùs valet quàm quod est actu et in se.

Dico tertiò : Si læsus inde non moriatur, ipsi facienda est restitutio, si verò fuerit occisus, hæredibus ejus necessariis tenetur homicida compensare omnia ad sustentationem necessaria juxta ipsorum statum, quæ illis defunctus subministrare jure naturæ tenebatur, eosque de facto proprio labore et industriâ sustentabat. Item debet restituere lucra quæ ex ejus vitâ reportabant, ac resarcire damna quæ ex illius nece patiuntur, pensatis circumstantiis mox allatis : eo quòd hæredes necessarii, ut pater, filiique, censentur esse una eademque persona; ideòque uno læso censentur alii læsi, et talè jus habent, ut nequeant in totum ab hæreditate excludi, ac in locum defuncti succedunt. Imò quidam probabiliter reputant occisorem teneri restituere etiam hæredibus non necessariis, qui scilicet etsi ab intestato succedant, possunt tamen hæreditate privari, quales sunt fratres defuncti : imò et amicis aliisque debere ex justitiâ restituere quantùm perdiderunt, eisque abstulit per illam necem : e

quòd omne jus defuncto ante ejus mortem acquisitum, transit ad illius hæredes qualescumque sint : tandem creditoribus defuncti qui debita sua recuperâssent, cùm tamen per illam occisionem nunquàm sint adepturi solutionem, quæ opinio videtur in praxi consulenda tanquàm tutior. Alii tamen oppositum docent. Et inprimis, quia fratres defuncti non censentur una persona cum ipso, nec ejus partes, nec tenebatur eos alere : sicque per se non censentur lædi ex hâc occisione, sed tantùm per accidens et remotè : minùsque tenetur homicidâ sustentare amicos et cognatos, quos occisus ex solâ liberalitate alere solebat, eisque aliquid restituere. Idemque docent de creditoribus occisi. Ratio est, quia homicida circa omnes istos nullam exercuit actionem injuriosam, nec intendit illam occisionem tanquàm medium ad hos subsidio liberali, et istos debiti solutione privandum, sed talia damna solùm remotè et per accidens cum occisione connectuntur, ut suppono : neque damnum occiso illatum censetur factum his consanguineis, amicis et creditoribus, cum quibus occisus erat tantùm civiliter conjunctus, sicut et aliis innumeris hominibus quos colebat, fovebat et cum quibus contrahebat : absurdum autem videtur dicere hos omnes habere jus justitiæ in ejus inimicum, ne scilicet eum occidat, aut mutilet, etc.

Dico quartò varias assignari causas excusantes homicidam à restitutione faciendâ. Inprimis si laboret impotentiâ ; nam ad impossibile nemo tenetur. Item juxta aliquos, dùm subit pœnam à lege et à judice illatam, v. g., mortis aut exilii : quia tunc reddit æquivalens in eodem genere bonorum, nempe vitam pro vitâ. Alii verò id non admittunt, quia per illam pœnam solùm satisfacit reipub. quam offendit : nec per eam compensantur damna temporalia pari læsæ illata ; verùm existimo quòd licet juris rigor hanc compensationem exigat, si pars læsa eam postulet, spectatâ tamen consuetudine, maximè inter personas nobiles, hanc satisfactionem non requirendi, imò et eam dedignandi, tunc homicida illâ pœnâ talionis, censetur in conscientiâ satisfecisse, eâque hæredes occisi contentos esse et condonare hujusmodi damna. Item condonatio libera et expressa partis læsæ, homicidam ab onere restitutionis liberat, v. g., si pater lethaliter à sicario vulneratus eidem remittat omnia damna ex illâ nece provenientia tam sibi quàm filiis suis ; quamvis enim non benè se gerat erga illos non habentes unde se commodè sustentare valeant, quibus proinde ex charitate debebat potiùs consulere, quàm homicidæ commodo prospicere, attamen valida est condonatio, nec homicida tenetur ex justitiâ restituere filiis aliisque personis damna quæ illis ex nece patris obveniunt, quidquid in contrarium dicat Lugo.

Ratio est, quia filii totum jus quod habent, illis provenit à patre, cum quo censentur læsi et tanquàm una persona : proindeque ex homicidio non fit ipsis injuria, nisi quatenùs patre contra suam voluntatem læso, censentur et ipsi etiam injustè læsi. Ergo patre liberè cedente juri suo ac spontè condonante homicidæ obligationem restituendi damna, cessat quoque jus filiorum ; sicut enim illud jus ad bona acquirenda habebant ratione patris, ita ex liberâ ejus dispositione ac voluntate illud amittunt. Porrò quando lethaliter vulneratus, interrogatus à confessario num parcat et remittat læsori, respondet se ex animo injuriam illi remittere, non propterea censetur eum velle liberare ab onere restituendi, et à traductione in judicium, nisi expressam de hoc faciat mentionem ; sed vult tantùm ostendere se juxta leges charitatis carere odio ac desiderio vindictæ, quod sufficit ut sit capax sacramentorum. Item qui ab alio cum injuriâ invaditur ac invitus pugnat, si provocantem occidat, ad nihil tenetur. Quia eo ipso censetur provocans alteri dedisse facultatem lædendi, omneque damnum inde consecuturum liberè condonâsse ; volenti enim ac consentienti nulla fit injuria. Idem videtur dicendum quando ambo propriâ sponte sese invicem ad duellum provocaverunt : videntur enim huic juri suo tam pro se quàm pro suis conjunctis renuntiare, hoc ipso quòd volunt pugnare. Hinc etiam, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit injustum aggressorem, etsi ipse causam dederit invasioni, non tenetur ad restitutionem ; cùm enim de jure naturæ sit justa defensio, damnum ex eâ aggredienti proveniens, non censetur se defendenti voluntarium, nec eidem imputatur ad culpam. Si tamen notabiliter excedat moderamen, tenetur, non quidem ad integram, sed ad aliquam restitutionem prudentis viri arbitrio faciendam. Tandem ex homicidio purè casuali, non videtur insurgere obligatio justitiæ ad restituendum, quia occasio secuta ex actione dantis operam rei licitæ, et adhibentis sufficientem diligentiam ne sequeretur, non est illi imputanda ; quia nec in se nec in causâ censetur volita, sed merè fortuita. Unde non est reus homicidii.

Hîc agendum esset de restitutione faciendâ à constupratore qui virginem defloravit : item ab adultero et adulterâ, prolem spuriam marito tanquàm legitimam supponentibus ; verùm quia ista materia jam à nobis fuit ventilata in expositione sexti præcepti, dùm de stupro et adulterio sermo erat, ideò eam omittimus, ne cogamur eadem inutiliter repetere.

Articulus II.

De restitutione faciendâ ob læsionem famæ.

Honor læditur per contumeliam, fama verò per detractionem et calumniam ; quæ peccata cùm sint contra justitiam, non minùs quàm furtum et rapina inducunt obligationem reparandi hanc læsionem, ac restituendi damna temporalia, si quæ ex infamiâ injustè respersâ proximo obveniunt. Quid autem sint detractio, calumnia, contumelia, etc. ; et quandonam istam obligationem imponant, explicabitur in expositione octavi et sequentis præcepti. Hîc autem solùm examinabimus modos quibus fama et honor reparari ac restitui possunt et debent.

D. Thomas, 2-2, q. 62, art. 2, ad 2, hanc statuit regulam dicens, quòd *aliquis potest alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo, et justè : puta, cùm aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato, et tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo*

falsum dicendo et injustè, et tunc tenetur restituere famam confitendo se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed injustè, puta cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, et tunc tenetur ad restitutionem famæ quantùm potest, sine mendacio tamen; utpote quòd dicat se malè dixisse, vel quòd injustè eum diffamaverit. Vel si non possit famam restituere, debet ei aliter compensare, sicut et in aliis dictum est.

Qui falsum crimen alteri imponendo, ipsum de facto infamavit, tenetur ad restitutionem famæ ablatæ sub peccato mortali, non minùs imò magis quàm fur aut raptor, qui notabilem pecuniarum quantitatem ab alio abstulit, cùm ex Scripturâ fama sit divitiis longè pretiosior. Dixi, si alium de facto infamavit, quia si reverà fama ablata læsaque non fuit, quia scilicet audientes ipsum mendacem reputârunt, ejusque calumniis non crediderunt, tunc etiamsi graviter peccaverit, ad restitutionem tamen non tenetur, quia nullum alteri de facto damnum intulit, sicut à simili fur qui conatus est aliena rapere, si impeditus suoque conatu frustratus nihil acceperit, peccavit quidem mortaliter, verùm nihil restituere tenetur. Et hoc idem est judicandum et dicendum de eo qui verum crimen, occultum tamen et injustè contra juris ordinem manifestat. Item qui proximum utroque modo infamavit injustè, tenetur non solùm ad restitutionem famæ, sed etiam omnium damnorum temporalium quæ proximo ex tali infamiâ sunt subsecuta, utpote cùm sit illorum causa injusta et efficax.

Sotus, l. 4 de Just., q. 6, art. 3, licet concedat eum qui falsum crimen imponendo alteri, illum infamat, teneri ad totam restitutionem damnorum, id tamen negat de eo qui injustè revelat crimen alterius verum sed occultum, dicitque solùm teneri restituere partem pro ratione damni illati et malitiæ ad boni et prudentis viri arbitrium; quia causa præcipua istorum damnorum non est revelatio criminis, quæ scilicet tantùm se habet tanquàm conditio sine quâ non, sed est ipsum crimen revelatum.

Alii contrarium docent, quia scilicet obligatio restituendi non oritur ex quantitate peccati quomodocumque, sed ex quantitate peccati contra justitiam, id est, damni contra justitiam illati : unde qui falso infamat, etsi plus peccet ratione mendacii adjuncti, quia tamen qui verum dicit, æquè potest peccare contra justitiam, et æquè infamare proximum, æquè poterit ad restitutionem obligari.

Ad rationem Soti allatam, dicunt eum qui occultum fratris crimen injustè revelat, non solùm esse causam sine quâ non, sed etiam causam per se et directè omnium damnorum : non enim consequuntur formaliter ac directè ex crimine, sed ex sinistrâ opinione hominum ortâ ex manifestatione; quia quamdiu crimen proximi ignoratur, non læditur ejus fama, nec inde damnum patitur, sed tantùm quando producitur in lucem et notitiam hominum; idque multis demonstrationibus et exemplis probabitur in tract. de Just.

Si infamator, sive verum, sive falsum dicendo ante obitum suum non reparaverit damna temporalia ex eâ infamatione proximo illata, ejus hæredes ad illa compensanda tenentur de bonis per hæreditatem relictis : ad ipsos quippe transeunt cum isto onere et in locum defuncti succedunt; non tamen ad restitutionem famæ obligantur, quia obligatio hæc est personalis affixa personæ defuncti, sicut ad impletio voti ab eodem emissi, nec afficit bona illius in quibus hæredes solùm ipsi succedunt, sicque non transit ad eos. Solùm ergo restant explicandi modi quibus infamator satisfacere potest.

Et inprimis qui aliquem de falso crimine infamavit, tenetur ex justitiâ omnia media ad integram famæ reparationem necessaria adhibere, canendo palinodiam, se retractando coram his qui eum audierunt, et confitendo se falsum dixisse : imò et juramentum addere, si ad famam restituendam sit necessarium; imò si hæc non sufficiant, tenetur veritatis adducere testes, si infamiæ gravitas id exigat. Imò etiam publicè per præconem aut parochum aut per schedulas in locis publicis affixas se retractare, si publicè per libellos famosos falsum crimen proximo imposuerit, etiamsi inde detractor remaneret infamis; quia, ut suppono, nequit aliter tollere inæqualitatem reddendo unicuique, quod est suum, amisitque jus suæ famæ quam injustè possidet, nec ei consulere potest cum damno famæ innocentis, cujus melior est conditio in isto casu. Ergo, etc.

Auctores tamen dicunt quòd si detractor esset tantæ dignitatis, et læsus tam vilis persona, ut inter famam illius et famam istius esset maximus excessus et inæqualitas, ad id non teneretur, sed satis esset dicere se fuisse deceptum ac malè fecisse, etc., vel pecuniâ aliâve compensatione ad arbitrium prudentis viri satisfacere : quòd si læsus noluerit hanc compensationem acceptare, erit irrationabiliter invitus; nullus enim tenetur quod abstulit statim restituere, cum longè majori damno proprio quàm sit illud quod intulit; et in isto casu restitutio in eodem genere boni censetur impossibilis. Idem videtur dicendum quando ex hâc publicâ retractatione detractor incurreret longè graviora damna et periculum vitæ, læsus verò solam jacturam famæ pateretur, ut constat ex dictis. Tunc enim deberet aliter eam infamiam compensare meliori modo quo poterit, ut docet D. Thomas loco citato, qui hanc doctrinam servandam esse insinuat in utroque casu, nempe et quando imponitur alteri falsum crimen, et etiam quando revelatur crimen verum, sed occultum, non servato juris aut charitatis ordine. In isto secundo casu, restitutio famæ est longè difficilior. Duo enim in hâc materiâ scopuli sunt vitandi, nempe mendacium, et confirmatio ac rememoratio infamiæ proximo illatæ. Vix autem ab auctoribus proponitur et adhiberi potest restituendi modus, qui in aliquem ex his scopulis non impingat.

Inprimis, infamator non debet nec potest mentiri, cùm non sint facienda mala, ut eveniant bona, juxta Apost. ad Rom. Mentiretur autem si diceret se falsum et mendacium protulisse, cùm nesciret tale delictum de fratre, illud tamen propalâsse; aut quando tale

crimen narravit, verum esse existimâsse, sed postea cognovisse se errâsse et deceptum fuisse, etc.; quidquid dicant plures auctores recurrentes ad æquivocationes, præcisiones et metaphysicas abstractiones, quibus audientes retractationem recipiantur, intelligentes eam in alio sensu quem non intendit infamator, cùm non teneatur eis aperire veritatem, sed habeat justam causam his amphibologiis illam celandi. Non enim D. Thomas recurrit ad has et similes subtilitates, quibus facili negotio ab ista gravi difficultate se expedire poterat, ne videretur introducere mendacia, quæ summoperè vitanda etiam ob quemcumque bonum finem semper docuit.

Insuper cavendum est, ne restitutio eo modo et verbis fiat, ut sit confirmatio et rememoratio infamiæ: id enim esset proximum lavare attramento et antidotum convertere in venenum: quod accidere timendum videtur, quando infamator confitetur se malè dixisse, vel alium injustè diffamâsse, se non benè advertisse, se perperàm et fatuè egisse, etc. Quamvis enim modus iste sit utilis apud rudes plebeios et rusticos, qui hoc audito facilè credent fratrem illud crimen non commisisse, apud doctos tamen erit potiùs confirmatio, quàm retractatio prioris infamationis: cùm enim sciant eum qui falsum crimen alteri imposuit, teneri ad se retractandum apertè ac expressè confitendo se falsum dixisse, eo ipso quo audiunt infamatorem id non usurpare, sed duntaxat asserere si iniquè locutum fuisse, ac injustè egisse, firmiùs tunc credent eum crimen verum de proximo narrâsse. Unde verisimile est D. Thomam hunc modum restituendi famam, nec tanquàm unicum, nec semper et pro omnibus sufficientem adduxisse, sed tantùm aliquando usurpandum juxta conditionem ac dispositionem audientium; vel eum duntaxat proposuisse tanquàm exemplum et remedium optimum ad vitandum mendacium, si nullum aliud sequatur inconveniens: si enim infamator non possit tunc restituere famam sine mendacio, aut sine confirmatione infamiæ illatæ, debet aliter eam compensare, etc.

Modus aptior ad prædicta duo inconvenientia devitanda videtur esse quem assignat Cajetanus, 2-2, q. 62, art. 2, in resp. ad 2, nempe quòd dùm non suppetit alia via directè reparandi famam in eâdem materiâ in quâ proximus fuit infamatus absque mendacio aut confirmatione infamiæ, tacendum est coram illis auditoribus de priori dicto, nec apud alios de eâ re ampliùs loquendum; sed pro occasione et opportunitate etiam quæsitâ, infamatum sine mendacio laudare, honorificè de eo loqui, pluries aperiendo quòd credit ipsum virum bonum, dare operam quòd talis habeatur ab aliis, ejus virtutes referre, familiariter ac decenter cum ipso conversari; et hoc ita cautè ut alii non deprehendant id in reparationem famæ ab eo fieri.

Plures solent assignari causæ excusantes utrumque infamatorem à restitutione famæ ablatæ. Prima est si infamatus illam remittat ac liberè condonet, utpote cùm sit illius dominus: dummodò tamen ejus fama non sit ita connexa cum aliorum famâ, ut infamia in eos redundet. Si enim persona publica aut prælatus infamiam gravem sibi illatam condonaret, esset famæ prodigus et peccaret, nisi vellet officium dimittere: quia subditi habent jus ut conservetur ob bonam gubernationem, nec prælatus illi juri subditorum renuntiare potest. Idem dicendum de religioso; ejus quippe infamia in alios et totum conventum redundat, qui non censentur huic condonationi consentire: sicque per eam infamator ab onere restituendi famam minimè liberatur, et iste condonans mortaliter peccat, saltem contra charitatem; imò secundùm multos auctores peccat etiam contra justitiam, quia fama religiosi non est sua, sed etiam religionis. De personâ publicâ id certum videtur, cùm prælatus ex justitiâ teneatur ad omnia quæ ad debitam sui officii executionem et gubernationem sunt necessaria, qualis est fama.

Secunda causa est quando infamatus aliâ viâ jam integram suam famam reparavit, vel propriis actibus virtuosis, vel proborum testimonio, vel ex rei evidentiâ, etc., cùm tamen toto illo tempore medio inter ablationem et recuperationem, iste famâ injustè privatus fuerit, quidam docent infamatorem pro tali jacturâ teneri ad satisfactionem offerendam, si infamatus illam postulet. Quoad damna verò quæ ob infamiam toto illo tempore pertulit, omnes docent à detractore esse resarcienda.

Tertia causa, quando diuturnitate temporis, infamia jam penitùs in oblivionem abiit, et ex audientium mente excidit, nec est periculum quòd reviviscat; aliàs si tale periculum probabiliter immineat, etiam post viginti annos restituenda est fama, præsertim si crimen falsò impositum fuerit, et de hoc rationabiliter dubitetur; cautè tamen se gerendo, ac considerando quo modo homines habeant personam quàm infamavit, ac de ipsâ loquantur circa talem materiam; aut petendo veniam, et condonationem injuriæ ab eâdem, aut honorificè de eâdem loquendo, etc.

Quarta causa, quando quis revelavit crimen alterius occultum, quod postea aliâ viâ justâ factum est publicum; hoc ipso enim iste amisit jus ad famam: secùs dicendum, si injustè factum est publicum, puta quia ille cui crimen detexit, aliis revelavit, etc.; tunc enim tenetur restituere, non solùm apud eum cui primò crimen manifestavit, sed etiam apud alios quibus iste retulit, cùm totius infamiæ censeatur causa injusta efficax. Quidam tamen auctores eum excusant, si bonâ fide existimaverit, eum cui declaravit prudentem esse, ac nemini proditurum, imò secretum ac silentium stipulatus fuerit. Plures alias causas examinantur in tract. de Just.

Articulus III.

An et quomodò honor ablatus sit restituendus.

Honor consistit in quâdam reverentiâ exteriori, quæ alicui personæ exhibetur propter aliquam ejus excellentiam: ut enim ait D. Thomas, 2-2, q. 103, art. 1, honor testificationem quamdam importat de excellentiâ alicujus. Unde homines qui volunt honorari, testimonium suæ excellentiæ quærunt. Tollitur autem per

contumeliam, utpote quæ importat dehonorationem alicujus per signa quibus id quod est contra honorem illius deducit aliquis in notitiam ejus et aliorum; et quia verba inter homines maximè sunt significativa, ideò contumelia propriè loquendo consistit in verbis; quia tamen etiam facta quandoque aliquid significant in hoc vim verborum habentia, hinc est quòd contumelia extenso nomine etiam in factis dicitur. Ex D. Thomâ, 2-2, q. 72, art. 1.

Quoties igitur aliquid dicimus aut facimus ad significandum aliquem defectum excellentiæ in altero, intendentes ejus dehonorationem ac eam in ipsius notitiam devenire, contumelia dicitur. Unde sive ista dicantur et fiant in ejus præsentiâ, sive in absentiâ, si tamen adsit intentio quòd in ejus notitiam veniant, erit contumelia. Est peccatum mortale ex genere suo ac contra justitiam, cùm expoliet injustè proximum re pretio æstimabili, in quam habet jus, nempe honore; et gravius detractione, quatenùs hæc fit in absentiâ; detractor enim per se loquendo occultè proximum infamat, nec intendit quòd verba in illius notitiam veniant : quòd si id contingat, omninò per accidens est ac præter ipsius intentionem : secùs dicendum de contumelioso. Item quia juxta aliquos honor est præstantior famâ, de quo tamen alibi sermo erit, ideòque contumelia non minùs quàm infamia inducit obligationem restituendi. Vide D. Thomam loco citato, art. 2.

In quibusdam tamen casibus excusatur à mortali. Primò, propter parvitatem materiæ, quandò scilicet honor illo signo parùm læditur, aut absolutè, aut spectatâ conditione personæ offensæ. Secundò, defectu pleni voluntarii, ut dùm pueri aut mulierculæ ex subito motu iræ conviciis se mutuò afficiunt : imò etsi convicia hæc continuentur cum deliberatione, videntur à mortali excusanda, nisi adsit intentio graviter lædendi honorem alterius; quia non multùm læditur ipsorum honor, nec illorum verbis fides adhiberi solet : secùs dicendum si intenderent aut adverterent læsionem fore gravem. Item quando per jocum duntaxat dicuntur aliqua convicia, non censetur peccatum mortale. Tertiò tandem excusantur à mortali patres et superiores, filios aut subditos ex solâ intentione corrigendi, verbis durioribus et injuriosis excipientes : non enim intendunt illos dehonorare, sed ad meliorem vitæ frugem reducere : sicut enim ipsis licet causâ disciplinæ eos verberare, ita et causâ correctionis verbum aliquod conviciosum dicere, moderatè tamen, ne subditorum animi inde potiùs acerbentur ac in pejora ruant, ut declarat D. Thomas loco citato, ad 2.

Per derisionem etiam honor alterius læditur, quando fit ex intentione eum confundendi et inducendi erubescentiam. Unde ex suo genere est peccatum mortale ob gravitatem objecti. Idemque dicendum de subsannatione, quæ nihil aliud est quàm derisio facta naso rugato, labiis distortis, linguâ exertâ, etc. In individuo tamen levis derisio quæ fit joco, solùm est conjuncta cum peccato veniali, nisi qui irridetur graviter inde confundatur, aut inde gravem tristitiam rationabiliter concipiat, prout magis explicabitur in expositione sequentis Decalogi præcepti.

Qui per contumeliam aut derisionem alteri honorem injustè abstulit, tenetur ad eum restituendum, ita ut honorem illi reddat etiam coram iis in quorum præsentiâ eum contumeliâ affecit, faciatque quantùm in se est, ut de eo non minùs honorificè sentiant quàm antea. Ut enim ait D. Thomas, 2-2, q. 62, art. 2, ad 4 : *Actio contumeliam inferentis non potest fieri ut non fuerit : potest tamen fieri ut ejus effectus, scilicet diminutio dignitatis personæ in opinione hominum reparetur, per exhibitionem reverentiæ*, seu exhibendo signa testificationis exterioris cultûs æquivalentia injuriæ factæ eamque delentia, nempe honorificam et amicam salutationem aut compellationem; qui modus per se videtur sufficere prælatis et principibus erga subditos. Item læso dando locum honorificum, adhibendo ad mensam, ei propinando, coram eo tenendo caput discoopertum, qui modus sæpè sufficit inter pares, quando inhonoratio non est gravis, et solùm privatim nemine videnti illata est. Quandoque hæc reparatio in exhibitione reverentiæ, facienda est per genuflexionem, prostrationem, et veniæ petitionem, si gravitas dehonorationis, et dignitas personæ læsæ id exigant. Hos omnes modos verbis illis generalibus complexus est D. Thomas.

Porrò ex istis modis, ille solùm adhibendus est, qui prudentum judicio requiritur et sufficit ad satisfactionem æqualem, et violati honoris reparationem integram. Cùm enim convicia et contumeliæ sint signa contemptûs, et contumeliosus erga læsum tanquàm superiorem se gerat, illum despiciendo ac humiliando, proprium hujus dehonorationis antidotum est suî ipsius humiliatio et submissio coram læso, ut sic eum in locum pristinum reducat. Quare si tales sint circumstantiæ in quibus à prudentibus judicetur ad hoc veniæ petitionem esse necessariam, contumeliosus illam adhibere tenebitur; et si renuat, absolvendus non erit à confessario, nisi aliunde multùm deroget statui illius, propter quod Augustinus in Regulâ superiores eximit à veniâ petendâ à suis subditis : aut nisi alicubi vigeat mos contrarius communiter receptus, ut nobiles pro injuriis sibi vicissim veniam non deprecentur; aut læsus talem sibi nolit exhiberi satisfactionem, eam tanquàm novam injuriæ commemorationem aut in mente aliorum refricationem respiciendo. Imò juxta plures graves auctores, contumelia aut dehonoratio quandoque ita atrox esse potest, ut prudentum judicio non sufficiat simplex veniæ petitio : sed adhuc requiratur major humiliatio contumeliosi, puta ut flexis genibus cum fune ad collum deprecetur veniam à læso coram cœtu, tenente baculum elevatum aut pedem positum supra istum, idque ante sententiam judicis; quia satisfactio proportionata et æqualis injuriæ in eâdem materiâ fieri debet ex justitiâ, si sit possibilis. Alii verò auctores id negant, eò quòd moribus gentium ita receptum est ut in conscientiâ etiam pro contumeliis atrocissimis, nullus teneatur majorem exhibere satisfactionem, quàm humilem veniæ petitio-

nem junctam signis pœnitentiæ et doloris; quòd si læsus majorem exigat, eam à judice infligi ac imponi curet. Vide circa hæc tract. de Just. Tenetur insuper contumeliosus reparare damna realia quæ ex hâc dehonoratione læsus subiit, ut si inde impeditus fuit ne consequeretur aliquod bonum, puta officium vel beneficium, quanti valebat bonum speratum, juxta superiùs dicta.

QUÆSTIO SEXTA.

DE RESTITUTIONE ORTA EX COMMUTATIONIBUS VOLUNTARIIS, NEMPE EX CONTRACTIBUS.

Contractus propriè dictus definitur ab Ulpiano, ff. de verb. Signific., l. *Lab.*, *ultrò citròque obligatio* : contrahentes enim ad aliquid vicissim præstandum se obligant. Unde formaliter definiri potest : *Actus externus inter duos ad minus, ex quo utrinque oritur obligatio.* Ipsâ externâ actione comprehenditur locutio, vel scriptura, vel rei traditio, vel aliquod signum externum, quibus mutuus partium consensus iniri et declarari potest; necesse est autem ut sit actio humana, seu deliberata, spontanea ac libera, cùm nonnisi proprio consensu liberâque voluntate contrahentes ligare se valeant. Porrò obligatio quæ ex vero legitimoque contractu oritur, non est tantùm antidoralis, seu in solâ honestate et gratitudine fundata, sed inducit debitum ex necessitate, et justitiæ lege implendum etiam in foro conscientiæ. Ex Institut., lib. 3, cap. 13, et ff. de Oblig. et act., l. *Contractus.* Et quidem si istud vinculum oriatur à jure naturali, erit obligatio naturalis : si verò à jure civili, erit quoque civilis, quam respub. superaddit, præstatque vim coercitivam ad compellendum cives ut stent contractibus, et tunc dicitur illis assistere. Quibusdam verò resistit, seu non solùm denegat suam auctoritatem, sed etiam aufert obligationem naturalem quam ex se habent, ob bonum commune. Quibusdam tandem nec assistit nec resistit, seu non aufert quidem obligationem naturalem, verùm non confert civilem, sed relinquit eos suæ naturæ, ff. lib. 27, tit. 1, l. *Scire oportet*, ff. de Just. et jure, l. *Prætorum*, l. *Jus autem.*

Nullus est contractus, nullaque obligatio in quâ non contineatur pactum vel expressum, vel tacitum ac virtuale, quod scilicet intelligitur inesse negotio, aut ratione officii, mandati et negotiorum gestorum, aut ratione dictorum, aut provisione legis, aut quod inest ex rerum naturâ, consuetudine et consequentiâ. Rursùs pactum vel est nudum, vel vestitum. Nudum dicitur quod non habet causam efficacem, vel juris præsidium et auxilium quo muniatur, sed in puris simplicis conventionis finibus sistit, ex quâ actio civilis non formatur nec datur, ff. *de Pactis*, l. *Divisionis placitum*, cap. *de Pactis*, l. *Traditionibus*, et lege *Quam dixisti.* Sed tantùm exceptio, seu defensio nascitur adversùs eum qui pactum non tuetur, l. *Juris gent.*, ff. *de Pactis.* Quod tamen pactum licet in foro externo et civili non liget, si tamen sit justum, obligat in conscientiâ jure naturali et divino. Pactum verò vestitum est quod aliquo alio præsidio munitur ad actionem producendam. Vestitur autem multis modis. Primò re, id est, rei traditione, ff. *de Pactis*, l. *In traditionibus.* Secundò verbis, seu stipulatione. Cap. *de Pactis*, l. *Quam dixisti.* Tertiò litteris seu instrumento publico. Quartò auctoritate legis. Quintò juramento.

Contractus formalis et explicitus dividitur in nominatum, et in innominatum, seu in eum qui habet nomen specialiter illi conveniens, quales sunt emptio, locatio, mutuum, etc.; et in illum qui speciali nomine caret, cujus hæc quatuor assignantur species. Nempe : *Do ut des. Do ut facias. Facio ut des. Facio ut facias.* De contractibus nominatis, tantùm sermonem faciemus.

Dividuntur autem primò in contractus bonæ fidei, in quibus scilicet judex ex arbitrio et ex æquo et bono, multa disponere potest, ut in emptione, locatione, societate, pignore, etc. Et in contractus stricti juris, in quibus scilicet judex ad verba et formam contractûs et contrahentium adstringitur, debetque in rigore legis agere, nec potest ex arbitrio aliter quàm expressum fuerit disponere, ut in stipulatione, feudo, donatione, promissione, mutuo, etc. Ex Institut. de actionibus, § *Actionum.*

Dividuntur secundò in contractus lucrativos et onerosos. Lucrativi, seu gratuiti, sunt illi quibus aliquid promittitur aut traditur absque pretio aut mercede, aut onere, ut in commodato, precario deposito, mutuo, etc. Onerosi verò sunt illi, per quos onus imponitur, ut contingit in emptione, venditione, locatione, etc. In quibusdam enim transfertur dominium rei commutatæ in accipientem. Et tunc aut res pro re commutatur, ut triticum pro vino. Et est *permutatio ac cambium:* aut res pro pretio, vel è contra pretium pro re traditur. Et tunc est *venditio ac emptio.* Aut tandem dominium rei gratis quidem transfertur in accipientem : ita tamen ut post aliquod temporis intervallum tantùmdem reddere teneatur. Et sic est *mutuum.* Unde est verus contractus, cùm utrique obligationem imponat : danti scilicet ad nihil pro usu rei accipiendum, et ad statim non repetendum debitum; accipienti verò, ad reddendum æquivalens tempore præfixo. Donatio verò inter contractus non numeratur, quia etsi per eam transferatur rei dominium in accipientem, nullam tamen ipsi obligationem reddendi imponit, sicque non infert ex utrâque parte obligationem, quod tamen est de ratione veri contractûs, ut ex definitione allatâ constat. In aliquibus contractibus non transfertur rei dominium, saltem directum ac plenum, sed tantùm usufructus sub aliquo pretio, aut sub reservatâ pensione vel hommagio. *Et sic est emphiteusis et feudum.* In aliquibus tandem nudus rei usus transfertur cum obligatione reddendi eamdem numero rem. Et quidem si gratis usus concedatur, *est commodatum;* si pro pretio detur, *est locatio.* Alia verò, nempe depositum, fidejussio, assecuratio, hypotheca et similia, sunt tantùm accessoria quædam ad confirmandos reliquos contractus : societas tandem, census et similia redu-

cuntur ad veros contractus jam enumeratos, nempe ad emptionem, locationem, etc.

Tertiò denique omnes contractus quoad substantiam et necessarium complementum, quatuor modis perficiuntur, scilicet re, verbis, scripturâ, et consensu : in quibusdam enim non consurgit obligatio, nisi post rei traditionem, ut in mutuo, commodato, depositio, pignore. In aliis non oritur obligatio, nisi certis verbis sub quâdam determinatâ formâ conceptis, v. g., stipulatione, etsi absque rei traditione, solisque verbis solemnibus perficiantur. In quibusdam aliis requiritur etiam scriptura, ut scilicet notarius conficiat instrumentum in aliis : tandem contrahitur obligatio solo consensu quovis modo signoque externo declarato, ac utrinque expresso, ut in emptione, venditione, locatione, societate, mandato, etc. Quæ omnia habentur in Institut., lib. 3, t. 14 de Oblig. et t. 15, ac sequentibus.

Cætera ad contractus in genere pertinentia fusè à nobis pertractanda sunt tract. de Justitiâ; quare ab his nunc abstinemus ut ad species contractuum particularium principaliorum gradum faciamus.

ARTICULUS PRIMUS.

De mutuo et usurâ.

Mutuum dicitur, quasi sub amico affectu reciproco *meum tuum* usu temporis necessarii; per mutuum enim transfertur rei dominium in mutuatarium, ut docet D. Thomas, 2-2, q. 78, art. 1, ac communiter auctores, et colligitur ff. de Rebus creditis, lib. 2, et ff. de Auctorit. prætor., l. *Obligari*. Et Instit., l. 3, tit. 15, § *Quibus modis re contrahitur obligatio*. Ubi natura mutui his verbis disertè explicatur : *Re contrahitur obligatio, veluti mutui datione : mutui autem datio in iis rebus consistit quæ numero, pondere et mensurâ constant, veluti vino, oleo, frumento pecuniâ numeratâ, ære, argento, auro, quas res numerando aut metiendo, aut appendendo, in hoc damus, ut accipientium fiant. Et quoniam nobis non eædem res, sed aliæ ejusdem naturæ et qualitatis redduntur; inde etiam mutuum appellatum est, quia à me ita tibi datur, ut ex meo tuum fiat : et ex eo nascitur actio quæ vocatur condictio*, seu quæ est personalis.

Ex quibus colligitur primò mutuum esse contractum realem, seu rei traditione solummodò perfici. Hujusmodi autem res, quæ sunt materia mutui, constare debent pondere, aut numero, aut mensura, et dicuntur recipere functionem ipsoque usu consumi aut distrahi, ut vinum, triticum, oleum, etc., ad quas reducitur etiam pecunia numerata utpote quia ejus principalis et primarius usus est alienatio ac distractio in commerciis ut docent Aristoteles 4 Ethic., cap. 4, et D. Thomas loco citato, ac habetur ex Instit., tit. 4, de Usufructu : cùm enim mutuum alicui detur ut propriæ ac præsenti subveniat indigentiæ, debet posse eam consumere ac distrahere rem : aliàs non posset illâ uti cùm usus sit illius consumptio et distractio : unde res mutuata non est eadem numero mutuanti reddenda à mutuatario, sed tantùm alia ejusdem speciei, quantitatis et valoris : sicque mutuum necessariò consistit in rebus functionem accipientibus, seu quarum una sobrogari potest in locum et solutionem alterius, quia aliud pro alio invito creditore solvi non potest, ff. de Rebus cred., l. 2 et 3, et ff. de Oblig. action., l. 1. Hujusmodi autem res debent consistere in pondere, numero, et mensurâ, ac esse ipso usu consumptibiles.

Colligitur secundò, quòd cùm istæ res neque naturali neque civili ratione recipiant usumfructum, ex Institut., lib. 2, tit. 4, seu earum usus principalis nequeat separari à dominio, ac distincto prætio apud homines moraliter seorsùm computari, eò quòd illo usu distrahantur et consumantur etiam quoad substantiam, hinc fit quòd cuicumque conceditur earum plenus ac perfectus juris usus, hoc ipso transfertur dominium et jus etiam in earum substantiam. Per mutuum autem transfertur in mutuatarium jus consumendi, distrahendi, ac in suos usus expendendi rem mutuatam, ut sic præsenti suæ necessitati occurrere valeat; sicque traditur ipsi ad usum primarium et principalem, quo consumitur; proindeque in ipsum plenum illius proprietatis et utilitatis dominium transfertur, cum solâ obligatione reddendi aliam ejusdem speciei quantitatis et valoris; non enim res mutuata datur alteri irredibiliter, nec totaliter alienatur absque ullâ prorsùs obligatione debiti et solutionis, ut contingit in eleemosynâ et donatione liberali; sed alienatur quidem hæc numero res mutuata, contractu tamen oneroso; quia licet mutuans illius plenum dominium transferat in mutuatarium, qui de illâ ad libitum tanquàm de re suâ, suoque nomine disponere potest usque ad substantiæ consumptionem, retinet nihilominùs jus ad rem similem statuto tempore recuperandam : ad quod minimè requiritur ut habeat et retineat dominium proprietatis in rem mutuatam, sed sufficit ut habeat actionem condicti in personam mutuatarii; ut constat de eo qui mercem creditò vendidit ac emptori tradidit, qui eam consumpsit ac distraxit : non enim habet ampliùs dominium in mercem traditam, sed tantùm habet jus exigendi pretium ab emptore, et actionem personalem. Adde quòd cùm istæ res usu consumantur, hoc ipso quòd conceduntur ad usum, dantur etiam quoad dominium proprietatis, quoad facultatem illas ad libitum suo nomine distrahendi, et consumendi quoad substantiam. Unde dominium directum ac utile in iis sunt inseparabilia; aliàs si mutuatarius acciperet solum dominium utile rei mutuatæ, non posset eam consumere, neque distrahere, ejusque dominium directum in alium transferre, ut constat de emphiteutâ, respectu rei emphiteuticæ : quod tamen patet esse falsum. Tandem quia res mutuata stat sub periculo mutuatarii et debitoris, qui tenetur semper similem solvere quocumque casu etiam fortuito sortem perire contingat, proindeque habet illius dominium, ipsique debet fructificare : res enim domino suo perit aut parit.

Conveniunt in hoc omnes Catholici contra Salmarium et alios heterodoxos, quorum fundamenta refelluntur tract. de Just.

Colligitur tertiò quòd etsi aliquis non semper obligetur ad dandum mutuum, supposito tamen quòd illud spontè concedere velit, nequit absque injustitiâ lucrum aliquod tanquàm mutuationis pretium ultra sortem exigere; cum enim illius dominium à se abdicaverit, ex re alienâ exigeret partum tanquàm sibi debitum; quod sane est injustum : unde illius usum tenetur gratis mutuatario concedere : adde quòd mutuum est quoddam officium et beneficium, proindeque ex naturâ suâ exigit fieri gratis; Officio enim contrariatur merces. Idque colligitur ex illo Lucæ 3 : *Benè facite et mutuum date, nihil inde sperantes.* Christus enim conjungens beneficentiam cum mutuo, satis ostendit esse officium misericordiæ, charitatis et liberalitatis, non verò quæstum ac negociationem. Et etiam ex D. Thomâ, opusc. 73, de Usuris, prout mox referemus. Idem etiam docent Tullius, lib. 2, de Finibus, Seneca, lib. 4, de Beneficiis, D. Ambros., lib. de Tobiâ, cap. 3, et alii sancti Patres infra adducendi, et fatetur ipse Molinæus, usurarum patronus, tom. 2 de Contractibus et Usuris, impressionis Parisiensis, fol. 15, num. 10, unde mutuator nequit ex vi mutui propriam augere sortem; et pactum quo mutuatarius teneatur aliquid ultra sortem rependere, est nullum ac contra substantiam mutui. Hinc colligi potest descriptio mutui, nempe quòd *sic contractus gratuitus, quo quis rem suam usu consumptibilem, ita alteri consumendam tradit, ut tamen eamdem in specie et bonitate statuto tempore reddere teneantur*, non in individuo. Mutuum aliud est formale ac expressum, quando scilicet explicitè contractus sub formâ expressâ mutui celebratur. Aliud verò implicitum, virtuale ac palliatum, quando scilicet latitat et palliatur sub formâ explicitâ alterius contractûs, v. g., venditionis, ut dùm quis res suas cariùs justo pretio vendit, hoc præcisè titulo, quòd de pretio solvendo emptorem expectet. Tunc enim censetur eodem modo se gerere, ac si accepto pretio, emptori mutuò illud daret, ut cum fœnore reddat in fine anni ob usum pecuniæ concessum toto illo tempore, prout declaravit D. Thomas, 1-2, quæst. 76, art. 3, ad. 7.

Colligitur quintò, mutuum vitiari et degenerare in usuram, quandò mutuans exigit lucrum præcisè tanquàm pretium usûs rei mutuatæ. Ut enim ait D. Thomas, opusc. 73 de Usur., vel auctor ejusdem opusculi : *Mutuò dare est actus, ex cujus corruptione generatur vitium usuræ : cùm enim hujusmodi actus sit liberalitatis et gratiæ, quidquid huic actui accedit quod liberalitatem tollit, ipsum actum à naturâ suâ avertit.* Accessiones igitur et auctaria supra sortem, quæ præcisè titulo mutuationis exiguntur, tanquàm quid ex justitiâ debitum, usuram constituunt. Unde Sotus, lib. 6 de Just., illam definit, *pretium usûs rei mutuatæ.* Hinc denique colligitur, quòd ad usuram constituendam, tria hæc requiruntur et sufficiunt. Primò ut interveniat mutuum formale aut virtuale, ita quòd usura non contingat in aliis contractibus, nisi quatenùs includunt et involvunt mutuum : tum ob rationem, et definitionem usuræ allatam; tum quia usura dicitur ab usu rei quæ illo consumitur aut distrahitur, sicut fœtus dicitur à fœturâ, et cultus, à culturâ; et tunc usura censetur committi, quandò ille qui eam transfert rem in alium ad usum quo consumitur, exigit ab eo aliquod lucrum supra sortem; nempe aliquid aliud pretio æstimabile, ultra et supra similem rem in specie ac bonitate statuto tempore reddendam : hoc autem intervenire nequit, nisi in mutuo formali aut virtuali, ut consideranti alios contractus patebit : vel enim dominium non transferunt, sed eadem numero et in individuo res accepta reddenda est, ejusque usus potest à substantiâ et à dominio seperari ac seorsim computari. Vel res pro aliâ re vel pro pretio commutatur, nihilque exigitur ultra, aut remanet debitum ac creditum, ex cujus usu consurgat usura, et hoc ipso involvunt mutuum; ergo, etc. Requiritur secundò, ut ex vi pacti taciti vel expressi, vel principali intentione exigatur lucrum supra sortem, tanquàm ex justitiâ debitum per modum accessionis et auctarii, seclusoque alio titulo damni, aut lucri cessantis. Tertiò tandem requiritur ut auctarium seu lucrum immediatè proveniat ex vi mutui, seu pacti mutuationis; si enim concedatur ex amicitiâ, liberalitate vel gratuitate, non erit usura. Igitur tria prædicta sunt attendenda ad dignoscendum contractum usurarium. Nempe an interveniat mutuum, saltem virtuale et implicitum; an auctarium supra sortem exigatur tanquàm pretium mutui, seu tanquàm debitum ex justitiâ, et an proveniat immediatè ex vi mutuationis præcisæ.

Usura dividitur in mentalem et realem, in formalem seu explicitam, et virtualem seu implicitam. Mentalis est, quando mutuans sine pacto, et interiùs duntaxat apud se proponit ac de facto intendit aliquid supra sortem à mutuatario accipere, tanquàm sibi debitum ex vi præcisè mutuationis. Realis verò est, quando init pactum formale aut virtuale cum mutuatario ipsum obligans ad lucrum supra sortem in vi mutui solvendum. Si autem hoc fiat in contractu mutui formalis, erit usura formalis et explicita; si verò fieri contingat in alio contractu, quatenùs includit et involvit mutuum, erit usura virtualis et implicita.

Articulus II.

Utrùm usura sit de se intrinsecè mala, et omni jure prohibita.

Quidam hæretici contendunt usuras licitè à divite, aut à mercatore, ex pecuniâ mutuatâ lucrifaciente in negotiatione exigi, solùmque esse illicitas dùm à paupere extorquentur. Item usuras moderatas approbari, excessivas duntaxat damnari. Contra quos stant omnes Catholici, cum quibus sequentes conclusiones statuimus.

Conclusio prima. — *Omnis et quæcumque usura, etiam moderata, à quocumque etiam divite et mercatore exigatur, est de se intrinsecè vorsùs illicita, ipsoque jure naturæ reprobatur.* Ita D. Thomas, 2-2, quæst. 78, art. 1, et cum ipso sentiunt omnes Catholici.

Prob. 1° ratione D. Thomæ. Contra jus naturale et

contra rectam rationem est, vendere id quod non est, aut nullo pretio dignum, vel eamdem rem bis seu duplici pretio vendere. Atqui in usurâ talis injustitia committitur : versatur enim in rebus quarum usus est ipsarum consumptio, ut in vino quod consumimus eo utendo ad potum, et tritico quod consumimus eo utendo ad cibum, et in aliis similibus · unde in talibus non debet seorsùm computari usus rei à re ipsâ ; sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res. Si quis ergo seorsùm vellet vendere vinum, et vellet seorsùm vendere usum vini, venderet eamdem rem bis, vel venderet id quod non est, nulloque pretio à re distincto dignum ; unde manifestè per injustitiam peccaret. Et simili ratione injustitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum petens sibi duas recompensationes ; unam quidem restitutionem æqualis rei, aliam verò, pretium usûs (quod usura dicitur) nempe vini potûs. Pari autem modo ratiocinandum est de pecuniâ mutuatâ, utpote quæ non habet tunc alium usum quàm distrahi in negotiatione, eoque usu moraliter consumi : sicque pro illo usu exigere pretium distinctum, est eamdem rem duplici pretio alienare, aut vendere id quod de se non est pretio dignum, neque seorsim ab ipsâ pecuniâ computatur.

Probatur 2° : Contra naturam est rectamque rationem, exigere fructum ex re de se sterili, ac lucrum de re non suâ, sed alienâ, tanquàm sibi ex justitiâ debitum. Atqui hujusmodi injustitia committitur in usurâ etiam moderatâ, à quocumque exigatur. Ergo, etc. Prob. minor. Pecunia enim non habet germen, estque de se prorsùs sterilis, ex Aristotele, 1 Politic., cap. 7, et lib. 5 Ethic., et ex D. Thomâ, in 3 sent., dist. 37, art. 6 ; et Institutis, l. 2, cap. 4, dicitur, eam neque civili, neque naturali ratione recipere usumfructum. Adde quòd pecunia mutuata jam transiit in dominium mutuatarii, prout jam ostensum est. Si verò ista pecunia non consideretur tantùm secundùm se et præcisè juxta potentiam remotam lucrifaciendi, sed prout effecta est lucrosa ex industriâ mercatoris et mutuatarii, tunc est magis res aliena mutuatori, sicut et industria illa mercatoris. Ergo ex re alienâ fructum exigit tanquàm sibi debitum ; quod apertè militat contra justitiam et rectam rationem : res enim sicut domino suo perit, ita illi parit.

Prob. 3° : Contra naturam et substantiam mutui est quòd sit quæstus ac negotiatio, cùm sit contractus gratuitus, pietatis actus, opus misericordiæ et liberalitatis, stricti juris, et re perficiatur, prout jam ostensum est. Unde recipiens obligatur tantùm ad reddendam rem ejusdem speciei, bonitatis et valoris ac mutuatorem indemnem servare ; ita ut sicut nequit ex officio misericordiæ referre lucrum, ita neque debeat reportare damnum ; quare si paciscatur quòd mutuatarius in vi mutuationis aliquid ultra sortem reddere teneatur, ipso jure non valet tale pactum, nullaque oritur obligatio, ut patet ex l. *Si tibi dedero decem*, ff. *de Rebus creditis*, et l. *Certi condictio quibus modis contrah. oblig.* et l. *Si tibi decem in principio de pactis*, ff. l. *Rogâsti*. Ubi decernitur quòd recipiens non potest in plus obligari, quàm acceperit, taleque pactum esse contra substantiam actûs, et usurarium. Ergò cùm usura sit vitium et corruptio contractûs justi et in republ. adeò necessarii, nempe mutui, est de se intrinsecè mala, veraque injustitia ipso jure naturæ interdicta.

Conclusio II. — *Omnis usura, etiam moderata, à quocumque exigatur, est jure divino, à Scripturâ, et à sanctis Patribus interdicta, tanquàm de se et intrinsecè mala.*

Prob. 1° ex veteri Testamento. Tum ex illo Psalm. 14 : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Ergo omnis qui dat ad usuram, cuicumque det, excluditur à regno Dei. Sic enim hunc locum generaliter exponunt D. Hieronym. super Ezech., cap. 18 ; D. Ambros., lib. de Tob., cap. 15 ; D. Basilius, super hunc Psalm. ; D. Cyprian., lib. de Testim. ad Quirinum, cap. 48 ; D. August., in Psalm. 38, et passim alii sancti Patres, et ibidem cardinalis noster Hugo à S. Charo vocat usuram *Sodomiam naturæ* aut pecuniæ. Tum ex Psalm. 54, ubi Propheta inter maximas iniquitates ob quas populus Dei flagella sentiebat aut merebatur, usuram recenset dicens : *Non defecit de plateis ejus usura et dolus.* Tum Ezech. 18, v. 13, et cap. 22, v. 12, ubi Propheta generaliter omnem usuram à quocumque acceptam, tanquàm rem detestandam reprobat, quomodò hunc locum exponunt sancti Patres relati, et inter alios D. Hieronymus ibidem refert et dissolvit principale usurariorum argumentum ad excusandas excusationes in peccatis. Concluditque D. Ambros., Epist. 24 ad Vigilium, quòd *supplantator, et legis divinæ prævaricator est, proindeque regno Dei excluditur, qui usurarum capit emolumenta.*

Fateor equidem, quòd cùm necessitas pauperis gravius et frequentiùs urgeat ipsum ad mutuum accipiendum, magisque credule sit ab eodem exigere lucrum supra sortem : Scriptura sacra in aliis locis specialem de hoc fecit prohibitionem : nullibi tamen concessit aut permisit ut à mercatore aut divite, usuræ licitè exigi possent, sed potiùs generaliter prohibuit omnes usuras. Nam Deuteronom. 23, v. 13, sic habetur : *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno*, etc. Ubi lex divina prohibebat Judæis generaliter ac indistinctè, ne fœnerarentur fratri suo : mercator autem Judæus petens mutuum ad negotiandum, frater tam benè erat, quàm alius Judæus pauper mutuum petens ad se sustentandum. Deinde nomini *fratris* Scriptura solùm opponit nomen *alieni*. Sicque nomen fratris in eâdem amplitudine et extensione sumendum est ac nomen alieni. Atqui juxta hæreticos quos impugnamus, in vi hujus legis permissum erat Judæis fœnerari omni alieno : ergo pariter erat illis prohibitum omni Judæo etiam mercatori ac diviti. Vel si lex divina nomine fratris solos pauperes Judæos excipere voluerit, pariter nomine alieni, solos pauperes alienigenarum nationum intellexit, à quibus proinde tantùm, et non à mercatoribus ac divitibus alienis, usuras exigere permisit quod absurdum esse constat.

Hunc locum Scripturæ exponens D. Thomas, 2-2, q. 78, art. 1, ad 2, ait : *Per hoc datur intelligi quòd accipere ad usuram à quocumque homine, est simpliciter malum. Debemus enim omnem hominem habere quasi proximum, et ut fratrem, præcipuè in statu Evangelii, ad quod omnes vocantur. Unde in Psalm. 14, absolutè dicitur :* « *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* » *Et Ezech. 18 :* « *Qui usuram non accepit,* » etc. *Quòd autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet à Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur Isai. 56 :* « *Quod autem in præmium promittitur. Fœnerabis gentibus multis,* » etc., *fœnus ibi accipitur largè pro mutuo ; promittitur scilicet Judæis abundantia divitiarum, ex quâ contingit, quòd aliis mutuare possint.* Hæc D. Thomas.

Unde postea Judæi à Prophetis edocti fuerunt, ne etiam extraneis fœnerarentur, utpote quid de se malum, ac lege divinâ interdictum, ut constat ex locis relatis. Tandem habemus ex hoc loco, Christianum non posse à Christiano, utpote proximo ac fratre naturâ, fide, religione, etc., usuras licitè exigere : non enim erga Christianos decet esse minùs charitativos, magis avaros et misericordes, quàm Judæi erga Judæos esse debebant ex Dei edicto.

Probatur secundò ex Evangelio Lucæ 6 : *Mutuum date, nihil inde sperantes*, ubi Christus Dominus proponit consilium in illis verbis : *Mutuum date ;* præceptum verò imponit in aliis : *Nihil inde sperantes.* Sicut et in istis Psalmi 75 : *Vovete et reddite.* Vovere quippe consilium est, votum verò legitimè emissum adimplere, necessitatis est ac præcepti. *Dare quippe mutuum*, inquit D. Thomas, 2-2, q. 78, art. 1, ad 4, *non semper tenetur homo : et ideò quantùm ad hoc ponitur inter consilia. Sed quòd homo de mutuo lucrum non quærat, hoc cadit sub ratione præcepti. Potest tamen dici consilium per comparationem ad dicta Pharisæorum, qui putabant usuram aliquam esse licitam, sicut et dilectio inimicorum est consilium*, nempe juxta falsam et corruptam Pharisæorum interpretationem. Idem repetit D. Thomas, q. 13 de Malo, art. 3, ad 4 ; idem colligitur ex Alexandro papâ III, qui in concilio Lateran. definivit usuras utriusque Testamenti paginâ condemnari et detestari. Ut refertur lib. 5 Decretalium, tit. 19, de Usuris, cap. *Quia*. Idem repetit cap. *Super eo*, eod. tit. ; non est autem locus in toto novo Testamento quo usuræ reprobentur expressiùs, quàm iste. Item colligitur ex Urbano papâ III, cap. *Consuluit*, tit. de Usuris : *Quid in his casibus tenendum sit, ex..... Evangelio Lucæ manifestè cognoscitur, in quo dicitur :* « *Mutuum date nihil inde sperantes, cùm omnis usura* « *et superabundantia prohibeatur in lege.* » Item ex Leone X, in concilio Lateran, sess. 10 : *Cùm Dominus noster Lucâ Evangelistâ attestante aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus*, etc. Tandem Clemens papa V in concilio Viennensi definivit eum censendum esse hæreticum, qui pertinaciter asserere ausus fuerit usuram esse licitam, quia nimirùm apertè contradicit Scripturæ tam novi, quàm veteris Testamenti. Præceptum igitur divinum ibidem intimatur, non intendendi accipere, à fortiori non accipiendi aliquid supra sortem tanquàm debitum ex mutuo : nec propterea prohibetur sperare ac exigere ipsam redditionem sortis. Non enim Christus Dominus ait donare irredibiliter et facere eleemosynam ; sed dixit tantùm : *Mutuum date*, de cujus naturâ est ut capitale repetatur, et reddatur à mutuatario statuto tempore salvum ac integrum, tanquàm creditum et debitum solvendum in re ejusdem speciei, valoris, ac bonitatis, prout jam ostensum est : præter hanc sortem, nihil ultra lucri aut commodi pretio æstimabilis sperando à mutuatario accipere, nequidem similis gratiæ et officii mutuationis redhibitionem. *Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur ut recipiant æqualia*, subdit ibidem Christus Dominus.

Tandem omnem usuram jure divino esse prohibitam, meliùs dignosci nequit, quàm ex mente sanctorum Patrum, quibus sanè Scripturarum intelligentia donata fuit : hi autem omnem usuram tanquàm vitium detestabile reprobârunt ; D. Basilius super Psalm. 14 ; D. Gregorius Nyssenus oratione contra Usurarios ; D. Gregor., homiliâ 4 in Ezech. ; D. Ambrosius passim in lib. super Tobiam ; D. Hieronymus, cap. 18 in Ezech. ; D. August. super Psalm., et alii passim, prout referuntur à Gratiano, causâ 14, q. 3, cap. 1 et sequentibus.

Conclusio III.— *Omnis usura, à quocumque exigatur, est jure canonico ac ecclesiastico vetita, tanquàm de se mala.*

Usuras enim reprobârunt pontifices : D. Gregorius, lib. 8, Epist. 40 ; Alexander papa III, cap. *Super eo* de Usur., ubi ait : *Cùm usurarum crimen utriusque Testamenti paginâ detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus ; quia cùm Scriptura sacra prohibeat pro alterius vitâ mentiri, multò magis prohibendus est quis ne etiam pro redimendâ vitâ captivi usurarum crimine involvatur.* Urbanus III, cap. *Consuluit ;* Innocentius II, in Synodo romanâ ; Innocentius III, in concil. Lateran. cap. 67 et cap. ultimo ; Gregorius IX, cap. *Naviganti*, de Usuris, Clemens V, in concil. Vienn. ; Leo X, in concil. Lateran. ; B. Pius V, Sixtus V, Alexander VII, Innocentius XI, in suis Constitutionibus, aliique communiter pontifices, et concilia tam generalia quàm provincialia ; et canones apud Gratianum causâ 14, q. 3, apud Gregorium IX, lib. 5 Decretalium, tit. 19 ; apud Bonifacium VIII in sexto, lib. 5, tit. 5, et in Clementinâ unicâ de Usuris.

Dices primò Innocentium III, in cap. *Salubriter* de Usuris, tribuisse facultatem genero percipiendi fructus pignoris sibi à socero collati, non computandos illos in sortem, quamdiù non solvitur ipsi dos promissa. Atqui hoc est usurarium ; non enim gener illos fructus percipit ratione liberæ donationis aut titulo damni emergentis ac lucri cessantis : alioquin pontifex nihil speciale ei concessisset, cùm id omnibus sit licitum. Ergo solùm percipit illos ratione dilatæ solutionis dotis.

Resp. pontificem id concessisse genero ut onera ma-

trimonii inde sustentare posset; quia hæc est natura contractûs dotalis, ut qui dotem promittit, videatur sponte ac liberaliter cedere fructus pignoris, quamdiù eam non solvit, velleque contrahere juxta hanc legem pontificis; qui attendens quòd dos ex naturâ suâ est quasi patrimonium feminæ destinatum, ad ejus sustentationem, ac familiæ, ad quam regulariter requiritur, ut statim dos persolvatur, aut certè ejus loco detur aliquid frugiferum, quo hujusmodi onera matrimonii sustentari valeant: justissimè statuit, quòd si per socerum stet quominùs gener habeat dotem, tamdiù possit gener fructus pignoris insumere ad onera illa sustentanda, quamdiù socer non vult dotem conferre, quâ ea sustentaret salvâ illius substantiâ, utpote cùm illam post obitum teneatur integram uxori aut filiis reddere. In hoc autem non est mutuum, proindeque nec usura. Eodem modo explicandum venit caput *Conquestus* de Usuris, ubi domino directo feudi conceditur facultas percipiendi fructus illius, quando à feudatorio datur in pignus pro aliquo debito; non potest tamen toto illo tempore, ab eodem exigere hommagium et obsequium solitum : usuræ verò pupillares sunt illicitæ ac in jure reprobantur, ut ostenditur tract. de Just., ubi etiam agitur de viduâ et legatorio.

Dices secundò : Montes pietatis tanquàm laudabiles approbârunt Paulus papa II, Sixtus IV, Innocentius VIII, Alexander VI, Julius II, Leo X, qui omnes referuntur in concilio Lateran., sessione 10, ubi, et in concilio Tridentino inter opera pia recensentur. Atqui tales Montes sunt usurarii, cùm mutuatarii ultra redditionem integræ sortis, adhuc obligentur ad aliquam pecuniam Monti solvendam. Ergo jus ecclesiasticum non reprobat usuras. — Respondeo negando minorem : quia illa pecunia ultra sortem non exigitur in vi et ratione mutationis, ut scilicet Mons augeatur et ditescat : sed solùm ob compensationem justi interesse damni inde emergentis; quia aliàs Mons diminueretur et tandem exhauriretur cum notabili pauperum mutuo indigentium nocumento, si nempe Mons non exigeret pignora pro securitate sortis, si non haberet ministros ad ea conservanda; si ipsis de suo stipendia solveret : unde illud plus non accipit titulo mutui absolutè sumpti et ad augendum pecuniarum cumulum, prout facit usurarius, sed duntaxat titulo locationis operarum ministrorum ob expensas mutuando hoc modo factas in gratiam et utilitatem mutuatariorum; cùm enim sentiant commodum, æquum est ut ob majus proprium bonum illam parvam solvant expensam. Sicque Mons inde nullum auctarium recipit, sed ministri duntaxat recipiunt stipendium operarum quas locant mutuatariis. Plura vide tract. de Just.

Dices tertiò : Nicolaus papa III definivit Franciscanos habere quidem usum pecuniæ et rerum comestibilium ac ipso usu consumptibilium, quas accipiunt in eleemosynas; non verò dominium, quod semper remanet, vel apud largitores, vel penès summum pontificem. Idem definitum fuit à Clemente V, ab Innocentio IV, ab Alexandro IV, à Gregorio IX; ergo in his rebus usus potest à dominio separari. Ex quo fundamento dissolvitur potissima nostra ratio ad pravitatem usurarum demonstrandam. — Resp. 1° Joannem papam XXII, in extravaganti *Ad conditorem*, et in aliâ *Inter nonnullos* contrarium determinâsse. Nec est inconveniens admittere, pontifices in aliquo facto particulari interpretando, scilicet aliquid practicè ordinando circa constitutiones alicujus certæ religionis, acceptando vel respuendo bonorum dominium, contraria sentire. — Resp. 2° hujusmodi pontifices posse conciliari, dicendo quòd Nicolaus papa noluit Franciscanos habere usum ac dominium juris, non tamen denegavit dominium facti, per modum scilicet actûs transeuntis, dùm scilicet de facto à Franciscanis consumuntur; quod dominium ipsis attribuit Joannes papa XXII. Unde si Franciscani haberent usum juris absolutum et plenum hujusmodi rerum, seu irrevocabilem facultatem eas alienandi et consumendi ad libitum independenter à voluntate largientium, qualem habet mutuatarius rei mutuatæ, profectò haberent et illarum dominium, cùm talis usus in his rebus sit à dominio inseparabilis. — Resp. 3°, quòd si respiciamus ad voluntatem largentium hujusmodi res in eleemosynas, de facto illarum dominium transit ad Franciscanos, nec per benefactores stat quin illud retineant. Si verò ad voluntatem et acceptationem Franciscanorum attendamus, earum plenum ac absolutum et independens dominium non admittunt, sed solùm illis de facto utuntur usque ad consumptionem, seu per modum transeuntis, non verò per modum permanentis. Plura de his referuntur locis citatis.

Conclusio iv. — *Omnis usura jure civili Cæsareo et Regio est prohibita, aut solùm permissa, non verò concessa ut licita.*

Licet enim tempore reipub. romanæ et imperatorum ethnicorum, usura usque ad certam lucri quantitatem ex mutuo fortè non esset interdicta, nunquàm tamen ab imperatoribus christianis concessa fuit tanquàm licita, ut constat ex l. *Eos*, cap. de Usur., ubi Justinianus taxans diversam quantitatem lucri pro variâ conditione mutuantium, satis indicat id non admittere tanquàm accessionem sortis, sed solummodò adjudicare in compensationem interesse; seu usuras lucratorias non approbâsse, sed tantùm compensatorias, quæ impropriè vocantur usuræ. Quod etiam colligitur ex Institut. tit. de Usufructu, ubi determinat res quæ sunt materia mutui, neque naturali, neque civili ratione recipere usumfructum. Et ff. lib. 12, tit. de Rebus creditis, l. 11, *Rogâsti*, § 1 : *Si tibi dodero decem, sic ut debeas novem, Proclus ait, et rectè, non ampliùs reipsà jure debere quàm novem. Sed si dedero ut undecim debeas, putat Proclus, ampliùs quàm decem condici non posse.* Rationem subdit glossa Acurtii, quia quod est supra decem, tanquàm usura peti non potest : quod verò est infra decem, liberaliter donatum esse censetur. Item de ædil. ædict., l. *Illud*, et l. *In socium qui* pro socio, l. *Certi condictio*. Quibus modis re contrah. oblig., et l. *Si tibi decem*, in principio de pactis. Et certè cùm Justinianus cap. de Sanct. Trinit.

profiteatur se in omnibus sequi statuta quatuor primorum conciliorum generalium; et usuræ prohibeantur in Nicæno 1, can. 17, manifestè sequitur eum reprobâsse usuras lucratorias, solùmque admisisse compensatorias, ac punitiorias moræ et contumaciæ debitoris ad solvendum. In trajectitiâ autem pecuniâ statuit Justinianus ut usque ad centesimam tantùm seu duodecim in centum liceat stipulari, non ratione mutui, sed ratione periculi, prout infra explicabitur.

Quod si dicas jus civile admittere *Antichresim*, ff. lib. 20, tit. 1 de Pign. l. 11 : *Si is qui bona*, c. lib. 4, tit. 32, l. *Ex prædictis*, et l. *Ex lege*, et alibi passim. Atqui antichresis est vera usura, cùm concedat fructum rei datæ in pignus creditori, pro interusorio pecuniæ mutuatæ. Ergo, etc. — Resp. jus civile admittere antichresim in alio sensu bono, nempe pro compensatione alicujus interesse creditoris, aut punitione debitoris, in vi alterius contractûs mutuo adjuncti, nempe stipulationis. Unde jura decernunt, quòd si fructus ex pignore percepti à creditore sint certi, et excedant usuram, seu interesse quod creditor patitur, computandi sunt in partem solutionis debiti, quoad istum excessum. Ex Cod. l. 8, tit. 28, de Distract. pign., l. 1, l. 2, de Partu pign., l. *Si dominum*, cap. de Pignor., et cap. de Usur., l. *Si eâ lege*, l. *Si eâ pactione*. Eodemque modo exponenda sunt jura quæ videntur usuras concedere, nempe intelligenda esse de usuris largo modo sumptis, seu compensatoriis interesse, aut punitoriis moræ, non verò de lucratoriis. Vel dicendum cum D. Thomâ, 2-2, q. 78, art. ad 3, quòd *leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, si omnia peccata districtè prohiberentur pœnis adhibitis. Et ideò usuras lex humana concessit, non quasi æstimans eas esse secundùm justitiam sed ne impedirentur utilitates multorum*, seu eas duntaxat impunè permittit ob bonum commune. Verùm qui eas exercent, coram Deo sunt rei peccati mortalis, et teneantur ad restitutionem illius lucri supra sortem. Sicut ob hoc quòd tollerentur lupanaria ad vitanda majora mala in repub., non propterea lethaliter peccare desinunt qui scorto abutuntur.

Quoad jus nostri regni Galliarum, certum est usuras illo prohiberi, prout colligitur ex capitularibus Caroli Magni, lib. 4, cap. 50, cap. 125, et lib. 6, cap. 10. Item ex edicto sancti Ludovici, ann. 1254, Philippi Pulchri, ann. 1372, apud Posiacum; Philippi VI, ann. 1349; Ludovici XII; Henrici III, in constitutionibus Blesensibus, art. 102; Henrici IV, ann. 1601, mense julio; Ludovici XIII, ann. 1634, mense martio, et Ludovici Magni feliciter regnantis ann. 1679, mense decembri, prout refert D. Cordurier, tract. 1 de Usur., cap. 1, num. 33. Hinc si in contractu mutui usuræ lucratoriæ in hoc regno stipularentur, contractus esset nullus ac rescinderetur, saltem quoad istud lucrum supra sortem, nec condemnaretur mutuarius ad illud solvendum. Imò si illius lucri per plures annos persoluti syngrapha judici exhiberet; decerneret ut in solutionem summæ capitalis cederent ac computarentur.

Dices, jura nostri regni taxâsse quinque nummos in annum à mutuatario solvendos ultra centum mutuo acceptos. Ergo, etc. — Resp. id non fuisse statutum ad lucrum supra sortem ex vi mutui adjudicandum mutuanti, sed duntaxat ad compensandum verum interesse quod inde pati præsumitur, et ad compescendam usurarum voraginem. Ipse postea sibi viderit an tali compensatione verè indigeat, ut se indemnem servet: plerùmque enim fit ut homines per cœcam cupiditatem habendi, falsis prætextibus suas oblevent usuras, fundantes eas in interesse imaginario; valdèque difficile esset probare, nullum inde passos interesse mutuantes.

Et hæc dicta sufficiant contra usurarum pravitatem. Qui plura voluerit, videat tract. de Justitiâ, ubi fusiori calamo scribitur telaque vibrantur contra hoc monstrum. Qui igitur volet tutâ conscientiâ referre lucrum ex suâ pecuniâ, vel emat prædia frugifera, frugum aut fructuum mercimonia exerceat, vel constituat pensiones, seu census ac reditus perpetuos annuos emat : aut tandem societatem negotiatoriam ac lucrosam cum industrio mercatore ineat, retinendo apud se periculum pecuniæ in negotiatione depositæ, ut hic participet in damno, sicut et in lucro, quod est de ratione veræ societatis, prout magis explicabitur infra.

Articulus III.

Utrùm liceat pro pecuniâ mutuatâ aliquam commoditatem expetere, et quibus titulis.

Postquàm D. Thomas articulo primo, naturam aut petiùs pravitatem usuræ ostendit, in hoc articulo secundo examinat utilitates quas ex mutuo recipere licet, et quibus titulis evacuetur usuræ labes. Totamque istam doctrinam fundat in hoc, quòd quidquid pretio æstimabile ex pacto exigitur à mutuatario tanquàm debitum vi mutui, præter redditionem sortis integræ in omni eventu, per quam mutuator se indemnem servet ac compensetur ad æqualitatem, est lucrum usurarium. Duo igitur in isto articulo sunt à nobis examinanda. Primum, quænam sint in particulari istæ commoditates pretio æstimabiles, seu quæ pecuniâ æstimari possunt, de quibus solet esse controversia inter auctores. Secundum, quinam sint justi tituli veri interesse mutuo intrinseci, ob quos licitum sit mutuanti exigere aliquid à mutuatario pro compensatione illius.

§ 1. *Examinatur primum punctum sequentibus quæstionibus.*

Quæres primò, an liceat mutuanti lucrum supra sortem exigere ad hoc ut istâ viâ recuperet id quod sibi aliunde justè est debitum à mutuatario.

Respondent communiter auctores id esse licitum secluso scandalo, et servatis servandis, nempè dummodò istud debitum sit certum et liquidum. Item si juridicè aliâque viâ honestâ illud recuperare nôn pos-

sit. Item debet vitare inconvenientia, ne scilicet ipse vel ejus hæredes denuò solvant. Item quòd sit debitum non solâ obligatione antidorali : non enim potest ex mutuo transformari in civilem, sed debet esse debitum ex justitiâ, aut saltem ex charitate. Ratio est, quia id quod tunc mutuans recipit non censetur lucrum supra sortem, nec auctarium, nec quid alienum : neque per hoc plus habet; et alter minùs quàm habere debeant, solùmque occasione mutui, suum recuperat mutuatarius.

Quæres secundò, an committat usuram qui mutuum dat feminæ eo pacto ut copulam cum ipso admittat.— Resp. affirmativè, si mutuans id exigat ex vi mutui tanquàm pretium illius, quia hic actus pecuniâ mensurari et vendi potest. Secùs dicendum, si solùm intendat ejus amicitiam ex mutuo sibi conciliare, ut inde illecta, spontè et gratis concedat concupitis frui amplexibus.

Quæres tertiò, an omnis pactio et conventio per quam imponitur mutuatario onus et obligatio, quasi ex justitiâ, ad quam aliàs non tenebatur, nec ex vi mutui tenetur, sit usuraria. — Resp. affirmativè, quia est onus pretio æstimabile, cùm adimat mutuatarii libertatem; cap. de Oblig. et Action., l. *Sicut*. Hinc usuram committit qui alicui mutuo dat pecunias eâ lege, ut in suâ officinâ merces emat, molendinum frequentet ac scholas, etc.; etiamsi ab eodem non plus exigat quàm pretium justum et solitum : taleque gravamen relaxare tenetur, alium in pristinum reponendo statum; et secundùm boni viri arbitrium aliquid pro isto onere eidem restituere, juxta plures auctores, et à fortiori reparare damnum, si quod inde passus est, puta quia alibi minori pretio res illas emisset. Hinc sequitur usuram committi ab eo qui alteri dat mutuum cum pacto, ut præstet munus à linguâ, v. g., quòd canat, quòd regem alloquatur : vel munus ab obsequio, nempe ut eum comitetur in ecclesiâ, et officia particularia exhibeat. Vel tandem munus à manu, v. g., domum conducat vel locet, agrum excolat, etc. Ita D. Thomas, 2-2, quæst. 78, art. 2, ad 3. Hinc usuram committit qui alteri mutuum dat eo pacto ut à justis vexationibus et litibus abstineat aut cesset, vel ut ipse eximatur à restitutione, ac reparatione honoris et famæ faciendâ, vel à tributis et oneribus communibus eximatur : secùs dicendum si persecutio fuerit injusta; quia tunc mutuator nihil inde refert lucri indebiti; ad quod jus non habeat, et ad quod alter non teneatur, solùmque redimit injustam vexationem suam. Hinc usuram committit qui in vi mutui obligat civiliter mutuatarium ad sibi remutuandum in posterum : est enim onus ac gravamen vi mutui impositum mutuatario pretio æstimabile : secùs dicendum si nolit mutuare pecuniam, nisi vicissim alter sibi statim et ex tunc aliquid aliud remutuet, ut docet D. Thomas loco citato, ad 4, dicens, quòd *pecunia non potest vendi pro pecuniâ ampliori quàm sit quantitas pecuniæ mutuatæ, quæ restituenda est : nec ibi aliquid est exigendum aut expectandum, nisi benevolentiæ affectus qui sub æstimationem pecuniæ non cadit, ex quo potest procedere spontanea mutuatio. Repugnat autem ei obligatio ad mutuum faciendum in posterum : quia etiam talis obligatio pecuniâ æstimari posset. Et ideò licet simul mutuanti unum, aliquid aliud mutuum recipere, non tamen licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.* Et non dicit D. Thomas quòd dando mutuum alteri, liceat eum civiliter obligare ad statim aut post paucos dies sibi remutuandum, nisi vicissim sese obligent ad mutuandum, et uterque similem obligationem subeat mutuandi, non enim unus mutuum alteri dans, potest ex pacto ipsum obligare ad sibi statim remutuandum, cùm omnis obligatio civilis ad remutuandum, sive statim, sive futuro tempore, sit pretio æstimabilis; sed tantùm dicit S. Doctor, quòd « licet simul « mutuanti unum, aliquid aliud mutuum recipere. » Nempe simpliciter ex benevolentiâ, gratitudine, spontaneâque remutuatione, nulliusque meminit pacti et obligationis impositæ dùm loquitur de remutuatione præsenti; sed solùm dùm loquitur de remutuatione in posterum; quia fortè ista non rectè sine pacto et obligatione civili, ordinariè stabiliri potest : benè tamen illa, utpote quæ gratis, liberaliter et ex amicitiâ provenire potest ac solet. Hinc constat mutuatorem usuram committere qui civiliter obligat mutuatarium ut erga suos creditores pro se aut suis fidejubeat : tum quia ista obligatio est illi utilis et onerosa alteri, et fidejussio pretio est æstimabilis, cùm sit obligatio ad respondendum ac solvendum pro eo pro quo fide jubetur, et quasi ad ipsi mutuandum in posterum, si indiguerit, ac ex propriis solvere nequeat. Non tamen committit usuram, si ab eodem exigat cautionem, fidejussionem, aut pignus, aut hypothecam ad securitatem debiti : id enim est intrinsecum mutuo, neque nova censetur obligatio extrinseca mutuatario imposito; nullus quippe mutuare tenetur cum periculo suam sortem amittendi. Hinc usuram committit qui mutuat alteri pecuniam cum pacto ut mutuum teneatur reddere in re diversæ rationis, aut vendat sibi vinum vel triticum tempore messis pretio communi. Ratio est, quia vi mutui solummodò tenetur reddere rem ejusdem speciei et bonitatis, sicque imponitur ipsi obligatio ad quam non tenetur, quæque potest esse illi onerosa et prætio æstimabilis, ut vendendi suas res illo tempore. Si tamen æquè commodum foret mutuatario reddere mutuum in hâc vel illâ specie, spontèque ac liberaliter de se id promittere vellet, tunc obligatio non censetur moraliter distincta ab eâ quæ per mutuum imponitur, neque magis mutuum gravare. Item si dans pecunias hoc modo intendat celebrare duntaxat contractum emptionis, ac solutione anticipatâ emere triticum tempore messis reddendum, tunc non committitur usura : secùs verò dicendum, si intendat celebrare contractum mutui, cùm ex vi illius imponat mutuatario onus pretio æstimabile. Excipe, nisi isto onere mutuatarius potiùs relevetur, illudque libentiùs subeat, quàm onus solvendi in pecuniis.

Eodem modo si colono volenti ac petenti agrum tuum colere tradas illi pecunias quibus anticipatè

conducas ejus operas, non committis usuram, quamvis ad agrum tuum in futuro colendum contractu ipsum obliges, quia ibi non intervenit mutuum, sed contractus conductionis, dummodò justum pretium solvas, ac tantùmdem illi tribuas, quantùm labor æstimatur, nec ob anticipatam solutionem aliquid detrahas: secùs dicendum si ineas contractum mutui, colonumque ex vi illius obliges ad agrum tuum colendum etiam justo pretio : hoc enim est quid pretio æstimabile, nec ad illud vi mutui tenetur. Ad dignoscendum autem, an fuerit intentio celebrandi mutuum vel emptionem, considerandum est an pecunia tradita fuerit revocabiliter, ita ut dans possit eamdem summam repetere : tunc enim censetur mutuum celebrâsse : si verò irrevocabiliter tradidit, censetur iniisse contractum emptionis, anticipatâ solutione. Hinc etiam constat usuram committi ab eo, qui mutuat pecuniam vel triticum alteri cum pacto ut illud sibi non restituat, nisi tunc temporis quo plus valebit. Ratio est, quia ex contractu mutui obligat mutuatarium ad dandum sibi lucrum supra sortem, nempe incrementum valoris tritici. Ex cap. *Navig.* de Usuris. Excipe, nisi ex mutuo cesset lucrum mutuanti, ut accidit si erat triticum usque ad illud tempus servaturus, et solùm in gratiam mutuatarii alienavit, deductis tamen expensis in conservatione vel asportatione tritici necessariò faciendis. Debet etiam esse æquè dubium an tempore illo, v. g., mense maio, quo vult solutionem fieri, triticum sit minùs aut magis valiturum, ut sic æqualis existat amborum conditio.

Quæres quartò, in quâ mensurâ, numero et pondere res mutuata sit restituenda. — Resp. quòd quando in contractu mutui dantur, v. g., quinque modii tritici, tantique valoris in contractu expressi, ita quòd valor eo fine fuerit determinatus, ut juxta illud reddatur triticum; tunc sive minùs sive magis valeat in termino solutionis præfixo, reddendum est juxta valorem quem habebat tempore contractûs. Si verò de hoc nihil conventum fuerit, nec determinatum quòd mutuatarius redderet species æstimatas, mutuans justè exigere nequit, nisi totidem modios, nempe quinque quos dedit, quia ex vi contractûs mutui, recipiens solummodò tenetur reddere rem ejusdem speciei et bonitatis ac valoris quem habebat tempore contractûs, nisi aliter fuerit expressum, et ambo contrahentes sese æquali periculo exponant, sic enim sunt paris conditionis, cùm valor tritici possit crescere aut decrescere.

Quoad pecunias verò, considerandum est, quòd dùm numismata dantur mutuo, non attenditur regulariter ad substantiam, speciem, et pondus, sed ad valorem : ita quòd reddantur in termino statuto, juxta valorem quem tunc habent tempore mutui. Unde mutuatarius ordinariè non tenetur tot numismata reddere in specie, quot accipit, si in valore creverint, nisi id expressè in pactum deductum fuerit, et ambo versentur in æquali periculo perdendi aut lucrandi; sed tantùm reddere tenetur valorem, v. g., centum libras quas accepit tempore mutui : ita ut tanta pecunia quoad valorem restituatur, quanta respondet valori pecuniæ acceptæ. Hinc sequitur quòd dùm pro tritico mutuo accepto, non est solvendum triticum, sed pecunia, tunc restituenda est pecunia juxta æstimationem quam triticum habebat tempore mutuationis : sic enim servatur æqualitas inter datum et acceptum. Secùs dicendum, si in contractu mutui initum fuerit pactum restituendi tantùmdem tritici quoad pondus et mensuram : tunc enim si loco tritici solvatur pecunia, restituenda tunc est juxta æstimationem quam habet triticum tempore solutionis, ut habetur l. *Vinum*, ff. de Rebus creditis. Ratio est, quia cùm pecunia substituatur in locum tritici, æquum est ut tanta pecuniæ summa solvatur, quæ pretium tritici æquet tempore restitutionis.

Addunt aliqui quòd si nullus fuerit præfixus terminus solutionis, potest mutuans petere triticum tempore quo pluris valet; in hoc enim nullam facit injuriam mutuatario, qui sibi imputare debet quòd non solverit tempore quo triticum minùs valebat. Verùm ex hoc sequeretur mutuatorem ex mutuo lucrari posse, et ad usuras palliandas facilis aperiretur aditus. Et certè si quando terminus fuit præfinitus, non est facienda restitutio ordinariè, nisi juxta valorem quem habebat triticum tempore mutui, etiamsi in illo termino pretium ejus excreverit, multò minùs accipi potest lucrum et incrementum quando nullus solutioni terminus adjectus fuit, et ex merâ libertate mutuantis tempore talis incrementi debitum repetitur.

Regula igitur generalis in hâc materiâ est quòd immediatè in vi mutui, nulla potest mutuatario imponi obligatio civilis, nihilque pretio æstimabile tanquàm ex justitiâ debitum ab eodem ex pacto exigi expressè vel tacitè. Cum quo tamen stat quòd : *Si mutuans aliquid hujusmodi accipiat, non quasi exigens, nec quasi ex aliquâ obligatione tacitâ vel expressâ, sed sicut gratuitum donum, non peccat : quia etiam antequàm pecuniam mutuâsset licitè poterat aliquod donum gratis accipere : nec pejoris conditionis efficitur per hoc quòd mutuavit. Recompensationem verò eorum quæ pecuniâ non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam et amorem ejus qui mutuavit, vel aliquid hujusmodi.* Ita D. Thomas hîc, art. 2, in corp., et ad 2.

§ 2. *Examinantur tituli quibus licet aliquid exigere ex mutuo.*

Nullus afferri potest titulus quo ex vi mutui liceat exigere lucrum supra sortem, tanquàm ejus accessio et incrementum, cùm in hoc consistat usuræ pravitas; quæ ita de se est intrinsecè mala, ut nullo fine nulloque titulo honestari valeat. Et, ut ait D. Thomas loco mox citato, *debitum justitiæ attenditur secundùm quantitatem beneficii quod quis accepit. Et ideò ille qui accipit mutuum pecuniæ, vel cujuscumque similis rei, cujus usus est ejus consumptio, non tenetur ad plus recompensandum, quàm mutuo acceperit. Unde contra justitiam est, si ad plus reddendum, obligetur.* Solùm igitur examinamus titulos deservientes mutuatario ad

hoc ut integram sortem recuperet, seque indemnem servet. Qui comprehenduntur sub nomine *interesse*, quod hîc sumitur pro æstimatione damni illati, vel lucri impediti ex alterius facto vel culpâ, mutuatori enim interest tale nocumentum ex mutuo non subire.

Mutuatarius aut emens credito, dupliciter obligari potest ad interesse mutuatori, quod propinquè patitur ex mutuo, compensandum; scilicet ratione moræ culpabilis, puta dùm non solvit in termino præfixo, etiamsi commodè possit, nec habeat causam legitimam procrastinandæ solutionis, et ex illâ morâ creditor passus est aliquod detrimentum : tunc enim censetur illius causa efficax et injusta. Altero modo tenetur ratione contractûs, ut si creditori oriatur detrimentum ex mutuo in tempore medio antecedente terminum præfixum solutioni, ac de illo compensando conventum fuerit ab initio; tunc debitor ad illius compensationem tenetur : secùs dicendum, si de hoc nullum præcesserit pactum, prout colligitur ex D. Thomâ, q. 13 de Malo, art. 3, ad 14, ubi sic ait : *Ex pecuniâ mutuatâ potest ille qui mutuat incurrere damnum rei jam habitæ dupliciter : Uno modo ex quo non redditur sibi pecunia statuto termino; et in tali casu, ille qui mutuum accepit, tenetur ad interesse. Alio modo infra tempus deputatum, et tunc non tenetur ad interesse ille qui mutuum accepit. Debebat enim ille qui mutuavit sibi cavisse, ne detrimentum incurreret. Nec ille qui mutuum accepit, debet damnum incurrere de stultitiâ mutuantis*, etc.

Porrò istud pactum de compensando interesse, quod ex mutuo contingit in illo spatio quo mutuatarius nondùm debet reddere creditum, dupliciter fieri potest. Uno modo conditionatè solùm ac indeterminatè, ita ut mutuatarius duntaxat se obliget ad compensandum interesse qualecumque fuerit ac æstimabitur, si contingat mutuatorem illud pati ex mutuo : si verò nullum prorsùs subire contingat, nihil præter sortem eidem restituere teneatur. Altero modo determinatè potest stipulari ab initio contractûs, assignando nempe mutuatori certam pecuniæ summam, v. g., quinque pro centum ad compensandum interesse quod eidem ex mutuo timetur probabiliter ac verisimiliter eventurum : ita ut etiam si nullum evenerit, aut si longè majus acciderit, nonnisi summam taxatam sit accepturus, quod tamen accipiendum est cum grano salis, prout mox explicabitur. Tandem interesse quod mutuans aut vendens credito pati solet, aut est in rebus suis præsentibus jam possessis vel certò habendis, et vocatur interesse *damni emergentis*, quod nempe ex mutuo tanquàm à verâ causâ oritur, et non ex aliâ; v. g., destinatam habes pecuniam reficiendæ domui tuæ ne corruat, aut coemendis familiæ necessariis, aut solvendis creditis : Petrus à te mutuo illam petit, et cùm non habeas aliam præsentem et accommodam, eidem significas hanc tuam pecuniam præfatis rebus esse necessariam : Petrus nihilominùs convenit de damno, si quod evenerit, resarciendo. Exinde contingit domum tuam corruere, aut familiæ necessaria credito simulque cariùs emere, aut ab aliis mutuo sumere cum usuris. Certè tenetur Petrus ad tibi compensandum interesse *damni emergentis* modo jam explicato. Aut illud interesse est in rebus spe probabili tantùm habendis, ita ut lucrum sit tantùm in viâ, in potentiâ, et pendeat in futurum soletque vocari interesse *lucri cessantis* ob mutuum; v. g., habes pecunias negotiationis lucrosæ jam expositas, aut mercaturæ ad proximas nundinas destinatas, seu proximè exponendas : sed quia Petrus enixè rogat, ut ad sublevandam necessitatem suam mutuo des, misericordiâ motus has pecunias extrahis à negotiatione, aut illi non exponis, ut eidem mutues, nec habes alias otiosas. Unde ex mercaturæ lucro sperato frustrari coactus es : ideòque Petrus tenetur tibi compensare interesse lucri cessantis, juxta conventionem ab initio factam. Idemque dicendum, si damnum emergat aut lucrum cesset mutuanti ex hoc quòd mutuatarius non solvat præstituto die, ac ex ejus morâ culpabili proveniat hujusmodi interesse. His suppositis, sequentes statuimus conclusiones.

Conclusio prima. — *Licita est compensatio damni emergentis, taleque interesse potest justè ab initio mutui conditionatè pacisci : imò si damnum probabiliter ac verisimiliter ex mutuo eventurum timeatur, mutuatarius de se sponte liberèque consenserit, idque tanquàm sibi magis utile et commodum expetierit, et nulla intervenerit fraus, aut usuræ palliatio, videtur quòd potest etiam determinatè stipulari.*

Ita communiter auctores cum D. Thomâ, 2-2, q. 78, art. 2, ad 1, ubi sic ait : *Ille tamen qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere. Hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare. Et potest esse quòd accipiens mutuum, majus damnum evitet; quàm dans incurrat. Unde accipiens mutuum, cum suâ utilitate, damnum alterius recompensat.* Nihil enim tunc mutuans lucratur ultra sortem, sed tantùm se indemnem servat. Unde sicut istud damnum foret diminutio sortis mutuatæ, ita pactum de eo compensando ordinatur solummodò ac deservit ad redditionem et recuperationem integræ sortis et ad complementum illius, ut subjectæ his nocumentis ac diminutionibus.

Caveat tamen mutuans ut interesse sit verum, non fictitium ac imaginarium, puta si nullum ex mutuo damnum ipsi probabiliter eventurum timeatur. Tunc enim ad sui indemnitatem, sufficit illud stipulari conditionatè, si fortè eveniret, ac indeterminatè pacisci, quòd mutuans tenebitur ad illud compensandum quælecumque extiterit : aliàs si tunc liceret absolutè ac determinatè illud stipulari, omnes usuræ de facili palliari ac introduci possent : imò etiam quando attentis circumstantiis damnum ex mutuo emersurum probabiliter ac verisimiliter prævidetur, adhuc mutuans nequit exigere à mutuatario quòd ineat secum pactum solvendi et compensandi illud determinatè in omni eventu et juxta taxam proportionatam, eò quò tunc extorqueat ab invito obligationem civilem onerosam,

ad quam non tenetur vi mutui : si tamen mutuatarius tunc id requirat et spontè consentiat de illo pacto determinato ineundo, nihil vetat fieri, dummodò omnis fraus procul eliminetur, neque incertus eventus tanti computetur ac si certus esset, et ambo contrahentes sint paris conditionis ac versentur in æquali periculo, etc. Quando igitur probabiliter timetur damnum ex mutuo emersurum, debet mutuans ab initio mutui de hoc monere mutuatarium, et stipulari tunc de ejus compensatione vel indeterminatè et conditionatè, vel etiam absolutè ac determinatè, prout mutuatario benè visum fuerit, magisque sibi conducere judicaverit. Hæc prænonitio ideò requiritur, quia fortè mutuatarius nollet recipere mutuum cum tot incommodis, aliumque mutuantem magis sibi commodum requireret. Unde nisi ab initio præcesserit pactum, non tenetur compensare damnum. Adde quòd tunc mutuatarius non tenetur ad hoc ex injustâ acceptione aut detentione, cùm justè acceperit, nec sit in morâ culpabili solvendi, ut suppono. Neque tenetur ratione rei acceptæ, cùm nihil mutuatoris apud se habeat. Nec denique tenetur ratione contractûs, si nullum præcesserit pactum. Ergo non tenetur ad interesse compensandum. Quod tamen non est intelligendum quando vi, fraude, vel metu ad mutuandum nolens cogitur. Tunc enim etiamsi nullus præcesserit contractus, nec debitor sit in morâ culpabili, adhuc tamen in conscientiâ obligatur ad compensationem interesse damni emergentis ac lucri cessantis, quod ex tali mutuo coacto mutuans patitur ex l. *Cum quidem*, ff. de Usuris. Et ex reg. juris in 6, reg. *Si tua :* tum quia si cogens mutuantem, censetur causa injusta illius damni ; tum denique quia sic invito domino rem alienam contrectans, semper in morâ culpabili esse reputatur.

Conclusio II. — *Eodem proportionali modo ratiocinandum est de interesse probabiliter sperati lucri cessantis verè ex mutuo, ac de damno emergente, servatis tamen servandis.*

Probatur prima pars conclusionis, tum quia privatio et amissio boni probabiliter ac certitudine morali sperati computatur inter damna, proindeque tenere potest locum damni emergentis ex mutuo ; tum quia quòd quis privet se lucro quod erat verisimiliter consecuturus in gratiam alicujus, id sanè non est minùs pretio æstimabile, quàm quòd ex eâdem causâ damnum aliquod temporale in rebus suis patiatur ; tum quia officium suum nemini damnosum esse debet : qui verò gratiâ et rogatu alterius privatur mediis ad lucrum aliquod justum destinatis, jacturam boni sperati patitur, et deteriorem conditionem incurrit. Ergo habet jus exigendi suam indemnitatem, si de hoc convenit ab initio mutui : tum quia pecunia quæ mutuo datur, quatenùs est exposita negotiationi lucrosæ aut illi proximè destinata, pluris valet quàm ipsa præcisè secundùm se spectata, cùm sit principium ac semen sperati lucri, illudque in se virtute contineat. Ergo, etc. ; tum quia in cap. *Naviganti* de Usuris pontifex excusat à peccato eum qui vinum oleum, etc., vendit ut ampliùs quàm tunc ut valeant in certo termino recipiat, dummodò usque ad illud tempus esset ea servaturus, scilicet ratione lucri cessantis.

Confirmatur ex D. Thomâ, 2-2, q. 62, art. 4, in corp. ubi sic ait : *Aliquis damnificatur dupliciter : Uno modo quia ei aufertur id quod actu habebat : et tale damnum est semper restituendum secundùm compensationem æqualis*, etc. *Alio modo si damnificet aliquem impediendo ne adipiscatur quod erat in viâ habendi : et tale damnum non oportet recompensare ex æquo, quia minùs est habere aliquid in virtute quàm habere actu : qui autem est in viâ adipiscendi aliquid habet illud solùm secundùm virtutem*, etc. *Nam ille qui semen sparsit in agro, nondùm habet messem in actu, sed solùm in virtute : et similiter ille qui habet pecuniam nondùm habet lucrum in actu, sed solùm in virtute, et utrumque potest multipliciter impediri : ergo mercator habens pecuniam in negotiatione quasi seminatam, habet lucrum in virtute, à quo tamen impeditur ex hoc quòd illam det mutuo. Ergo potest exigere compensationem illius damni, non quidem ex æquo, sed juxta probabilem spem*, etc.

Nec D. Thomas est sibi contrarius in hâc quæst. 78, art. 2, ad 1, dùm admissâ compensatione illius damni emergentis, videtur negare pro lucro cessante. Solùm enim intendit S. doctor lucrum cessans non posse eodem modo pacisci, quo damnum emergens, seu ex æquo, sed tantùm juxta quod valet ac æstimatur illa probabilis spes habendi, conformiter ad ea quæ mox retulimus S. doctoris verba. Vel ut sentit Sylvester, D. Thomas tantùm excludit lucrum incertum, remotum possibile, seu cùm quis tantùm intendit ex mutuo lucrum, vel saltem de aliis lucrandi modis nihil certò ac efficaciter proposuit, nisi fortè solo illo casu quo fidi debitores non occurrerent, quibus tutò suam pecuniam cum fœnore credat : secùs verò lucrum cessans probabile et futurum fundatum in completâ et efficaci voluntate aliis negotiis licitis et lucratoriis pecuniam istam impendendi, quæ præcessit verè ac sincerè mutuum. Vel, ut alii volunt, D. Thomas solùm loquitur de lucro cessante negativè sumpto, quatenùs præcisè aliquis de suâ pecuniâ non lucratur : non enim pro eâ purâ negotiatione aut omissione potest compensationem exigere : nullatenùs verò excludere voluit lucrum cessans privativè spectatum, quatenùs scilicet ex pecuniâ destinatâ negotiationi, ab eo mutuo mercator impeditur ne lucrum reportet.

Probatur et explicatur secunda pars conclusionis afferendo conditiones ad justitiam hujus contractûs requisitas : quarum prima est ut lucrum verè cesset ac impediatur ex mutuo, ad quod necesse est ut hujusmodi pecuniæ non sint otiosæ, solùmque in potentiâ remotâ fructificandi ; sed debent esse in actu aut in potentiâ propinquâ, nempe negotiationi lucrosæ jam expositæ aut proximè exponendæ ac sincerè destinatæ hìc et nunc ad eam. Adhuc necesse est, ut mercator proprio motu jam non extraxerit pecunias à negotiatione, aut spontaneâ liberâque voluntate determinatus sit ad non ampliùs ex illis negotiandum, illectus affectu lucri certi ex mutuo reportandi ; sed

debet ad id faciendum quasi cogi, in gratiam petentis mutuum et non ob propriam utilitatem, quatenùs scilicet ejus indigentiæ ac miseriæ compassione et charitate motus, ac cum quàdam non spontaneitate et veluti displicentiâ desistit à negotiatione, ut eidem mutuare valeat, de se malendo potiùs artem negotiatoriam, quàm mutuatariam exercere, sicque de facto se gereret, nisi iste casus subventionis proximi tunc occurreret. Huic enim cessat lucrum ex mutuo, cùm verè ab eo consequendo impediatur impedimento involuntario secundùm quid ratione talis mutui, compassione, ac charitate proximi ipsum ad hoc urgente, ut rectè probat Cajetanus in Commentario hujus articuli 2 D. Thomæ. Ad hoc tandem necesse est ut mutuator non habeat penès se alias pecunias otiosas, quia posset commodè substituere eas in eumdem usum ad quem priorem pecuniam quam dat mutuo destinaverat, aut istas pecunias otiosas mutuare, non verò alias lucrosas. Unde tunc lucrum non cessat ex mutuo. Porrò non reputatur otiosa illa pecunia quæ in alios eventus rationabiliter seposita est, qualis est ea quæ reservatur ad alimenta et provisiones familiæ, ad filiarum dotem, ad elocandos filios, ad præfecturam, vel officium, ad casus fortuitos quos prudens et commodus paterfamiliàs præcavere debet.

Secunda conditio est, ut tempore mutui, ex eâ pecuniâ lucrum futurum probabiliter et certitudine quàdam morali speretur mediante industriâ negotiantis et mutuantis. Unde in praxi iste titulus lucri cessantis vix unquàm separari potest et debet à titulo damni emergentis, indeque constat lucrum cessans remotum ac possibile tantùm, non esse verum, sed fictitium interesse.

Tertia conditio est, ut non totum lucrum proventurum ex æquo compensetur, sed duntaxat quantùm probabilis spes illius valet et æstimatur à prudentibus viris, deductis laboribus, expensis ac periculis, prout jam ostensum est ex D. Thomâ. Pactum itaque præcedere debet de compensando hujusmodi verè interesse, vel conditionatè et indeterminatè, ut scilicet mutuatarius solummodò se obliget ad compensandum lucrum cessans ex mutuo, juxta aliam quantitatem quam cæteri suæ professionis artifices in iisdem circumstantiis, et ex æquali summâ pari expositâ negotiationi lucrati fuerint, deductis laboribus ac expensis aliisque incommodis; ita tamen quòd si contingat istos nihil lucratos esse, visoque rerum eventu viri prudentes judicaverint, nullum mutuanti cessâsse lucrum, nihil quoque mutuatarius compensare teneatur. Vel istud interesse potest stipulari absolutè ac determinatè assignando mutuatori in omni eventu certam pecuniæ quantitatem judicio prudentum taxandam, proportionatam spei probabili lucri futuri, attentis laboribus, periculis et expensis, etc. Quòd si mutuatarius de hoc non prænoneatur, nec ullum pactum præcesserit, non tenebitur ad compensandum interesse, nisi fuerit in morâ culpabili solvendi, ex quâ provenit lucrum cessare mutuanti.

Quarta conditio est, ut lucri cessantis compensatio non exigatur statim in initio mutui, sed post conveniens temporis intervallum : ut si ex mutuo centum nummorum, fiat pactum de quinque statim solvendis, tunc solùm mutuo dentur nonaginta quinque nummi : unde non cessat lucrum è centum, et tamen mutuator exigeret interesse illorum, quod sanè est injustum.

Et his aliisque conditionibus requisitis ad justitiam hujus tituli, facilè est colligere quàm periculosum in praxi, et quàm suspectum de usurâ sit exercitium lucri cessantis. Cùm enim vix unquàm aut rarò hæc omnia simul concurrant et reperiantur in mutationibus, valdè timendum aut præsumendum est, ut plurimùm usuram continere, eâque palliari.

An autem lucrum cessans præsumptum, bonâ fide receptum, quatenùs scilicet illud exercet mutuans, quia reputat esse licitum, aliàs non exerceret, indeque se cohibet ab aliis negotiationibus licitis et lucrosis, justè retineri possit, aut debeat restitui, quando cessat ignorantia. — Respondeo istud lucrum restituendum esse, si adhuc extet apud mutuantem ; aut si bonâ fide illud consumpserit, teneri ad restituendum id in quo factus est ditior ex illo.

Ratio est, quia istud lucrum est bonum alienum : non enim per contractum injustum ac usurarium transfertur rei dominium in accipientem : prædictus autem contractus non est quidem injustus formaliter, sed tantùm materialiter, ob bonam fidem et ignorantiam mutuantis excusantem à peccato injustæ acceptionis : non verò ab obligatione restituendi reddit illum immunem, ratione rei acceptæ, quæ adhuc remanet aliena, ut supra ostensum est. Unde sicut ille qui bonâ fide res furtivas emit, dùm postea scit esse furtivas, tenetur restituere si extent, aut id in quo factus est ditior, si durante eâ bonâ fide illas consumpsit; suæque fortunæ aut infortunio adscribere debet, quòd cùm rectè dispositus foret legitimas merces emere in has furtivas incidat, ita mutuans in nostro casu lucrum istud restituere tenetur, suoque infortunio imputare debet quòd cùm esset dispositus ad contrahendum alio modo justo, re tamen et de facto, isto modo injusto contraxerit. Quòd si dicas mutuantem in nostro casu in nullo factum esse ditiorem, cùm inde non reportaverit nisi lucrum quod retulisset per alium contractum justum quem celebràsset, si scivisset hunc esse usurarium, sic ego retorquebo argumentum, et dicam pariter istum emptorem in nullo factum esse ditiorem, etiamsi merces furtivas majori pretio vendiderit alteri , cùm inde non reportaverit nisi lucrum quod retulisset per aliam emptionem rei legitimæ, si scivisset hanc esse furtivam. Tandem vix admitti potest aut debet ignorantia invincibilis, et bona fides apud Christianos in his mutuationibus.

Conclusio iii. — *Præter hos duos titulos compensandi verum interesse damni emergantis, aut lucri cessantis, cæteri qui ab auctoribus afferri solent, sunt valdè dubii ac suspecti de usurâ, aut illam apertè introducunt.*

Inprimis *periculum sortis* non admittunt plures theologi et canonistæ satis graves, ac contra illud

apertè mittat decretalis Gregorii papæ IX, in cap. *Naviganti*, de Usuris, ut rectè explicat D. Thomas vel auctor opusc. 73, de Usur., cap. 6, et impugnatur iste titulus, ostendendo quòd ille metus periculi sortis non est pretio æstimabilis ; tum quia quò majorem molestiam ac cruciatum mutuanti afferret, tantò majori pretio foret compensandus ; sicque quò esset magis avarus ac timidus, eò majorem de suâ stultitiâ referret compensationem : tum quia cùm mutuum pauperibus datum subsit semper periculo, eòque majori quàm divitibus concessum, semper ab eis lucrum supra sortem ac majus cæteris paribus ab iisdem exigi posset, quò pauperiores existerent ; tum quia si pro metu periculi sortis licitum foret aliquid exigere supra sortem ob eam molestiam quam causat mutuanti, ob eamdem rationem foret eidem licitum aliquod pretium exigere pro metu perdendi istud auctarium, et sic deinceps de metu perdendi alia lucra ratiocinandum esset, quod sanè constat absurdum : tum quia inde sequeretur quòd qui furatus est equum, v. g., non satisfaceret domino reddendo illi equum, et resarciendo damna, sed adhuc teneretur eidem compensare metum periculi perdendi illum ob molestias quas ipsi attulit, quod tamen est ridiculum. Sufficit igitur quòd mutuatarius ostendat tunc mutuatori affectum magis gratum ac benevolum, eumque liberet à tali metu ac periculo, reddendo ipsi sortem integram tempore præfixo · non enim per hoc quòd pauper aut debitor infidus promittat et se obliget ad solvendum, v. g., quinque nummos ultra centum mutuatos, liberat creditorem ab anxietate, à molestiis, et à metu perdendi capitale, ut patet : nam si sit verè periculum imminens ac proximum perdendi sortem, seu quòd debitor non sit soluturus centum nummos, quomodò solvet centum et quinque? Mutuans certè de facili potest ab isto gravamine se exonerare, aut absolutè non mutuando huic, aut nonnisi sub cautione vel pignore : aliàs censetur voluntariè ac spontaneè subire talem metum qui est mutuo extrinsecus, nec distincto pretio à redditione sortis dignus, in quo differt à titulo damni emergentis, qui est intrinsecus omni mutuo, cùm de se et ex naturâ suâ necessariò exigat, quòd post tempus præfixum tota et integra sors ad mutuatorem redeat, idque fieri nequeat absque interesse damni emergentis compensatione, ut patet : atverò metus et periculum sortis merè extrinsecè et per accidens se habent ad mutuum secundùm se, possuntque aliis mediis licitis præcaveri, quàm per illud auctarium supra sortem, quod non conducit ad hoc ut integra redeat ad mutuatorem, unde ad damnum emergens reduci non potest hic titulus.

Nec favet decretum S. congregationis approbatum ab Innocentio papâ X, anno 1645, nempe Sinenses, *Si aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, non esse inquietandos*, etc. Non favet, inquam, quia hæc verba non continent positivam approbationem et concessionem, sed tolerantiam duntaxat, censuitque sacra congregatio, Sinenses recenter conversos non esse illicò à missionariis circa hujusmodi contractus inquietandos, sed per aliquod tempus tolerandos ac in suâ bonâ fide relinquendos, cùm aliunde non esset res evidenter de se intrinsecè mala et de eâ haberi posset ignorantia invincibilis, quousque progressu temporis pleniùs instructi, suaviùs ac felicius ab his commerciis abducerentur : ad suaviorem enim regendi modum spectat, homines sensim disponere, nec statim ac præproperè ab extremo in aliud extremum transferre, prout ipsa natura in anni tempestatibus, et gratia in sanctitatis progressu demonstrant. Sic Christus Dominus post suam resurrectionem Judæis per aliquod tempus legalium observantiam permisit, suosque Apostolos non statim ad ardua, sed in initio adhuc teneros et quasi pueros in spiritu blandè tractavit, prout legitur Lucæ 5, et fusè speciali dissertatione ostenditur tract. de Just., tract. de Legibus. Sic etiam D. Jacobus in concilio Apostolorum se habuit erga gentiles recenter conversos, ut legitur Act. 15 ; sic enim decrevit : *Ego judico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur, sed tantùm scribere ut abstineant à fornicatione*, etc. Hâc etiam benignitate et tolerantiâ usus est Eliseus erga Naamam Syrum recenter conversum, dùm non prohibuit illi expressè famulatum quem præstabat regi in templo adoranti idolum, sed dixit ei simpliciter : *Vade in pace*, 4 Reg. 5, idque Sinensibus convenire ostenditur alibi. Congregatio igitur nihil positivè determinâsse videtur circa justitiam hujus tituli : si enim eum approbare intendisset, claris terminis id significâsset, neque verbo *inquietandi* usa fuisset, quod potiùs tolerantiam quàm approbationem sonat. Nec est eadem ratio de cultu quem Sinenses exhibent Confucio philosop. ; nondùm enim sacra Congregatio mandavit eos circa hujusmodi cultum non esse inquietandos, sed sapienter ac maturè examinat an sit religiosus ac superstitiosus, ut plures missionarii et prælati insignes reputant, et graves auctores editis libris fusè ac validè probant, cujus decretum proinde ferè totus orbis expectat.

Secundò ratione *pœnæ conventionalis*. Iste titulus speculativè loquendo videtur admittendus, quatenùs scilicet mutuatarius potest liberè consentire, et pactum inire cum mutuante : quòd si contingat se nolle in termino præfixo reddere pecuniam mutuatam, etiamsi commodè solvere tunc possit, tenebitur in pœnam illius moræ culpabilis aliquid refundere supra sortem : in hoc enim nulla apparet injustitia : si enim casus contingat, reverà est dignus aliquâ pœnâ, proindeque ad eam luendam potest ab initio se obligare, et per eum stat non incidere in hanc culpam. Cavendum tamen est ne hujusmodi pœna in fraudem usurarum apponatur, ne mutuatarius ad hanc non plenè voluntariè absque admixtione involuntarii se obliget, ne mutuans sciat et certus sit, quòd statuto tempore non solvet, etc. Item requiritur quòd mutuatarius existat verè in morâ culpabili, et tandem quòd pœna illa sit justa et moderata ac correspondens culpæ, omniaque sincerè et absque dolo peragantur. Et quia hujusmodi conditiones, aliaque ad hujus tituli justitiam requisita, rarò aut vix unquàm in praxi simul concurrere ac re-

periri posse non est usquequaque certum, ideò in praxi non caret periculo aut suspicione usuræ hoc titulo palliatæ. Adde quòd auctores illi faventes non conveniunt, an hujusmodi pœna sit solvenda ante vel solùm post sententiam judicis : ex quâ discordiâ et ex conditionibus ac limitationibus quibus istum titulum sæpire et coarctare satagunt ne usuræ labem contrahat, facilè colligitur eum in praxi esse periculosum, raròque abesse intentionem corruptam in mutuante, accipiendi scilicet aliquod lucrum supra sortem in vi mutui, palliando usuram honesto nomine pœnæ conventionalis.

Tertiò, secluso quocumque alio interesse præcisè ratione carentiæ pecuniæ mutuatæ, et obligatione non repetendi illam intra certum tempus, v. g., nisi post annum, mutuator absque usurâ nequit exigere lucrum supra sortem, ac de illo pacisci, prout definitum fuit ab Alexandro papâ VII, qui damnavit hanc propositionem quæ est 42 inter proscriptas : *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Et ratio est, quia præcisè ratione temporis formaliter, non potest exigi lucrum supra sortem : tempus enim non est vendibile, cùm sit omnibus commune. Item quia de ratione intrinsecâ et impræscindibili mutui est quòd mutuans obligetur ad non repetendum mutuum, nisi post aliquod temporis intervallum, quæ proinde obligatio de se præcisè non est distinctio digna pretio à redditione sortis, et quamvis ista obligatio suscepta ad longum tempus, v. g., ad annum, adderet aliquid supra mutuum in communi sumptum, non tamen supra tale mutuum hîc et nunc in individuo, sed hoc ipso mutuans censetur illam durationem gratis ac liberaliter concedere, contentus redditione sortis et compensatione veri interesse, si ex carentiâ pecuniæ mutuatæ evenire contingat occasione temporis ac longioris durationis materialiter sumptæ. Item Innocentius papa XI damnavit istam propositionem quæ est 41 : *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, et eo titulo ab usurâ excusari.* Per quod excluditur aliud adversariorum fundamentum. Nam præter carentiam pecuniæ per annum seu per illud tempus formaliter sumptum, ad quam se obligat mutuans, (quod cùm sit pretio æstimabile, ut putant, pro eo volunt justam posse exigi compensationem) adhuc contendunt istum titulum justificare per hoc quòd pecunia numerata de se sit pretiosior numerandâ : quod principium est falsum ; alioquin in omni mutuo posset exigi aliquid supra sortem, cùm in omni mutuo reperiantur hæc duo, nempe carentia pecuniæ per aliquod tempus, et detur pecunia numerata pro numerandâ.

Tandem confirmatur ex D. Thomâ, 2-2, quæst. 78, art. 2, ad 7, ubi ait, quòd *si quis cariùs velit vendere res suas, quàm sit justum pretium, ut de pecuniâ solvendâ emptorem expectet, manifesta usura committitur*, etc. Non immoror in cæteris titulis referendis quos recentiores adducunt ; sunt enim spurii ac evidenter usuras inducunt. Unde heterodoxi conqueruntur de theologis et canonistis, quòd cùm usuras totis viribus impugnent, earum tamen vice substituunt alia ac retinent, quæ totam injustitiam fœneratitiam habent ac continent, mutato solo nomine. Ut igitur obstruatur os loquentium iniqua, censeo in praxi non admittendum esse alium titulum, quàm veri interesse damni emergentis ac lucri cessantis : nec enim D. Thomas alterius meminit.

Articulus IV.

Utrùm usurarius teneatur restituere quidquid de pecuniâ usurariâ lucratus est, quomodò et quibus.

Non movetur hîc difficultas de lucro supra sortem ex vi præcisè mutui recepto ; cùm enim ista acceptio sit usuraria et contra justitiam, non est dubium quin mutuator hoc lucrum restituere teneatur ; idque supponit D. Thomas hîc, art. 3, solùmque cum ipso inquirimus, an teneatur etiam restituere quidquid de illâ re usurariâ sibi comparavit mediante suâ industriâ.

D. Thomas rectè distinguit hoc modo, nempe quòd si ex re usurariâ ipso usu consumptibili, v. g., tritico, vino, pecuniâ, etc., usurarius aliquid acquisivit, non tenetur illud restituere, sed duntaxat rem illam quam supra sortem vi mutui accepit. Ratio est quia id quod ex eâ re postea sibi comparavit, non est fructus hujusmodi rei, sed humanæ industriæ ; ergo tanquàm suum retinere potest, nisi fortè per detentionem talis rei, alter sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis : tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti. Si verò res per usuram acceptæ ipso usu non consumantur, sed habeant usumfructum, ut domus, ager, et alia hujusmodi, tunc non solùm ipsam rem, sed etiam fructus inde perceptos usurarius restituere tenetur, quia sunt fructus rerum, quarum mutuatarius est dominus, et ideò ei debentur. Hinc colligitur, quòd qui eas res usurarias frugiferas sciens emit aut dono accipit ab usurario, tenetur easdem cum fructibus ex illis provenientibus restituere mutuatario, si adhuc in specie extent, eò quòd obligatione reali sint obnoxiæ restitutioni : si verò non extent, nec recuperari valeant, tenetur eidem illarum pretium solvere, in defectum usurarii. Vide, inquit Sotus, quàm periculosum sit cum usurariis et aliis qui creduntur alia non habere bona quàm malè parta, contractus onerosos et gratuitos inire.

Si usurarius absque restitutione è vitâ migravit, illius hæredes tenentur ad usuras restituendas, cùm succedant in ejus bona ad hoc obligata, illiusque personam repræsentent : unde singuli tenentur quidem in foro conscientiæ restituere pro ratâ portionis hæreditatis quæ ad eos descendit ; non tamen in solidum alio nolente aut non potente restituere per se loquendo. Ratio est quia quilibet hæres in particulari est tantùm pars testatoris, unàque simul cum aliis totam ejus personam repræsentat et efficit, sicque solam partem hujus obligationis contrahit : sicut enim bona et jura defuncti dividuntur inter hæredes pro ratâ hæreditatis, ita et illius onera ac debita passiva. Id tamen limitandum est ad hæreditatem mixtam ex bonis

usurariis et ex aliis legitimè acquisitis. Si enim omnia bona forent usuraria et aliena, tunc singuli totum quod acceperunt restituere tenerentur.

Cooperatores se tenentes ex parte usurarii in exercendis usuris, ipsi inservientes, sive gratis, sive pro stipendio, peccant contra justitiam participantes in crimine usuræ, ac in ejus defectum tenentur restituere in solidum, etiamsi nihil inde lucri acceperint, eò quòd tunc ex parte acceptionis et actionis injustæ obligentur ad restitutionem. Hinc D. Thomas, art. 4, ad 3, ait quòd *si quis committeret pecuniam suam usurario non habenti alias unde usuras exerceret, vel hâc intentione committeret ut inde copiosiùs per usuram lucraretur, daret materiam peccandi; unde et ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis usurario alias pecunias habenti, suas committat ut tutiùs serventur, non peccat, sed utitur homine peccatore ad bonum.*

Articulus V.

De usurâ mentali.

Usura mentalis fit quando mutuans absque ullo pacto externo intendit interiùs ut sibi aliquid pretio æstimabile solvatur supra sortem tanquàm debitum ex justitiâ. Constat autem hâc intentione mutuare, esse malum ac illicitum, cùm sit velle accipere alienum. Potest tamen aliquis immediatè et principaliter sperare ac intendere licitè benevolentiam et amorem internum mutuatarii, ut docet D. Thomas, 2-2, q. 78, art. 2. An autem quoque sit licitum, careatque usurâ mentali, sperare ac intendere lucrum supra sortem gratis omninò conferendum solâque mediante amicitiâ per mutuationem comparatâ, affirmant communiter auctores; quamvis enim iste mutuans primariò intenderet lucrum, cùm tamen non intendat illud consequi immediatè ex mutuo tanquàm illius pretium, hæc intentio non est usuraria, etsi aliquam avaritiæ labem contrahat. Et certè usura mentalis mensuratur per usuram realem: hæc autem minimè intervenit quando mutuans aliquid ultra sortem mediante amicitiâ ex merâ liberalitate et gratitudine recipit à mutuatario, et non ex vi mutui tanquàm ejus pretium. Ergo, etc.

Nec valet dicere quòd in spiritualibus ista intentio est simoniaca, prout declaravit Innocentius papa XI; ergo in temporalibus est usuraria. Negatur enim conseq. et paritas à D. Thomâ, q. 13, de Malo, art. 3, ad 15, ubi rationem disparitatis assignat in hoc quòd *simoniacus non dat id quod suum est, sed id quod est Christi, et ideò non debet sperare aliquam compensationem sibi faciendam, sed solum honorem Christi, et Ecclesiæ utilitatem. Usurarius autem nihil alteri præstat nisi quod suum est: et ideò potest aliquam amicabilem compensationem sperare*, etc. Ut enim ait Cajetanus, mutuare sub spe alicujus muneris gratuito et amicabili affectu acquirendi, non dicit usuram, etiamsi iste aliàs non esset mutuaturus, nempe si crederet mutuatarium ingratum fore; nam ista remuneratio sperata non est ratio cur mutuet, sed conditio quare magis mutuet illi quem novit gratum, quàm alteri ingrato, idque est satis naturale. Si tamen ante mutuationem vel postea, mutuans declararet hanc suam intentionem mutuanti, et peteret hanc amicabilem compensationem, atque excitaret ad gratitudinem, valdè esset de usurâ suspectus; nam mutuatarius fortè invitus illud auctarium rependit tanquàm ex mutuo exactum, timens ne fortè ampliùs mutuum obtinere valeat, si nihil mutuanti donet. A fortiori mutuans censendus est de usurâ suspectus, quando ita urget mutuatarium, ut nolit concedere mutuum nisi promittat aliquid rependere, maneatque obligatus ex fidelitate ac veracitate, ut declaravit Innocentius papa XI, damnans istam propositionem: *Usura non est, dùm aliquid ultra sortem exigitur tanquàm ex benevolentiâ et gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquàm ex justitiâ debitum*, et insinuat D. Thomas, q. 13, de Malo, art. 4, ad 5, et art. 3, ad 13, et 2-2, q. 78, art. 2, in corp. Tunc enim mutuans censetur esse exactor lucri supra sortem vi mutui, maximè, si aliàs non esset mutuaturus, cùm eum ex pacto ad id obliget: et ista limitatio ex gratitudine, videtur apparenter tantùm apponi ad tegendam mentem corruptam et usuram palliandam.

Quæres an et quomodò usura mentalis inducat restituendi obligationem. — Resp. tripliciter contingere posse, quòd nullo interveniente pacto, aliquid interiùs tanquàm pretium mutui intendatur. Primò ex parte utriusque, in quantum scilicet mutuans habet intentionem corruptam lucrum supra sortem tanquàm ex justitiâ accipiendi in vi mutui, et mutuatarius interiùs conjiciens indolem mutuantis, hoc tantùm modo involuntariè mixtè intendit dare. Et tunc certum est mutuatorem teneri ad restituendum quod sic accepit. Secundò, quandò ea corrupta intentio est in solo mutuante, dùm interim mutuatarius hoc ignorat, ac ex solâ liberalitate et gratitudine lucrum supra sortem eidem intendit dare; et tunc certum est quòd mutuator credens sibi dari tanquàm debitum ex justitiâ, eoque animo illud accipiens, peccat ratione conscientiæ erroneæ; nec potest illud sibi retinere si in eâ malâ fide persistat, et animum non mutet, cùm tunc judicet se alienum accipere et retinere. Unde tenetur de hoc peccato pœnitere; et quando sciet illud tanquàm donum amicabiliter et liberaliter sibi à mutuatario collatum, poterit retinere, deponendo conscientiam erroneam, ratione cujus per accidens tenebatur ad restitutionem. Tertiò, hæc intentio potest in solo mutuatario inesse, quatenùs interiùs credit mutuatorem tacitè exigere lucrum supra sortem tanquàm debitum ex justitiâ in vi mutui, eoque solùm titulo dat involuntariè mixtè, cùm tamen mutuans nihil de hoc cogitet, nec illud recipiat nisi credens sibi liberaliter dari, aliàs non accepturus. Et tunc non peccat mutuans, bonâ fide lucrum accipiens, quâ durante, etiam ab actuali restitutione eximitur: tamen quando cessat ignorantia restituere tenetur id in quo ex hoc lucro factus est ditior, si illud bonâ fide consumpsit.

Dubitans quo animo detur auctarium non potest

illud accipere, sive dubium sit negativum, ita ut nihil habeat unde mutuatarii mentem conjiciat; sive sit positivum, ita ut sit ratio dubitandi ex utràque parte; siquidem in dubio, rei possessionem non potest quis licitè inchoare, ne se periculo usurpandi alienum exponat. Unde mutuans debet in praxi dubium deponere et probabiliter judicare id sibi gratis conferri; tutiùsque ageret, si quotiescumque mutuatarius lucrum supra sortem offert et rependit, toties de motivo dandi interrogaret, eique significaret, se nolle illud recipere tanquàm sibi debitum, sed duntaxat tanquàm gratuitum donum.

Articulus VI.

An et quomodò liceat mutuum petere sub usuris.

Hucusque locuti sumus de mutuante sub usuris. Nunc cum D. Thomâ, hìc art. 4, agendum superest de mutuatario requirente mutuum, et offerente usuras solvere; in quo sanè peccare nequit contra justitiam, cùm nemini faciat injuriam, sed eam patiatur. Unde tota difficultas est, an et quando censeatur peccare contra charitatem, præbendo alteri scandalum et occasionem peccandi, exercendo usuras.

Concludit D. Thomas nullo modo licitum esse inducere hominum ad peccandum : uti tamen peccato alterius ad bonum, esse licitum. Unde nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris : licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere et usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis vel alterius.

Ubi D. Thomas tres apponit conditiones : Prima, ut mutuans non inducatur, sed de se sit paratissimus ad mutuandum hoc modo, seu ad exercendum usuras. Secunda, ut intentio petentis mutuum non habeat pro objecto actionem dantis mutuum reduplicativè sub usuris, sed solam passionem propriam illud usuris recipiendo, ita ut ejus petitio faciat hunc sensum : Da mihi mutuum, quo indigeo; et quia scio ac certus sum te nonnisi sub usuris daturum, offero etiam usuras, si gratis mutuare nolis; potiùs modum illum sub usuris patiar, ac ad illum permissivè me habeo. Vel potest mutuatarius tunc non offerre usuras, sed promittere solutionem lucri supra sortem pro compensatione interesse, etiamsi probè noverit mutuatorem nullum inde pati, sed illius colore usuras palliare. — Tertia, ut petens mutuum ab usurario parato modo jam explicato, nempe solùm permittendo peccatum usurarii, debeat habere causam rationabilem : qui enim absque ullâ necessitate propriâ vel alienâ id facit, caret debito fine et justâ causâ ad excusandam illam petitionem à peccato scandali et à cooperatione peccati ut si petat mutuum ad actus illicitos, v. g., ad superfluas epulas, voluptates, ludos, luxum, aliaque vana. Et tunc multi auctores contendunt mutuatarium mortaliter peccare, eò quòd censeatur præbere occasionem usurario exequendi suam malam voluntatem et ad ejus executionem in opere externo concurrere, sicque reputetur causa indirecta illius peccati saltem externi, cùm commodè posset, ac ex charitate teneretur illud vitare. Alii verò docent tunc mutuatarium venialiter peccare, aut mortaliter ex fine et objecto tantùm, puta si petat mutuum ad usum mortaliter vel venialiter peccaminosum : et non in petitione mutui, eò quòd usurarius ille paratissimus solùmmodò tunc peccet ex malitiâ suâ, et mutuatarius solùm utatur illius peccato ad bonum proprium saltem delectabile, nec det ipsi occasionem peccandi, sed ipsemet illam inde sumat; quomodò etiam illam sumeret, si aliquis ex rationabili causâ, justâque necessitate mutuum sub usurâ modo jam explicato, ab illo peteret.

Articulus VII.

De contractu emptionis et venditionis.

Venditio definiri potest *alienatio rei pro pretio :* emptio verò *comparatio rei pro pretio.* Non se habent tanquàm duæ species distinctæ, sed solùm tanquàm partes ejusdem pactionis conflantes unicum contractum. Licet enim sint inter se distinctæ, se tamen mutuò respiciunt, adeò ut una sine alterâ intelligi nequeat, ut contingit in aliis relativis.

Contractus iste includit essentialiter liberam ac spontaneam partium conventionem cum animo se obligandi; nec requirit rei aut pretii traditionem, nisi ut habeat ultimum complementum, quod intendunt contrahentes, transferatque dominium. Item requirit essentialiter mercis seu rei commutabilis distractionem. Denique pretii exhibitionem aut oblationem, aut de eo dando fidem. Rerum venalium pretia in universum duobus modis constitui ac taxari solent : nempe aut lege ac auctoritate reipub. et vocatur *pretium legale* aut *legitimum :* altero modo ex communi æstimatione fori ac proborum atque prudentum judicio; et vocatur pretium *vulgare seu naturale.* Quidam addunt aliud pretium taxatum ex conventione particulari factâ inter emptorem et venditorem, et vocatur *conventionale;* illudque indicat D. Thom., 2-2, q. 57, art. 2. Ratio hujus trimembris divisionis est, quia cùm jure naturali et divino, certa ac determinata pretia non sint imposita rebus, oportuit ut lege humanâ ac reipub. auctoritate determinarentur. Et cùm valdè difficile, imò impossibile visum sit, cunctis omninò rebus pretia constitui à lege et à repub., necesse fuit communi hominum prudentum ac peritorum æstimatione taxari. Tandem, cùm multarum rerum pretia nec à lege, nec à communi usu fori taxata videamus, necesse fuit ut conventione inter emptorem et creditorem arbitrarium taxaretur pretium pro quibusdam rebus inusitatis, noviterque adinventis, raris, pretiosis, etc. Ex l. *Pretia,* ff. *ad legem Falcidiam.*

Pretium legitimum consistit in indivisibili nec latitudinem admittit, ita ut quando respub. illud taxavit tam in gratiam venditorum quàm emptorum, tum penès quantitatem, tum terminum magnitudinis, non liceat transilire hos terminos; quia nefas est legem superioris justam ad æqualitatem ac ad bonum commune tuendum necessariam, ac pro re gravi latam, violare

sive per excessum sive per defectum ; indeque resultat peccatum contra justitiam cum onere restituendi, quod est lethale, si quantitas notabilis extiterit. Ad pœnam tamen legis subeundam transgressor ante judicis condemnationem minimè obligatur. Ita D. Thomas, 2-2, q. 62, art. 3. Pretium verò vulgare seu naturale non consistit in indivisibili, sed latitudinem admittit ; cujus discriminis ratio est, quia cùm princeps vel pauci magistratus de facili in unum convenire valeant, pretium legitimum quantùm ad terminum parvitatis aut magnitudinis potuit ab eis ad amussim taxari ac in puncto determinari : atverò pretium vulgare, cùm à judicio vulgi et plurimorum hominum æstimatione pendeat, qui ordinariè in unum indivisibiliter convenire nequeunt sed alii plus alii minùs rem valere judicant, quamvis ad medium prope accedant, nec ab eo multùm recedant, debuit habere latitudinem. Intra quam tria pretia communiter distingui ac assignari solent, nempè *infimum*, *moderatum et summum*. Infimum pretium est extremum in parvitate infra quod emptor absque injustitiâ descendere nequit. Summum verò seu supremum est aliud extremum in magnitudine, ultra quod venditor licitè non potest ascendere. Tandem inter hæc duo extrema versatur pretium medium seu moderatum, ultra quod licet descendere et ascendere. Ut si merx vendatur decem nummis pretio moderato, justè poterit vendi undecim, et emi novem. Porrò quanta debeat esse latitudo hæc, et quantum intervallum ab uno extremo ad aliud, per certam, firmam ac uniformem regulam statui non potest, cùm id ex variis circumstantiis occurrentibus ac ex communi usu fori pendeat. Unde in casu occurrenti casuista debet remittere consulentem ad usum communem fori et ad viros peritos ac timoratæ conscientiæ.

Pretium tandem conventionale seu arbitrarium, juxta aliquos tantam habet latitudinem, quantam voluerint contrahentes, cùm versetur tantùm circa res non necessarias ad vitam humanam, sed solummodò deservientes ad pompam, voluptatem, decorem et nobilitatis splendorem, cujusmodi sunt gemmæ, equi et canes insignes, aves raræ, picturæ antiquæ, et alia similia quæ justè tanti vendi possunt, quanti venditor voluerit ac potuerit, quantique emptor sciens ac prudens dare voluerit. Alii verò id negant, quia quælibet res vendi debet justo pretio, quod non est committendum arbitrio venditoris, sed judicio ac æstimationi prudentum ac peritorum pensatis omnibus circumstantiis. Existimo tamen hìc utendum esse distinctione. Si enim hujusmodi res fuerint tunc venditioni communiter expositæ, habent hoc ipso pretium communi æstimatione constitutum in his circumstantiis ac determinatum, sicut habent aliæ res venales : secùs dicendum quando venditioni non sunt communiter expositæ ; tunc enim videtur probabile quòd seclusâ omni fraude possunt tanti vendi, quanti dominus earum prudenter ac rationabiliter judicaverit, et quanti emptor non insanus aut prodigus, sed sciens ac prudens, dare liberè consenserit, qui illas tanti facit ut ad suæ nobilitatis ac divitiarum splendorem spectare reputet hujusmodi res apud se habere eoque pretio sibi comparare : maximè cùm dominus vellet eas retinere, solùmque in gratiam alterius vendat, illisque cum quàdam veluti displicentiâ se privet

Articulus VIII.

Utrùm licitè aliquis possit vendere rem plus, aut minùs emere quàm valeat.

D. Thomas, 2-2, quæst. 77, art. 1, quatuor documenta affert, quæ admittuntur ab omnibus, suntque veluti principia è quibus eruuntur veritates à nobis explicandæ in hâc materiâ.

Primùm, quòd fraudem adhibere ad hoc quòd aliquid plus justo pretio vendatur, omninò peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius, sicque contra justitiam peccat, eumque excessum restituere tenetur, cùm non censeatur titulo justæ venditionis debitus, neque voluntariè ab emptore collatus, habeatque hoc ipso alienum venditor, domino rationabiliter invito. Hinc habetur quòd non liceat contrahentibus se decipere, doloque circumvenire, non solùm quando læsio ultra vel infra medietatem justi pretii, sed etiam citra illius medietatem pervenit ; ita ut deceptor teneatur excessum aut defectum in conscientiâ restituere, quidquid sit de foro externo non concedente actionem ad illius repetitionem, quando non est ultra vel infra justi pretii medietatem. Ratio est quia violatur tunc debita æqualitas.

Secundum, quòd etiam seclusâ omni fraude venditor exigens deliberatè aliquid supra justum pretium saltem rigorosum, sicut et emptor dans infra justum pretium saltem infimum, peccent contra justitiam ; venditio enim et emptio secundùm se consideratæ, videntur esse introductæ pro communi utilitate utriusque, dùm scilicet unus indiget re alterius, ut patet per Philos. 1 Polit. ; quod autem pro communi utilitate est introductum, non debet esse magis in gravamen unius quàm alterius ; et ideò debet secundùm æqualitatem rei inter eos contractus institui. Quantitas autem rei quæ in usum hominis venit, mensuratur secundùm pretium datum ; ad quod est inventum numisma, ut dicitur in 5 Ethic., et ideò si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel è converso res excedat pretium, tolletur justitiæ æqualitas ; et ideò cariùs vendere, vel viliùs emere rem quàm valeat, est secundùm se injustum et illicitum.

Tertium quòd nihilominùs loquendo de emptione et venditione secundùm quòd per accidens cedit in utilitatem unius et detrimentum alterius, puta cùm aliquis multùm indiget habere rem aliquam, et alius læditur si illâ careat, ac juxta alios titulos mox recensendos. In tali casu justum pretium erit, ut non solùm respiciatur ad rem quæ venditur, sed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licitè poterit aliquid pluris vendi quàm valeat secundùm se, quamvis non vendatur plus quàm valeat habenti ; id enim non est vendere rem supra justum pretium consideratam hìc et nunc cum illo adjuncto.

Quartum denique, quòd si emptor multùm juvetur

ex re alterius quam accepit, ille verò qui vendit non inde damnificetur carendo re illâ, non debet eam ob prædictam emptoris utilitatem præcisè, eidem supervendere, quia utilitas quæ alteri accrescit non est ex vendente, sed conditione ementis : nullus autem debet vendere alteri quod non est suum, licèt possit ei vendere damnum quod inde patitur : ille tamen qui ex re alterius acceptâ multùm juvatur, potest propriâ sponte aliquid vendenti supererogare, quod pertinet ad ejus honestatem.

Quintum addi potest ex Cajetano, quòd causa movens venditorem ad vendendum per accidens se habet ad justum pretium : quare sive ex indigentiâ, sive ex abundantiâ, sive ex despectu qui rem vendat, non augetur vel minuitur ejus pretium. Unde quod est justum pretium pro re quam vendit pauper ex necessitate, est etiam justum pretium pro eâdem et simili re quam vendit dives nolens eam domui suæ habere.

Varii solent afferri tituli, ratione quorum res plus æstimentur ac majori pretio vendi possint, ut ratione damni emergentis, ac lucri cessantis. Item ratione donationis liberæ excessûs justi pretii. Item ratione officii et obligationis vendendi aliquod genus mercium. Reverà tamen omnium solidissimus ac per se loquendo unicus titulus, ad quem cæteri reducuntur, est penuria venditorum, raritas mercium et emptorum copia : sicut è contra copia venditorum, abundantia mercium, et paucitas emptorum rerum pretium minuunt. Hinc quando merces ultrò offeruntur et emptores quærunt, decrescit ipsarum pretium, quia desunt emptores : et in hoc sensu dicitur, quòd merces ultroneæ communiter vilescunt pro tertiâ parte. Hinc quando res venduntur sub hastâ, majori pretio vendi aut minori emi licitè possunt, ob scilicet multitudinem vel paucitatem, fervorem vel teporem emptorum; et in his licitationibus merces fortûito ac incerto pretio subsunt. Quare justum earum pretium in hoc foro ac vendendi modo, est illud quod seclusis fraudibus, monopoliis ac machinationibus obtineri potest, ejusque excessus aut defectus à contrahentibus se fortunæ eventui exponentibus condonari censetur. Idem dicendum de rebus quæ offeruntur vendendæ per proxenetas. Item de rebus quæ post bella, pestes, etc., vilissimè venduntur, quia scilicet ultrò offeruntur, nec inveniuntur emptores. Eâdem ratione gemmæ quæ antea mille nummis vendebantur, modò emuntur centum. Et similiter transeunte navi aliquâ onustâ mercibus, videmus eas viliùs emi, quàm ibi valeant, quia non inveniuntur emptores tunc pro alio pretio, et sic de similibus : tunc enim venduntur quantùm valent hîc et nunc expositæ, quamvis non vendantur quantùm valent absolutè ac valerent si expectarent emptorem. Hinc reprobatur pretium ex monopolio auctum, sive quando pauci mercatores certi generis omnes merces vel maximam illarum partem coemunt, ut ipsi soli postea ad libitum vendant res ad victum necessarias, antequàm cives alimentarem provisionem sumpserint, illos prævenientes; quia hâc machinatione de industriâ et fraudulenter caritatem inducunt cum damno publico et proprio commodo : sive quando inter se conspirant et conveniunt de non vendendis certi generis mercibus nisi constituto ab ipsis pretio excedente summum ac rigorosum, quod absque tali conspiratione haberent : tunc enim peccant contra justitiam, et ad excessum illum restituendum obligantur, cùm injuriam ac vim civibus et reipub. in hoc inferant. Sive quando vi, aut fraude impediunt mercatores extraneos ne suas merces in eum locum deferant, ut rariores et chariores ibi existentes, plus vendant quas apud se habent : ob eamdem rationem tunc peccant contra justitiam. Hinc improbandus venit tanquàm usurarius contractus ille emptionis, quem vocant *Mohatra*, quo quis mutuum petenti mercatori qui respondet se non habere pecunias, sed offerre ei merces vendendas pretio supremo intra latitudinem justi pretii, prævidens ac intendens redimere pretio infimo justo quod statim præsenti pecuniâ solvit ei qui mutuum rogaverat; qui propterea obligatus manet ad statuto termino refundendum istud pretium, simulque complementum pretii supremi in priori venditione stipulati. Ibi enim satis apparet fœnerantis intentio mutuandi cum lucro supra sortem, illâ duplici venditione simulatâ operiendo mutuum cum fœnore. Idque à fortiori contingit quando mercator alium ad hanc revenditionem sollicitat vel urget, vel obligat ex pacto prævio inito, ut expressè declaravit Innocentius papa XI, damnans hanc propositionem, quæ est 40 inter proscriptas : *Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, cum contractu retrovenditionis prævio inito cum intentione lucri.*

Sanè excusaretur ab usurâ mercator iste si non sollicitaret, nec ex pacto emptorem obligaret ad revenditionem, neque eam intenderet, sed bonâ fide huic merces venderet, si postea illius præter intentionem, diverso tempore et spontaneè, emptor ipsum sollicitaret ad easdem merces reemendas. Tunc enim seclusc scandalo, servatis servandis, id posset licitè facere eâdem ratione ac jure, quo quivis alius potest.

Hinc simpliciter loquendo vendens rem cariùs justo pretio rigoroso præcisè ob dilatam solutionem, aut emens minori justo pretio infimo, præcisè ob anticipatam solutionem secluso quocumque interesse, usuram committit et ad restitutionem excessûs tenetur, aut defectûs; quia ibi mutuum virtuale ac implicitum cum fœnore intervenit, ut docet D. Thomas, 2-2, q. 78, art. 2, ad 7. Secùs dicendum quando accipitur non ratione mutui ac temporis, sed ad compensationem damni emergentis aut lucri cessantis, prout à nobis supra explicatum est. Unde chirographa seu debita solvenda in posterum quæ vocantur à Cajetano *pagæ acerbæ*, non possunt licitè minori pretio emi quàm valeant, per hoc quòd præsenti pecuniâ emantur, si aliam non habeant acerbitatem quàm ratione temporis futuri, seu solutionis in posterum : benè tamen ex hoc quòd non sint liquida et facilis solutionis, sed ambigua, periculosa, nonnisi cum molestiis et litibus

obtinenda, etc. Ob hæc enim onera, minori pretio æstimantur. Item ob titulum veri interesse, quod emens tunc patitur tribuendo pecuniam præsentem pro futurâ, compensandum : tunc minori pretio emi possunt, seu quia occasione temporis materialiter sumpti, ea dilata solutio affert ementi damnum, aut eum lucro privat, ut supra explicatum fuit. Hinc licitum est cariùs vendere merces expectatâ solutione in aliud tempus quo creduntur plus valituræ quàm tempore contractûs ; si tamen tempore solutionis pretii plus valituras probabile credatur, et mercator non esset tunc illas venditurus, sed usque ad aliud tempus servaturus. Ratio est quia tunc pretium non est taxandum nec æstimandum secundùm præsens tempus, sed secundùm illud quo mercator erat suas merces distracturus ; aliàs damnum ex venditione ob solius ementis gratiam factâ reportaret : unde Petrus instanter rogatus à Paulo ut in messe triticum illi vendat expectatâ solutione usque ad mensem maium, potest tunc triticum illi vendere dupliciter. Primò, indefinito pretio, illo scilicet quod communiter currit in initio, vel in medio, vel in fine mensis maii, quo solùm tempore decreverat vendere. Tunc enim cùm contrahentes sese periculo exponant, nulla apparet injustitia. Secundò, pretio definito majori quàm quod in messe currit, ad arbitrium prudentum, pensatis omnibus pensandis et servatis servandis, nempe quòd prudenter et verisimiliter triticum plus valiturum in mense maio æstimetur, quàm in messe ; ita tamen quòd tunc possit de facto plus valere, quàm sit pretium venditori assignatum, ut sic pari lucrandi aut perdendi periculo exponantur ambo. Item quòd venditor non exigat neque recipiat pretium summum quod triticum toto illo mense habebit, sed tantùm mediocre quod erit illo mense aut die vel hebdomadâ, si differatur pretii æstimatio usque ad illud tempus : quod enim est in potentiâ ac multipliciter impediri potest, non tantùm valet nec æstimatur, ac si esset actu. Adde et detrahendam esse æstimationem custodiæ tritici, periculorum, laborum, expensarum, etc., quibus venditor eximitur. Tandem quòd reverà venditor habeat sinceram intentionem servandi triticum usque ad mensem maium, et de hoc proposito moneat emptorem. Et in hoc etiam contractu nulla apparet injustitia, prout colligitur ex cap. *Naviganti* de usuris : quod fusè ostenditur alibi.

Quæres primò, an venditio cum pacto retrovendendi sit licita. — Resp. pactum istud in favorem solius venditoris esse licitum, quia unusquisque rei suæ est moderator et arbiter ; dummodò juxta æstimationem ac proportionem hujus oneris imposîti emptori, ad arbitrium viri prudentis rei pretium diminuatur : ex hâc enim duntaxat parte hujusmodi pactum posset esse illicitum, quia hîc nullum intervenit mutuum etiam virtuale, cùm emptor nunquàm valeat pretium datum repetere, si venditor nolit contractum rescindere : sicque usura esse nequit : benè tamen quando hujusmodi pactum in gratiam emptoris apponitur. Quoties enim aliquis ita suam pecuniam distrahit, ut ex pacto retineat jus ad similem summam tempore quo voluerit recuperandam, ibi latet, imò patet mutuum. Unde si iste fictus emptor et verus mutuator percipiat interim fructus rei apparenter venditæ et reverà solùm impignoratæ, non computando illos in partem solutionis pretii, verè exigit lucrum supra sortem ita vi mutui palliati. Ergo est usurarius. Adde quòd per istum contractum omnes facilè possent usuras palliare, fictè emendo fundum frugiferum illius qui petit mutuum, cum pacto quòd eodem pretio intra tot annos esset reempturus ; interim non computatis fructibus perceptis pro solutione sortis, ipsam integram recipiet absque justo titulo.

Quæres secundò ad quid teneatur venditor.—Resp. teneri ad rem emptori tradendam in termino præfixo ; aliàs si fuerit in morâ culpabili, tenetur ad illi compensandum interesse tam intrinsecum quàm extrinsecum, quod inde patitur, cùm sit causa injusta illius. Tenetur insuper de evictione, si contingat rem ab alio quopiam evinci. L. *Servus quem*, ff. de act. empt. et vend., et l. *Ex empto*, eodem tit., et l. *Qui fundum*, ff. de evict. Tunc nihilominùs venditor non tenetur de damno et interesse, nisi dolo suo emptorem circumvenerit ; sed sufficit si emptori pretium restituat, quod acceperat. L. *Ex empto*, ff. de empt. et vend.

Quæres tertiò cui res debeatur quando duobus in solidum et ex intervallo vendita fuit ? — Resp. quòd si res neutri illorum tradita adhuc fuerit, præferendus est ille qui priùs emit ; nam juxta regulas juris, qui prior est tempore, potior est jure : nec venditor poterat absque illius injuriâ, rem ab ipso emptam, aliis promittere et vendere. Si tamen ea res secundo emptori tradita fuit, iste habet illius dominium ; priori verò emptori solùm remanet jus et actio in personam venditoris, quantùm sibi interest rem venditam non fuisse.

Quæres quartò quænam simul cum re censeantur vendi accessiones, quando de his nulla facta est mentio expressa. — Resp. ea simul vendi quæ communiter accedunt et connectuntur cum rebus venditis, l. *Qui fundum*, ff. de contrah. empt., et l. *Ædes sacrâ*, l. *Cum manu*, eod. tit., quia iste contractus est bonæ fidei ; quare nisi expressè ac nominatim quædam excipiantur ac demantur, unà cum re generaliter vendi censentur quæ ad ejus naturam et complementum spectant ; quia scilicet vel sunt illius partes unumque efficiunt cum eâ, vel absque illius interitu aut destructionis periculo separari nequeunt ; sic venditâ domo, censetur vendi puteus, latrina, seræ et claves, quæ sunt in eâ, l. *Julianus*, et l. *Qui fundum* : venditâ piscinâ censentur vendi pisces qui sunt in eâ. L. *Funes*, ff. de contrah. empt.

Quæres quintò quot modis venditio rescindatur. — Resp. non licere uni contrahentium altero invito à conventione factâ recedere, et à contractu resilire. L. *De contractu*, cap. de rescind. vendit. Possunt tamen quædam pacta ab initio fuisse apposita ratione quorum contractus dirimatur ex post facto, etiam invito

altero contrahentium : ut pactum legis commissoriæ per quod scilicet emptio rescindatur, nisi intra statutum tempus pretium solvatur. L. *Cùm venditor*, et l. *Fundus*, ff. de l. *Commiss.* Ut enim ostenditur in tract. de Just., quamvis istud pactum non valeat in pignoribus, valet tamen in venditionibus. Imò tunc emptor perdet arrhas quas dedit, nisi aliud expressè conventum fuerit. L. *De lege*, ff. de contra. empt., et l. *Fundo vendito*, ff. de lege commiss. Ad hoc etiam confert pactum addictionis in diem, sed de re retrovendendâ, nempe quòd prima venditio non subsistat si intra tot dies venditor alium invenerit emptorem, qui meliorem obtulerit conditionem. L. *Quoties*, ff. de in diem addictione. Ad hoc quoque confert pactum quo possit venditor rem à se venditam intra præfixum tempus redimere, servatis servandis. L. *Si fundum*, et l. *Si à te comparavit*, cap. de pactis inter empt. et vend. Dissolvitur præterea venditio in isto regno Galliæ per retractum, et jus quod conceditur venditoribus agnatis intra annum emendi aut redimendi rem venditam, æquale pretium offerendo et dando. Tandem dissolvitur per jus prælationis et retentionis, quod habet dominus directus supra fundum. Ad quem autem spectet rei venditæ dominium et periculum, dùm ementi nondùm est tradita ; idem ad quem pertineant fructus percepti illo tempore intermedio, quando contractus dissolvitur ; item ad quem pertineant fructus rei venditæ et traditæ quamdiù ejus pretium nondùm est solutum, neque contractus dissolvitur, in tract. de Just. fusè explicatur.

Articulus IX.

An et quomodò venditio reddatur illicita, propter defectum rei venditæ, et an venditor ejus vitium dicere teneatur.

Postquàm D. Thomas examinaverit fraudulentiam et injustitiam emptionis et venditionis ex parte pretii, deinde art. 2 et 3, eam investigat ex defectu rei venditæ, dicitque triplicem in eâ defectum considerari posse.

Unum quidem secundùm substantiam et speciem rei, ut si quis rustico, vitrum pro gemmâ vendat, vas stanneum pro argenteo, vinum mixtum aquâ pro puro, aurum pro aurichalco, et generaliter unam rem pro aliâ, vel in toto, vel in parte, ac eodem pretio. Et hunc quidem defectum, si venditor cognoscat in re quam vendit, fraudem committit in venditione : unde venditio illicita redditur, et hoc est quod dicitur contra quosdam Isa. 1 : *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aquâ ;* quod enim mixtum est, patitur defectum quantùm ad speciem. Hæc fraus est ex genere suo mortalis ; et iste error, etiamsi non foret antecedens nec daret causam contractui, sed esset solùm concomitans ac incidens, ipso jure naturæ annullat contractum, quia deceptus non consentit in aliam rem quæ supponitur, v. g., vitrum, sed solùm in gemmam quæ promittitur, et pro quâ solvit.

Alius autem defectus est secundùm quantitatem quæ per mensuram cognoscitur : et ideò si quis scienter utatur deficienti mensurâ in vendendo, fraudem committit, et est illicita venditio. Unde dicitur Deuteron. 25 : *Non habebis in sacculo tuo diversa pondera, maius et minus, nec erit in domo tuâ modius major et minor :* et postea subditur : *Abominatur enim Dominus eum qui hæc facit, et aversatur omnem injustitiam.* Necesse est autem mensuras rerum venalium in diversis locis esse diversas, propter diversitatem copiæ et inopiæ rerum, quia ubi res magis abundant, consueverunt esse majores mensuræ. In unoquoque tamen loco ad rectores civitatis pertinet determinare quæ sint justæ mensuræ rerum venalium, pensatis conditionibus locorum et rerum : et ideò has mensuras publicâ auctoritate vel consuetudine institutas, præterire non licet.

Tertius defectus est ex parte qualitatis, puta si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum : quod si quis scienter fecerit, fraudem committit in venditione. Unde est illicita venditio, et consurgit in his tribus defectibus obligatio restituendi. Si verò eo ignorante aliquis prædictorum defectuum in re venditâ fuerit, venditor quidem non peccat quia facit injustum tantùm materialiter, nec ejus operatio est injusta : tenetur tamen cùm ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompensare emptori.

Error solùm circa qualitates et accidentia extrinseca, si fuerit solùm concomitans et incidens, seu non dans causam contractui, ipsum non reddit nullum, tum quia jam adest consensus simpliciter in contractum : Joannes enim, v. g., verè voluit emere equum, licet in pretio deceptus fuerit, vel circa aliqua ejus accidentia ; unde talis error inducit quidem non voluntarium circa ea accidentia ; non tamen causat involuntarium simpliciter circa emptionem equi ; tum quia minimè requiritur ut emptor nôrit omnes omninò rei qualitates et in omnes consentiat ; cùm enim innumera sint, nihil unquàm fixum ac firmum esse in contractibus. Unde iste error solùm deservit ad hoc ut contractus reduci debeat ad æqualitatem. Cùm autem emptor non minùs teneatur servare justitiæ leges, quàm venditor, rectè concludit D. Thomas, eodem modo ratiocinandum esse de illo. Unde si quis venderet aurum, credens esse aurichalcum, emptor id cognoscens, injustè emit et ad restitutionem tenetur : eadem etiam est ratio de defectu quantitatis. His suppositis,

Dico primò, quando vitium rei venalis est per se manifestum et patens, puta si equus fuerit claudus aut monoculus, tunc venditor non tenetur de illo emptorem admonere, sed solùm minuere de pretio, juxta proportionem hujus defectûs ; aliàs excessum restituere tenetur. Ita expressè D. Thomas hìc, art. 3, et communiter auctores. Ratio est, quia tunc venditor non decipit emptorem, sed ipsemet incautè ac imprudenter se gerens, vult decipi, nec nisi justo pretio venditur, ut suppono.

Dico secundò, quando vitium est occultum, si aliunde non fuerit notabile, nec inde timeatur periculum aut damnum emptori eventurum, non tenetur venditor illud manifestare, dummodò tantùm detrahat de pretio, quantùm res illa minùs valet cum isto vitio : ita D. Thomas, loco citato et quodlib. 2, art. 10, quia

tunc venditio est justa quando pretium adæquatur valori rei venditæ : nec inde præbetur occasio periculi aut damni emptori, solùmque sibi præcavet venditor in nostro casu, quia fortè emptor propter hujusmodi vitium, vellet plus subtrahi de pretio quàm esset subtrahendum. Ergo, etc.

Dico tertio, venditorem teneri ex justitiâ ad manifestandum rei venalis vitium, quod reddit rem nocivam emptori, nec tunc sufficere ut diminuat de pretio. Ita D. Thomas hìc. Ratio est, quia dare alicui occasionem periculi aut damni, est semper illicitum, quamvis non sit necessarium quòd homo alteri semper det auxilium vel consilium, pertinens ad hujus qualemcumque promotionem ; sed hoc solùm est necessarium in aliquo casu determinato, puta cùm alius ejus curæ subditur, vel cùm non potest ei per alium subveniri : venditor autem qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem, quòd rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum vel periculum incurrere possit : damnum quidem, si propter hujusmodi vitium res quæ vendenda proponitur, minoris sit pretii ; ipse verò propter hujusmodi vitium nihil de pretio subtrahat. Periculum autem, si propter hujusmodi vitium, usus rei reddatur impeditus vel noxius, puta si aliquis alicui vendat equum claudicantem pro veloci, vel ruinosam domum pro firmâ, vel cibum corruptum et venenosum pro bono. Unde si hujusmodi vitia sint occulta et ipse non detegat, erit illicita et dolosa venditio, et tenetur venditor ad damni compensationem. Ita D. Thomas hìc. Ex quo infertur idem esse dicendum, si tale vitium rem prorsùs inutilem reddat ; tunc enim emptor decipitur cum damno proprio, et dolus dat causam contractui. Addit D. Thomas hìc, art. 3, in fine corp. quòd *dùm usus rei etsi non competat venditori, potest tamen esse conveniens aliis, et ipse propter hujusmodi vitium subtrahat quantùm oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei ; quia fortè propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio quàm esset subtrahendum : unde licitè venditor indemnitati suæ consulere potest vitium ei reticendo.*

Ex hoc quidam inferunt quòd etiamsi res illa emptoris fini sit inutilis, si aliunde possit aliis esse conveniens ac utilis, ipsisque vendi eodem pretio ab emptore, tunc venditor non tenetur vitium manifestare emptori, si ab eodem non fuerit interrogatus expressè aut tacitè, seu si ex communi modo vendendi tales res in tali loco, ipse merces suas sincerè venales exponat earumque vitia dolo et aliquâ arte non occultet. — Negant verò alii, ex hoc quòd emptor tunc non censeatur habere voluntatem emendi, solùmque ex errore ac deceptione consensum præbeat contractui. Quod videtur admittendum, quando emptor ex sui conditione ostendit se quærere talem rem, non ad vendendum aliis, sed præcisè ob aliquem usum determinatum sibi convenientem, ut miles emens equum ad currendum et equitandum, videtur decipi dùm venditur illi equus solummodò aptus ad arandum. Item si agricolæ vendatur equus arandi ac laborandi incapax ; tenetur enim tunc venditor lege saltem charitatis emptorem admonere rem non esse satis convenientem, maximè si possit eam facilè aliis vendere.

Quæres an mercator sciens pretium rei quam vendit, brevi minuendum esse ob superventuram earum mercium copiam, possit festinanter illam pretio currenti vendere, non indicando futuram abundantiam. — Resp. affirmativè cum D. Thomâ hìc, art. 3, ad 4, quia in isto casu mercator utitur jure suo, dummodò vi aut fraude non impediat quin copia mercium superveniat, aut manifestetur brevi futura, aut mendaciis non alliciat imparatos ad emendum, imposturis spergendo rumorem falsum, quòd brevi illarum mercium pretium foret augendum, aliove modo injusto civibus nocendo.

An autem de hâc copiâ superventurâ interrogatus, possit eam negare aut celare, negant aliqui ex hoc quòd venditor tunc ex officio veritatem fateri teneatur, nec licitè eam celare et à fortiori negare possit cum tanto civium damno publico ; affirmant verò alii, quia ex hoc emptores ad contractum injustum non inducerentur ; traditur quippe merx absque vitio, venditurque pretio currenti justo. Unde etiamsi mercator tunc negaret, tale mendacium non esset formaliter perniciosum, sed officiosum, seu ordinaretur aliunde à mercatore ad vitandum damnum, quod in propriis facultatibus incurreret, si veritatem proferret.

Verùm dato quod tunc mercator possit veritatem non aperire, sed celare, non videtur tamen admittendum quòd mendacio positivè valeat cives decipere cum ipsorum damno. Unde si hujusmodi mendaciis pretium currens auctum fuerit, tunc mercator illum excessum restituere tenetur. Hinc infertur eum qui sciens obsidionem urbis proximè venturam, suas res celeriter vendit pretio currenti, non admonendo emptores de futurâ vastatione, non peccare ; item eum qui scit curiam brevi ex hoc loco recessuram, posse locare celeriter domos suas pretio quo ante solebat.

Quæ hactenùs de venditore dicta sunt, proportionaliter emptori applicanda veniunt : nempe quòd sciens futuram mercium penuriam et charitatem, potest illam prævenire emendo res nunc pretio currenti. Idem dicendum de eo qui scit pretium monetæ decreto principis brevi esse minuendum, quando adhuc non est publicatum. An autem consiliarii et ministri principis, de quorum assensu decretum istud fuit emanatum, possint quoque res suas et pecunias pretio tunc currente distrahere, ante ejus publicationem, aliqui negant, quia nec debent, nec possunt suo officio fungi in damnum civium. Alii verò affirmant, quia ex unâ parte ratione sui officii non interdicitur illis venditio mercium et distractio pecuniarum suarum pretio currenti, neque tenentur tale decretum ante tempus à principe assignatum civibus manifestare.

Existimo tamen eos licitè non posse hujus decreti publicationem de industriâ et in proprium commodum differre, eoque fine ut totum sufficiens tempus habere valeant, ad suas merces et pecunias illo majori pretio distrahendas ; id enim esset officio suo in civium dam-

num fraudulenter abuti, neque suis cognatis aut amicis ad hunc finem tale secretum pandere debent, ob eamdem rationem. Denique si per fraudem et machinationem, hujusmodi rerum pretii immutationem procuraverint, ut nempe res et pecunias suas cariùs venderent ac distraherent et postea viliùs emerent, non videntur à gravi peccato excusandi

Articulus X.

Utrùm liceat negotiando cariùs aliquid vendere quàm emere.

Divus Thomas de istâ negotiatione tractat hîc, art. 4, dicitque ad negotiatores pertinere rerum commutationibus insistere, duplicemque cum Arist. 1 Polit. distinguit commutationem. Unam quasi naturalem et necessariam, nempe rei cum re, vel rerum et denariorum propter vitæ necessitatem : et talis commutatio est laudabilis, nec propriè pertinet ad negotiatores, sed magis ad œconomicos, aut politicos. Alia verò commutationis species, est vel denariorum ad denarios per cambium, vel quarumcumque rerum ad denarios per mercaturam : seu non propter res vitæ necessarias, sed propter quærendum lucrum ; et de hâc est sermo in præsenti, per quam scilicet res non immutatæ nec meliores effectæ cariùs venduntur à mercatore, quàm ab eodem fuerint emptæ ad lucrum sibi comparandum ex illarum distractione. Aliquid etiam de commutatione denariorum ad denarios per cambium breviter disseremus.

Dico primò, mercaturam neque esse de se bonam, neque malam ; habere tamen quamdam speciem turpitudinis, et esse de malè sonantibus ; ita D. Thomas loco citato, et communiter auctores.

Probatur. Cùm mercatura tendat in lucrum tanquàm in objectum, de eâ judicandum est per comparationem ad tale objectum. Lucrum autem quamvis de suî ratione non importet aliquid honestum vel necessarium, nihil tamen de se dicit vitiosum ac virtuti contrarium ; nihil enim prohibet ordinari ad aliquem finem necessarium vel honestum, v. g., ad subveniendum indigentibus, aut familiam sustentandam, aut publicam utilitatem procurandam, ne scilicet res ad vitam necessariæ civibus desint ; et mercator lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris. Et tunc negotiatio est licita. Quando vero mercator tendit in lucrum tanquàm in ultimum finem, quod contingit quando propter lucrum frangit aliquod præceptum, v. g., pejerando, defraudando proximum, tunc negotiatio est mortaliter peccaminosa. Sicut ergo lucrum de se non est mortaliter bonum neque malum, sed indifferens, ita et negotiatio mercatoria : non enim ex eâ affirmatur malum, sed negatur bonum, justèque vituperatur tanquàm habens speciem mali ; quia quantùm est de se deservit cupiditati lucri quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit : et ob frequentia negotiantium vitia ; quia, ut dicitur Eccl. 26 : *Difficulter exuitur negotiator à peccatis labiorum :* item quia nimis implicat animum secularibus curis, rebusque terrenis : tandem quia mercatura scatet multis difficultatibus et periculis peccatorum, ob quæ et alia inconvenientia ac indecentia, meritò clericis interdicitur, per totam dist. 88, et alibi passim in can. ; hinc meritò dicitur Psalm. 79 : *Quoniam non cognovi litteraturam ;* vel ut alii legunt, *negotiationem, introibo in potentias Domini.*

Potest itaque negotiatio reddi illicita ex circumstantiis personarum, puta clericorum, ut ostendit D. Thomas, art. citato, ad 3, illisque graviter interdicitur ab Ecclesiâ ; ita ut etiam secluso scandalo, mortaliter peccent si eam exerceant, maximèque si in usu habeant, ut fusè ostenditur tract. de Just. ; item ex circumstantiâ loci, putà si in Ecclesiâ aut in cœmeterio fiant nundinationes, ut colligitur ex Matth. 21, et Joan. 2 ; item ex cap. *Decet*, in 6 ; item ex circumstantiâ temporis sacri, ut si mercaturæ exerceantur diebus dominicis ac festivis, ut ostensum est in 3 Decalogi præcepto, et colligitur ex D. Thomâ, 2-2, q. 122, art. 4, et prohibetur c. 1, de Feriis. Item venditio mala reddi potest ex conditione rerum venalium ; item ex injustitiâ pretii, et ex modo negotiandi, prout fusè ostenditur in tractatu de Just.

Dico secundò, quòd cùm cambium sit permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecuniâ cum lucro, vel causâ lucri, eodem modo ratiocinandum est de arte campsoriâ ac de negotiatione mercatoriâ.

Jure naturali ad justitiam cambii sequentes requiruntur conditiones. Prima est, ut interveniat vera et sincera permutatio unius pecuniæ pro aliâ diversâ, absitque omnis simulatio et intentio usuras palliandi sub colore cambii, cêlebrando verum cum fœnore mutuum. Secunda, ut nihil prorsùs exigatur lucri ratione temporis ac dilatæ solutionis præcisè, sed tantum pro loci distantiâ, pro translatione pecuniæ aliisque justis titulis. Tertia, ut servetur justum pretium, quod vel communi et approbatâ consuetudine, aut peritorum ac proborum judicio determinatur ; injustitia enim cambiorum ex hoc potissimum duplici capite oriri potest : nempe aut ob usurariam pravitatem, ex injustitiâ pretii, et quam redolent, aut ob inæqualitatem, seu excessum in pretio ac stipendio. B. Pius V in speciali constitutione suâ plures alias apposuit conditiones, quas alibi retulimus.

Porrò cambium est duplex, aliud fictum ac siccum, quia caret humore et fecunditate ad fructificandum et est potiùs mutuum cum fenore, ut contingit quando non mittuntur litteræ, aut mittuntur inanes, aut non fit etiam translatio virtualis pecuniæ ; sed campsor tradit eam campsario, ab eodem in eodem prorsùs loco solvendam cum lucro ob præcisè dilatam solutionem, etc. ; et istud cambium jure naturali et positivo tanquàm usurarium reprobatur. Aliud verò est cambium verum et reale, continens veram ac legitimam pecuniæ pro aliâ diversâ commutationem. Et de isto tantùm sermo in præsenti.

Subdividitur autem in minutum seu manuale, et in cambium locale, seu per litteras. Cambium ad minutum est permutatio pecuniæ pro aliâ præsenti in eodem loco, ut cùm quis dat pecuniam auream pro argenteâ vel æreâ, et è contra, cum moderato lucro

juxta diversarum regionum consuetudinem; dummodò lucrum non sit excessivum, cambium erit justum, et ex hâc solùm parte illicitum esse potest: cùm enim non exigat tempus, sed statim una pecunia pro aliâ commutetur et de manu in manum transeat, nequit esse usurarium, eò quòd nullum involvat mutuum, sed tantùm injustum esse potest ob excessum pretii.

Cambium locale est quandò pecunia de præsenti in uno loco ac tempore recipitur, et in alio loco et tempore redditur; et quia ordinariè per litteras fieri solet et ideò vocatur cambium per litteras; idque duobus modis exerceri contingit. Primò quando campsor prior dat campsario pecunias suas Lugduni, v. g., ut eas reddat Romæ; vel secundò è contra, quando campsarius prior dat Romæ pecunias suas campsori, ut eas reddat Lugduni. De hoc secundo modo non est tanta difficultas ac de primo; etenim campsor tunc non dat mutuum campsario, cùm nullas ipsi det pecunias, sed ab eodem recipiat alibi reddendas, unde nequit usuram committere; sed si moderatum lucrum accipiat, erit justum. Variis autem titulis campsor tunc potest stipendium exigere, nempe ob translationem saltem virtualem pecuniæ campsarii ex uno loco ad alium ad ejus petitionem et gratiam, ejusdemque pecuniæ assecurationem; et istud campsoris onus transferendi et assecurationis est id quod venditur. Hinc fit, ut quò longius est iter et major locorum distantia, gravioraque pericula, eò majus pretium stipulari ac constitui possit. Quando verò campsor prior dat Romæ campsario pecunias ab eodem Lugduni reddendas, tunc potest intervenire mutuum, cùm necesse sit unum ex contrahentibus sequi fidem alterius et accipere creditum pro re quæ functionem recipit. Campsor enim pecuniam suam virtualiter credit campsario, in ipsum transferendo illius dominium cum obligatione reddendi eamdem summam tempore necessario. Unde si aliquid exigatur præcisè, ratione longioris temporis ac dilatæ solutionis, erit usurarium; si verò pretium immoderatum accipiatur, erit iniquum; si tamen moderatum accipiatur ob justos titulos damni emergentis ac lucri cessantis, imò sine ullo interesse, ob solam translationem virtualem pecuniæ, non quidem illius quam campsor Romæ dat campsario, sed alterius quam ab eodem recepturus est Lugduni, quam deinde Romam, ubi habitat, transferendi onus suscipit, cambium erit licitum: illius enim pecunia transferri censetur qui illâ indiget, et operam alterius implorat ac locat ad hoc ut ejus auxilio pecuniam quam alibi distantem retinet, hîc præsentem habeat ubi indiget. Talis autem est campsarius in nostro casu, cujus proinde pecunia Lugduni existens redditur ipsi virtualiter Romæ præsens: seu efficitur æquivalenter ipsi commoda ac utilis Romæ ubi indiget, ac si illuc asportata fuisset ope campsoris. Alios omitto titulos, puta quando pecunia in uno loco plus valet quàm in alio, et sic de cæteris.

Cambiorum pretia justè augeri aut minui possunt ratione majoris aut minoris pecuniæ æstimationis, sicut dictum est de pretio mercium, quod augetur vel minuitur juxta paucitatem vel copiam emptorum, aut venditorum et mercium, aliisque titulis accidentalibus et extrinsecis.

Si in cambiis quantitas pretii ac lucri determinata non fuerit à lege aut à consuetudine approbata, æstimanda tunc est et taxanda à peritis in arte viris probis, simul in unum congregatis et consentientibus, juxta æquitatem bonamque fidem procedentibus, attentis prudenter attendendis, nempe copiâ vel penuriâ denariorum et cambientium, item locorum distantiâ, laboribus, periculis imminentibus, aliisque circumstantiis, nullâ habitâ ratione temporis formaliter ac dilatæ solutionis præcisè.

Tandem ratione interesse et officii campsoris à Repub. constituti ob bonum publicum, potest aliquis accipere lucrum ultra valorem pecuniæ à lege definitum: ob scilicet onus habendi multas et varias pecunias paratas ad permutandum ac cambiendum volentibus cambium. Plura de cambiis habebimus alibi. (Vid. tractatum de Justitiâ.)

Articulus XI.

De cæteris contractibus.

Divus Thomas duos tantùm contractus in particulari, nempe usuræ pravitatem in mutuo, et fraudulentiam in emptionibus ac venditionibus ex professo examinavit duabus quæstionibus jam explicatis: et meritò, quia justitia aut injustitia cæterarum commutationum voluntariarum, per comparationem ad hos duos contractus dignosci potest, ac regulari debet. Ex duplici namque potissimùm capite omnis et quilibet contractus redditur injustus et illicitus, nimirùm vel ex hoc quòd pretium de re quæ de se nullo prorsùs est digna pretio distincto exigitur: et tunc involvit mutuum, ac tanquàm usurarius reprobatur. Vel ex hoc quòd pretium justum violatur per excessum aut defectum, et tunc est iniquus: hæc autem iniquitas et injustitia maximè relucet per fraudulentiam in emptionibus et venditionibus. Unde sic concludit D. Thomas, q. 77, art. 1: *Circa alias commutationes voluntarias, non invenitur aliqua species peccati, quæ distinguatur à rapinâ vel furto.* Ideòque S. doctor, brevitatis amicus, ex professo de illis non egit; quia si hæc regula semper habeatur præ oculis, quando præsertim judicandum est de aliquo contractu, facilè dignoscetur an sit illicitus; si nempe involvat mutuum virtuale cum fenore, exigendo pretium pro usu rei ipso usu consumptibilis, vel si adsit fraudulentia, violando justum pretium per excessum aut defectum.

Nos autem aliquos contractus in particulari valdè necessarios breviter parag. sequentibus examinaturi sumus, ut contractum censualem, contractum locationis et conductionis, contractum societatis, contractum commodati, depositi, etc.; de his aliisque fusè tractabitur, ubi de Just.

§ 1. *De constitutione censuum, seu reddituum annuorum.*

Census hîc à nobis sumitur pro pensione aut redditu annuo, vel potiùs pro jure percipiendi illam: unde

definiri potest : Jus percipiendi pensionem ex re alterius frugiferâ aut utilio. In hoc contractu non est mutuum, sed emptio et venditio talis juris, quod certè pecuniâ æstimari potest : non enim pecunia emitur pecuniâ, sed jus percipiendi pecuniam annuam ; v. g., Petrus centum nummis emit à Paulo, non quinque nummos annuos, usura quippe tunc foret, si non computarentur in sortem, et Petrus plus acciperet quàm dedit, sed emit tantùm jus percipiendi annuam pensionem quinque nummorum ex ejus fructibus : quod jus cùm sit res incorporalis et immobilis, distinguitur à pecuniâ, sicque pecuniâ comparatur, eoque pretio taxatur, et valere æstimatur. Differt iste contractus à mutuo, quia in eo principalis obligatio non est ad sortem, utpote quæ nunquàm repeti potest à dante, sed solùm ad annuum redditum cujus emitur jus : in mutuo verò præcipua obligatio est ad sortem, utpote quæ semper repeti potest à mutuante, et reddenda est à mutuatario tempore statuto.

Census dividitur in reservativum, puta dùm quis datâ alteri re aut possessione suâ, reservat sibi aliquam partem fructuum, vel pecuniæ singulis annis sibi ab eo cui dedit rei suæ dominium directum et utile sub istâ reservatione solvendam; et in consignativum ; dùm è contra quis rem suam adhuc retinet, vendit tamen et assignat alteri in eâ aut ex eâ aliquam partem fructuum, vel aliquid pecuniæ, singulis annis solvendo illi hanc pensionem. De hoc sensu consignativo tantùm erit sermo, utpote magis in usu apud homines, magisque periculoso. Dividitur autem ex parte rei supra quam fundatur et constituitur, in realem, personalem, et mixtum ex utroque. Realis est ille qui fundatur in re de se frugiferâ, ut vineâ, domo, etc.; personalis est ille qui in solâ censuarii personâ, vel supra aliquam totam communitatem constituitur ; mixtus est qui super re et personâ censuarii simul obligatâ imponitur.

Dividitur insuper ex parte durationis in redimibilem, ex parte scilicet venditoris, qui reddendo pretium acceptum, illum censum extinguere potest, ut fit communiter et ordinariè. Nec propterea impeditur quin perpetuus dicatur, quia emptor nunquàm potest illum rescindere nisi computando pensiones acceptas in partem pretii dati, et venditor nunquàm tenetur illum redimere, si nolit. Et in irredimibilem, etiam ex parte venditoris, qui libenter istud onus suscipit ob bonum publicum ; et pro hoc gravamine debitè compensatur. Verùm non multùm frequenter hoc modo census instituuntur, nisi pro communi reipub. utilitate, ut pro fundandâ in aliquâ universitate cathedrâ in perpetuum.

Tandem ratione pensionis solvendæ dividitur in fructuarium, quando solvitur in fructibus sub determinatâ mensurâ, vel sub indeterminatâ quantitate, v. g., tertiâ parte fructuum quos ex fundo assignato provenire continget, qualescumque extiterint ; et in pecuniarium, quando certa pecuniæ quantitas quotannis assignatur. Idque fit quandoque ob periculum infidelitatis et non servandi debitam æqualitatem in perceptione et solutione fructuum, ad molestias, lites et discordias vitandas, etc.

Dico primò, licitam esse emptionem et venditionem censuum realium tam recenter quàm ab antiquo creatorum, tam pecuniariorum quàm fructuariorum : dummodò absque fraude et animo usuras palliandi, et absque inæqualitate pretii constituantur, ac serventur omnia, quæ de jure servari debent. Ita communiter auctores tam theologi, quàm canonistæ.

Prob. Hîc intervenit vera emptio et venditio juris ad annuas pensiones : istud enim jus sicut potest donari, et cum aliâ re utili commutari, ita et vendi, cùm sit pretio æstimabile vera merx, ac inter res immobiles computetur. Adde quòd, sicut Petrus, v. g., potest totum suum prædium vendere ac jus ad omnes illius fructus, et Paulus emere : ita et tantùm partem illius fundi, et jus ad illam solam. Iste igitur contractus censualis est species quædam emptionis et venditionis cum pacto retrovendendi in favorem solius venditoris apposito : potest enim reddendo pretium se ab illo onere redimere, quod sibi imposuit ad præsenti suæ necessitati subveniendum ; quod pactum non vitiat venditionem, nec transformat in mutuum, quia semper stat, quòd qui dedit pretium, nunquàm possit ab eo qui accipit invito repetere : sicut mutuans statuto tempore potest sortem recuperare. Hinc colligitur, justè non posse apponi pactum quo emptor seu censualista habeat facultatem repetendi pretium ac rescindendi contractum quando voluerit, non computando pensiones acceptas in solutionem capitalis, quia ibi involvitur mutuum cum fenore : datur enim pecunia reddibiliter, seu cum obligatione similem summam reddendi termino præfixo, in quo sanè consistit ratio mutui, et aliunde percipiuntur pensiones annuæ, tanquàm lucrum ex mutuo virtuali proveniens. Id autem non contingit ex pacto redimendi in favorem solius venditoris apposito, ut de se patet : solùmque tunc venditor obligatur ad reddendum quantùm illud jus ab eo venditum valet ; tantùmdem autem censetur tunc valere, quantùm emptum fuerat, non computatis interim pensionibus à censuario perceptis, utpote quæ non sunt accessiones sortis, sed fructus illius, seu juris ad pensiones annuas ; sicut redditus domorum et prædiorum censentur fructus illarum rerum, non verò pecuniarum, quibus emptæ fuerunt : pro isto tamen onere quo venditor emptori imponit revendendi, debet aliquid minui de pretio quo res venduntur absolutâ venditione et absque tali gravamine.

Porrò justum pretium censûs non requirit ut adæquet omninò pensiones solvendas : non enim emuntur futuræ pensiones, sed tantùm jus illas exigendi ; cujus juris emptio, sicut et aliarum rerum, habet pretium legitimum et vulgare, quod scilicet lex principis vel communis prudentum æstimatio, pensatis omnibus circumstantiis, constituit. Unde expedit ut in singulis regnis publicâ auctoritate definiatur ad compescendas contrahentium habendi cupiditates, ut in Gallià centum nummis emitur pensio annua quinque nummorum Quando verò non est à principe vel à repub.

certum pretium determinatum, tunc servanda est consuetudo approbata locorum et æstimatio piorum ac prudentum virorum juri naturali ac divino nullatenùs contraria. Igitur ad justitiam hujus contractûs requiritur jure naturæ primò, ut justum pretium interveniat; secundò, ut adsit vera et sincera intentio vendendi et emendi, non verò palliandi mutuum sub fenore, prout contingit quando venditor obligatur ad redimendum censum, vel quando census ad certum terminum statuitur. V. g., quando Paulus centum nummis de præsenti Joanni traditis, emit ab eodem pensionem annuam duodecim nummorum spatio quindecim annorum à Joanne sibi solvendam; quo termino expleto, census extinguitur absque aliâ redditione pretii ab initio dati. Sic enim Joannes contrahit obligationem reddendi totam sortem divisim et per partes, quod non evacuat nec tollit rationem mutui : aliunde verò auctarium à Paulo recipitur ratione longioris temporis, formaliter præcisè, ratione dilatæ solutionis; suppono enim id non fieri ratione alicujus interesse, quia si interveniat damnum emergens aut lucrum cessans, justè potest Paulus ratione hujus tituli recipere illas pecunias in compensationem. Nec propterea excludimus censum vitalitium quo contrahentes exponuntur æquali periculo et incertitudini lucri aut damni : reducitur enim ad contractum aleæ et fortunæ; nec unquàm pecunia danti est reddenda, etiam per pactum de retrovendendo; unde est licitus, si justà servetur proportio pretii, spectatis omnibus circumstantiis. Tertiò requiritur, ut census fundetur aut constituatur in re frugiferâ, et quæ sit in liberâ dispositione constituentis seu venditoris : nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habeat, lib. *Nemo*, ff. de Reg. juris. Nihilque emeretur quando emitur jus ad partem fructûs agri, si fuerit omninò sterilis. An autem pereunte illâ re censui subjectâ, pereat quoque census jure naturæ; alii negant ex eo quòd census non ita super illâ re constituatur, ut pensio sit necessariò solvenda ex fructibus quos refert; sed tantùm ad hoc ut capitale et redditus annuus firmiùs ac securiùs subsistant, illaque res potiùs in pignus et hypothecam quàm censûs fundamentum apposita censeatur : unde censuarius ad solvendum ex aliis bonis suis adhuc tunc obligatus manet. Alii verò affirmant tunc censum perire, si aliud expressum non fuerit, sicut pereunte re emptâ, perit domino seu emptori et amittit dominium illius, ac jus omne percipiendi fructus ex eâ.

Dicò secundò, in praxi et moraliter loquendo census merè personales, etiam spectato solo jure naturæ, esse periculosos, valdè dubios ac de usurâ suspectos; unde per bullam B. Pii V fuerunt omninò sublati. Et Martinus papa V, ac Calixtus III, qui antea census reales intra certas juris naturalis limites redactos approbaverunt, personales tacuerunt, de quibus tamen erat major ratio dubitandi ac timendi periculum usuræ, eo silentio satis indicantes, non esse introducendos. Et sanè illis semel admissis præcluditur via petitioni mutui gratuiti; cuilibet enim petenti mutuum, responderi posset, ut venderet ac constitueret censum supra personam suam, cùm id sit ipsi tam facile, quàm illam solutioni mutui obligare. Item januam omnibus usuris palliandis aperiunt : quicumque enim requisitus de dando mutuo, dicere posset petenti : Ecce do tibi centum nummos quibus indiges; me ipsum obligo ad non repetendam similem summam, quamdiù reddere nolueris, interim solves mihi auctarium quinque nummorum in annum, quòd tanquàm censum à me emptum, supra nudam tuam personam tibi imponis : nullus enim est qui personam et aliquas operas non habeat, quas obligare possit. His adde quòd censuarius non intendit vendere suam personam neque operas, ut constat de viro nobili se obligante ad censum merè personalem et de personâ omninò ineptâ ad laborandum ac lucrandum : unde est venditio ficta et verum mutuum cum fœnore. Probatur insuper : ideò enim jus percipiendi censum realem ex prædio alieno vendi potest, quia prædium est vendibile et ex intentione contrahentium de facto tunc venditur quoad aliquam suî partem. Atqui persona hominis liberi non est vendibilis; ergo neque jus ad illam ejusque operas. Præterea vel illud jus fundatum supra nudam personam venditoris absque designatione bonorum, utpote quia nulla habet, neque est in proximâ spe habendi, est temporale ac redimibile. Et tunc necesse est quòd cumulus pensionum adæquet pretium constitutum, ac cum eorum solutione computetur : aliàs secluso interesse est contractus usurarius, prout jam ostensum est. Vel est perpetuum ac irredimibile et transiens ad hæredes : hoc autem dici nequit, cùm repugnet tale jus in re mobili labente et caducâ, qualis est persona hominis, constitui, quâ scilicet mortuâ nihil ampliùs remanet unde fructus colligi valeant ad pensiones annuas solvendas; cùm, ut suppono, non relinquat post se bona quibus hæredes repræsentent illius personam, eosque ad pensionem, solvendam ac continuendam solutionem obligare possit.

Hinc habetur, jure naturæ, et secluso jure pontificio, ubi B. Pio V bulla non est recepta census mixtos esse licitos, servatis conditionibus jam relatis. Et sic passim in regionibus nostris omnes contractus censuales celebrantur absque scrupulo à viris probis et communitatibus religiosis constituentibus censum super personam et bona simul censuarii, ita ut juxta receptam ac reprobatam consuetudinem se suaque obliget ad securitatem, et ad censualistam indemnem servandum. Omnes enim conveniunt pactum licitè addi posse, quo censuarius seu venditor se suaque obliget, semperque teneatur ad pensionem in quocumque eventu solvendam, etiamsi res specialiter censui subjecta pereat : dummodò istud onus eidem compensetur pretio justo juxta viri prudentis judicium pensatis omnibus periculis et circumstantiis; quod pactum assecurationis, licet sit præter, non tamen est contra naturam censûs et ad istum contractum permissivè et accessoriè se habet, perinde ac pactum retrovenditionis in favorem censuarii appositum : semper enim stat emptorem

nunquàm posse cogere venditorem ad redimendum censum.

Item pactum quo bona censuarii hypothecata alienari non possint absque consensu censualistæ, non vitiat hunc contractum, quia jure potest isto modo se indemnem servare. Nec etiam aliud pactum, ut nempe si in futurum pensio per triennum non solvatur, emptor possit distrahere ac vendere rem hypothecatam, tum pro recuperandâ summâ capitali, tum pro habendis pensionibus non solutis, tum pro compensando interesse; dummodò illa res justo pretio vendatur, nec emptor de eo sibi plus retineat, quàm ei debetur. Item licitè apponitur pactum quo censuarius aut venditor volens redimere censum, per bimestre aut trimestre ante redemptionem teneatur de hoc monere censualistam, ut habeat sufficiens tempus sibi providendi ac pecunias suas elocandi; et interim toto illo spatio solito pensio currit.

In nostro regno ex constitutione Ludovici regis XII, censualista nequit exigere pensiones non solutas nisi intra quinque annorum spatium, post illud verò remanent insolutæ, si in judicio earum interpellationem non apposuerit.

Quæ hactenùs à nobis de censibus dicta sunt, de jure naturali ad eorum justitiam ubique et apud omnes requiruntur; plura alia de jure positivo humano exiguntur, maximè ex constitutione B. Pii V, emanatâ anno 1569, calend. februari anno 4 pontificatûs illius, quæ observanda sunt ab iis apud quos est usu recepta, eamque fusè exposuimus in tract. de Justitiâ, in fine. Ibidem de requisitis tam quoad jus naturale, quàm quoad positivum in constitutione censuum fusiùs pertractavimus.

§ 2. *De contractu locationis et conductionis.*

Affinis est emptioni locatio, sicut venditioni conductio. Unde sicut unus et idem contractus dicitur venditio ex parte illius qui rem suam pro pretio alienat, et emptio ex parte ulterius qui eam pro pretio sibi comparat; ita unus et idem manens contractus, dicitur locatio ex parte illius qui rem suam pro pretio alteri tradit ad usum, sibi reservatâ semper proprietate ejus; dicitur verò conductio ex parte alterius qui eam pro pretio ad usum suscipit, salvâ tamen semper et intactâ illius substantiâ: quare contractus iste iisdem ferè regulis est metiendus quibus contractus emptionis et venditionis, cum hâc tamen differentiâ, quòd rei dominium non transfertur in accipientem, sed tantùm usus, aut usufructus. Unde solæ res usu non consumptibiles propriè locari possunt; non solùm autem res, sed etiam personæ earumque operæ ac animalia locari et conduci possunt.

Regula generalis est, eos omnes locare et conducere posse, qui emere ac vendere possunt, nisi jure prohibeantur, et è contra illos non posse locare ac conducere, quibus non licet emere, aut vendere.

Obligationes locatoris erga conductorem, hæ sunt. Prima, ut concedat ipsi usum rei locatæ, de quo initio conventum fuit: imò si præstet usum qualem non oportet, scilicet vitiosum et nocivum, tenetur ad interesse, ut si dolium vitiosum unde vinum effluxit, locaverit, etc. Unde locator eam tenetur adhibere diligentiam ad vitandum conductoris nocumentum inde proventurum, quam vir prudens adhibere solet, eumque præmonere de vitio occulto, si noxium esse possit, aut si faciat rem inutilem ad usum ad quem conducitur: aliàs mercedem locationis justè recipere ac retinere nequit. Debet itaque locator ante locationem probare rem suam, vel præmonere conductorem ut priùs probet antequàm eâ utatur; quòd si post istam præmonitionem bonâ fide locatur et absque negligentiâ procedat inculpabiliter rei vitium ignorans, eamque tradens qualiscumque sit et apparet, tunc nec peccat, neque ad damna compensanda obligatur, cùm potiùs ex conductoris negligentiâ aut imprudentiâ emergant. In hoc tamen casu debet pensionem minuere pro ratione vitii. Secunda est, quòd seclusâ consuetudine aut pacto, consideratâ præcisè hujus contractûs naturâ, locator teneatur ad faciendas et solvendas expensas quæ fiunt ad perpetuam aut ita longam rei locatæ utilitatem, ut ultra tempus conductionis se extendat; et etiam ad expensas necessarias quæ duntaxat locationis tempus concernunt, ut ad curandum aut calceandum equum dùm inservit conductori iter facienti; secùs verò voluptuarias et superfluas in domo locatâ à conductore factas ad suî temporale commodum, et gratiosum usum. Tertia est, quòd locator teneatur ad onera publica et tributa pro re locatâ imposita, nisi aliud ex pacto vel locorum consuetudine sit determinatum: item rei locatæ periculum ad ipsum pertinet. Neque potest expellere conductorem, ac rem locatam ab eodem repetere ante terminum statutum, nisi in quatuor casibus à jure assignatis, nempe quando conductor pensionem non solvit. Item quando locatori supervenit inopinatus eventus, quo necesse habeat domum suam inhabitare, etc. Item quando domus eget integrâ reparatione. Tandem quando conductor illâ abutitur, ut si meretrices et usurarios publicos in eâ retineat, si sues in eam inducat, si muros effodiat, si artem exerceat ex quâ concussio vel incendium timeatur, etc., c. de locato, l. *Æde*. In his tamen casibus locator tenetur remittere pensionem. Quarta, ut, superveniente magnâ sterilitate, aliquid de pretio locationis diminuat. Quamvis enim ad hoc jure naturæ ac in rigore loquendo ex vi contractûs non teneatur, jure tamen positivo ex quâdam æquitate et benignitate ac conductoris commiseratione, absque illius culpâ sed casu fortuito ac insolito adveniente sterilitate, ad remittendum aliquid de pretio convento obligatur, ff. locati, l. *Si merces*, § *Vis major*, l. *Ex conducto*, c. de Locato, l. *Licet certis*, l. *Excepto*. Et in jure canonico titul. de Locat., cap. *Propter sterilitatem*, nisi fortè aliter expressè conventum fuerit: conductor enim potest huic juri suo renuntiare, vel nisi consuetudo locorum approbata aliud habeat vel nisi unius anni sterilitas aliorum ubertate sufficienter compensetur, vel nisi sterilitas sit ordinaria aut solita in illis regionibus obnoxiis huic devastationi, vel tandem nisi sterilitas sit parva.

Porrò quanta debeat esse hujusmodi sterilitas fortuitò, temporum injuriâ, sine negligentiâ et culpâ conductoris proveniens, ut sit sufficiens ad minuendum locationis pretium. Dico tunc censeri magnam et ad hoc sufficientem, quando communis opinio hominum et consuetudo illius religionis talem esse reputat, vel quando fructus omnes percepti non sufficiunt ad expensas factas, vel quando detractis expensis, semine et aliis laboribus, fructus qui supersunt non valent ad dimidium pensionis annuæ solvendum : sicut enim quando conductor nullos prorsùs ex agro recipit fructus, pensio tota remittitur : ita quando ex majori parte est sterilitas, etiam ex parte remittenda est pensio; quia sicut se habet totum ad totum ita pars ad partem.

Obligationes autem conductoris erga locatorem sunt istæ. Prima, ut re conductâ solùmmodò utatur ad usum concessum : tenetur enim stare conventioni; aliàs si contra locatoris rationabilem voluntatem, saltem rationabiliter præsumptam utatur eâ re, tenetur quasi actione furti, rem alienam invito domino contrectans. Hinc qui equum conduxit ad eundum Parisios, sed eodem usus est ad pergendum Romam, in quo itinere periit, alio itinere non periturus, tenetur ad restitutionem, eò quòd ex ejus culpâ perierit. Idem dicendum quando malè tractat rem conductam, ejusque negligentiâ perit : tenetur autem de latâ et levi culpâ, ut ostenditur in tract. de Just. Secunda, ut solvat locatori mercedem, seu pretium usûs rei juxta conventionem factam; porrò justum istud pretium eodem modo taxari debet et iisdem regulis metiri, ac pretium rerum venalium de quo dictum fuit quæstione præcedenti. De tempore autem quo solvenda sit pensio, standum est conventioni ab initio factæ : si autem circa hoc nihil determinatum fuerit, tenenda erit approbata illius loci consuetudo. Tertia, locationis termino elapso, cessat contractus, nec tunc conductor locatorem, neque locator conductorem ad eum continuandum compellere potest. Nec absque justâ causâ ante illud tempus ab illo resilire valet unus contrahens, altero invito. Ex permanentiâ tamen conductoris in re locatâ, et patientiâ locatoris seu scientiâ et taciturnitate, tacita relocatio ac reconductio inducitur, c. de Locat. l. *Legem*, ff. cod. tit., l. *Item quæritur*. Locatoris successores universales, nempe hæredes, tenentur stare contractui usquequò finiatur tempus assignatum, secùs verò successores particulares ut rei locatæ emptores; quia tota actio quæ ex isto contractu oritur, est personalis, ideòque comprehendit eos qui locatoris personam repræsentant, quales sunt illius hæredes, non verò emptores aliosque successores particulares.

An autem ecclesiastici possint alienare aut locare ad longum tempus, v. g., ad decennium bona immobilia Ecclesiæ; item quænam res locari nequeant, item an faber prohiberi possit ne locet domum prope scholas, ecclesias, vel doctorem, indeque expelli possit; item de locatione famulorum et operariorum aliisque dubiis ad hunc contractum pertinentibus, egimus tract. de Just.

Commodatum solùm differt à locatione in hoc quòd rei usus gratis alteri concedatur, quasi utentis commodo datum absque pretio. Commodans se obligat inprimis ad tradendam alteri rem suam, pro tali tempore ac pro tali usu; rem, inquam, sine vitio et ad talem usum aptam, quia beneficio oportet alterum juvari, non verò decipi; aliàs teneretur de damno; tenetur insuper rem suam non repetere à commodatario ante tempus præfixum, eo invito, nisi ipsemet æquale damnum inde pateretur : ista enim tacita conditio censetur huic contractui apposita, nempe quòd commodans concedat alteri rei suæ usum usque ad tale tempus, nisi ante illud indigeat, ac rerum status mutetur. Obligatur tandem commodans ad solvendas expensas extraordinarias quas fecit commodatarius circa rei substantiam et permanentiam, secùs verò ordinarias quas fecit pro usu consueto, ut calceationem equi itinerando, sustentationem servi, etc.

Commodatarius se obligat inprimis ad rem benè custodiendam, conservandam, tractandam, ac illæsam reddendam, ita ut teneatur de levissimâ culpâ; tenetur insuper ad solum usum concessum illam adhibere; et contrafaciens invito domino peccat, debetque valorem illius usûs domino solvere. Tandem obligatur post elapsum tempus domino reddere absque interpellatione; aut si nullus fuerit terminus præfixus, debet eam remittere post expletum determinatum usum, pro quo concessa fuit, eamque mittere per nuntium fidelem aut pro tali communiter reputatum : aliàs si dolo, vel culpâ nuntii res percat, commodatarius restituere tenetur.

Depositum est quando res solius custodiæ causâ alteri committitur; regulariter est in favorem deponentis fitque gratis : unde depositarius non tenetur, nisi de dolo et latâ culpâ.

Si res deposita consistat in numero, pondere et mensurâ, ut in pecuniâ, et tradatur in sacculo obsignato, tunc nefas est depositario eâ uti : secùs dicendum si apertè numerata fuerit ipsi commissa, modò nullum inde periculum deponenti immineat. Ex quo enim deponens, usum ac negotiationem ex eâ illi expressè non prohibuit, censetur tacitè illi hanc facultatem concedere : unde hoc usu non peccat, si habeat intentionem tantumdem reddendi, et aliunde solvendi non fiat impotens. Si verò depositum consistat in aliis rebus, ut vestibus, utensilibus, etc., tunc illo uti nequit domino invito, aut absque illius licentiâ tacitâ vel expressâ, ad propriam utilitatem, et si ille usus, v. g., equi, vestis, etc., fuerit pretio æstimabilis, tenetur solvere domino. Dixi in propriam utilitatem, quia si talis usus cederet in utilitatem deponentis, puta quia aliàs vestes à tineâ læderentur, aut equus gnavus ac desidiosus in stabulo perpetuò manens occlusus efficeretur, tunc nullum foret peccatum : cùm in hoc domini negotium utiliter agat. Plura de his contractibus, et de precario reperiuntur in tract. de Justitiâ.

§ 3. *De contractu societatis.*

Societas de quâ est sermo in præsenti, describi potest : *Conventio duorum vel plurium conferentium in unum pecuniam, industriam, laborem, ad lucrandum in negotiatione honestâ.* Tribus potissimùm modis iniri potest. Primò, ut socii per omnia singuli conferant æqualiter; id est, unus tantùm reponat quantùm alius in pecuniâ, industriâ et labore. Secundò, ut unus ponat totam pecuniam, alter verò totam industriam. Tertiò, ut qui adhibet totam industriam, ponat etiam aliquam partem pecuniæ et capitalis.

Ad justam societatem, sequentes requiruntur conditiones. Prima, ut negotiatio sit licita. Ex cap. *Per vestras*, de Donat. inter virum et uxor., et ff. pro Socio, l. *Nec permittendum.* Secunda, ut lucrum et damnum ex ipsâ societate proveniens, sit commune ac dividatur inter socios secundùm æstimationem et proportionem eorum quæ singuli contulerint, aliàs contractus foret injustus ; quia non servaretur æqualitas et proportio debita, dùm non redderetur unicuique quod ipsi justè debetur. Tertia, ut qui deponit pecuniam subeat illius periculum, sicut alter subit jacturam operarum, ita ut si pecunia pereat absque latâ et levi culpâ negotiatoris, ipsi deponenti, utpote illius domino pereat : alioquin societas degenerat in mutuum, ut docet Glossa recepta in cap. *Plerique* 14, q. 3, et habet D. Thomas, 2-2, q. 78, art. 2, ad 5, his verbis : *Ille qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum cui mutuat. Unde ille cui mutuatur pecunia, sub suo periculo tenet eam, et tenetur eam restituere integrè ; unde non debet ampliùs exigere qui mutuavit. Sed ille qui committit pecuniam suam vel mercatori vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus : ita quòd cum periculo ipsius mercator de eâ operetur. Et ideò sic licitè potest partem lucri de eâ provenientis expetere tanquàm de re suâ.* Ubi S. doctor ponit hanc conditionem tanquàm essentialiter necessariam ad hoc ut societas differat à mutuo, et deponens pecuniam possit absque usurâ lucrum percipere ex illâ tanquàm de re suâ expositâ negotiationi, et per quam communicet cum altero socio.

Ex quo principio funditùs evellitur contractus vulgò trium, in hoc consistens quòd Petrus, v. g., deponens quingentos nummos apud Paulum mercatorem, init societatem cum illo, qui deinde huic contractui alium superaddunt, nempe assecurationis; Paulus enim sese obligat ad reddendum capitale salvum Petro in quocumque eventu, qui interim Paulo cedit aliquam portionem lucri incerti ex negotiatione sperati ; v. g., quinque nummos illi promittit ex eo, ad tale onus compensandum. Tandem istis duobus superaddunt tertium, nempe emptionis et venditionis lucri incerti majoris ex negotiatione proventuri pro lucro certo minori. Sic Petrus iterùm quinque nummos pro eo onere suscepto à Paulo eidem stipulatur. Unde ex quindecim nummis pro centum, ad quos pars lucri ipsius Petri creditur, probabiliter ascensura, remittit decem Paulo, qui se obligat ad reddendum Petro suum capitale, et adhuc supra illud, lucrum quinque nummorum pro centum, in omni eventu. Constat enim ex verbis D. Thomæ, per contractum assecurationis capitalis destrui societatem : tum quia perit ejus ratio essentialis ac in mutuum transformatur, tum quia in isto casu Petrus nihil ampliùs de suo habet in societate, per quod communicet cum Paulo, cùm hoc ipso quòd pecuniæ periculum in socium transtulerit, etiam dominium illius transtulisse censeatur ; tum quia participat in lucro, nullatenùs verò in damno : itaque ibi tunc est mutuum virtuale, et lucrum per tertium contractum supra sortem Petro acquisitum, est prorsùs usurarium ; prout fusissimè ostensum est à nobis tom. 3 de Just., q. 1, art. 1, speciali dissertatione, et ibidem, q. 5, art. 1, § 1.

Licèt autem deponens pecunias in societate existat illarum dominus, propterea tamen non potest, durante tempore constituto ac termino præfixo, absolute et pro libito illas extrahere, altero socio reluctante aut non consentiente ; eò quòd ad id se obligaverit ex pacto, et illarum usum mercatori communicaverit usque ad terminum præfixum dissolvendæ societatis.

Antequàm lucrum dividatur inter socios, primò solvendæ sunt expensæ et damna, quæ directè proveniunt ex negotiatione, seu quæ incurrit unus socius formaliter et reduplicativè in quantum socius, intuitu et causâ societatis, dummodò suâ latâ et levi culpâ non evenerint ; ea enim damna tantùm censentur communia, ideòque ex pecuniis societatis sunt compensanda : idemque dicendum de contractis debitis, secùs verò de debitis et damnis quæ incurrit socius solùm per accidens, et occasione duntaxat societatis. Secundò, finitâ societate ante lucri partitionem, capitale reddendum est socio qui illud deposuit, si extet prout colligitur ex bullâ Sixti V, et ex D. Thomâ, 2-2 q. 78, art. 2, ad 5. Ratio est, quia sicut res domini perit, ita pro eo clamat, si extet : deponens autem pecunias, semper apud se retinet illarum dominium et periculum. Ergo, etc. Adde ex Cajetano in Summâ v. *Societas*, aliam rationem, nempe quia deponen pecunias substat duplici periculo, scilicet perdendi substantiam pecuniæ, et perditionis negotiatorii usûs ejusdem pecuniæ tenendo scilicet vanè tanto tempore suam pecuniam occupatam tali negotio ; ex quo fit ut justitiâ exigente ei capitale salvum sit, si salvatur in toto vel in parte, cui deperderetur si periret. Qui verò solùm ponit industrias seu operas suas, uni tantùm subest periculo, scilicet perdendi usum operæ suæ, vel industriæ, in vanum laborando : ideò nihil de capitali salvo eidem debetur ; substantia namque operarum suarum non ex negotiatione, sed ex necessitate materiæ perit, quia scilicet est res successiva in motu consistens ; si enim foret res permanens, ei salva esset.

Id tamen est intelligendum de jure communi præcisè secundùm naturam contractûs societatis, seclusâ conventione, nullàque exstante consuetudine communicandi capitale cum altero socio. Si enim ab initio

socii convenerint quòd illa pecunia foret communis, ita ut ambo illius dominium haberent ac periculum subirent, tunc foret inter ipsos dividenda : ubi autem nulla præcessit talis conventio communicandi capitale, tandum est consuetudini approbatæ locorum, vel etiam negotiorum; contractus enim celebrari censentur juxta consuetudinem usu receptam, quando contrahentes aliud non exprimunt. Tertiò tandem lucrum proportionaliter est dividendum.

De societatibus autem circa animalia, quæ *Soccidæ* appellantur, tam varia est materia et consuetudo, ut fortè scribi completè non possit, inquit Cajetanus ibidem, et propterea in quàlibet patriâ vide sicut ibi fieri consuevit, à viris probis, vel secundùm morem approbatum à viris doctis. Regulanda est tamen justitia hujus societatis iisdem conditionibus allatis, quibus justitia societatis in aliis rebus metiri debet. Nempe primò, ut quilibet socius aliquid de suo conferat, sive animalia, sive custodiam et industriam, ut sic ad invicem communicent. Secundò, ut damna, expensæ et lucra, quæ ex causâ negotiationis et ex societate directè proveniunt, sint communia, seu proportionaliter inter socios dividantur. Tertiò, ut animalia substent periculo deponentis, sicut et dominium, si nolit cum altero socio illud capitale communicare quoad substantiam.

Hinc colligitur primò, contractum redditionis bestiæ, secluso alio justo titulo, esse illicitum; v. g., Joannes tradit Petro rustico centum oves, quarum quælibet æstimatur tribus libris : ita quòd si pereant, tale pretium reddat Joanni, aut ex ovibus quas Petrus habet, totidem reddat Joanni ejusdem ætatis, bonitatis, ponderis, etc. Interim quotannis Petrus solvere tenetur Joanni duas lanæ libras, aut decem asses. Dicimus itaque hunc contractum esse illicitum, nisi accedat titulus interesse, aut rustico subministrentur pascua, ob quæ præcisè accipiatur tale pretium, nihilque ratione dilatæ solutionis exigatur. Ratio est, quia vel celebratur contractus venditionis animalium æstimatorum, et tunc ultra illud pretium, nihil aliud præcisè ob dilatam solutionem est solvendum : item res vendita ac emptori tradita sicut ei perit, ita et parit tanquàm domino; vel celebratur locatio aut societas : et tunc dominium et periculum ovium indispensabiliter apud deponentem remanere debet, cùm id sit de naturâ hujusmodi contractuum, ut constat ex dictis. Restat igitur ut ineatur mutuum cum fœnore palliatum sub colore societatis, et ex his resolvi possunt casus particulares circa societatem ovium, et similium animalium occurrentes. Generaliter enim si quis ex iis fœtum aut lucrum reportat, depositis apud pastorem aut rusticum, et non retineat apud se eorum periculum, etiamsi naturaliter aut casu fortuito, aliove eventu absque ullâ rustici culpâ perire contingat, injustitiam committit, prout colligitur ex bullâ Sixti V, et ex D. Thomâ; quia ibi latet mutuum virtuale cum lucro supra sortem, nec usuræ pravitas evacuatur per hoc quòd periculum ovium à pastore susceptum compensetur, prout dictum est supra; adde quòd nequit justè rusticus compensari, si totum gregis periculum in se suscipiat, ac suas industrias et operas solus apponat, nisi totum lucrum recipiat, nihilque obveniat de eo deponenti, utpote qui nihil habet in societate de quo tanquàm de re suâ lucrum referat.

Constat etiam quid sentiendum sit de societate in animalibus grandioribus, v. g., equis, bobus, etc., et ut resolutio clarior appareat proponitur casus. Titius, v. g., emit duos boves triginta nummis, eosque sic æstimatos tradit Mævio, pro tribus nummis in annum, eâ lege, ut si post annum plùs minùsve æstimentur, lucrum vel jacturam pro æquali parte ambo recipiant : si verò interim perire contingat etiam casu fortuito dimidium æstimationis, nempe quindecim nummos, Mævius solvet Titio, qui alios quindecim amittet. Quidam illam societatem ut licitam admittunt, et justificant eam pensionem annuam trium nummorum, per hoc quòd Mævius melioratis bobus, dimidiam partem incrementi valoris ultra triginta nummos ascensuri, sit percepturus pro pretio assecurationis : item per hoc quòd fructus qui à Titio licitè exigi possent, et quos Mævius abundè percipit, hâc diminutâ pensione, non censeantur vendi cum excessu.

Discrimen autem assignant inter contractum in quo intervenit pecunia, de suî naturâ sterilis, cujus contrectatio ac distractio verum mutuum importat, neque locari potest, et inter istum contractum, quia animalia locari ac conduci possunt; et conductor sciens suum esse periculum, magis invigilat illorum conservationi, nec intrat fœnoris suspicio, nisi quando hujusmodi bona mobilia vel se moventia peremptioni aut deteriorationi subjecta de tempore et ab initio locationis, æstimantur cum obligatione susceptâ à conductore restituendi eadem in eodem valore seu statu, quo consignata fuerant finito contractu.

Verùm alii sentiunt non celebrari tunc contractum locationis, cùm non sit minùs contra ejus naturam, quòd conductor in se suscipiat rei conductæ periculum, quàm contra naturam societatis, quòd socius apponens operas suscipiat in se periculum pecuniæ ab altero socio depositæ; ideòque esse mutuum sub colore locationis palliatum.

De utràque societate abundè egimus tom. 3 de Justitiâ, per totam quæst. quintam, ad quam remittimus lectorem, et in eodem tomo agitur de Emphyteusi, feudo, usufructu, de servitutibus, de pignore et hypothecâ, de fidejussione, assecuratione, de sponsione, de ludo et sortibus. Dicta hìc à nobis sufficiant pro explicatione septimi præcepti.

EXPOSITIO

OCTAVI PRÆCEPTI DECALOGI :

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Nocumenta quæ inferuntur proximo aut in personam aut in res illius, facto et verbo inferri possunt. Hucusque locuti sumus de injustitiis ac injuriis quæ patrantur opere, nempe homicidio, adulterio et furto, in expositione præcedentium trium secundæ tabulæ præceptorum. Nunc agendum restat de nocumentis quæ ore causantur, seu de injuriis verborum, quæ isto octavo Decalogi præcepto inhibentur.

Quamvis enim hic fiat tantùm mentio de testimonio quo in judicio dicitur falsum à teste jurato, illudque præcipuè prohibeatur, eò quòd ob divinum numen quod interponitur, et ob damnum gravius proximo illatum, sit valdè horrendum, periculosum ac nocivum, si tamen exactiùs hoc præceptum examinemus, certò apparebit falsi testimonii appellatione, omnes injurias verborum, sive in judicio, sive extra judicium comprehendi, prout declarant D. Thomas 2-2, q. 122, art. 6, ad 2 : Catechismus concilii parte 3, in 8 præcept., num. 15 et 16, et communiter auctores. Omnis itaque linguæ abusus et oris peccata vetantur isto præcepto. Quod propterea in duas quæstiones dividimus. In primâ disseremus de injuriis verborum extra judicium, nempe de detractione, de contumeliâ, de derisione, susurratione, etc. In secundâ verò explicabimus injustitias verborum factas in judicio, à judice, ab accusatore, à testibus, à reo, ab advocato, tabellione, aliisque justitiæ ministris. Et quia, ut plurimùm, in præfatis injuriis mendacia, suspiciones, ac judicia temeraria involvuntur et immiscentur, et propterea ad hujus mandati prohibitionem reductivè pertinent ; ideò ante omnia hujusmodi peccatorum examen est præmittendum.

Præloquium primum.

AN OMNE MENDACIUM SIT PECCATUM.

Mendacium rectè definitur, *falsa significatio vocis cum intentione fallendi seu dicendi falsum assertivè.* Quæ definitio traditur à D. Augustino, lib. 1 de Mendacio, cap. 24, in Enchiridio, cap. 18, et refertur causâ 22, q. 2. Item à D. Thom. 2-2, q. 110, art. 1, ac communiter recipitur à doctoribus.

Nomen *vocis* ponitur, quia voces principatum obtinuerunt significandi quæcumque animo concipiuntur, omniaque signa verbis comparata paucissima sunt. Hic tamen latiùs sumitur pro quovis signo externo, facto, scripturâ, et etiam nutu, ut docet D. Thomas loco citato ad 2 ; unde ille qui nutibus aliquid falsum significare intenderet, non foret immunis à mendacio : et q. 111, art. 1, dicit simulationem, quæ propriè consistit in factis, opponi veritati et esse propriè mendacium, quia ad virtutem veritatis pertinet ut quis talem se exhibeat exteriùs per signa exteriora, qualis de facto est : signa autem exteriora non solùm sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur quòd aliquis per verba aliud significet quàm apud se habet, ita et quòd per facta significet aliquid contrarium ejus, quod in eo est, ac simulationem adhibeat.

Additur *cum intentione fallendi*, quia falsitas rei enuntiatæ se habet tanquàm materiale in mendacio : voluntas verò et intentio imprimendi illud falsum menti alterius, se habet tanquàm formale, seu, ut explicat Glossa super hæc verba D. August., caus. 22, q. 2, can. *Beatus : Cum animo et voluntate dicendi falsum.* Formale quippe mendacii consistit in hoc quòd quis putet esse falsum, *assertivè*, subjungit Sylvester, v. *Mendacium :* et quidem rectè ; non enim involvit mendacium intentio dicendi falsum recitativè, neque repræsentativè, sicut disputans aliquando assumit falsa scienter sine mendacio, quia loquitur non ex propriâ, sed ex alienâ personâ negante veritatem. Ex D. Thomâ in 2 lib. Sent., dist. 39, art. 3, neque qui fabulam aliquam aut historiam quasi ex theatro vel scenâ repræsentant, tametsi alicujus impostoris personam repræsentent.

Hinc D. Thomas, art. 1 citato, colligit quòd *tria requiruntur ad perfectam rationem mendacii. Primum, ut falsum enuntietur, quia virtus veritatis, et per consequens oppositum vitium, in manifestatione consistit quæ fit per aliqua signa : quæ quidem manifestatio, sive enuntiatio est rationis actus conferentis signum ad significatum : objectum autem proprium manifestationis et enuntiationis est verum vel falsum. Sicut ergo in veritate debet enuntiari verum, ita in mendacio falsum. Secundò requiritur quòd adsit voluntas falsum enuntiandi. Tertiò tandem, intentio fallendi ; quia in quantum ejusmodi enuntiatio est actus moralis, oportet quòd sit voluntarius et ex intentione voluntatis dependens : actus enim moralis ex duobus speciem sortitur, scilicet ex objecto et ex fine ; quia finis est objectum voluntatis, quæ est primum movens in actibus moralibus : potentia autem à voluntate mota habet suum objectum, quod est proximum objectum voluntarii actûs, et se habet in actu voluntatis in finem, sicut materiale ad formale, quomodò objectum enuntiationis, seu falsitas rei enuntiatæ se habet in mendacio. Intentio verò voluntatis inordinatæ in præsenti materiâ, ad duo referri potest ; quorum unum est, ut falsum enuntietur, aliud ut quis fallatur, quod est effectus proprius falsæ enuntiationis. Et tunc adest falsitas non solùm materialiter, quia falsum dicitur, sed et formaliter propter voluntatem dicendi falsum : et effectivè, propter intentionem imprimendi falsitatem. Sed tamen ratio men-*

dacii sumitur à formali falsitate, ex hoc scilicet quòd aliquis habeat voluntatem falsum enuntiandi. Unde et mendacium nominatur eò quòd contra mentem dicitur; mentiri enim est contra mentem ire. Et ideò si quis falsum enuntiet, credens id esse verum, est quidem falsum materialiter, sed non formaliter, quia falsitas est præter intentionem dicentis, ac per accidens; unde non habet perfectam rationem mendacii. Si verò aliquis formaliter falsum dicat habens voluntatem falsum dicendi, licet sit verum id quod dicitur, in quantùm tamen hujusmodi actus est voluntarius et moralis, habet per se falsitatem, et per accidens, veritatem : unde ad speciem mendacii pertingit. Quòd autem aliquis falsitatem in opinione et mente alterius constituat fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius : sicut et in rebus naturalibus, aliquid speciem sortitur, si formam habeat, etiamsi desit formæ effectus, ut patet in gravi, quod violenter sursùm detinetur, ne descendat secundùm exigentiam suæ naturæ. Hactenùs D. Thomas 2-2, q. 110, art. 1. Unde mendacium essentialiter consistit in voluntate dicendi falsum assertivè; perfectè verò ac completivè addit etiam intentionem imprimendi illud falsum menti alterius. D. Thomas, ad 3.

Mendacium secundùm quòd habet rationem culpæ dividi potest juxta ea quæ aggravant aut diminuunt culpam mendacii ex parte finis intenti. Aggravat autem culpam mendacii, si aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium perniciosum. Diminuitur autem culpa mendacii, si ordinetur ad aliquod bonum delectabile, et sic est mendacium jocosum; vel utile, et sic est mendacium officiosum, quo intenditur juvamen alterius vel remotio nocumenti. Et secundùm hoc mendacium dividitur in perniciosum, jocosum et officiosum. Ita D. Thomas loco citato, art. 2, in corp.

Itaque de ratione mendacii perniciosi est intentio nocendi, sicut de ratione mendacii jocosi est intentio delectandi, et de ratione officiosi est intentio utilitatem afferendi. Et quoniam res morales secundùm intentum finem maximè pensantur, ac formaliter considerantur, hinc fit quòd sicut detrahens non intentione detrahendi, non formaliter detrahit, nec peccat mortaliter, nisi fortè per accidens ratione nocumenti illati; ita proferens mendacium perniciosum non animo nocendi, licet formaliter sit mendax, non tamen est formaliter mendax perniciosus, nec peccat mortaliter, nisi fortè per accidens, ratione scilicet materiæ, puta quia in doctrinâ fidei mentitur, vel nocumentum notabile affert. Ita Cajetanus super hunc D. Thomæ art. 2, et in casibus in quibus tenetur adhibere diligentiam ne falsum dicat, ut in actu testificandi, in quo imminet damnum notabile proximo, vel in judicio cùm vult jurare : tunc enim, etsi non habeat intentionem dicendi falsum neque nocendi, si tamen non adhibeat diligentiam ad utrumque vitandum, potest peccare mortaliter. Ita Sylvest.; et probat ex can. *Homines*, causâ 2, q. 2

Omne mendacium ita secundùm se intrinsecè ac ex genere suo est malum, ut nullo bono fine cohonestari possit ac reddi licitum, quantùmvis aliqui sancti Patres et doctores non infimæ notæ olim asseruerint mendacium officiosum esse licitum, quos confutat D. Augustinus, Epist. 9 et sequent. Item in psal. 5 et in Enchiridio, cap. 18, et alibi passim, præsertim toto libro contra Mendacium ad Crescentium; ubi constanter adstruit nullo quantùmvis bono fine unquàm licitum esse mentiri, eò quòd jure naturali et divino mendacium sit pravum et indispensabiliter prohibitum : nullum enim mendacium est quod non sit contrarium veritati ac contra Deum, qui summa et prima veritas est : unde Eccles. 7 dicitur : *Noli velle mentiri omne mendacium.*

Probat D. Thomas hîc art. 2, *mendacium esse contra dictamen naturale, quia est actus cadens super indebitam materiam : cùm enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est et indebitum quòd aliquis voce significet id quod non habet in mente. Unde Philosophus dicit in 4 Ethic., quòd mendacium est per se pravum et fugiendum; verum autem est bonum et laudabile. Ergo omne mendacium est peccatum, ut dicit August., lib. contra Mendacium.* Hactenùs D. Thomas, cujus ratio videtur deducta ex eodem August. in Enchiridio, cap. 22, ubi ait : *Verba propterea instituta sunt, non per quæ homines se invicem fallant, sed per quæ quisque in aliorum notitiam cogitationes suas proferat*, sicque mendacium est contra naturàm vocum, et abusus innaturalis earum ac contra bonum commune et convictum humanum.

Omne igitur mendacium in suâ ratione formali includit pravitatem et inordinationem impræscindibilem, ideòque fieri non potest absque peccato, ob quemcumque bonum finem, etiam ad salvandam propriam vel alterius vitam, ut tradit D. August., tract. de Mendacio, cap. 14; et Alexander papa III, cap. *Super eo*, de Usuris, dicens : « Quocirca Scriptura sacra « prohibet pro alterius vitâ mentiri; » nec etiam pro propriâ : ut enim ait Apost. ad Rom. 3 : *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Idemque colligitur ex causâ 2, q. 22, can. *Ne quis arbitretur.* Idem adstruunt D. Basilius, regulâ 24, et in regulis brevioribus 76, D. August., lib. contra Mendacium, cap. 18, 29, can. 6, et passim alii Patres, ac communiter auctores. Hinc fit mendacium officiosum esse peccatum veniale sicut et jocosum. Quia tamen finis intentus in illis non est contrarius charitati, ideò non sunt peccata mortalia, per se loquendo; possunt nihilominùs per accidens contrariari charitati ratione scandali, vel cujuscumque damni consequentis. Et tunc ratione illius adjuncti sunt peccata mortalia : sicut etiam dùm vestiuntur juramento, quia tunc sunt perjuria.

Mendacium verò perniciosum est ex genere suo peccatum mortale, quia est contra charitatem, ut patet : potest tamen deficere ut non pertingat ad perfectionem peccati mortalis tripliciter : uno modo propter actûs imperfectionem ex parte dicentis, qui non plenè ac deliberatè consentit, ut contingit in primis motibus. Secundò, propter imperfectionem actûs ex parte nocumenti ob parvitatem materiæ, sicut contingit in minimis. Tertiò tandem, propter imperfectio-

nem actûs ex parte formæ, ut contingit in detractione sine animo detrahendi et similibus, prout mox explicatum fuit à nobis.

Mendacium in materiâ fidei, sacræ Scripturæ, vel morum, est peccatum de se notabiliter perniciosum; contrariatur enim charitati Dei, cujus veritatem aliquis tali mendacio occultat vel corrumpit. Unde hujusmodi mendacium non solùm opponitur virtuti charitatis, sed etiam virtuti fidei et religionis, et ideò hoc mendacium est gravissimum mortale. Si verò falsa significatio sit circa aliquid, cujus cognitio pertinet ad hominis bonum, puta quæ pertinet ad perfectionem scientiæ et informationem morum, tale mendacium, in quantùm infert damnum falsæ opinionis proximo, contrariatur charitati quantùm ad dilectionem proximi; unde est peccatum mortale: secùs dicendum si sit circa aliquid, de quo non referat utrùm sic vel aliter cognoscatur; tunc enim ex tali mendacio, non damnificatur proximus: sicut si quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus ad se non pertinentibus. Ita D. Thomas ibidem, art. 4.

Unde prædicator scienter proponens in pulpito falsa miracula, mentitur contra veritatem doctrinæ christianæ; item qui falsas publicat reliquias aut indulgentias, et generaliter omne mendacium prædicatoris contra veritatem spectantem ad concionatoris officium, censetur mortale; quando verò solùm mentitur præter veritatem doctrinæ, ut in nominibus auctorum vel citationibus, tunc ad summum venialiter tantùm peccat; quia in istis falli non est in doctrinâ, sed in accidentibus ejus falli. Vide Sylvestrum, v. *Mendacium*, q. 4. Idem videtur dicendum de casuistâ. Idemque Cajetanus in Summâ v. *Mendacium*, extendit ad judicem, nempe omne mendacium contra veritatem spectantem ad judicis officium esse mortale, et generaliter omne mendacium quod etiam ab aliis in judicio fit de pertinentibus ad judicium; eò quòd illius veritatem subvertat et cedat in perniciem communitatis: quod tamen Sylvester limitat quantùm ad ea de quibus qui mentitur, veritatem dicere tenetur, et non aliter.

Tandem mendacium quod redundat in damnum notabile proximi, sive spirituale, sive corporale, sive temporale, est peccatum perniciosum ac mortale, quia charitati proximi directè contrariatur et ulteriùs continet injustitiam; ideòque inducit obligationem restitutionis damni illati.

De solo mendacio pernicioso loquitur Scriptura, quando indicat illud occidere animam, et excludere à regno Dei, prout exponit Glossa, super illud Psalm.: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et docet D. Thom. hîc art. 4, ad 1, et ibidem ad 2, ait, quòd *cùm omnia præcepta Decalogi ordinentur ad dilectionem Dei et proximi, in tantum mendacium est contra præceptum Decalogi, in quantum est contra dilectionem Dei et proximi. Unde signanter prohibetur contra proximum falsum testimonium.* Hinc fit quòd solùm mendacium in tali materiâ nocivâ, quod dicitur perniciosum, sit ex genere suo mortale: secùs verò mendacium ut sic ex genere suo quod consistit in intentione dicendi falsum, abstrahendo ab hâc vel illâ materiâ. Unde mendacium officiosum et jocosum per se in ratione mendacii considerata sunt tantùm venialia, nec directè sunt contra istud Decalogi præceptum, sed solùm ad illud reductivè pertinent, ut innuit Catechismus concilii, distinguens in hoc præcepto duas leges: primariam et principalem, quæ prohibet ne falsum testimonium dicatur, et secundariam, quæ jubet ut simulatione fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur.

Argumenta in contrarium quæ afferri possunt ex Scripturâ et ex Sanctorum exemplis, qui urgente necessitate aut justâ causâ mendacia officiosa protulisse videntur, nec tamen reprehenduntur, solvit D. Thomas in hâc q. 110, art. 3 et 4. Nostrique theologi rectè in partem bonam explicant eorum verba ac gesta in tract. de fide 2-2, q. 1, art. 3 ad quos remittimus lectorem, ut in conscientiæ casibus ventilandis, et non in aliis materiis immoremur.

Quæres primò, an omne mendacium etiam leve ac ratione parvitatis materiæ solùm veniale, si fiat in judicio forensi, aut in tribunali pœnitentiæ, sit mortale, secluso etiam juramento.—Affirmat Cajetanus 2-2, q. 69, art. 1, et in Summâ, v. *Confessio*, conditione 5, eò quòd tanta sit obligatio dicendæ veritatis in judicio exteriori et interiori circa res ad illud pertinentes, ut etiam circa levissimas fiat gravis, cùm tunc mendacium sit contra veritatem judicii, atque adeò fundatum super eo mendacio, oporteat esse falsum: sicut enim vis juramenti exigit veritatem, ac perjurium de re levi est mortale, ita et judicium. Unde imperfectio seu parvitas materiæ solùm habet locum respectu actûs mentiendi secundùm se, non verò ut substat judicio, sicut non habet locum in juramento. Hinc fit quòd si pœnitens à confessario interrogetur, an dixerit aut fecerit aliquid quod est peccatum veniale, aut reus à judice interrogatus de re quam confiteri tenetur, etiam levi, si falsò negent, mortaliter peccent.

Negant verò communiter alii auctores, quia licet mentiri in utroque judicio, sit ex genere suo mortale, potest tamen hîc et nunc in individuo esse solùm veniale ex parvitate materiæ, prout contingit in furto: furari enim obolum etiam in Ecclesiâ, est solùm veniale, quamvis gravius veniali furto alibi facto; ita etiam mendacium veniale in judicio, est quidem veniale gravius, sed non mortale. Nam in judicio, sicut et in aliis actionibus humanis, desumenda est malitia et gravitas injuriæ, vel ab objecto seu materiâ ipsâ, vel ex fine et intentione inferentis illam: in nostro autem casu materia est levis, et mentiens non habet animum contemnendi judicem ac pervertendi judicium, volendo in quâcumque re etiam gravissimâ, sed in levi duntaxat mentiri. Sicut ergo tunc non peccaret mortaliter tacendo, ita et negando.

Neque est eadem ratio de perjurio, quia Deus adducitur in testem falsitatis, quod vergit in gravem illius injuriam et irreverentiam in quâcumque re fiat: imò censetur gravior irreverentia, quando pro re minimâ ita vilipenditur Deus: at verò mendacium non mutat

naturam suam, nec desinit esse leve ex hoc quòd fiat in judicio, eique non infert gravem injuriam. Ergo mendacium leve, quod est solùm veniale in aliis materiis, non fit mortale in judicio, nisi fuerit cum juramento conjunctum. Nec etiam in confessione sacramentali, dummodò mendacium non sit circa materiam necessariam, vel circa totam materiam confessionis, ut si pœnitens aliud non subjiciat clavibus quàm materiam levem, falsam tamen.

Quæres secundò an sit mendacium, quando non servatur promissum, et quibus de causis excusemur ab eo servando.—Resp. D. Thomas loco citato art. 3 ad 5, quòd *ille qui aliquid promittit, si habet animum faciendi quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id quod gerit in mente : si verò non faciat quod promisit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quòd animum mutat; potest tamen excusari ex duobus : uno modo si promiserit id quod manifestè est illicitum; quia promittendo peccavit, mutando autem propositum, benè facit : alio modo si sunt mutatæ conditiones personarum et negotiorum, ut enim ait Seneca,* « *omnia debent permanere immutata;* » *alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit quod habebat in mente subintellectis debitis conditionibus; nec etiam est infidelis non implendo quod promisit, quia eædem conditiones non exstant; unde et Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quò se iturum promiserat, et hoc propter impedimenta quæ supervenerant.* Hactenùs D. Thomas. Plura de promissione tractantur ubi de Justitiâ.

Prælocutium secundum.

DE USU ÆQUIVOCATIONUM ET RESTRICTIONUM MENTALIUM.

Æquivocatio est verbum ambiguum, aut propositio constans pluribus verbis ambiguis, plures sensus efficientibus, ita ut proferens illa accipiat secundùm unam significationem, simulque prævideat, imò et intendat quòd audiens ad quem ea dirigit, accipiat et intelligat juxta aliam, eo fine ut ipsi aliquam veritatem celet, quam eidem non manifestare expedit. Controversia est an hujusmodi æquivocationum usus sit aliquando licitus, aut omninò reprobandus. Circa quam tres sunt auctorum sententiæ.

Prima nimiùm quàm par sit, illarum usum extendere videtur, eumque tanquàm licitum admittere in omnibus ferè actionibus vitæ civilis, in quibus aliquis interrogatus existimabit se habere aliqualem causam occultandi veritatem interroganti, prout videre est in pluribus casibus quos referunt Sanchez, lib. 3 in Decalogum, cap. 6; Joannes Sancius, in Selectis disput. 9, et disp. 13, 43 et 46; Tamburinus, cap. 2 de Juramento; Theophilus Raynaudus, Lessius et alii, quos refert noster Vincentius Baronius, disp. 1, lect. 5; eamdem sententiam intrepidè tenet Diana pluribus in locis, maximè verò tom. 8 coordinat. tract. 5, resolut. 63 et 64, et pro eâ citat Filucium, Reginaldum et alios. Secunda sententia, huic extremè opposita, reprobat omnem omninò usum quarumcumque æquivocationum et restrictionum mentalium tanquàm prorsùs illicitum et mendacii ac perjurii (si juramento firmetur), labe infectum, et contra æquivocationes quascumque congerit ac vibrat omnia tela quæ Scriptura sacra, sancti Patres et concilia vibrant contra mendacia, quibus illas æquiparat. Ita Dominus de S. Beuve, doctissimus pater, Natalis Alexander in suâ Theologiâ dogmaticâ, doctores Sorbonici, Sinnichius, Contensonius, et alii plures recentiores scriptores Galli. Tertia sententia quasi mediat inter duas jam relatas, et rejicit quidem restrictiones mentales, nullo signo externo sensibiles seu æquivocationes formales, tanquàm mendacia in nullo prorsùs casu licita : admittit tamen restrictiones mentales exteriùs sensibiles, seu æquivocationes materiales tanquàm licitas in quibusdam casibus, et cum conditionibus explicandis. Ita Cabassutius, celebris congregationis oratorii recens scriptor, lib. 4 Juris can. praxis, cap. 4, num. 12 et 12, ubi pro hâc suâ opinione refert D. Gregorium papam, D. August., D. Thomam, D. Raymundum, lib. 1 Sum., tit. de Mendacio, in fine; Adrianum papam VI, in 4, q. de Sigillo confessionis; Cajetanum, 2-2, q. 70, art. 1; Toletum lib. 4, cap. 21, et lib. 5, cap. 28; Navarrum in cap. *Humanæ aures*, et in Manuali, cap. 12, num. 8 et 9; Joannem Major. in 4, dist. 15, q. 18; Angelum, v. *Juramentum* 5, num. 9; Sylvestrum, v. *Juramentum* 3, q. 2; Sotum, lib. 8 de Just., q. 1, art. 7, ad 4, Graffium, p. 1, lib. 2, cap. 17, num. 9; Lopem, p. 1, cap. 42, § *Injustè rogatus à judice;* Bartholum, in fin. num. 7, ff. de Quæst. Dicitque Cabassutius alios auctores communiter hanc sententiam tenere eique favere can. *Utilem* 22, q. 2, ex D. Hieronymo depromptum; hanc etiam tenent Raphael, Torres, Gonetus, Vincentius Baronius, quos sequitur et refert Laurentius Maria Pisani in suo Gladio Gedeonis, pag. 178.

Explicatur et prob. hujusmodi sententia. Duobus modis potest loquens uti æquivocatione. Primò formaliter seu per restrictionem purè mentalem, exteriùs nullatenùs apparentem neque sensibilem, quando scilicet verba quæ profert, nec ex suâ significatione sunt ambigua, nec ex se, neque ex circumstantiis occurrentibus loci, temporis, personæ, ac modi interrogandi, eum sensum patiuntur quem ipse intendit, solùmque verum sensum faciunt ex aliquo addito in ejus mente retento : ita ut quisquis etiam prudens, sagax et oculatissimus, et hîc et nunc diligentissimè attendens, scrutans ac in omne latus sese versans, nequeat eum sensum verum penetrare, sed conceptum falsum et illi oppositum formare cogatur, nisi divinationis donum habeat. Et istæ æquivocationes formales sunt in omni casu illicitæ, utpote verè aut æquivalenter mendacia; qui enim illis utitur profert falsa verba cum voluntate dicendi falsum assertivè, in quo consistit ratio mendacii; v. g., si quis interrogatus an carnes comederit, et altâ voce respondeat : *Non comedi; juro me non comedisse*, submissè apud se mutiendo, *crudas carnes*, aut intra se intelligendo: *Non eas comedi in quadragesimâ, aut dùm dormirem, aut non comedi pisces;* quis non videt hujusmodi verba absolutè falsa esse, eaque proferentem habere volun-

tatem enuntiandi falsum assertivè, nempe se carnes absolutè non comedisse in eo prandio de quo interrogatur, quamvis reverà comederit? Certè si tunc non adsit mendacium ac perjurium, nemo unquàm poterit mentiri aut pejerare, cùm quilibet homo mendax possit loquendo exteriùs falsa, intendere et intelligere intra se omnes alios sensus, quos viri docti non possunt percipere, idque juxta primæ sententiæ auctores sufficiat ad mendacii labem evacuandam, omnesque rationes à Sanchez in suâ tertiâ regulâ adductæ, si quid probent, concludant homines rarò aut nunquàm, falsa enuntiando scienter et jurando esse vera, posse dicere mendacium aut perjurium : cùm etiam tunc non irent contra mentem suam adæquatè sumptam, sed semper ex aliquo sensu addito, solâque mente retento ea verba falsa intra proferentem verificarentur; idque satis advertit ac refellit Caramuel, licet aliàs sit laxitatum patronus, et sic impugnat restrictiones purè mentales, in theol. Fundam. num. 1282, ubi sic ait : *Est mihi innata aversio contra restrictiones mentales; si enim continentur intra terminos pietatis et sinceritatis, necessariæ non sunt; nam omnia quæ ipsæ præstare possunt, præstabunt consignificantes circumstantiæ; quòd si tales dicantur ut etiam ibi admittendæ sint, ubi desunt circumstantiæ significantes* (ignoscant mihi earumdem auctores et propugnatores), *tollunt humanam societatem, et tanquàm pestiferæ damnandæ sunt; quoniam semel admissæ, aperiunt omni mendacio et omni perjurio viam, et tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam et malitiam non mutet, sed nomen, ita ut hodiè jubeatur restrictio mentalis nominari; quod est virus condire saccharo, et scelus specie virtutis colorare.* Hæc Caramuel.

Confirmatur : Ideò mendacium est de se intrinsecè malum, eò quòd cadat supra materiam indebitam : quia scilicet voces quæ debent explicare id quod est in mente, utpote signa conceptuum, ad hoc non assumuntur. Atqui similiter in æquivocationibus formalibus, voces externæ non significant id quod est in mente additâ mentali restrictione : cùm enim non sit nota audientibus, voces eis idem explicant, ac si nulla esset restrictio mentalis; nam significatio conceptuum humanorum pertinet solùm ad voces et signa externa, ita ut veritas sit in mente tanquàm in subjecto, in vocibus autem tanquàm in signo. Unde enuntiatio formalis definitur ab Aristotele, oratio verum vel falsum significans. Ergo quando verba nec ex se ipsis, nec ex circumstantiis occurrentibus significant id quod est in mente, tunc est falsa vocis significatio, et consequenter mendacium : nec restrictio pura mentalis potest illas voces ad verum significandum determinare; quia cùm nullatenùs sit significativa, nequit alterius significativi significationem coarctare et simul cum ipso significare, sed solùm potest facere ut veritas objectiva sit in mente dicentis, ita ut ipse solus veritatem intelligat : nec possit esse in audientibus, quibus illa restrictio purè mentalis penitùs ignota est perinde ac si non esset, nec eam ex vocibus et signis exterioribus venari valeant, sicque cogantur formare conceptum falsum, et illi restrictioni mentali contrarium; et in hoc consistit mendacium, dùm scilicet id quod loquens habet in mente nullatenùs exprimit verbis, sed solùm aliud longè diversum.

Hujusmodi æquivocationum formalium usu, æquè negatur veritas et præjudicium affertur commercio et societati hominum, ac per ipsa mendacia formalia : nam infallibiliter producunt eosdem effectus, nempe audientes decipere, utpote cùm nihil exteriùs in illis verbis occurrat, quo rationabiliter judicando, possint dignoscere illam restrictionem mentalem, et penetrare aliquem verum sensum, sed cogantur recipere falsitatem, quam in eorum mentibus inevitabiliter imprimunt. Unde meritò doctrina tam pestilens ab Ecclesiâ damnata fuit, et contra illam fortissimè militant et urgent auctoritates et rationes quæ pro secundâ sententiâ afferri solent.

Secundò potest quis uti æquivocatione tantùm materialiter, et restrictione mentali aliquo modo apparenti et sensibili, quando scilicet verba quæ profert sunt ambigua, seu habent duplicem significationem, unam communem, alteram particularem veram, sed occultam, et ab eodem intentam, quam circumstantiæ hîc et nunc occurrentes faciunt, juxta intentionem etiam interrogantis : ex quibus proinde facilè devenire posset in cognitionem sensûs à proferente usurpati, si prudenter et diligenter ea verba et circumstantias examinaret, ac ponderaret. Quòd si tunc ob imprudentiam, ob præcipitationem judicii, ob inertiam et omissionem considerationis illarum, mentem loquentis non intelligat, et non in alio quàm in sensu communi ea verba accipiat, id non provenit ex loquente, nec ex æquivocatione tanquàm ex causâ per se, sed solummodò ex illius ignaviâ et inconsideratione. Et hujusmodi æquivocationes materiales non sunt mendacia, neque militant contra præceptum negativum non mentiendi, cùm verba semper accipiantur secundùm propriam significationem, ac verum sensum quem ex se habent, aut quem sensibiliter hîc et nunc patiuntur, et tunc ex circumstantiis occurrentibus nec loquens fallat audientem, sed ipsemet se fallat ex ignorantiâ aut inconsideratione : ad summum esse possunt omissiones contra præceptum affirmativum veritatis dicendæ, non obligans tamen pro semper ad proferenda verba secundùm sensum communem et determinatam significationem in omni prorsùs casu, sed ex justâ causâ potest homo occultare veritatem. Licèt enim nunquàm licitum sit negare veritatem et audientem positivè fallere ex intentione, attamen juxta omnes auctores licitum est veritatem occultare, ut docet D. August., lib. contra Mendacium, cap. 10, et D. Greg. papa, Pastoralis, p. 3, cap. 12, et constabit exemplis Christi Domini ac Sanctorum statim referendis; proindeque licitum est permittere quòd audiens aliquando fallatur ex seipso, quando adest causa justa ipsi occultandi veritatem quam manifestare non expedit, et dùm vult plus sapere quàm oporteat sapere, ut colligitur ex D. Thomâ, 2-2, q. 40, art. 3, et q. 110, art. 3 ad 4, ubi citat D. August., et q. 111, art. 1, ad 4.

Requiritur igitur justa et rationabilis causa gravisque ac urgens necessitas utendi hujusmodi æquivocationibus materialibus, scilicet ad impediendam vel auferendam periculosam, aut valdè nocivam alterius veritatis cognitionem ab audiente, ex quâ oriretur loquenti vel aliis gravissimum damnum, cui nec silentio, neque aliâ viâ, quàm istis æquivocationibus occurri potest hìc et nunc in istis circumstantiis et angustiis. Non enim absque necessitate urgentissimâ causâque justissimâ licitum videtur uti verbis in alio sensu, quàm communiter homines intelligere solent, dùm illorum interrogationibus adhibetur responsio, aut dùm fiunt stipulationes inter ipsos. Alioquin societas, fidelitas, bona fides, et certitudo conversationum, contractuum, promissionum et commerciorum inter ipsos periret. Verùm quia valdè difficile est determinare in particulari omnes casus in quibus urgeat talis necessitas, et justa causa excusans, proborum atque prudentum judicio, pensatis omnibus pensandis, relinqui debet. Nec propositionis 27 damnatæ censura extenditur ad has æquivocationes solùm materiales, cùm sit quædam consecutio et limitatio propositionis 26 immediatè præcedentis, in quâ est sermo de æquivocationibus formalibus ac restrictionibus purè mentalibus. Unde dùm dicitur : *Causa justa utendi his amphibologiis*, etc., designantur æquivocationes formales de quibus erat præsens sermo ; pronomen *his* satis illas designat et contrahit, ac determinat sequentem vocem *amphibologiis*, non ad quascumque, sed ad illas de quibus dictum erat propositione præcedenti. Ratio hujus differentiæ mox assignata fuit, nempe quia mendacium ob quamcumque causam nequit esse licitum ; æquivocationes autem materiales non sunt mendacia, benè tamen formales et restrictiones purè mentales, ut jam ostensum est.

Requiritur præterea ad usum licitum hujusmodi æquivocationum materialium, quòd interrogatus non teneatur ex justitiâ aut religione, aliâve obligatione veritatem aperire, et determinatè respondere ad mentem et juxta sensum ab interrogante intentum absque amphibologiis. Sic reus legitimè interrogatus à judice juridicè procedente, et quilibet inferior à quo superior legitimè exquirit manifestationem alicujus veritatis ad bonam gubernationem necessariam, tenetur sub peccato obedire, ac veritatem sincerè detegere. Item pœnitens quando interrogatur à confessario de peccatis quæ commisit et de pertinentibus ad judicium fori interioris. In omni itaque materiâ judiciali, sive fori exterioris, sive interni, non est licitum veritatem celare amphibologiis, ita ut illis utens peccet lethaliter, et jurans ad eas confirmandas, sit perjurus. Idem dicendum de eo qui interrogatur de fide, quando instat præceptum illius confitendæ : non enim tunc potest verbis amphibologicis eam occultare, aut simulare falsam religionem, etiam ad vitanda gravia tormenta et diram necem. Idem dicendum de spontè contrahentibus et se invicem onerosè obligantibus ad vendendum, emendum, etc., et quando à privatâ personâ, cujus interest ratione contractûs, juramentum exigitur ; tunc enim sine amphibologiâ tenentur se obligare, et non fictè jurare · aliàs injuriam irrogant parti legitimè juramentum exigenti, damnumque illi bonâ fide procedenti ac contractum ex suâ parte adimplenti infert, ille qui verbis ambiguis et restrictione mentali utitur. Unde occultatio veritatis mediante æquivocatione materiali, non debet esse innocenti specialiter nociva et damnosa, sed tantùm assumenda est à loquente ad vitandum proprium vel proximi malum, quod aliâ viâ hìc et nunc vitari nequit, non verò ad alteri illud inferendum. Ilis suppositis,

Prob. primò hæc tertia sententia. Certissimum ac indubitatum est, sanctissimos et in Scripturis laudatissimos viros non fuisse reos mendacii, quando urgente aliquâ justâ causâ, ita veritatem celare voluerunt, ut verbis usi sint amphibologicis, veris quidem ex ipsorum occulto sensu, quibus tamen intendebant auferre vel impedire periculosam aut nocivam alterius veritatis cognitionem in mente audientium. Atqui in hoc consistit ratio æquivocationis materialis, ut patet ex dictis ; ergo non sunt mendacia. Prob. antecedens exemplo Abrahæ, qui ut se mortis discrimini eriperet, dixit Saram esse sororem suam, indeque voluit amovere ab aliis hanc planè veram cognitionem, quòd esset uxor sua. Nam Abraham scivit et voluit, ut Ægyptii aliter prorsùs intelligerent Saram esse sororem suam longè alio sensu, quàm quem ipse intra se concipiebat in occulto ; quia si in hâc re Ægyptiorum intelligentia fuisset conformis latenti intelligentiæ Abrahami, secundùm quam vera fuisset illa sororis compellatio, futurum præ videbat se occidendum ; quod tamen istâ æquivocatione materiali vitare intendebat. Et D. August. super. Gen., q. 26, et habetur causâ 22, q. 2, cap. *Quæritur*, dicit, quòd in hoc ostenditur quòd nemo debet tentare Deum, dùm habet quod rationabili consilio faciat ; unde Abraham non totum commisit Deo, sed veritatem voluit celari, non mendacium dici : fecit quod potuit ; quod non potuit Deo commisit, in quem speravit. D. Thomas, 2-2, q. 70, art. 1, ad 1, id referens, ait, quòd *D. August. loquitur de occultatione veritatis, in casu illo quando aliquis non compellitur superioris auctoritate veritatem propalare, et quando occultatio veritatis nulli specialiter est damnosa ;* in quibus duobus casibus docet D. Thomas hominem teneri ad testificandum, nec posse celare veritatem : proindeque sentire videtur licitum esse veritatem occultare aliquâ æquivocatione materiali, dùm urget gravissima causa, prout D. August. declarat Abrahamum fecisse, et clarè demonstratur hâc suppositione.

Supponamus urgentissimam causam cogere Petrum, v. g., ad se abscondendum in domo suâ, et expedire ad vitam illius conservandam, quòd nemo extraneus sciat ibi adesse reclusum : supponamus etiam quòd quidam homo incognitus ad illam domum accedat, fores pulset, et quòd Petri famula appareat è fenestrâ ad recognoscendum pulsantem, qui eam videns dicat illi : Ubi est dominus tuus ? eum alloqui vellem : ipsa verò respondeat : Dominus meus est in urbe, *mon maître est en ville*, quod apud nos significat tunc non

esse in domo, sed ex illâ egressum ad discurrendum per urbem, et hunc sensum communem vult ancilla imprimere menti interrogantis, ad occultandam veritatem æquivocatione materiali. Atqui pari modo est ratiocinandum circa Abrahæ factum; ergo in eo continebatur æquivocatio materialis. Probatur paritas. August. lib. 12 contra Faustum cap. 34, ait, quòd Abraham dicens Saram esse suam sororem, veritatem voluit celari, et non mendacium dici; soror enim dicitur, quia filia patris erat. Pariter ista famula Petri dicens dominum suum esse in urbe, veritatem voluit celari, et non mendacium dici, quia Petrus reverà in urbe erat, nam domus in quâ latitat, est intra et non extra civitatis mœnia. Item sicut Abraham non interrogatus fuit utrùm Sara esset ejus uxor, ita nec ista famula interrogatur, an Petrus sit in domo. Item sicut cùm quæreretur ab Abrahamo quid ei esset illa mulier, indicavit sororem, non negavit uxorem, tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falsi : ita et ista famula, dùm ab eâ quæritur ubi sit Petrus, indicavit esse in urbe, non negavit esse in domo, tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falsi; nec refert quòd iste homo incognitus interroget ancillam, eâ intentione ut sciat an Petrus sit in domo; non refert, inquam, quia tunc ancilla non tenebatur id ei aperire. Adde quòd etiam Palæstini interrogabant Abraham ad sciendum utrùm esset illius uxor, ne scilicet adulterio contaminarentur. Unde Pharao dixit illi, Gen. 12 : *Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicâsti quòd tua esset uxor? quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem?*

Prob. secundò exemplo Jacob Gen. 27, qui patri suo interroganti quis esset, respondit : *Ego sum primogenitus tuus Esaü; feci sicut præcepisti mihi; surge, sede, comede de venatione, ut benedicat mihi anima tua.* Fateor equidem, ex Dei ordinatione contineri profundum mysterium in his verbis rectèque verificari juxta sensum figurativum, mysticum et propheticum, idque factum ob inspirationem, motionem et auctoritatem divinam à mendacio excusari. Verùm per ordinem ad mentem ac intentionem Jacob ea verba tunc proferentis, continere æquivocationem materialem, mihi persuadeo ex hoc quòd patiantur duos sensus veros, et quòd Jacob voluerit ac intenderit quòd pater suus Isaac ea intelligeret in uno, distincto ab eo quem ipse tunc mente retinebat, nempe quòd esset Esaü in personâ, et primogenitus naturâ; ipse verò Jacob intelligebat se esse primogenitum emptione et privilegio, ac Esaum repræsentatione; sicut Christus de Joanne dicebat : Ipse est Elias, accipiendo non pro personâ, sed pro conformi officio, spiritu et virtute Eliæ. Idque satis colligitur ex timore quo angebatur Jacob ne ista æquivocatio deprehenderetur à patre. Unde dixit matri suæ id suadenti : *Timeo ne putet me voluisse illudere, et inducam super me maledictionem pro benedictione.* Constat etiam de stupore grandi quo affectus fuit Isaac, dùm deprehendit se fuisse deceptum à Jacob, et de verbis quæ dixit ut consolaretur Esaü ejulantem : *Venit germanus tuus fraudulenter*, etc., licèt postea Dei revelatione certior factus de mysterio, et placatus confirmaverit benedictionem impertitam Jacob.

Idem dicendum de Joseph dùm se ariolum et augurem esse coram fratribus asseveravit, eosque de exploratione et furto pecuniæ suique scyphi argentei accusavit, ut habetur Gen. 44. Item in toto illo sanctæ viduæ Judith apud Holofernem colloquio latent æquivocationes materiales : potest enim dici quòd verba ejus veritatem habent secundùm aliquem mysticum intellectum, ait D. Thomas 2-2, q. 110, a. 1, ad 3, quibus omnibus et aliis sanctis viris in Scripturâ laudatis, potest et debet applicari regula D. August. tract. ad Consentium, cap. 12 et 17, jam à nobis supra relata, quòd si quis contendat aliquos his locutionibus venialiter peccâsse, et, ut ait D. Thomas, ibidem commendari in Scripturâ non propter perfectam virtutem, sed propter aliquam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quædam indebita facienda, et hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum quem habuit ad salutem, pro quâ periculis se exposuit; id tamen de omnibus dici nequit absque injuriâ et falsitate : et saltem dici non potest de Angelo Raphaele asserente Tobiæ 5, se esse unum de filiis Israel, nomine Azariam, filium magni Ananiæ : quæ tamen verba Angelus accipiebat in sensu mystico et interpretativo, et Tobias in sensu litterali; unde illum interrogabat dicens : *Indica mihi de quâ domo et de quâ tribu tu es?* Cui cùm Angelus respondisset : *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius*, tunc Tobias subdit : *Ex magno genere es tu.* Minùsque dici potest de Christo Domino, quem tamen his verbis æquivocis sæpè usum fuisse constat ex Scripturâ sacrâ. Primò ex illo Marci 13 : *De die illâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius hominis.* Nec potest verificari locus iste per præcisionem sensûs formalis, nempe quòd Christus sciebat quidem horam et diem judicii, in quantum erat Deus; non verò in quantum homo, idque Apostoli cum quibus loquebatur satis intelligebant.

Id enim falsissimum esse docet D. Thomas, p. 3, q. 10, art. 2, ad primum. Illam enim diem cognoscit non solùm quantùm ad divinam naturam, sed etiam quantùm ad humanam, quia, ut Chrysostomus argumentabatur, si Christo homini datum est ut sciat qualiter oporteat judicare quod est majus, multò magis datum est ei scire quod minus est, scilicet diem judicii. Illum itaque diem sciebat etiam ut homo, sub quâ etiam ratione constitutus est judex, non quidem cognitione naturali et humanâ, ex vi ac virtute ipsius humanitatis, sed supernaturali, quam illi tradidit Pater, qui proinde dicitur solus scire, ut det cognitionem et revelet aliis : solus enim Deus novit ex suâ naturali scientiâ tempora et momenta quæ posuit in suâ potestate, quale est tempus judicii. Dicitur ergo, inquit D. Thomas, Filius nescire diem judicii, quia non facit scire. Interrogatus enim super hoc ab Apostolis Act. 1, eis noluit revelare. Sicut è contrario legitur Gen. 22 : *Nunc cognovi quòd timeas Dominum*, id est,

nunc cognoscere te feci. Et hujusmodi expositio D. Thomæ est communis sanctorum Patrum et doctorum; atqui in his verbis Christi latebat restrictio mentalis sensibilis retenta in mente Christi, nempe quòd nesciret diem et horam judicii, ad revelandum aliis : continebantque æquivocationem materialem, nempe duplicem sensum, unum communem, alium verò particularem et occultum, quem tamen Apostoli ex conditione personæ loquentis et ex circumstantiis facilè deprehendere poterant, si attendissent ad ea quæ viderant de Christo, et ad verba quæ ipsis sæpè dixerat; nimirùm quòd omnia ei tradita et revelata fuerant à Patre suo, ac ab eo constitutus judex vivorum et mortuorum fuerat. Item si considerâssent circumstantias : dixerat enim Christus Matth. 24, et Marc. 13, signa præcedentia suum adventum, illum præmonstrare proximum, sicut arbores emittentes frondes monstrant propinquam æstatem. Ne autem errarent intelligendo hanc similitudinem, non solùm quantùm ad propinquitatem, sed etiam quantùm ad certitudinem temporis, et putarent quòd sicut à tempore quo arbores frondescunt et germinant usque ad æstatem, scitur spatium determinatè temporis nempe trium mensium, ita ab istis signis usque ad diem judicii sciri posset certum tempus : ideò istis verbis hanc opinionem excludit. Item legitur Act. 1, quòd interrogabant Christum, ut illis manifestaret illum diem; quibus respondit : Non est vestrûm nôsse tempora vel momenta quæ Pater posuit in suâ potestate; imò Marc. 13, v. 4, interrogabant eum discipuli dicentes : *Dic nobis quando ista fient;* nempe destructio templi et consummatio seculi in die judicii, ut interpretatur Cajetanus, quibus respondit : *De die illâ nemo scit neque Filius hominis*, nempe ad revelandum, sicut vultis et quæritis à me ut vobis manifestem, quia non expedit. Si ergo Apostoli hujusmodi verba in hoc sensu à Christo intento non intellexerunt, sed in alio communi, nempe quòd Christus ut homo non sciret diem et horam judicii, deceperunt seipsos ex inconsideratione suâ.

Secundò Joann. 7, Christus Dominus rogatus à parentibus ut transiret in Judæam, respondit : *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam ad diem festum istum;* et tamen ascendit ad illum diem festum; quæ verba habent plures sensus. Primus videtur ejus dicto contrariari, nempè quòd absolutè non ascenderet. Secundus, in mente Christi retentus, quem tamen ex circumstantiis, ejus parentes interrogantes facilè intelligere poterant, nempe quòd non ascenderet eo modo quo volebant et requirebant, nempe quòd ascenderet cum ipsis in principio solemnitatis : unde sensus est : Nondùm ascendam, sed solùm post vos, et in medio solemnitatis : non manifestè, sed quasi in occulto : non quæsiturus gloriam temporalem, sed subiturus mortem diram et infamem; unde priùs illis dixerat : *Tempus meum nondùm advenit*; ego non ascendo, quia meum tempus non impletum est. *Hæc cùm dixisset, mansit in Galilæâ*, seu distulit transire in Judæam, non ascendens cum cognatis ad diem festum, ut exequeretur et verificaret quod dixerat : Ego nondùm ascendo. Ergo verba Christi videntur continere amphibologiam, et æquivocationem materialem.

Idem videtur dicendum de verbis quæ dixit Joan. 2, post ejectos mercatores de templo, Judæis quærentibus signum ut convincerentur de auctoritate et potestate exercendi hunc actum justitiæ : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*. Judæi enim ea accipiebant in sensu falso, putantes quòd loqueretur de illo templo materiali : ipse verò Christus dicebat et intendebat loqui de templo corporis sui, quasi dixisset : Vos quidem destruetis templum hoc corporis mei; ego autem in tribus diebus excitabo illud à somno mortis, et tunc resurrectio mea erit vobis signum evidens potestatis meæ. Ut enim ait Cajetanus ibidem, Judæi non meruerunt claram responsionem, et propterea Jesus sub hâc metaphorâ respondit. Item Joan. 11, dixit Christus : *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut à somno excitem eum*. Quæ verba Apostoli intellexerunt de somno naturæ et dormitione, unde dixerunt : *Domine, si dormit, salvus erit* : ipse verò Christus intelligebat et loquebatur de somno mortis, quia licet in seipso, et respectu hominum Lazarus esset mortuus, non tamen respectu Jesu, cui tam facile erat eum à morte suscitare quàm facile est hominem dormientem excitare à somno. Difficilior videtur alius locus Matth. 9, de filiâ Archisynagogi defunctâ, de quâ Christus dixit : *Non est mortua puella, sed dormit*. Quibus verbis auditis à turbâ quæ ibi aderat ad puellæ corpus sepulturæ mandandum, cœpit irridere Christum, non intelligens verum sensum quem intendebat, nempe quòd respectu Dei, cui omnia vivunt, et potestatis ejus, mortua non erat puella, sed perinde se habebat ac si dormiret, cùm tam facilè posset eam ressuscitare, quàm homo possit dormientem excutere à somno.

Nec hujusmodi locorum Scripturæ vim infringunt duæ responsiones quas afferunt quidam secundæ sententiæ auctores : prima est quòd Christus non astringebatur ad sequendum et intelligendum in suis verbis sensum et significationem communem vocum, sed quam volebat poterat eis dare et ad placitum instituere, eo præsertim tempore quo sine parabolis hominibus non loquebatur. Hujus enim responsionis falsitas evidenter colligitur ex hoc quòd Christus loquebatur eo modo, ut posset intelligi ab auditoribus, seu idiomate et significatione verborum communi et usitatâ apud eos cum quibus convivebat, ut saltem intelligerent sensum litteralem ipsis proprium, et applicatum communiter in eâ regione : aliàs nullatenùs potuisset illis proficere loquelam hanc non capientibus, esto quòd sub eo sensu alios mysticos et spirituales comprehenderet. Nec secunda responsio de præcisione sensûs formalis satisfacit : tum quia parentes Christi et Judæi qui non credebant in eum, non habebant hujusmodi clavem ad aperiendam veritatem et distinguendum quando ipsis loqueretur ut Deus, quando verò ut homo; et Christus sciebat non habere clavem, et tamen hujusmodi amphibologias ipsis pro-

ponebat. Nec obstat quòd id proveniret ex ipsorum culpâ nolentium credere ejus divinitatem, ob quod eorum deceptionem Christus permittebat. Nam pariter in nostrâ sententiâ, ex inconsideratione verborum et circumstantiarum oriebatur quòd non perciperent sensum verum, sed occultum, quem Christus intendebat, sed alium falsum quem ipsi imaginabantur; seu quòd non attenderent verba esse ambigua, et ibi latere æquivocationem materialem aut mysterium, quam deceptionem Christus permittebat; et cùm Christus sciret ea verba pati plures sensus, et Judæos accipere in alio sensu diverso ab eo quem intendebat, illa præcisio et distinctio sensûs formalis sicut et æquivocatio materialis erat speculativè in mente Christi. Unde est potiùs ludus in verbis et mera elusio, quia præcisio illa sensûs formalis est mera æquivocatio materialis, et reipsà coincidunt; nam ex ipsis verbis ambiguis facilè colligere poterant Christum loqui juxta diversas conditiones, nempe aliquando ut Deum, et aliquando ut hominem, in quo solo consistit præcisio sensûs formalis adversariorum, quod nos vocamus restrictiones mentales sensibiles et æquivocationes materiales. Contra quas præcisiones eadem argumenta militant, quæ contra hujusmodi restrictiones et æquivocationes congerunt ipsi adversarii, eademque oriuntur inconvenientia, ut consideranti patebit, et facilè convincitur uno aut altero exemplo. Confessarius est homo et minister Dei : dùm interrogatur et cogitur declarare an audierit Petrum, v. g., an se accusaverit de fornicatione, respondet : Non audivi Petrum se accusantem de fornicatione; nihil tale ab eo audivi, juro me hoc nescire; non mentitur, nec est perjurus, quia audivit ut Deus, et respondet ut homo, et nescit peccatum Petri ad revelandum aliis. Est vera præcisio sensûs formalis in illâ æquivocatione materiali et restrictione mentali sensibili, quatenùs ex circumstantiis, interrogans facilè potest cognoscere ea verba dici à confessario secundùm unam conditionem quam habet, et secundùm sensum aliquem particularem ab ipso intentum, et non secundùm alium.

Item Paulus, v. g., interrogatus de crimine vero, sed occulto et non probabili, in judicio à judice non juridicè procedente, est reus, et innocens; reus quidem quia reipsà commisit tale crimen, et est innocens, quia crimen quod non potest probari, est falsum ac nullum in judicio, nemoque reputatur malus et nocens nisi probetur. Quando igitur Paulus respondere coactus, et nullâ aliâ viâ subterfugere valens, respondet : Nescio quid dicis, non feci crimen, non sum reus, etc., ibi est præcisio sensûs formalis, quatenùs scilicet loquitur secundùm quòd est innocens in judicio, et non secundùm quòd in re est criminosus, proindeque non mentitur, nec est perjurus : quod idem nos dicimus verificari per restrictionem mentalem sensibilem, et æquivocationem materialem, cùm Pauli verba ex circumstantiis hunc sensum reddant, eumque judex facilè percipere posset, si ad illas attenderet.

Item rex mittit aliquem archiepiscopum suum subditum, oratorem ad alium principem, et eum certiorem facit de negotiis gravioribus et secretioribus præstito juramento de non revelandis; ex eorum quippe manifestatione infallibiliter orietur regni eversio, templorum profanatio, religionis perversio, etc.; dictus orator interrogatur ab eo principe de his negotiis, aut ab ejus aulico et ministro, viro doloso acutissimo, penetrantis ingenii, talesque hìc et nunc circumstantiæ occurrunt, ut si hujusmodi orator sileat, aut turbetur et deliberet, vacillet, et fluctuet, illicò respondere : *Nescio, aut meus rex mihi tale, nec aliquid simile declaravit;* princeps et illius minister interrogantes statim devenient in cognitionem veritatis, arma parabunt cum inevitabili regni et religionis eversione. An non tunc orator habebit justissimam causam, et indispensabilem necessitatem, his et similibus verbis celandi veritatem, et impediendi periculosissimam ac damnosissimam illius cognitionem per sensûs formalis præcisionem, respondendo secundùm unam conditionem suæ personæ et non secundùm aliam? Est enim verè archiepiscopus subditus regis, et illius orator : rex autem hujusmodi secreta ipsi non declaravit in quantum archiepiscopo subdito, juxta quam conditionem et dignitatem nunc tantùm loquitur et respondet interrogantibus se nescire, etc., et licet sciat ut orator regis, nescit tamen ad revelandum aliis. Nonne perinde se habet ac si per restrictionem sensibilem, ac æquivocationem materialem vellet abscondere veritatem? Nonne per eas faciliùs et feliciùs explicatur illius responsio, quatenùs scilicet hìc et nunc tales occurrunt circumstantiæ, ut si interrogantes ad illas diligenter attenderent, cognoscerent hujusmodi amphibologiam, verbaque oratoris hunc sensum verum facere : Nescio ea negotia ad prodendum, rex nihil mihi tale dixit ad declarandum aliis? etc.

Imò ex eo usu et introductione præcisionis sensûs formalis ad explicandas et verificandas amphibologias, longè graviora sequuntur inconvenientia, et frequentiora oriuntur pericula inducendi falsitates, ac fallendi audientes, quàm ex usu æquivocationum purè materialium, et restrictionum mentalium sensibilium : cùm ferè semper aut saltem frequentiùs possit inveniri aut occurrere inter homines hujusmodi præcisio sensûs formalis secundùm diversas conditiones quas habent; ita ut nullus ferè sit qui facilè non valeat occultare veritatem, respondendo interrogantibus secundùm aliam. Vix enim est homo qui duas non habeat : v. g., aut est superior et subditus, aut doctor et discipulus, aut miles et gubernator, aut incola seu civis alicujus loci, etiam dùm est peregrinus, et discurrit per alia loca; aut est pater simul et filius aut sacerdos et religiosus, aut jurista et casuista, aut theologus et philosophus, aut magistratus, et civis, aut christianus, et artifex, aut homo et nobilis; et sic de infinitis. Si usus præcisionis sensûs formalis introducatur, quisque poterit respondere non ad mentem audientium aut interrogantium, intendendo alium sensum occultum et verum secundùm unam conditionem suæ personæ, præ-

scindendo ab aliâ qualitate, secundùm quam verba non verificantur, licet audientes decipiantur hunc sensum intelligentes. Quanta autem inconvenientia inde sequantur, nemo non videt. Unde hi auctores videntur incidere in Scyllam, cupientes evitare Charybdim.

At verò non omnes propositiones sunt ambiguæ, neque omnia verba sunt æquivoca ex se, aut ex circumstantiis; aut saltem in communi convictu non tam frequenter occurrunt restrictiones mentales sensibiliter apparentes, et æquivocationes purè materiales ad veritatem occultandam conducentes, debitisque quatuor conditionibus jam assignatis munitæ, prout experientiâ constat. Sicque majus periculum mentiendi imminet ex illâ præcisione sensûs formalis, quàm ex æquivocatione materiali.

Prob. hæc sententia ex D. August., lib. contra Mendacium ad Consentium, cap. 12, ubi sic ait : *Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi : non est autem falsa significatio, ubi etsi aliud ex alio significatur, verum est tamen quod significatur, si rectè intelligatur.* Idque statim explicat D. August., ibid., cap. 13, exemplis Scripturæ, dicens : Talia sunt verba Christi, Luc. 8, ubi de muliere quæ fluxum sanguinis patiebatur ait : *Quis me tetigit ?* et de Lazaro Joan. 11 : *Ubi posuistis eum ?* Sic quippe interrogavit quasi nesciens quod utique sciebat, ac per hoc se nescire finxit ut aliquid aliud illâ veluti suâ ignorantiâ significaret, quæ significatio, quoniam verax erat, mendacium profectò non erat. Item evangelista Lucas, cap. 24, dicens de Christo : *Ipse autem finxit se longiùs ire*, etiam ipsum verbum posuit, quo mendaces nimiùm delectantur, ut impunè mentiantur; quasi mendacium sit omne quod fingitur, cùm veraciter aliud ex alio significandi gratiâ, tam multa fingantur; si ergo nihil aliud significâsset Jesus in eo quod longiùs ire se finxit, meritò judicaretur esse mendacium. Porrò autem si benè intelligatur, et ad id quòd voluit significare referatur, invenitur esse mysterium. Hactenùs divus Augustin. Tandem cap. 17 de omnibus qui in Scripturâ videntur mentiti, et tamen laudati ac remunerati, sic ait : *Ad hanc regulam mihi videntur, non solùm ista, verùm etiam si quæ sint alia, redigenda, ut aut quod esse creditur, ostendatur non esse mendacium, sive ubi tacetur verum, nec dicitur falsum, sive ubi significatio verax, aliud ex alio vult intelligi.* Atqui hæc D. August. verba quadrant æquivocationibus purè materialibus : est enim ibi significatio verax, aliud ex alio intelligitur; occultatur quidem verum, sed non dicitur falsum, etc. Ergo ex D. August. sunt admittendæ. Nec contra ipsas militant loco divi Augustini quæ ab auctoribus secundæ sententiæ afferri solent supra allata; solùm enim reprobant mendacia, et formales æquivocationes, ac restrictiones pure mentales, quæ sunt mendacia aut eis æquivalent : et negatoriè omninò affertur exemplum patris infirmi, quærentis de morte filii. Constat enim adduci à D. August. non tanquàm argumentum ad impugnandas æquivocationes purè materiales, sed tanquàm rationem, quâ patroni mendaciorum sese tuebantur, aut tueri poterant ad ea introducenda tanquàm licita, imò obligatoria ad vitandam alterius mortem; idque satis apparet ex ipsis terminis quibus utebantur illi auctores quos D. August impugnat; sic enim dicebant : *Ex illis tribus, aut vivit, aut nescio, aut mortuus est filius; duo falsa sunt, nec abs te dici possunt, nisi mentiendo. Illud autem unum verum, id est, mortuum esse, si dixeris, et perturbati hominis subsecuta fuerit mors, abs te occisus clamabitur : et qui ferat homines exaggerantes quantùm sit mali salubre mendacium devitari, et homicidam diligi veritatem ?* Ad hoc igitur, ut interrogatus à patre non esset reus homicidii, non debebat, nec poterat illi respondere, quòd filius esset mortuus, sed solùm quòd viveret, aut nihil de hoc sciret, quantùmvis hæc duo juxta eos auctores absque mendacio non posset interrogatus dicere. Unde subdebant : *Aliàs si pater intelligat te hoc timere dicere, et nolle mentiri, nihil aliud credet quàm filium esse mortuum. Tantùmdem valet, etiamsi omni modo tacueris.* Cui objectioni respondet D. August. laudando veritatis excellentiam et decorem, et postea subdit : *Cujus amore sic accendor, ut cuncta quæ inde me revocant humana contemnam; sed multùm est, ut iste in tantum perseveret affectus, ne in tentatione desit effectus. Nec me movet contemplantem bonum luminosum, in quo mendacii tenebræ nullæ sunt, quod nobis mentiri nolentibus, et hominibus vero audito morientibus, homicida dicitur veritas. Numquid enim si stuprum expectat impudica, et te non consentiente, sævo amore perturbata moriatur, homicida erit castitas?* etc. Hæc August., lib. 9 contra Mendacium cap. 18. Vide ibi plura.

Patet igitur D. August. ibi refellere Priscillianistarum argumentum futile, quo intendebant probare interrogatos tunc homicidii reos fore, si declarantes patri mortem filii et aperientes veritatem, inde pater esset moriturus, cùm possent et deberent eam veritatem ipsi occultare, aut etiam negare, mendacio officioso, dicendo : Nescio, aut, filius tuus vivit. Cùm enim Priscillianistæ contenderent licitum esse mentiri et pejerare ad alterius vitam conservandam, volebant consequenter hìc et nunc interrogatos à patre posse illi respondere : Nescio simpliciter, absolutè, ac absque ullâ restrictione mentali, puta : Nescio ad tibi declarandum, quia id scire tibi non expedit, etc.; non curantes de negandâ veritate, dummodò possent eâ negatione officiosè patrem decipere, ac ejus obitum impedire, ut plerùmque rusticis et simplicibus accidit veritatis nocivæ cognitionem impedire vel auferre volentibus; dicunt enim verbum, Nescio, aut aliud simile, non curantes an sit mendacium, dummodò sit officium, nec reputantes esse peccatum.

Prob. quartò hæc tertia sententia ex D. Thomâ supra Genesim, cap. 16, ubi exponens ista verba quæ dixit Abraham servis suis, dùm pergeret ad immolandum filium suum Isaac : *Ego et puer postquàm adoraverimus, revertemur ad vos*, ait quòd *illud verbum Abrahæ potest tripliciter verificari, primò, ex spe resurrectionis Isaac quam habebat, prout innuit Apostolus ad Hebr. 11. Secundò, potest simpliciter intelligi ex conditione communiter subintelligendâ vel subintellectâ, scili.*

cet, si Deus voluerit, et si vita comes fuerit. Tertiò, nisi ex speciali Dei jussu aliud evenerit : sicut enim supernaturalia miracula sunt excepta à communi lege loquendi, sic supernaturalia et occulta Dei consilia et mandata ; nec oportet quòd sciens illa semper secundùm illa loquatur, maximè quando novit non expedire, nec debere, nec Deum hoc velle, sed sufficit quod loquatur hominibus secundùm communem cursum et secundùm communem notitiam, juxta quod et sacerdotes dicunt aliquando de sacramentaliter sibi confessis ac notis, quòd nesciunt illa, et tamen non mentiuntur. Hactenùs D. Thomas, ibique refert D. Ambrosium, lib. de Abraham, cap. 8, eumdem quoque locum Genesis breviùs exponit 2-2, qu. 111, art. 1, ad 1, ex mente D. Ambrosii.

Item 2-2, q. 110, art. 3, ad 4, docet quòd *mendacium habet ex suâ inordinatione esse prorsùs illicitum in omni casu, etiam ad alium à quocumque periculo liberandum;* in eâ tamen occasione, *licet veritatem occultare prudenter sub aliquâ dissimulatione.* Et 2-2, q. 40, art. 5, docet, quòd *dupliciter aliquis potest falli facto, vel dicto alterius. Uno modo ex eo quòd ei dicitur falsum, vel non servatur promissum, et istud semper est illicitum. Alio modo quia ei promissum aut intellectum non aperimus. Hoc autem semper facere non tenemur, quia etiam in doctrinâ sacrâ, multa sunt occultanda maximè infidelibus, ne irrideant.* Indeque concludit S. doctor in bellis justis licitum esse uti insidiis ad occultanda consilia, ne ad hostes perveniant ; neque ejus modi insidias propriè vocari fraudes, nec justitiæ repugnare, nec ordinatæ voluntati. Esset enim inordinata voluntas, si quis vellet nihil sibi occultari. Ergo etiam quandoque erit licitum permittere ut alter dicto nostro fallatur, utendo amphibologiâ aut æquivocatione purè materiali : non enim semper tenemur ei aperire intellectum nostrum ; præceptum quippe veritatis proximo manifestandæ, cùm sit affirmativum, non obligat semper et pro semper.

Item 2-2, q. 89, art. 7, ad 4, ait, quòd *quando non est eadem jurantis intentio et ejus cui juratur, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari, secundùm sanum intellectum ejus cui juramentum præstatur. Unde Isidorus dicit lib. 2 de summo Bono, cap. 31 :* « *Quâcumque arte verborum quis juret, Deus* « *tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit sicut* « *ille cui juratur intelligit ;* » *et quòd intelligatur de doloso juramento, patet per id quod subditur :* « *Dupliciter* « *reus fit, qui et nomen Dei in vanum assumit, et proxi-* « *mum dolo capit.* » *Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundùm intentionem jurantis. Unde Greg. dicit lib. 26 Moralium, cap. 7 :* « *Humanæ aures* « *talia verba nostra judicant, qualia foris sonant : divina* « *verò judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis pro-* « *feruntur. Apud homines cor ex verbis ; apud Deum* « *verò pensantur verba ex corde.* » Hactenùs D. Thom. Quibus verbis S. doctor assignat regulam generalem ad exponendas auctoritates Scripturæ, sanctorum Patrum, et definitiones summorum pontificum quæ ab auctoribus secundæ sententiæ adducuntur, nempe quòd eos duntaxat perstringunt, qui dolo, malâ fide, animoque decipiendi interrogantes et audientes, pravam suam mentem obtegunt mendacio, æquivocatione formali et restrictione purè mentali ; quomodò S. doctor exponit locum Isidori : et eodem prorsùs modo interpretanda sunt alia loca sanctorum Patrum : nullatenùs verò percellunt eos quos gravissima et urgentissima necessitas, justissimaque causa cui aliâ viâ hìc et nunc occurri non potest, cogit dissimulare, et celare veritatem absque dolo, scandalo, aut nocumento aliorum, et verùm bonumque propositum quod mente gerunt, verbis ambiguis in aliquo sensu veris occultare per restrictiones mentales sensibiles et æquivocationes materiales : idque probat D. Thomas auctoritate D. Greg. quæ refertur à Gratiano causâ 22, q. 5, can. *Humanæ aures*, quæ est efficacissima ab probandum tertiam sententiam. Tunc enim verba æquivoca in his circumstantiis verificantur secundùm intentionem et sensum occultum loquentis, quem tamen audientes facilè penetrare possent, si hìc et nunc attenderent, et cor loquentis ex ejus verbis indagarent.

Prob. tamen hæc tertia sententia ratione. Si hujusmodi restrictiones mentales sensibiles, et æquivocationes materiales forent illicitæ et peccaminosæ, hoc ideò esset, quia sunt mendacia, aut quia sunt contra id quod convictus humanus exposcit, ac contra naturam vocum et finem locutionis, aut tandem quia ex earum usu introducuntur plura mala et inconvenientia. Atqui nihil horum dici potest. Ergo non sunt illicitæ et peccaminosæ. Prob. minor sigillatim quoad omnes suas partes. Inprimis quòd non sint mendacia, sic ostenditur. Mendacium definitur à D. August. et D. Thomâ, et ab aliis communiter : *Falsa vocis significatio cum intentione fallendi, seu dicendi falsum assertivè.* Atqui hujusmodi definitio non competit æquivocationibus purè materialibus. Ergo, etc. Prob. minor. In eis non invenitur falsa vocis significatio, cùm verba aut ex se aut ex circumstantiis patiantur et habeant verè sensum ac intellectum à loquente intentum ; celatur et occultatur quidem verum, sed non dicitur falsum, ut ait D. Aug. ; ibi significatio verax aliud ex alio vult intelligi, neque ea verba æquivoca proferuntur à loquente cum intentione dicendi falsum assertivè, eundi contrà suam mentem, et fallendi positivè audientem aut interrogantem, veritatem simpliciter negando ; sed tantùm permittit ut ipse se fallat ex inconsideratione circumstantiarum, occultando veritatem duntaxat, quam non tenetur, nec expedit ipsi manifestare ob justissimas causas, quam tamen occultationem hìc et nunc deprehendere posset, si ad omnia sollicitè et diligenter attenderet. Nec refert quòd loquens tunc intendat et peroptet quòd audiens non advertat neque cognoscat sensum occultum verborum. Non refert inquam, cùm habeat justissimam causam id intendendi et faciendi, nec aliquo præcepto tunc ad contrarium obligetur, et, ut ait D. Thomas, 2-2, q. 40, art. 3 : *Esset inordinata voluntas, si quis vellet nihil sibi occultari.*

Insuper hoc genus restrictionis mentalis sensibilis, et æquivocationis purè materialis non est contra naturam vocum, utpote fini locutionis nullatenùs contrarium : verba enim æquivoca non unam tantùm, sed plures habent significationes; æquivoca namque definiuntur à philosophis, ea quorum nomen commune est : ratio verò significata per nomen est diversa. Undè cùm verba illa ambigua ex se aut ex circumstantiis hìc et nunc occurrentibus, significent sensibiliter etiam hunc intellectum et sensum occultum quem intendit proferens, nihil falsi dicitur, nihilque fit contra earum vocum naturam, finem locutionis, et contra id quod convictus humanus aliquando non exposcat, aut saltem non patiatur.

Tandem ex hujusmodi æquivocationum purè materialium usu, non oriuntur mala et inconvenientia, cùm valdè restringatur ex quatuor conditionibus supra allatis, quæ rarissimum eum faciunt, nempe quòd sit justissima causa, et urgentissima necessitas, cui aliâ viâ nullatenùs occurri possit, de quâ necessitate in particulari an sit sufficiens, judicare debent viri probi et periti. Item quòd respondens non teneatur tunc ex justitiâ, aut religione, aut obedientiâ et aliquo præcepto veritatem nudè declarare, sed jus habeat illam celandi, et permittendi quòd audiens ex seipso fallatur. Item quòd hujusmodi veritatis occultatio ita prosit loquenti ut tamen aliis injustè non obsit, neminique damnum afferat. Tandem quòd verba sensibiliter referant hunc sensum à loquente intentum, etc. His sanè repagulis obviatur omnibus inconvenientibus quæ evenire possent aut timeri, cùm æquivocationum usum non reddant hominibus familiarem, sed rarissimum, ac in paucissimis duntaxat casibus licitum.

Unde tres tantùm attuli ad quorum normam regulandi sunt alii. Primus est de confessario qui interrogatur violenter de peccato audito in confessione, nec silentio, nec fugâ, neque aliâ viâ potest ab eâ interrogatione se expedire; imò ex his, interrogantes devenient in cognitionem peccati confessi. Non potest igitur non respondere absque hæsitatione : *Nescio quid dicis, non audivi tale peccatum?* Secundus est rei cujus crimen est occultum, de quo non interrogatur juridicè. Docet enim D. Thomas 2-2. q. 96, art. 1, quòd *si judex hoc exquirat quod non potest secundùm ordinem juris, accusatus non tenetur ei respondere, sed potest vel per appellationem vel aliter licitè subterfugere; mendacium tamen dicere non licet.* Si autem reus nec appellatione, nec silentio, neque aliâ viâ possit subterfugere, sed respondere cogatur, non tenetur adhuc fateri veritatem, sed licitè potest eam occultare æquivocatione materiali, dicendo, se eo crimine non teneri; hæc quippe verba tunc faciunt hunc sensum : Non commisi crimen de quo me tanquàm judex interrogare valeas, et ad quod tibi confitendum obliger. Tertius tandem casus refertur à nostro P. Vincentio Baronio, ubi supra, dicente quòd eâdem sinceritate, nullâ advocatâ ad fraudem restrictione purè mentali, legatus principis à rege ad quem mittitur rogatus ad quid ille cujus venit nomine, et in quem paret bellum : licet totius rei conscius sit; illæsâ ingenuitate dicere potest se ignorare, etc.

Quis autem non videt quòd si usus æquivocationum materialium non permittatur in his tribus casibus aliisque similibus gravissimis et rarò contingentibus, injuria inuritur sacramento, solvitur sigillum confessionis quod debet esse inviolabile, pervertitur ordo justitiæ et naturæ judiciorum; secreta sub juramento accepta violantur; bonum publicum, religio, templa et regna periclitantur de ruinâ, aliaque irreparabilia damna consequuntur, cùm tamen absque mendacio et inordinatione ullâ vitari possunt? Hanc tertiam sententiam fusè et cum omnibus suis fundamentis retuli et stabilivi exercitii potiùs gratiâ, quàm concludendi animo in hâc gravissimâ et periculosissimâ materiâ, aliisque relinquens judicium; etsi enim probabilior mihi appareat, quia tamen in praxi usus æquivocationum etiam purè materialium, præsertim si frequens extiterit, non caret periculo incidendi in æquivocationes formales et mendacia, perinde ac ex juramentorum frequentatione, facilis est ad perjuria lapsus, ideò sicut Scriptura consulit ne jurationi assuescat os nostrum, imò ut nolimus omninò jurare, quantumvis juramentum sit licitum, ad occasiones scilicet pejerandi tollendas, ita etiam consulendum est hominibus ut nonnisi in extremâ necessitate, et quàm rarissimè utantur æquivocationibus etiam materialibus, ut sic vitent periculum mentiendi.

Præloquium tertium.

DE JUDICIO TEMERARIO, SUSPICIONE ET DUBIO.

Licet tria hæc conveniant in hoc quòd sint de malo proximi, et ex levibus indiciis procedant, verè tamen inter se differunt, habentque diversas rationes formales. *Dubium* enim est quando animus levioribus indiciis non declinat magis in unam, quàm in alteram partem, sed in utramque æquè movetur pendens in æquilibrio, ac in ambiguo suspensus manens, v. g., forsan Petrus furatus est depositum, forsan non.

Suspicio est quando intellectus magis quidem propendit in malam partem, non tamen determinatè firmiterque illi adhæret. Unde quidam eam definiunt, *opinionem mali ex levibus indiciis procedentem, cum formidine alterius partis :* dicentes solùm ab opinione differre, quòd opinio ex suâ ratione est indifferens ad bonum et malum : suspicio verò est determinata ad malum. Satius verò judico, eas in hoc differre inter se, quòd opinio adhæret uni parti cum formidine alterius, seu importat assensum determinatum, licet non firmum neque certum : suspicio verò solùm dicit assensum inchoatum, seu quamdam propositionem et inclinationem tantùm ad assentiendum magis uni parti quàm alteri, nec adhæret : unde nondùm est determinatus ac verus assensus, sed inchoatus duntaxat.

Judicium est firmus ac determinatus assensus in unam partem absque hæsitatione et formidine. Undè judicium temerarium est certa, determinata et defi-

nitiva sententia de intentione malâ proximi, sine sufficienti certitudine, et ex levibus indiciis procedens, cui nulla hæsitatio aut dubitatio admiscetur.

Quare ad constituendum judicium temerarium lethale, tria hæc requiruntur et sufficiunt. Primò quòd judicans firmiter adhæreat huic sententiæ definitivæ de malo proximi, per quòd differt à dubio et suspicione. Secundò quòd oriatur ex levibus indiciis, seu ex causâ insufficienti ad talem assensum prudenter eliciendum; et ob hoc dicitur temerarium : si namque indicia talia forent, quæ de se movere possent quemcumque virum prudentem, ad sic judicandum, tunc judicium non esset temerarium, quantumvis posset esse falsum; in quâ re tamen discernendâ, magnâ opus est prudentiâ. Nam contingere potest, ut aliqua indicia sint levia respectu unius personæ, quæ tamen respectu alterius censentur sufficientia ad judicandum peccatum de illâ; v. g., allocutio personæ gravis et religiosæ cum meretrice in loco secreto, est leve indicium ad suspicandum malum de viro sancto, cùm ad mulieris conversionem ordinari possit : secùs dicendum si id faciat juvenis procax, et libidinosus. Tertiò tandem ut malum quod de proximo judicat, sit grave, illi injuriosum ac infame, ac tale quòd si proferretur exteriùs per detractionem aut contumeliam, sufficeret ad constituendum peccatum mortale : si enim solùm judicat temerariè proximum de peccato veniali, peccat solùm venialiter, magis et minùs graviter, juxta qualitatem indiciorum æstimandi, et affectûs malè dispositi : imò etiamsi judicet de peccato mortali proximi, quod tamen respectu illius non reputatur infame, neque multùm curat de hoc, non videtur tale judicium esse mortale, ut si videns militem quærere cum cum quo habet inimicitias, judicet eum velle se vindicare singulari certamine : aut videns scortum, judicet quærere procos : quia has personas talia facere non pudet : advertendum obiter est majora ad judicandum requiri indicia quàm ad suspicandum, et majora ad suspicandum, quàm ad dubitandum, quia in dubio animus non propendit sed manet pendulus : in suspicione inclinatur ad assensum, illumque inchoat; in judicio verò firmiter adhæret, definitivamque sententiam profert.

Dico quòd judicium temerarium plenè deliberatum, habens istas tres conditiones est peccatum mortale contra charitatem et contra justitiam. Ita communiter auctores. Et graviter prohibetur in Script. Matth. 7 : *Nolite judicare, et non judicabimini.* Et 1 ad Corinth. 4 : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat dies Domini*, etc. Ubi indicat quòd velle judicare de intentione et occultis cordium, est temerè usurpare quod soli Deo competit : et Christus Dominus, Joannis 7, redarguebat Judæos temerè et secundùm apparentiam tantùm de ejus personâ judicantes, dicens : *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Unde judicium temerarium est contra jus divinum positivum, et etiam contra naturale : prohibetur enim indirectè saltem hoc Decalogi præcepto tanquàm radix et origo peccatorum quæ verbis committuntur in judicio et extra illud. Item est contra istud præceptum naturale : *Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris.* Nullus autem vellet temerè ab alio judicari malus. Item unusquisque habet jus ad famam et bonum nomen, donec illud perdat per gesta iniqua quæ improbum illum ostendant et manifestent : nec potest illo jure absque legitimâ et sufficienti causâ spoliari. Atqui dùm temerè ac sine causâ judicatur malus, injustè illo jure spoliatur : non enim retinet ampliùs bonum nomen quod habebat in mente et æstimatione illius qui sic judicat; sed in corde suo illum despicit, ipsique dat injuriosum locum absque rationabili causâ : talis autem contemptus est peccatum mortale ex genere suo, quia est actus injuriosus proximo, eum quantùm est in se notabiliter lædens : importat enim affectum deprimentem ipsum à suâ æstimabilitate per quod à consecutione multorum bonorum impeditur, ut probat Cajetanus in Summâ, verb. *Contemptus*, et innuit D. Thomas 2-2, q. 60, art. 3. Ergo, etc.

Dixi *Judicium temerarium deliberatum* : nam si fuerit solùm repentinum ac subitum, tunc ob imperfectionem actûs erit solùm veniale, ut si quis videns puellam cum juvene loquentem, subitò malum de ipsis judicet, non plenè advertens ad hoc quod cogitat, nec alicui significans, et paulò post ad se reversus, istud judicium depellit; non peccat mortaliter, quia exinde proximo notabiliter non nocet, nec ipsum propriè contemnit : imò quidam ad solatium et pacem conscientiarum timoratarum, volunt quòd quando res solo intellectu peragitur, etiam advertendo et expendendo motiva et indicia per multum tempus, si tamen voluntas deliberatè non consentiat, nec cum intellectu simul statuat et amplectatur tale judicium, non est peccatum lethale, quamvis adsit aliqua negligentia reprimendi aut expellendi illud judicium, quod est in intellectu. Quando autem aliquis dubitat an istud judicium repentinum fuerit, aut deliberatum; et an peccatum mortale, aut veniale commiserit; si aliundè sit conscientiæ timoratæ, habeatque æquale dubium de unâ et alterâ parte, potest credere non fuisse deliberatum, et esse tantùm veniale : secùs si sit persona, non valdè timens Deum, et his vitiis assueta. Imò si declinet magis ad unam partem, nempe quòd judicium sit repentinum, debet se accusare tanquàm de veniali, cum formidine tamen alterius partis et cum istâ conditione, si forsan pervenit ad mortale.

D. Thomas 2-2, q. 60, art. 3, ad 3, docet quòd *judicium interius pertinet ad injustitiam, secundùm quòd comparatur ad exterius judicium tanquàm actus interior ad exteriorem, sicut concupiscentia ad fornicationem, et ira ad homicidium.* Quod explicans Cajetanus ait : *Quemadmodùm ad homicidii vitium reducitur non solùm desiderium occidendi aliquem, sed etiam desiderium quòd aliquis moriatur, quamvis nullo pacto vellet eum occidere, ita ad exterioris judicii vitium reducitur non solùm velle dare damnationis sententiam, sed qualitercumque injustè judicans ex levibus causis : ejusdem enim rationis est injuria temerarii judicii intùs et extra,*

quamvis non sit æquale nocumentum. Ita Cajet. Unde ex se præcisè non obligat ad restitutionem propriè dictam, quæ in rebus exterioribus constituit æqualitatem, sed solùm ad reponendum in mente suâ eum quem judicavit, in pristinum boni nominis statum.

Notat idem D. Thomas loco citato, art. 4, ad 2, quòd *aliud est judicium de rebus, et aliud de hominibus. In judicio enim in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipsius rei de quâ judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipsâ, sed attenditur solùm bonum judicantis si verè judicet; vel malum, si falsò; quia verum est bonum intellectûs, falsum autem malum ipsius. Et ideò unusquisque debet niti ad hoc quòd de rebus judicet secundùm quod sunt. Sed in judicio de hominibus præcipuè attenditur bonum et malum ex parte ejus de quo judicatur, qui in hoc ipso honorabilior habetur, quòd bonus judicatur, et contemptibilis, si malus judicetur. Et ideò ad hoc potiùs tendere debemus in tali judicio quòd hominem judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat. Ipsi autem homini judicanti falsum, judicium quo benè judicat de alio, non pertinet ad malum intellectûs ipsius: sicut nec ad ejus perfectionem pertinet secundùm se cognoscere veritatem singularium contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum.* Hactenùs D. Thomas.

Tandem D. Thomas in eodem art. 3, in corp., advertit *judicia temeraria et suspiciones ex tribus potissimùm causis provenire. Primò ex hoc quòd aliquis ex se ipso malus est : et ex hoc ipso quasi conscius suæ malitiæ, faciliter de aliis malum opinatur. Juxta illud Eccl.* 10 : « *In viâ stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* » *Secundò ex hoc quòd aliquis malè afficitur ad alterum, cùm enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur vel invidet ei, ex levioribus signis opinatur mala de ipso; quia unusquisque faciliter credit quod appetit. Tertio modo ex longâ experientiâ : unde Philosophus dicit in* 2 *Rhetoric., quòd senes sunt maximè suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Primæ autem duæ suspicionis causæ manifestè pertinent ad perversitatem affectûs. Tertia autem causa diminuit rationem suspensionis, in quantum experientia ad certitudinem proficit, quæ est contra rationem suspicionis.* Hactenùs D. Thomas.

§ 1. *An suspicio sit peccatum mortale.*

Loquimur hìc de suspicione plenè deliberatâ, et de re gravi : si enim sit repentina absque plenâ advertentiâ, aut de levi defectu, etiamsi fuerit temeraria et absque sufficienti causâ, est solùm venialis.

Loquimur etiam de suspicione temerariâ deliberatâ præcisè secundùm se intra lineam et rationem suspicionis solùm consideratâ, seclusis aliis adjunctis ex parte suspicantis, nempe si ex odio ac individiâ, maloque affectu erga proximum procedat : tunc enim potest esse lethalis. Verùm trahitur ad aliam speciem peccati : sicut verbum otiosum, licet de se solùm veniale, potest tamen fieri mortale, si à proferente ordinetur ad adulterium perpetrandum, aliumve malum finem. Difficultas ergo solùm procedit de suspicione temerariâ, nempe ex levioribus indiciis sine causâ sufficienti ortâ, plenè deliberatâ, de peccato gravi aut gravissimo proximi; an de se præcisè et secundùm suam naturam et speciem, sit mortale peccatum : de veniali enim non est dubium.

Plures graves auctores docent tales suspiciones maximè circa personas graves et honestas, esse peccatum mortale, ut si quis de viro religioso temerè dubitaret aut suspicaretur incestum cum matre commisisse; aut de moniali, cum suo fratre carnalem habere commixtionem : et sic de cæteris. In his enim gravior istis fit injuria, quàm si temerè judicaret fornicatos esse. Tale autem judicium foret peccatum mortale. Ergo et etiam suspicio : tales siquidem aliquando esse possunt circumstantiæ materiæ et personæ, ut dubitatio reputetur culpa gravis. Ratio est, quia nullus vir gravis, sine magnâ molestiâ ferre potest talem dubitationem vel suspicionem de seipso haberi, nullusque est qui non exinde reputet sibi notabilem injuriam irrogari ac violari jus quod habet ad bonam existimationem in aliorum opinione retinendam, aut qui non mallet temerè judicari de aliis peccatis mortalibus ordinariis, quàm ferre istas suspiciones de gravissimis : vergunt enim in notabilem suî contemptum. Unde si hoc sciret, absque dubio suspicantem inimicum ac suî contemptorem æstimaret. Confirmatur. Sicut deliberata et morosa dubitatio in rebus fidei, in quâ detinetur animus sciens ac volens, est peccatum mortale, quia licet intellectus non assentiatur errori, non tamen assentitur veritati catholicæ prout debet, cùm tanquàm incertam habeat, proindeque sive per multum tempus, sive per breve quis deliberatè dubitet, peccat lethaliter, ita et suspicio et dubitatio deliberata, morosa, temeraria de peccato mortali proximi, quam non repellit nec moderatur ratio.

Ista sententia probabilis est ac tutior, virique timoratæ conscientiæ in praxi solent eam sequi : ab his enim suspicionibus ac dubitationibus, non minùs sibi cavent quàm à judiciis temerariis, et si quando in eas incidunt, accusant se de illis tanquàm de gravibus peccatis. Idem faciendum esse ab omnibus aliis pœnitentibus confessarii curare debent, eosque de talibus culpis diligenter interrogare, utpotè maximam affinitatem habentibus cum judiciis temerariis, et ut plurimùm ex malo affectu suspicantis procedentibus, ac multoties lethalibus. Unde in praxi est consulenda hæc sententia.

Alii verò non minùs graves auctores docent hujusmodi dubitationes et suspiciones esse tantùm peccata venialia, ob scilicet imperfectionem actûs, cùm in eo nullus sit assensus, nec exinde gravis injuria proximo inferatur, nisi procedat ex odio, aliove malo affectu neque perfectè ac completè contineat contemptum proximi, sed tantùm incompletè, inchoativè, ac dispositivè : non enim suspicans aut dubitans, intra se definitivè ac determinatè statuit et dicit, Petrum, v. g., esse improbum, sed tantùm habet propensionem et

dispositionem ad ejus malo assentiendum, ac sinistrè de illo judicandum, sicque non contrariatur perfectè ac completè dilectioni Dei ac proximi. Unde suspicio ista est solùm grave peccatum veniale, disponens ad mortale, nempè ad contemptum proximi completum, ac judicium temerarium.

Sententia ista magnum in doctrinâ D. Thomæ habet fundamentum : ponit enim tres gradus 2-2, q. 60, art. 3. In primo reponit suspiciones et dubitationes. In secundo, judicia temeraria. In tertio, judicium injustum judicis ex levibus procedentis ad aliquem condemnandum; dicitque hunc tertium gradum ad injustitiam pertinere, ideòque esse peccatum mortale. Idem statuit de secundo gradu, in quantum non est sine contemptu proximi, si nempe temerè de aliquo gravi judicetur. Loquens verò de primo gradu dicit, *in hoc esse peccatum veniale : pertinet enim ad tentationem humanam, sine quâ vita ista non ducitur : unde etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est, definitivas sententias continere debemus.* Hæc D. Thomas ex D. August. Confirmatur ex eodem D. Thom. quodlib. 12, art. 34, ubi postquàm statuit quòd in iis quæ sunt peccata mortalia ex genere suo, motus imperfecti non sunt peccata mortalia, sic concludit : *Suspicio autem est quid imperfectum in genere judicii : et ideò est imperfectus motus; et sic non est peccatum mortale ex genere suo, quamvis si fiat ex odio erit mortale peccatum.* Atqui id quod est solùm veniale ex genere suo, nequit fieri mortale remanens intra suam lineam, et nisi trahatur ad aliam speciem. Ergo, etc. His adde quòd quando judicium temerarium est tantùm imperfectum, habens aliquam hæsitationem admixtam, non est mortale peccatum hîc et nunc in individuo, licet sit tale ex genere suo : ita cùm suspicio deliberata ac temeraria, ex genere suo propriâque ratione semper habeat formidinem annexam, erit tantùm veniale peccatum.

Hæc secunda sententia est quidem speculativè probabilior aliâ (1), optimèque salvat differentiam inter judicium temerarium, quod de re gravi est semper mortale, etiamsi non procedat ex odio ac malo affectu : et suspiciones ac dubitationes, quæ solùm disponunt ad illud, sicut veniale est dispositio ad mortale, tantùmque proximi contemptum inchoant, quem complet judicium temerarium. Verùm quia, ut dixi, in praxi et in actu exercito hæ suspiciones deliberatæ de gravi, et à fortiori de gravissimo proximi malo, vix contingere possunt absque pravo adjuncto trahente illas ad aliquam speciem peccati mortalis, debent pœnitentes de illis in confessione se accusare, valdèque timere ne sint culpæ lethales; cùm plures auctores æquè pii ac docti non sine fundamento tales esse existiment et doceant.

§ 2. *Utrùm dubia sint in meliorem partem interpretanda.*

Concludit affirmativè D. Thomas, q. 60, art. 4, quando agitur de bonitate vel malitiâ personarum, non verò rerum et operum, prout ostensum est in calce hujus Prælogui 2. Item si loquamur de interpretatione quæ fit definiendo ac determinando dubia circa personas, licitè in deteriorem partem non possumus interpretari, quia nullus absque causâ cogente debet malum opinari de proximo : licitum nihilominùs est, ita interpretari per quamdam suppositionem; quia dùm debemus aliquibus inconvenientibus obviare, ad hoc ut securiùs remedium apponatur, prudentia dictat expediens esse ut supponamus id quod deterius est, ut probat D. Thomas ad 3. Difficultas solùm est, an dubia de bonitate aut malitiâ personæ per definitionem interpretanda sint in meliorem partem positivè, ita ut assentiamus illi, judicantes esse virum probum; vel sufficiat ita interpretari negativè, seu non in deteriorem partem declinando, sed suspendendo assensum.

Dico primò, supposito quòd tunc dubitans velit exire in actum judicandi, tenetur in meliorem partem dubia interpretari, ac in favorem proximi declinare.

(1) Non admittendum putamus hanc sententiam esse speculativè probabiliorem, siquidem non destruit fundamenta primæ opinionis, nec ipsa principio satis firmo innixa videtur. Quoad fundamenta primæ sententiæ hæc sunt : 1° Scripturæ graviter reprehendunt judicium temerarium, quale frequenter accidit inter homines; porrò non solùm judicium certum venit sub denominatione generica judicii temerarii, sed sub eo nomine usu consueto comprehenduntur etiam veluti totidem illius species, suspiciones, dubia, opiniones; istius modi sunt plerùmque judicia quæ accidunt inter homines et ex quibus oriuntur murmurationes, detractationes, odia; ergo, etc. 2° Ad discernendum utrùm peccatum sit mortale genere suo, considerare necesse est utrùm manendo intra suam speciem possit ad eum gradum malitiæ pervenire quo graviter lædat aliquam virtutem; hoc est principium ab omnibus admissum; si autem apponatur quæstioni præsenti, compertum erit suspiciones, dubia et opiniones aliquando graviter lædere charitatem et justitiam, licet intra suam speciem remaneant. Nimirùm hæc continent judicium propriè dictum : qui suspicatur vel dubitat in materiâ de se gravi pronuntiat saltem valdè dubiam ac suspectam esse virtutem, probitatem, fidem, etc., illius de quo malum temerariò opinatur; eodem judicio illum graviter afficit, adeò ut si manifestaretur exteriùs, sæpè magis iis suspicionibus commoveretur, ac in aliorum hominum mente gravaretur, quàm de judicio magis firmo in aliâ materiâ; v. g., si suspiceris aut dubites de viro pio et gravi quòd hæresi adhæreat, vel sit moribus corruptus, hæc certè gravem ei molestiam inferrent..... Adversarii hæc omnia solvere putant observando has suspiciones esse veluti inchoatum et incompletum judicium; sed hoc labile responsum : præter quòd enim illa verum supponant judicium, eo saltem sensu quòd actu plenè deliberato et ut supponitur valdè temerario, pronuntiatur virtutem proximi esse dubiam ac meritò suspectam, insuper judicium istud, quovis nomine designetur et licet dicatur inchoatum, tamen de se aptum est ad lædendum graviter charitatem et justitiam, ut modò dictum est.

Hinc concludemus, opiniones, etc., esse peccatum mortale genere suo; in individuo autem tale erit quoties occurrent conditiones communiter assignatæ, scilicet actus plenè deliberatus, materia gravis, vera et injuriosa temeritas defectu motivorum. Ita C. de Lugo, de Jure, disput. 14, sect. 2, n. 15 et seq.; B. Liguori, lib. 3, n. 964; Billuart, dissert. 7, art. 2, et alii plures. Hanc sententiam Lugo vocat communem inter recentiores. (Edit.)

Ratio est quia proximus est in possessione suæ famæ, habetque jus ad bonam de se æstimationem, quamdiù causa sufficiens non suppetit ut ab eâ deturbetur, malusque judicetur : conjecturæ autem dubiæ non præbent ad hoc sufficiens fundamentum. Ergo si fiat judicium tunc de bonitate aut malitiâ proximi, positivè debet existimari bonus, quia in dubio melior est conditio possidentis adhuc suam famam.

Dico secundò, quòd quando occurrit istud dubium, non tenetur homo statim illud positivè in meliorem partem interpretari, prorumpendo in actum judicii de bonitate talis personæ ; sed potest suspendere actum in nullam partem declinando, immotus permanens in dubio illo. Ratio est, quia est sufficiens ratio dubitandi : et in tali casu suspensio illa est opus ex naturâ suâ neutrum ; sicque tunc intellectus abstinens à judicando, se habet conformiter ad rectam rationem, prout natura objecti postulat. Hinc judex in re dubiâ, non tenetur omninò absolutè judicare reum esse innocentem, sed tantùm in casu quo velit judicium prosequi, ac ferre sententiam. Neque proximus ex hâc suspensione contemnitur : iste enim contemptus sufficienter evitatur per hoc quòd in isto dubio non habeatur mala opinio de illo, sed potiùs dispositivè habeatur bona ex suppositione quòd de ipso fiat judicium. Solùmque contemnitur quando ex illo dubio positivè judicatur malus, cùm habeat tunc jus ut alii de eo benè judicent, donec legitimè constet de contrario, supposito quòd velint proferre sententiam definitivam ; et ut ait D. Thomas ex hoc ipso quòd aliquis habeat malam opinionem de alio absque sufficienti causâ, injuriatur ei, et contemnit ipsum.

QUÆSTIO PRIMA.

DE INJURIIS VERBORUM EXTRA JUDICIUM.

De hâc materiâ tractat D. Thomas, 2-2, q. 72, usque ad 77 inclusivè, agendo de contumeliâ, detractione, susurratione, irrisione et maledictione : ad hæc enim ut plurimùm reducuntur injuriæ verborum quibus proximus extra judicium læditur. Contumelia impetit honorem. Detractio tollit famam, susurratio dissolvit amicitiam, irrisio causat erubescentiam ; maledictione tandem proximo malum imprecatur et optatur. De his vitiis aliquid tetigimus supra, in tract. de Restitutione in particulari ortâ ex læsione honoris et famæ. Nunc sermonem principaliter instituimus de detractione, quia juxta illam regulanda est contumelia ut patebit in sequentibus. De his fusè agitur in tract. de Just.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sint detractio et contumelia, ac quot modis fieri soleant.

Detractionem rectè definivit D. Thomas, 2-2, q. 73, art. 1, dicens quòd est *denigratio alienæ famæ per occulta verba.*

Ex quo patet detractionem differre à contumeliâ, primò, ex objecto ; siquidem contumeliæ objectum materiale est honor, quem impetit : objectum verò detractionis est fama, quam obscurat, denigrat, quandoque et omninò aufert : fama autem consistit in bonâ opinione et existimatione quam homines intùs in corde habent de probitate, de bonis ac dotibus alicujus personæ : honor verò consistit in quâdam testificatione exteriori et reverentiâ quæ exhibetur alteri propter aliquam ejus excellentiam.

Differt secundò quantùm ad modum proponendi verba, quia contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur et dehonorat præsentem ac audientem per se loquendo : detractor verò occultè, id est, in absentiâ illius de quo detrahit : nec ex hoc quòd postea eidem verba referantur ab aliis, tollitur ratio detractionis : id enim omninò per accidens evenit, ac præter intentionem detrahentis. Quòd si aliquis in præsentiâ alterius verba contumeliosa proferret cum intentione ipsum infamandi apud audientes, tunc duo peccata specie distincta in confessione explicanda, detractionis scilicet et contumeliæ, committit. Idque D. Thomas explicat exemplo satis apposito, dicens quòd *sicut facto aliquis nocet alteri dupliciter, primò manifestè, ut in rapinâ vel quâcumque violentiâ illatâ ; secundò occultè, sicut in furto et dolosâ percussione ; ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit. Uno modo in manifesto, et hoc fit per contumeliam : alio modo occultè ; et hoc fit per detractionem. Ex hoc autem quòd aliquis manifestè verba contra alium profert, videtur eum parvipendere ; unde ex hoc ipso dehonoratur. Sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis quàm parvipendere. Unde non directè infert detrimentum honori, sicut facit contumelia ; sed famæ, in quantum hujusmodi verba occultè proferens, quantùm in ipso est, eos qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo contra quem loquitur : hoc autem intendere videtur, et ad hoc conatur detrahens, ut ejus verbis credatur.* Habemus igitur quòd objectum formale contumeliæ est læsio honoris injustè per violentiam et in manifesto passa : objectum verò formale detractionis est famæ ablatio injustè per ignorantiam passa in occulto, seu in absentiâ ejus de quo detrahitur : et sicut in aliis commutationibus involuntariis, ut in rapinâ et furto, occultum et manifestum diversificant rationem peccati, quia alia est ratio voluntarii per violentiam, et per ignorantiam, ut supra dictum est, ita etiam diversificant detractionis et contumeliæ peccata, ita ut sint duæ species distinctæ. Habemus insuper contumeliam esse *inhonorationem alterius per verba manifestè et in præsentiâ illius ad ipsum vilipendendum prolata.* Quamvis non semper ille cujus honor læditur, ea verba audiat, contumeliosus tamen eâ intentione verba illa profert, aut litteris et libellis mandat, ut ad ejus notitiam et aures perveniant ; et quoniam factis etiam quis contemni ac vilipendi potest, factis quoque contumelia exercetur, non quatenùs facta sunt, sed quatenùs induunt rationem signi et verborum, ut si quis cornua appendat foribus domûs alterius ad deducendum in notitiam ejus et aliorum adulteria uxoris. Item si quis effringat domum, non ad furandum, sed ad vilipendendum dominum, est contumeliosus : et sic de cæ

teris. Vide D. Thom., 2-2, q. 72, art. 1. Et ibidem S. doctor in resp. ad 3 argumentum docet *idem dicendum de improperio et convicio. Nam materialiter quidem differunt à contumeliâ, quatenùs contumelia propriè significat defectum proximi in aliquo malo culpæ, ut cùm dicimus eum esse hæreticum, furem, etc. Per convicium verò repræsentatur generaliter malum culpæ et pœnæ, ut si quis dicat alteri eum esse cœcum. Improperium tandem præcipuè consistit in hoc quòd quis injuriosè alteri exprobret, et in memoriam reducat auxilium vel beneficium quod ipsi in necessitate constituto præstitit, juxta illud Eccles.* 20. « *Exigua dabit, et multa improperabit.* » *Formaliter et specie tamen hæc tria non differunt, quia consistunt in verbis, et ad idem referuntur, nempe ad significandum defectum alicujus in detrimentum honoris ipsius. Unde hæ voces promiscuè pro uno et eodem accipi solent.* — Et q. 73, art. 1, ad 3, ait D. Thomas *quòd aliquis dicitur detrahere, non quia diminuat de veritate, sed quia diminuit famam alterius. Quod quidem fit directè vel indirectè : directè quidem quadrupliciter : uno modo quando falsum imponit alteri ; et tunc dicitur calumnia ; secundò quando peccatum adauget suis verbis ; tertiò quando occultum crimen proximi manifestat contra ordinem juris ; quartò quando id quod est bonum, dicit malâ intentione factum. Indirectè verò negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo vel minuendo.*

Dico detractionem formalem ex genere suo esse peccatum mortale contra justitiam : in individuo tamen posse esse tantùm veniale peccatum. Idemque dicendum de contumeliâ.

Explicatur conclusio : Detractio quandoque potest esse solùm materialis, ut dùm quis ex loquacitate tantùm de proximo detrahit, absque tamen intentione lædendi ejus famam. Et tunc cùm juxta D. Thomam, q. 73, art. 2, peccata verborum, ex intentione proferentis maximè sint metienda, non committitur peccatum mortale, nisi verba quæ proferuntur sint ita gravia ut notabiliter famam proximi lædant, et præcipuè in iis quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia tunc detrahens, famam proximi denigrat voluntariè indirectè, quatenùs poterat et tenebatur advertere ad proximi nocumentum, nec cessare curavit ab ejus tantâ læsione, reditque actus in naturam suæ formæ. Detractio verò formalis est cùm quis ex intentione lædendi famam alterius de eo detrahit, sive fiat dicendo verum, sive falsum, sive asseverando, sive referendo, sive addendo, sive minuendo, sive interpretando, sive tacendo, et quovis alio modo : et hanc detractionem formalem dicimus esse peccatum mortale ex genere suo, cum D. Thomâ, q. 73, art. 2, idemque de contumeliâ formali affirmandum est ex eodem D. Thomâ, q. 72, art. 2.

Probatur : Quod per se loquendo et secundùm suam rationem ordinatur ad injustè auferendum notabile proximi bonum, est peccatum mortale ex genere suo, ut constat de furto. Atqui detractio et contumelia per se tendunt ad auferendum magnum proximi bonum, nempe famam et honorem, quod tantoperè commendatur Eccles. 11 et Proverb. 22. Ergo sunt peccata ex genere suo lethalia, cùm sint contra charitatem, et contra justitiam, tam benè, imò magis quàm furtum et rapinâ ; quia Scripturâ teste honor et fama longè præponderant thesauris pretiosis, omnibusque divitiis. Verùm sicut licet furtum ex genere suo sit peccatum mortale, in individuo tamen potest esse solùm veniale, puta ratione indeliberationis, vel parvitatis materiæ, ita detractio et contumelia formalis. Porrò in his materia potest esse levis, vel ex parte defectûs solùm venialis qui manifestatur, ut si dicatur de Petro quòd mendacium jocosum protulit : quod tamen est limitandum, nisi persona talis sit, ut ejus fama graviter lædatur ex eâ manifestatione, puta si de episcopo aliâve gravi personâ dicatur eum habere consuetudinem mentiendi. Vel secundò ex parte personæ, puta cujus fama non graviter læditur de gravi peccato quod de eo narratur, ut si dicas de milite, illum commisisse duellum, aut illicitis amoribus deditum. Hoc tamen in praxi est valdè periculosum. Vel tertiò denique ex parte auditorum, ut si apud plebeium aut puerum dicatur ille defectus, dummodò absit scandalum et ulterioris publicationis periculum ; quod tamen rarò abesse constat ; unde in his cautè est procedendum. Hinc habetur gravitatem vel levitatem detractionis et contumeliæ non semper mensurandam esse ex gravitate vitii et criminis quod objicitur et manifestatur de proximo, sed ex gravitate infamiæ inde subsecutæ ac damni inde illati. Quare non solius et cujuscumque peccati mortalis ab altero patrati narratio, est peccatum mortale in hâc materiâ, eò quòd inde non semper illius fama notabiliter lædatur, ut constat, nec inde possit tantùm graviter lædi, sed quandoque ex narratione defectûs solùm venialis hæc notabilis infamatio proximi oriri valeat, prout satis indicat D. Thomas, q. 73, art. 2. Sunt enim quædam personæ, quæ ex manifestatione cujuslibet inhonesti etiam levis, graviter infamantur ut religiosi, moniales, puellæ nubiles, etc. Igitur ex quantitate nocumenti, ex qualitate personæ de quâ detrahitur, ex auctoritate personæ detractoris, ex dispositione ac indole audientium et ex aliis circumstantiis quæ hic et nunc occurrere possunt ad generandam gravem proximi infamiam ac notabile nocumentum, de gravitate detractionis est judicandum, idemque de contumeliâ dicendum. Ex hâc regulâ innumeri casus in praxi occurrentes facilè resolvi possunt. Item, si quis propter causam necessariam, vel propter aliquod bonum publicum aut privatum, defectus proximi manifestet quibus et ubi oportet, non intendens ejus infamationem, sed illius emendationem, denuntiando adhibitis circumstantiis necessariis, servatoque ordine correctionis fraternæ ; aut accusando apud judicem et superiorem propter bonum justitiæ publicæ, non peccat. Hinc à peccato detractionis excusantur qui ad vitandum grave damnum publicum aut privatum, quod ex occulto alterius peccato hominibus imminet, illud revelant sive in judicio, sive extra judicium, iis qui prodesse possunt, servatis tamen servandis, et quando alia via commodior non suppetit ad iis incommodis obviandum. Tunc enim iste

non habet jus ad suam famam cum tanto aliorum detrimento, si ab eo causando cessare nolit, neque ejus fama directè per se et ex intentione manifestantis lædituir, sed tantùm proximi damnum vitatur, ex quo indirectè et per accidens sequitur alterius infamatio, et quasi ex necessitate permittitur, ac ex justâ causâ. Hæc etiam regula est observanda : ex cà siquidem plures casus in hâc materiâ occurrentes resolvi possunt, ut colligitur ex D. Thom., 2-2, quæst. 72, art. 2, et q. 73; art. 2. Unde etiam si mihi secretum commiseris, et ego acceptaverim, de jure naturæ debeo illud prodere, si rempub. aut aliquem innocentem graviter et injustè vexes, nec ab injuriâ desistere velis, neque sit alia via tale damnum impediendi. Quæ sanè valdè sunt notanda.

§ 1. *Utrùm crimen occultum proximi revelare uni soli viro prudenti, qui secretum apud se retinebit, sit detractio gravis.*

Certum est inprimis quòd imponere alteri falsum crimen illudque uni viro etiam prudenti narrare, est peccatum mortale, magis quàm judicium temerarium. Unde solùm difficultas est de crimine vero, sed occulto. Et quidem certum est quòd si adsit justa et rationabilis causa, licitum est illud narrare viro prudenti, qui prodesse, non obesse creditur, ut dùm peccata filiorum ac servorum manifestantur patri, aut domino. Idem, dùm femina concilii capiendi causâ declarat suo confessario personam quæ eam ad malum incitat, dùm non potest aliâ viâ huic periculo mederi. Et sic de aliis. Quare dubium tantùm procedit de eo qui ex loquacitate, imprudentiâ ac levitate id facit.

Quidam negant istum mortaliter peccare, si non adsint aliæ circumstantiæ, nihilque aliud mali ac nocumenti huic proveniat et timeatur, quia fama consistit in bonâ opinione multorum, et non unius duntaxat.

Affirmant verò alii, quia, ut ait D. Thomas, q. 73, art. 1, ad 2 : *Si uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto sed in parte.* Unde infamia non solùm est quando apud plures, sed etiam quando proximus apud unum infamatur, quem pluris æstimat quàm decem alios : mallent enim ordinariè homines peccata sua nota esse decem viris plebeis minimæ auctoritatis, quàm uni soli viro gravi, quem reverentur et cujus bonam æstimationem habere totis viribus curant : quamvis enim sit minus tunc periculum evulgationis, tamen apud istum perditur bona æstimatio, quæ jactura censetur gravis etiam secluso periculo ulterioris nocumenti, prout constat de judicio temerario, quod de gravi alterius nomine formatum, est lethale peccatum, etiamsi fama illius qui judicatur, non in toto, sed in parte corrumpatur, nec bona de illo opinio apud omnes, sed duntaxat apud judicantem auferatur : et certè cùm ad peccatum mortale furti non requiratur ut quis proximum omnibus omninò suis bonis spoliet, sed sufficit ut in parte notabili de illis sibi usurpet, cur ad lethalem detractionem necesse erit quòd fama alterius in toto et apud omnes corrumpatur, et non sufficiet quod in parte et apud unum solum notabiliter lædatur ? unde videmus quòd ad mortalem contumeliam non requiritur indispensabiliter, quòd aliquis per eam omnem suum honorem et apud omnes amittat, sed sufficit quòd injustè notabilem patiatur inhonorationem, etiam ab uno solo contumelioso in secreto, et absque testibus, prout innuit D. Thomas loco citato.

Hæc secunda sententia probabilior apparet, et in praxi consulenda est. Si enim quis animo nocendi proximo, grave illius peccatum occultum manifestet, uni soli viro auctoritate pollenti, ut prælato, absque legitimâ et rationabili causâ, sine dubio graviter peccat : imò si absque tali animo nocendi, detractione solùm materiali illud narret, absque debito ordine et rationabili motivo, sed ex merâ loquacitate, indeque consequatur grave damnum huic homini, non potest excusari hujusmodi loquax à gravi peccato contra justitiam, ut fatetur utraque sententia. Tandem si ex hâc loquacitate tollatur solummodò bona opinio et fama illius apud prælatum, vel potentissimum virum, cui iste placere exoptat, cujusque jacturam agriùs fert quàm bonæ opinionis apud multos alios, adhuc non excusarem prædictum loquacem à gravi detractionis peccato : tunc enim censetur notabiliter injustè proximum lædere ; nec vellet talia de seipso narrari, sicque facit contra illud præceptum naturale : *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris;* etiamsi non sit timenda alia jactura, quàm deperditio famæ apud audientem. Hinc colligitur primò, religiosos æquè ac seculares teneri sub præcepto et sub peccato observare ordinem secretæ monitionis et fraternæ correctionis, à Christo Domino, Matth. 18 præscriptum : non enim aliud Evangelium secularibus, aliud verò religiosis exhibuit : proindeque nullum religiosum posse occultum fratris grave peccatum, omissâ secretâ monitione, ubi profutura speratur, statim immediatè denuntiare superiori, etiam tanquàm patri, quantumcumque viro prudenti, discreto, pio, mansueto, etc. Saltem stando in jure communi, quidquid sit de statutis aliquorum religiosorum in particulari, qui isti juri ad famam renuntiàsse dicuntur ; abstrahendo, inquam, ab ea constitutione particulari, quam tamen nec esse necessariam, neque expedire ad rectam gubernationem ac ad observationem regularem in suo robore stabiliendam et conservandam, non pauci viri graves æquè pii ac docti existimant, neque Christus instituisset correctionem fraternam, si bono communi religionis et perfectioni religiosorum spirituali obstaret.

Probatur primò ex D. Thomâ, 2-2, quæst. 33, art. 7, ubi docet quòd *quando prælatus præcipit, ut sibi dicatur quòd quis sciverit corrigendum, præceptum intelligendum est sano salvoque ordine fraternæ correptionis, et si expressè prælatus contra hunc ordinem à Domino institutum ; et ipse peccaret præcipiens, et ei obediendum, juxta illud Actor.* 5 : « *Obedire oportet Deo « magis quàm hominibus.* » Et ibidem ad 4, ait, quòd *proclamationes quæ fiunt in capitulis religiosorum, sunt de aliquibus levibus quæ famæ non derogant : unde sunt*

quasi quædam commemorationes potiùs oblitarum culparum, quàm accusationes et denuntiationes. Si tamen essent talia de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui per hunc modum fratris peccatum publicaret. Nec oppositum docet S. doctor quodlib. 11, q. 10, art. 18, dicens : *Si videtur quòd correctio meliùs fiet per prælatum; et prælatus nihilominùs sit pius, discretus, et spiritualis, non habens rancorem, seu odium adversùs eum subditum, tunc licitè potest quis ei denuntiare, quia tunc non dicit ei sicut prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi et ejus emendam.* Ibi enim supponit D. Thom. quòd secreta monitio fratris à religioso facta et tentata non profecerit, aut quòd nulla sit spes emendæ si adhiberetur. Nam S. doctor immediatè ante hæc verba dixerat : quòd *denuntiationem præcedere debet fraterna admonitio, quia finis hujus est emendatio proximi : et ideò servari debet ordo fraternæ correctionis; quòd si scio quòd frater per me corrigetur, tunc hoc non debeo denuntiare prælato.* Dùm verò delinquens post secretam admonitionem non fuit emendatus, procedendum est ad secundum gradum, ac adhibendi sunt testes, et tunc adhiberi potest etiam prælatus tanquàm testis et singularis persona, quæ prodesse possit, ut satis seipsum explicat S. doctor loco citato.

Quomodò etiam in Summâ, 2-2, q. 33, art. 8, ad 4, explicat hæc verba D. Augustini in Regulâ : *Antequàm aliis demonstretur per quos convincendus est, si negaverit priùs præposito debet ostendi*, etc., dicens D. Augustinum intelligere, quod priùs prælato dicatur, secundùm quòd est singularis quædam persona, quæ magis potest prodesse quàm alii. Semper tamen D. August. et D. Thom. supponunt præcessisse secretam monitionem. Nam D. August. immediatè ante verba allata dixerat : *Statim admonete, ne malè cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem post admonitionem iterùm atque iterùm*, etc. Et D. Thomas quodlib. citato, ait : *In omnibus his tenendum est pro regulâ, quòd semper servanda est charitas.* Non servatur autem charitas, quando frater ante secretam monitionem ubi pro futura separatur, infamatur apud prælatum. Ergo, etc. Et, 2-2, q. 33, art. 7, ad 5, ait, quòd, *prælatus occultorum judex non est, sed solus Deus : unde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur*, etc.

Probatur ratione deductâ ex S. doctore loco cit. : *Ratio hujus præcepti naturalis et divini à Christo statuti comprehendit etiam religiosos : lex enim naturalis et vinculum charitatis quo religiosi debent esse inter se invicem ligati, dictat ut quando sine boni communis, aut tertii dispendio, occurri potest et conscientiæ et famæ fratris simul, id fiat sine earum læsione. Supponimus autem quòd per secretam monitionem frater emendari possit, ejusque fama conservari. Ergo non debet nec licitè potest aliâ viâ emendari per ejus infamiam apud prælatum : sicut malè procederet medicus qui posset suavi medicinâ et absque abscissione membri infirmum curare, veliet tamen adhibere ferrum et ignem.* Iste D. Thomæ discursus pro omnibus omninò hominibus concludit. Nec religiosorum fama vilis est, sed majoris pretii quàm aliorum, nec minùs ad eam conservandam jus habent : quamvis enim non sint sui juris quantùm ad ea quæ vovent, sunt tamen sui juris quoad conservationem suæ famæ, proindeque et quoad ea quæ in famæ gratiam et favorem Dominus mandavit : nec inconvenientia quæ timentur et consequentur ex neglectu ac prætermissione ordinis evangelici in correctione servandi, minùs tangunt religiosos quàm seculares; imò in illis majora oriri solent ac timeri debent, nempe odia, dissensiones, jurgia inter fratres et effrenata peccandi occasio in eo qui se videt infamatum, creditque nihil ampliùs se habere quod perdat sublato hoc freno. Tandem non minùs imò magis probabiliter separatur emenda religiosi, quàm secularis per secretam monitionem. Ergo, etc. Cum quo tamen stat quòd cùm homo sit dominus propriæ famæ, possit huic juri renuntiare ob humilitatis, patientiæ, aliarumque virtutum exercitium, ac propter bonum commune congregationis in quâ degit. Et tunc immediatè referre defectus fratris ad superiorem, non est contra jus naturale, cùm scienti ac volenti nulla fiat injuria, neque contra Christi præceptum. Nam Christus illum ordinem servari voluit, prout etiam lex naturalis præscribit, ne scilicet fiat injuria fratri, cui tamen in nostro casu nulla fit. Sicut lex naturalis et divina vetat usurpare alienum domino invito : quando autem dominus consentit, ut alter bona accipiat, nullus ipsorum facit contra legem. Cùm tamen Christus, sapientia æterna, hunc ordinem de correctione fraternâ ante denuntiationem superiori faciendam, instituerit, procul dubio modus iste per se loquendo est optimus, et à cunctis eligendus ac tenendus : aliàs si perniciem Ecclesiæ ac religionibus afferret, de hoc non esset præceptum, sed neque consilium, ut rectè ait Bannes.

Colligitur secundò pœnitentem non posse licitè nominare ac prodere complicem peccati ipsi confessario, quando illa manifestatio non est absolutè necessaria ad explicandum peccatum, nec ad capiendum consilium vel auxilium, etc.; quia graviter infamat proximum absque justâ causâ. Et ob hoc quando manifestatio complicis est circumstantia necessariò explicanda ad confitendum integrè suum peccatum, adhuc tenetur occultare illius personam, nomen tacere, et quærere alium confessarium, qui non possit in ejus notitiam devenire, aut differre confessionem, quousque illius nactus fuerit opportunitatem, si absque scandalo et inconvenienti confessio differri valeat, ut tenent communiter auctores. Quòd si ex loquacitate, aut incuriâ, pœnitens in confessione complicis notitiam dederit confessario, tunc debet confessarius ipsum monere, ut statim de hoc peccato se accuset, et curare quantùm potest hujusmodi infamationem complicis impedire quando prævidet pœnitentem in tale peccatum detractionis casurum, cùm ad id teneatur ex charitate et ex officio.

A fortiori nequit confessarius urgere pœnitentem, ut sibi declaret personam ac nomen complicis, eo fine

tantùm ut eum corrigere ac emendare ipsemet valeat aut curet. Ratio est quia tunc confessarius injuriam facit pœnitenti injectis scrupulis minisque adhibitis suspendendi ei absolutionem, aliisque technis illum adigendo ad nominandum complicem, utpotè ab eo exigens aliquid ad quod non tenetur, cùm ex Trident. sess. 14, cap. 5, pœnitens solùm obligetur ad confitendum proprium peccatum cum circumstantiis ad ejus explicationem necessariis; et ob hoc nequit obligare pœnitentem ad sibi proprium nomen declarandum, cùm etiam pœnitens nequeat declarare complicem sine peccato, et sine periculo seipsum extra tribunal infamandi apud alios, incurrendi odia, dissensiones, aliaque damna. Imò etiamsi pœnitens teneretur facere correctionem complici, adhuc confessarius non posset ad hunc finem inquirere nomen et personam illius, ac pœnitentem inducere ut se potiùs quàm alium assumat ad hanc correctionem extra tribunal faciendam, cùm teneatur pœnitens observare correctionis ordinem à Christo præscriptum, et si oporteat ad secundum gradum descendere ipsi liberum sit adhibere testes quos voluerit. Unde confessarius fraude ab eo involuntario id extorquere censetur. Item confessarius iste injuriam facit Pœnitentiæ sacramento, cùm reddat confessionem odiosam : tum quia tale sacramentum tendit ad solius pœnitentis accusationem, absolutionem et emendationem, ita tamen ut ad forum exterius prodi nequeat : nequidem ad correctionem et monitionem ipsius pœnitentis, à fortiori nec complicis; tum quia confessio ex naturâ suâ et ex Christi Domini institutione nullatenùs ordinatur ad correctionem alicujus tertiæ personæ extra tribunal tanquàm medium ad finem. Quia cùm sit superioris ordinis, per se nequit ordinari tanquàm medium ad correctionem proximi, utpote quæ est inferioris ordinis; aliàs ad hoc præstandum non esset opus licentiâ ipsius pœnitentis. Unde Christus non instituit nec posuit confessionem inter gradus correctionis extra tribunal, et Ecclesia modum istum hucusque ignoravit : non parva autèm temeritas est uti sacramentis alio fine quàm eo propter quem instituta fuêre. Tandem confessarius iste facit injuriam complici, utpote qui ex eâ confessione sine justâ causâ infirmatur, nullumque beneficium percipit : non enim à suo peccato absolvitur, sicut pœnitens.

Addi possent innumera inconvenientia ex hoc abusu oriri solita, quæ nulla humana prudentia præcavere potest. Colligunt tertiò aliqui, pœnitentem etiam dùm nequit aliter suum peccatum integrè explicare, nisi manifestando personam complicis confessario, ut dùm commisit incestum cum sorore quam unicam habet, confessario notam, nec potest alium adire confessorem, et instat necessitas confessionis, tunc non teneri, imò nec posse explicare illam circumstantiam incestûs, sed solùm debere confiteri fornicationem, quousque invenerit postea alium confessarium nescientem hunc habere unicam sororem cui tenebitur facere confessionem omninò integram tam materialiter quàm formaliter. Ratio cur iste pœnitens ad id non teneatur, est quia si pœnitens probabiliter crederet ex confessione sui peccati oriri proximo aliquod grave damnum temporale ex malitiâ confessarii, non teneretur illud explicare, sed tacere posset. Item si sit morale periculum quòd confessarius apud alios sit diffamaturus complicem, licitè potest illam circumstantiam tacere. Tandem femina non tenetur juveni confessario graviora luxuriæ peccata sua explicare, cum probabili periculo ne ruat in peccatum : ergo etiam ad vitandam illam gravem complicis infamationem apud confessarium licitè potest eam circumstantiam tacere : integritas quippe materialis confessionis, non obligat cum tanto proximi nocumento, sed tunc sufficit quòd sit integra formaliter. Ratio verò cur pœnitens nec etiam possit licite id facere, est quia dùm in uno eodemque casu concurrunt duo præcepta, quæ simul observari nequeunt, majus est adimplendum. Atqui in proposito concurrunt simul duo præcepta incompatibilia : Unum faciendi confessionem etiam materialiter integram; aliud de non infamando proximo; et istud est longè majus, utpotè juris naturalis et divini, quàm aliud quod est solùm juris positivi. Ergo, etc.

Verùm alii probabiliùs ac tutiùs contrarium affirmant cum D. Thomâ in 4 Sent., dist. 16, q. 3, art. 2, et in quarto lib. ad Hannibaldum, dist. 16, art. 3, ad 5, et opusc. 12, ubi ait, quòd *homo in confessione alterius famam custodire debet, quantùm potest, sed suam conscientiam magis purgare debet : et ideò si circumstantia quæ ducit in cognitionem personæ, sit de necessitate confessionis, tunc debet confiteri occultando personam quantùm potest*, nempe quærendo alium confessarium qui eam non cognoscat, vel differendo confessionem, etc. Si tamen ad eas angustias sit redactus ut teneatur tunc confiteri, nec possit alteri confessario quàm illi qui personam cognoscit aperire illam circumstantiam, debet eam confiteri ad purgandam conscientiam suam, etiamsi inde per accidens, indirectè et contra illius intentionem consequatur infamatio complicis apud confessarium. Habet enim tunc pœnitens causam rationabilem et justam necessitatem utendi hoc jure suo. Si enim ex justâ necessitate aliquis justè possit uni viro prudenti qui secretum retinebit, revelare peccatum occultum alterius, puta ad petendum ab eo auxilium vel consilium, quantò magis poterit complicem manifestare confessario ad purgandam conscientiam, quando id est necessarium ad ritè peccatum suum in confessione explicandum? Ratio est quia ille qui voluntariè se facit alicujus criminis socium, voluntariè se constituit circumstantiam talis delicti, proindeque si hoc crimen in judicio sufficienter cognosci nequeat absque tali manifestatione, ille qui habet jus narrandi judici delictum, habet quoque jus ad manifestandam illam circumstantiam, nec in hoc facit injuriam complici. Ergo, cùm in nostro casu pœnitens habeat jus declarandi integrè suum peccatum, habet etiam jus manifestandi complicem, qui sciens et volens hanc obligationem contraxit, quique eodem privilegio fruitur declarandi socium quando volet confiteri istud peccatum. Et ex hâc ratione con-

velluntur adversariorum fundamenta. Ultrò enim illis concedimus ex hâc declaratione circumstantiæ indirectè et per accidens complicem subire aliquam infamationem apud confessarium in nostro casu : negamus tamen id esse illicitum ac peccatum detractionis, cùm complexu suâ culpâ alium ad has angustias redegerit : ex quo enim voluntariè peccaverit, probè sciens istud peccatum aliquando esse integrè confitendum, seu cum hâc circumstantiâ personæ, censetur hoc ipso cessisse juri suo ad famam apud confessarium, si ex narratione peccati indirectè et per accidens contingat, puta si omnibus pensatis et tentatis confessio alteri confessario fieri nequeat, quàm illi qui ipsos novit. Verùm de his fusiùs tract. de Just.

§ 2. *Utrùm quando crimen alicujus est publicum, narrari possit absque peccato detractionis.*

Tanta potest esse publicitas criminis alicujus, ut tollat ab eo qui illud patravit, jus ad famam, tribuatque omnibus facultatem loquendi ac narrandi etiam nescientibus. Difficultas solùm est an quando est publicum in uno loco, possit absque peccato evùlgari in alio ubi nescitur.

Duplex autem in proposito potest esse publicitas criminis, una juris, quando scilicet transiit in rem judicatam, seu de eo constat per publicam judicis sententiam et rei punitionem. Altera facti, quando nimirùm in præsentiâ multorum, vel in loco publico eo tempore quo multis innotescere potuit, perpetratum fuit.

Dico quòd quando quis est infamatus in uno loco, hoc ipso quòd ejus verum crimen sit ibi notorium jure vel facto, qui absque sufficienti causâ, necessitate et utilitate illud narrat ignorantibus, aut scribit hominibus in locis adeò remotissimis degentibus ut ad illos nunquàm aut nonnisi difficilè aut per longum tempus ejus notitia foret perventura, non peccat contra justitiam, præciso quocumque alio nocumento extrinseco, si id non faciat ex odio, invidiâ, etc.

Probatur de crimine notorio publicitate juris. Nam judex posset suam sententiam typis mandatam ad omnia loca etiam remotissima transmittere : imò videtur intendere, ut quantùm fieri potest, ubique publicetur, cùm curet sententiam et supplicium rei exequi in locis publicis in diebus mercatûs quando est major hominum concursus. Ergo narrantes ubique non peccant contra justitiam sese conformantes rationabili voluntati judicis in manifestatione justæ sententiæ.

Probatur etiam de delicto notorio notorietate facti. Qui enim non timuit in loco publico illud de die perpetrare, non videtur curâsse ut sciretur, ac publicaretur, sed cessisse juri quod habebat ad famam ; ipsaque facti publicitas unicuique loquendi de eo facultatem tribuit : advertendum tamen quòd si Romæ aliquis peregrinus, v. g., Hispanus, Italis omninò incognitus, aut aliquis alius larvatus in publico turpe aliquod facinus perpetrâsset, non ideò ejus amici qui id sciunt aut cum ipso erant, poterunt in patriâ illum de hoc infamare, quia scilicet Romæ non fuit notorium hanc personam determinatè, v. g., Petrum, sed duntaxat quemdam ignotum, istud facinus commisisse.

Quandoque etiam contra charitatem non est, crimen notorium in uno loco, narrare in alio : semel enim publicatâ alicubi infamiâ delicti et personæ, homines habent jus ad hoc sciendum, ut in convictu humano sese incolumes servent, caveantque à publicis criminosis et facinorosis hominibus, et videtur ad bonum publicum expedire ut unusquisque cognoscatur, qualis verè et publicè est ac reputatur communiter. Hinc provenit historiarum utilitas publica.

Quandoque potest esse aliqualiter contra proximi charitatem. Supponamus enim quòd aliquis jure vel facto publicè diffamatus, v. g., Parisiis, se recipiat ad Indos vitandæ infamiæ causâ, ibique honestè se gerat ac virtuosè commoretur absque Indorum injuriâ et periculo, bonamque apud eos opinionem sibi comparaverit, si aliquis Gallus ad has regiones adventans, solo loquendi pruritu, absque necessitate vel utilitate propriâ aut communi, crimen illius ibi manifestet, non videtur excusandus à peccato contra charitatem ; quatenùs scilicet iste reintegratâ famâ suâ bonis actibus, abstersâque infamiâ publicâ notorietate facti contractâ, absque causâ bono illo nomine privatur, valdèque inde contristatur.

Hinc colligitur, quòd ea quæ sunt publica in uno tempore, manifestare in alio distanti, in quo deleta est eorum memoria, ex quâ narratione nullum bonum sed tantùm delinquentis ejusque familiæ dedecus oriri potest, esto quòd non sit contra justitiam, potest tamen esse contra charitatem ; quia eodem ferè modo ratiocinandum est de distantiâ temporis ac de distantiâ loci ; imò potior est ratio de isto quàm de illo : quandoque enim longius spatium requiritur, ut infamia possit ad remotissimas regiones pervenire, quàm quòd crimen publicum deleatur in loco ubi est notorium. Ergo si unum sit contra charitatem, ita et aliud. Sic qui stuprum et imprægnationem publicam puellæ à quadraginta annis elapsam, et ab hominibus oblitam evulgaret, dùm bonum nomen habet ac communiter honesta reputatur, faceret contra charitatem propter etiam gravem mœrorem quem illi afferret sine causâ. Hinc colligitur historicos, qui vitas hominum describere solent, posse litteris mandare publica crimina, homicidia, v. g., odïa, et alia, saltem quæ viris illustribus non sunt dedecori, quorum notitia potest aliquam utilitatem afferre posteris ut ea fugiant, et ad illorum punitionem principes ac judices suorum prædecessorum exemplo excitentur, etc. ; dummodò igitur bono zelo publicæ utilitatis ad aliorum exemplum id faciant, non verò ex odio, invidiâ, intentione deturpandi aliquam prosapiam, aut alio malo affectu, non peccant : secùs dicendum si vitia infamia tam vivorum quàm defunctorum occulta, seu quæ suo tempore aut antea non fuerunt publica notorietate juris aut facti, describant. Hinc graviter peccant conficientes libellos famosos quibus publicantur aliorum peccata nondùm notoria, cum gravi ipsorum infamiâ, sub quibus comprehendimus cantilenas, picturas, sche-

dulas, pasquinos aliaque ad publicanda proximi occulta vitia, assumpta : tantòque gravius est hoc peccatum, quò scripta hæc citiùs magisque vulgantur, ac memoriæ hærent, quàm verba. Tenentur isti auctores ad famæ et honoris restitutionem per scriptum aliudve signum publicum arbitrio confessarii, et compensationem damnorum inde secutorum : et præter scelus gravissimum, quod committunt, alias etiam pœnas in utroque jure latas incurrunt. Qui contra statum religionis in communi libellos famosos conficit, meritò de hæresi suspectus est; si verò contra statum ordinis Prædicatorum vel Minorum libellos, cantilenas, aut rhythmos faciat, non tantùm mortaliter peccat, et ad restitutionem famæ ac honoris tenetur, sed etiam ipso facto incurrit excommunicationem, Apostolicæ Sedi reservatam, ut habetur ex Constitut. Alexandri papæ IV, quæ incipit : *Ex alto*, et ex aliâ quæ incipit : *Non sine multâ*, prout referunt Cajetanus in Summâ, v. *Excommunicatio*, cap. 81 ; Sylvester ibidem, q. 7, num. 48, et alii quos refert et sequitur Sayrus in Clavi regiâ lib. 12, cap. 4, num. 10; quo privilegio etiam aliæ religiones gaudent. Has pœnas incurrunt nedùm prædictos libros conficientes, sed etiam illos destinentes, etc.

Peccat mortaliter, qui totam aliquam religionem aut monasterium infamat, dicendo, v. g., quòd ibi malè vivitur, quòd simonia aut usura exercetur, etc., nisi aliàs id esset notorium. Item qui grave peccatum occultum alicujus de collegio detegit, non solùm contra religiosum, sed et contra religionem peccat, utpotè quia illius infamia in totam communitatem redundat, dùm nominatur persona aut ordo, ut ait D. August., Epist. 137 ad plebem Hipponensem, et D. Thomas, 2-2, q. 33, art. 7.

Colligitur illum mortaliter peccare qui infamatum in uno genere vitii gravioris, sine causâ diffamat in alio minùs gravi nullam habente cum altero connexionem, et in quo iste benè audit. V. g., Petrus publicè habetur ut notorius perjurus aut adulter; est etiam occultus fur. Id ego scio sed alii ignorant : graviter pecco, detegendo illius furta. Ratio est, quia licet habeat famam læsam in unâ specie peccati, non tamen circa aliam, ad quam proinde jus retinet, fitque illi injuria dùm notabiliter augetur illius infamia : sicut enim peccata furti et adulterii sunt distincta, ita et infamiæ ex illis provenientes, sicque Petrus in nostro casu novâ distinctâque afficitur infamiâ, ut patet à simili : qui enim suâ culpâ amisit partem suarum facultatum, non ideò censetur amisisse jus ad reliquas portiones quas possidet. Nec qui amputatum habet membrum, ad alia retinenda dicitur jus amisisse. Idem de famâ est concludendum, non enim consistit in indivisibili, sed variis portionibus conflatur, quarum una potest haberi ac retineri sine aliâ : et infamia suscipit majus et minus, prout à pluribus vel paucis diversis causis promanat.

Sunt tamen quidam homines ita flagitiosi, nonnullaque crimina adeò inter se connexa, ut quando unum est notorium, non censeatur detractio mortalis, nec ad restitutionem obligans, quando deteguntur alia occulta magnam affinitatem et connexionem cum illo habentia, ut si quis publicæ meretricis detegat verba turpia, et obscœnos gestus; si de publico ebrioso narret blasphemias et rixas. Et sic de aliis. Siquidem ob istam connexionem censentur hæc peccata esse quasi ejusdem speciei, et facilè posset unusquisque hunc talia peccata commisisse, judicare aut suspicari, etiam nemine narrante. In his nihilominùs opus est circumspectione, an scilicet hæc vitia sint adeò inter se connexa, ut non fiat nova infamia, neque augeatur præcedens. Quare standum est judicio prudentum in hâc materiâ.

Quæres an sit peccatum mortale narrare grave crimen occultum proximi, non assertivè, sed dubitanter, et ex auditu tantùm.

Conveniunt omnes hanc infamationem esse peccatum mortale et obligare ad restitutionem, quando aliquis primò aliter ea crimina refert quàm audivit, augendo et confirmando magis audita; quando ex modo dicendi majorem aliquam certitudinem ostendit, quàm res habeat ex communi relatione; item quando est persona magnæ auctoritatis et fidei, cujus dictis homines communiter fidem adhibere solent. Tandem quando narrat de altero hæresim vel sodomiam, animo ingenerandi saltem suspicionem in animis audientium, et alterum infamandi. Difficultas solùm est an talis simplex narratio de peccato alterius absque assertione quòd sit verum, aliâque confirmatione præcisè ex naturâ actûs ac modo loquendi sit peccatum mortale. Et quidem certum est, posse esse contra charitatem, dùm narrans advertit aut advertere debet, probabile fore ut qui audiunt facilè malum credant ac scandalizentur, cùm sint pusilli et leves corde : ex charitate enim saltem tunc ab hujusmodi narratione abstinere tenebatur, cùm commodè posset, ut suppono.

Respondeo ex vi præcisè narrationis posse contingere aliquando peccatum mortale detractionis obligans ad restitutionem, ut innuit D. Thomas, 2-2, q. 73, art. 2, dicens : *Si autem proferat verbum ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale : nisi fortè verbum quod dicitur sit adeò grave, quòd notabiliter famam alicujus lædat, præcipuè in his quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis et tenetur quis ad restitutionem famæ*, etc. Ubi D. Thomas non dicit id provenire per accidens ex levitate et malitiâ audientium, sed naturâ verbi gravis, quod scilicet auditoribus nedùm levibus et malitiosis dat occasionem, sed etiam communibus et ordinariis, concipiendi malam opinionem personæ de quâ narratur, ut si quis de honestâ muliere aut religiosâ narret, se audiisse, eam cum tali viro turpiter se gessisse. Quis enim negare potest, jam apud audientes eam de famâ suâ multùm perdidisse, ex ipsâ vi verborum? Et sanè si solus assertor propriè tolleret proximi famam detegendo illius grave crimen occultum tribus hominibus, isti postea tanquàm auditum aliis evulgan-

do ac reddendo publicum, non censerentur ejus fa mam lædere, quod tamen est maximum inconveniens, ut patet. Hæc igitur narratio in praxi vix potest absque peccato mortali fieri, saltem propter imminens et frequens periculum ingenerandi malam opinionem proximi in animis audientium, et propalandi ejus crimen occultum. Plura de his referuntur in tract. de Just.

§ 3. *An et quando audiens et tolerans detractionem, peccet mortaliter.*

D. Thomas, 2-2, q. 73, art. 4, docet aliquem posse tribus modis detrahentem audire et tolerare. Primò ita ut ad detrahendum inducat; v. g., si ex curiositate Titium interrogando de Mævii defectibus, sit causa quòd ejus gravia occulta detegat crimina : et tunc iste graviter peccat contra charitatem erga Titium, præbendo illi scandalum; ac contra justitiam erga Mævium, positivè cooperando detractioni et infamationi illius. Unde tenetur ad restitutionem famæ in casu quo Titius non restituat; prout in tractatu de Justitiâ dicitur de cooperante et participante cum fure. Idem dicendum de eo qui Titium paratum ad detrahendum de Mævio, aut detrahentem actu excitat et inflammat ut prosequatur, sive id faciat verbo, nutu, aliove modo.

Secundò, ita ut non inducat quidem Titium ad detrahendum de Mævio, nec ad prosequendum, sed de auditâ hâc narratione gaudeat animoque sibi complaceat, idque ex pravo affectu in Mævium. Et tunc iste auditor peccat mortaliter contra charitatem, sed non contra justitiam, proindeque non tenetur ad famæ restitutionem, nisi ex officio tanquàm Titii superior ejus linguam tunc compescere teneatur.

Tertiò, ita ut neque inducat Titium ad infamationem Mævii, neque de illâ gaudeat, solùmque materialiter detrahentem audiat, et non formaliter : verùmtamen ex negligentiâ, aut verecundiâ, aut timore et respectu humano non resistat, cùm commodè posset.

Et tunc si fuerit persona privata, aliquando non peccat, nempe quoties non resistit ob bonum finem, ut si detractor sit iracundus, videatque ex tali resistentiâ sibi imminere aliquod damnum, nec infamia proximi sit valdè atrox ac nociva illi : si enim notabilis interveniret infamia, aut grave damnum longè præponderans huic timori mali proprii, deberet inde proximo evenire, tunc iste auditor eo excusso timore teneretur ex charitate resistere ac proximum defendere. Item auditor excusatur à peccato si detractor sit ejus superior aut persona illustrissima, cum quâ loqui aut mutire non audet. Item, si sciat istud crimen publicum esse, aut dubitet de hoc sicut et an justè vel injustè referatur. Item, si videat se resistendo nihil profuturum, detractorem inde exacerbandum ac in famam proximi pejus debacchaturum, et audientes curiosiores ad audiendum ex hoc fieri magis dispositos ad graviora de Mævio suspicanda crimina. Verùm tunc in istis casibus consulendum est privatæ personæ, ut abeat et hinc recedat, si commodè possit, fingatque alibi se habere negotia peragenda. Quòd si quis honestè recedere nequeat, somnolentum, melancholicum, animo distractum ac inquietum patenter se exhibeat, sermonem ad alia divertat, etc.

Aliquando persona privata solùm materialiter audiens et tolerans detractorem, venialiter peccat, ex negligentiâ non impediens detractionem, si sit de re levi, vel de re publicâ. Tunc enim videtur famam proximi negligere. Aliquando mortaliter peccat, si articulus necessitatis alicujus gravis mali et hujusmodi detractione subsequendi obliget ad obviandum, sive infamiæ sive damnis in rebus temporalibus, sive vulneribus, etc. Tunc enim audiens obstare tenetur si possit, ut colligitur Exodi 22, Deuteronom. 2, 22, Proverb. 5, et ex communi ratione, quis tenetur pacere fame morientem, et eos qui actualiter opprimuntur sublevare, præcipuè cum solo verbo resistatur detractionis gladio. Et in his casibus rectæ rationi et prudentum judicio relinquitur determinandum quando, ubi, cui, et quomodò resistendum est cùm agatur de executione præcepti affirmativi. Item si audiens possit et debeat resistere detractori, verùm ex timore humano id omittit, tunc illa omissio erit mortalis, si ille timor humanus fuerit peccatum mortale, quando scilicet ita dominatur animo illius audientis, ut amicitiam, favorem detractoris, parvaque alia propria commoda præponat charitati fraternæ, dùm illius præceptum urget : cùm autem persona privata, solo charitatis vinculo ad famam proximi defendendam teneatur, iste non peccat contra justitiam ideòque nec ad restitutionem famæ obligatur.

Persona verò publica, superior, prælatus, paterfamiliâs, et dominus impedire tenetur ex charitate et ex officio omni pudore ac metu relegato, etiam cum aliquo incommodo, ne subditi detrahendo peccent, eosque corrigere dùm audit vel scit detrahere; unde non prohibendo detractionem quæ est mortalis, peccat mortaliter contra charitatem et contra justitiam, sive non impediat extraneum graviter de suo subdito detrahentem, sive non cohibeat subditum infamantem extraneum, vel alterum suum subditum. Sicut enim tenetur ex officio curare ne aliquis famam sui subditi lædat, ita etiam ex officio et justitiâ obligatur ad obstandum, ne subditi aliorum famam lædant. Unde quando id non præstat, cùm possit, indirectè est causa damni subsecuti, et consequenter tenetur, aut curare ut subditus famam alterius restituat, aut eam restituere ipsemet obligatur. Sicut prætor tenetur rem ablatam restituere si non impediat quin civis eam injustè rapiat, etiamsi is cui res ablata fuit sit extraneus; satis enim est, quòd prætor ex officio et justitiâ hujusmodi furtum impedire teneatur (1).

(1) Hæc solvenda sunt ex principiis quæ in tract. de Justitiâ exponuntur; vel enim agitur de superiore illorum qui detrahunt, vel de superiore eorum de quibus detrahitur. Si primum, tenetur impedire in quantum ex officio tenetur moderari actus suorum subditorum, impediendo ne aliis noceant; est quippe æquitati naturali consentaneum et jure civili ubique

ARTICULUS II.

De susurratione, irrisione, et maledictione.

Susurratio secundum D. Thomam, 2-2, q. 74, art. 1, convenit cum detractione in materiâ et formâ seu modo loquendi, quia uterque malum occultè de proximo dicit : differt tamen in fine; quia detractor intendit famam proximi denigrare; susurro autem intendit amicitiam separare, unde dicitur Proverb. 26 : *Susurrone sublato, jurgia conquiescunt.* Licet autem susurro in quantum dicit malum de alio, dicatur detrahere, differt tamen à detractore in hoc, quòd non intendit simpliciter malum dicere, sed quidquid sit illud quod possit animum unius turbare contra alium, etiamsi sit simpliciter bonum, et tamen apparens malum, in quantum displicet ei cui dicitur. Vocatur *bilinguis* Eccles. 28, quia ex utrâque parte amicitiam nititur rumpere, et ideò duabus linguis utitur ad duos amicos, uni dicens malum de alio : quandoque igitur susurro committit detractionem, potestque etiam pro diversitate finium, quos sibi proponit, aliis etiam peccatorum speciebus implicari. Ut si disseminando discordias inter conjuges proponat sibi adulterium, et unico actu committit duo peccata distinctè in confessione explicanda, nempe susurrationem et adulterium patrandi intentionem, quorum unum ab alio imperatur. Idem de aliis dicendum peccatis. Hinc susurratio definiri potest : *Occulta quædam oblocutio contra proximum ad dissolvendam amicitiam inter aliquos.* Et duplex est, formalis nimirùm, et materialis. Prima est quæ fit ex intentione seminandi discordias. Materialis verò est, quando dicitur quidem verbum de se natum seminare discordias, ac provocativum contra amicum, non tamen eo fine. Et hoc, nisi ex gravitate nocumenti consecuti actus redeat in naturam suæ speciei, non est peccatum mortale, prout de detractione materiali dictum fuit.

Susurratio formalis est peccatum mortale ex genere suo, quia tendit ad nocendum proximo, volendo tollere maximum bonum, amicitiam scilicet, quâ inter temporalia nullum majus reputatur bonum, nec ad spiritualia magis accedens, ut inquit Sapiens, Eccles. 6, v. 14, 15, et 16; imò gravius est peccatum quàm detractio et contumelia, ut probat D. Thomas, art. 2, hoc discursu : *Peccatum contra proximum tantò gravius est, quantò per ipsum majus nocumentum proximo infertur. Nocumentum autem tantò majus est, quantò majus est bonum quod tollitur. Inter verò cætera bona exteriora pertinet amicus, quia sine amicis nullus vivere potest, ut patet per Philosophum, 8 Ethic. Unde dicitur Eccl. 6 :* « *Amico fideli nulla est comparatio.* » *Fama autem ipsa quæ per detractionem tollitur, ad hoc maximè necessaria est, ut homo idoneus ad amicitiam habeatur, et ideò susurratio est majus peccatum quàm detractio, et etiam quàm contumelia, quia amicus est melior quàm honor, ut probat Philosoph. in 8 Ethic., et ideò ratione finis susurratio est gravior detractatione et contumeliâ. Unde Deus illam tanquàm vitium pessimum detestatur, prout dicitur Proverb. 6.* Potest tamen susurratio in individuo esse tantùm veniale peccatum, nempe vel ex imperfectione actûs, vel quando non lædit amicitiam, sed amicitiæ excessum, ut nimiam familiaritem et consuetudinem, manente tamen quoad substantiam ipsâ amicitiâ : imò si quis citra mendacium, aut infamationem, aut alicujus occulti peccati revelationem, amicitiam turpem et perniciosam dissolvat, tantùm abest ut peccet, quin potiùs actum charitatis exercet. Nec tunc est susurratio propriè dicta, per quam scilicet honestæ tantùm amicitiæ dissolvuntur. Item potest esse veniale ex levitate materiæ, nempe aut ex parte amicitiæ quæ minima est, parùmque considerabilis : vel ex parte verbi quod dicitur, puta quia minimum est ad provocandum amicum. Item ex modo dicendi, quia verbum dicitur jocosè, et non seriò. Tandem ex parte intentionis, quia licet quis dicat aliquid provocativum contra amicum, non intendit tamen amicitiam lædere, nisi verbum sit tale, quod grave inferat nocumentum amicitiæ; ita Cajetanus in Summâ, verbo *Susurro.*

Quando susurratio bonum honestæ amicitiæ injustè dissolvit, inducit obligationem restituendi, quantum fieri potest; non solùm quia plerùmque includit contumeliam et detractionem, sed etiam quia præcisè de se est contra justitiam, et affert nocumentum proximo, tollendo bonum amicitiæ.

Derisio, juxta D. Thomam, 2-2, q. 75, art. 1, specie distinguitur à vitiis jam explicatis. Nam peccata verborum præcipuè pensanda sunt secundùm intentionem proferentis : et ideò secundùm diversa quæ quis intendit contra alium loquens, hujusmodi peccata distinguuntur. Sicut autem aliquis conviciando, intendit tollere honorem; detrahendo, diminuere famam, et susurrando tollere amicitiam et benevolentiam : ita etiam irridendo causare erubescentiam ac ruborem, et tollere gloriam ac pacem conscientiæ ejus qui irridetur. Cùm autem iste finis sit distinctus ab aliis, ideò peccatum irrisionis distinguitur à præmissis peccatis.

Irrisio propriè fit ore, seu verbo et cachinnis; subsannatio verò naso rugato : et conveniunt in fine, so-

gentium sancitum, ut qui illud exercent superioritatis genus, sint obnoxii oneri reparandi damna quæ suâ negligentiâ permiserint : eo sensu codex civilis Galliarum statuit, art. 1384 : *On est responsable non seulement du dommage que l'on cause par son propre fait, mais encore de celui qui est causé par le fait des personnes dont on doit répondre.* Hinc pater respectu filiorum minorum secum commorantium, institutores respectu discipulorum qui sub suâ custodiâ agunt, etc. Si secundum, seu agatur de superiore eorum de quibus detrahitur, dicendum est illum solùm titulo justitiæ teneri impedire detractionem qui ex officio adstringitur ad procurandum sub eo respectu bonum temporale subditorum et eorum jura humana tueri, sicut incumbit tutori respectu pupillorum. Magistratus debent impedire libellos famosos; quoad verò privatas detractiones non agunt contra reos diffamationis, nisi parte læsâ id exigente; non est cur pater teneretur ex justitiâ repellere calumnias quibus de suo filio detraheretur; item de multis communitatum superioribus, qui solo titulo charitatis, religionis, aliove à justitiâ strictâ diverso, tenentur erga suos inferiores in ordine ad bona temporalia, famam et alia hujusmodi. (Vid. tract. de Jure et Injuriâ, ubi de causis negativis.) (Ed.)

lùmque differunt in modo, qui solùm materialiter se habet, ideòque non sunt diversæ, sed ejusdem speciei. Derisio igitur definiri potest: *Verbum aut signum quo quis deluditur, ex intentione causandi in eo erubescentiam*, seu ruborem, confusionem, et timorem dehonorationis, proindeque licet fiat in ejus præsentiâ, sicut contumelia, ab eâ tamen differt, sicut erubescentia à dehonoratione. Item differunt in hoc quòd contumeliosus videtur accipere malum alterius seriosè; illusor autem in ludum; et secundùm hoc videtur esse major contemptus, ac dehonoratio, quando scilicet notabile malum alicujus pro ludo accipitur quasi parvum ratione personæ quæ parvipenditur, tamque vilis æstimatur, ut de ejus malo non sit curandum, sed quasi pro nihilo habendum, et hoc modo derisio est peccatum mortale, gravius quàm contumelia: ac tantò gravius quantò major debetur reverentia personæ quæ illuditur; unde gravissimum est irridere Deum, deinde sanctos, postea parentes, deinde justos, etc. Unde quandoque habet majorem contemptum quàm contumelia: licet præcisè secundùm suam rationem, sit aliquid levius quàm detractio et contumelia; quia non importat contemptum, sed ludum, indeque nomen irrisionis vel illusionis habet.

Malum vel defectus de quo aliquis irridetur, si sit notabilis, non pro ludo accipitur, sed seriosè; quòd si in ludum vel risum vertatur, hoc est, quia accipitur ut parvus. Quòd si accipiatur illud malum ut parvum secundùm se, tunc est veniale et leve peccatum secundùm suum genus: si verò accipiatur ut parvum ratione personæ, modo jam explicato, tunc est grave peccatum. Hinc habetur quòd derisio quæ fit absque animo lædendi fratrem, nec illum ullâ ratione lædit, sed eâ solùm intentione exercetur, ut eâ viâ cesset ab aliquo defectu, aut moderatè fit animi recreandi gratiâ, non est peccatum, sed ad virtutem eutrepaliæ pertinet; cavendum tamen est, ne inde proximus nimis offendatur, et tunc dicere aliquod leve malum de eo, est solùm veniale secundùm se ex genere suo; quòd si fatuè de hoc erubescat et conturbetur nimiùm quàm par sit, quidam adhuc volunt non esse mortale, eò quòd irrisio de se non sit causa hujus gravis erubescentiæ, sed hujus personæ fatuitas, quæ tantò magis deridendam se præbet, quantò magis erubescit ac commovetur; cùm tamen excuteret facilè hanc irrisionem, illam despiciendo, prout quotidianâ comprobatur experientiâ.

Alii verò docent ex indole et circumstantiâ personæ posse fieri peccatum mortale contra charitatem, ut si irrisor sciat aut advertat Petrum, v. g., hanc irrisionem gravissimè laturum, et magnam tristitiam, iram, ruboremque contracturum; quia fratrum molestias, confusiones ac perturbationes vitare tenemur ex charitate, quantùm possumus. Excusatur tamen irrisor à culpâ lethali, si ignorabat ingenium impatiens, delicatum ac debile hujus personæ. Verùm tenetur ab eo ludo cessare, quando apparet illam has irrisiones ægerrimè ferre, ob periculum lædendi charitatem. Item ratione statûs personæ, cui leve malum objicitur, potest esse mortalis irrisio. Ut si quis viro honestissimo et religioso, illudendo objiceret quòd in pulchram feminam figit oculum, aut solus cum solâ collocutus est, sciens aut scire debens, eum talem irrisionem graviter laturum, magnoque rubore inde affici, etc.

Maledictio *est imprecatio mali sub ratione mali alicui facta*. Unde ad maledictionem formalem requiritur ut quis imprecando, vel optando malum alteri, velit et intendat eidem evenire ut malum est pœnæ, puta mors, infamia, infirmitas, damnum bonorum, et si quod aliud malum pœnæ occurrat. Si enim non habeat intentionem et desiderium, ut malum quod ore profert ipsi eveniat, tunc non est maledictio formalis, sed materialis tantùm; proindeque non est peccatum mortale, sed veniale, puta dùm quis ex surreptione vel *lapsu linguæ, aut pravo usu et consuetudine talia profert*. Observat tamen Cajetanus in Summâ, quòd ad discernendum an illa persona habuerit intentionem et animum ut tale malum alteri eveniret, aut non, inspiciendum et attendendum est, non ad tempus quietis, sed ad tempus iræ et furoris. Ex hoc enim quòd post iram persona jam quieta nollet malum evenire illi cui imprecata est, non habetur signum sufficiens quòd non maledixerit ex animo, sed tantùm quòd non perseverat in malo animo. Sed oportet scire si tunc quando imprecabatur, passio iræ et furoris in tantum prævaluit, ut flexerit voluntatem ad consensum; ita quòd tunc temporis voluisset ut eveniret quod imprecabatur. Nam si ita contigit, non excusatur à peccato mortali, quantumvis per breve tempus consensus ille in malum proximi duraverit: sicut et qui nimio libidinis ardore incensus, consentit et vellet ex animo fornicari, peccat lethaliter, quamvis transactâ tentatione nollet, gaudeat quòd non fecerit, multùmque doleret, si fornicatus esset. Quando igitur deest intentio maledicentis, est solùm peccatum veniale, cùm aliunde verba simplicia nullam vim habeant damnum inferendi, et de facto tale malum non inferant. Imò quandoque non videtur veniale, si istæ maledictiones joco, ludo et causâ recreationis honestæ fiant, ut in comœdiis, ludis, aliquando amicè et familiariter invicem usurpantur; sublatis tamen scandalo, contumeliis, et irreverentiis contra superiores. Item non est maledictio formalis, sed tantùm materialis, quando aliquis imprecatur alteri malum ex intentione et desiderio ut ipsi eveniat, non sub ratione mali, sed sub ratione boni, vel justi. Sic judex licitè maledicit reum et præcipit justam pœnam eidem inferri. Sic Ecclesia imprecatur malum ei quem anathematizat. Sic etiam Prophetæ imprecabantur mala peccatoribus quasi conformantes voluntatem suam divinæ justitiæ. Vel sub ratione boni utilis, puta imprecando peccatori aliquam ægritudinem aut aliquod impedimentum, ut ipse melior efficiatur, aut saltem ut ab aliorum nocumento cesset. Ita D. Thomas, 2-2, q. 76, art 1. Ad hoc tamen desiderium, requiritur ut non fiat ex odio et vindictâ propriâ contra talem personam, sed tantùm contra ejus peccatum, à quo non videtur aliter aut

melius emendari posse, quàm per ægritudinem aut aliud malum pœnæ : unde cùm pœna non sit infligenda, nisi propter culpam, necessariò debet præcedere ac existere culpa in eo cui malum desideratur : si enim nullum in eo sit peccatum, nullus potest ipsi desiderare malum ob utilitatem propriam inde consecuturam : sicut non est licitum filio desiderare mortem sui patris ad habendam hæreditatem, prout definivit Innocentius papa XI.

Maledictio per se et formalis, quâ scilicet alicui imprecatur malum ut malum est, cum animo et intentione ut illi eveniat, est peccatum mortale ex genere suo, quia directè est contra charitatem, et procedit ex odio interiori ; actus autem exterior est ejusdem rationis et malitiæ, ac actus interior. Potest tamen esse solùm veniale peccatum in individuo nempe ratione parvitatis materiæ, aut defectu deliberationis, ut si fiat ex subito motu iræ aliâve passione, ut contingit in motibus primò primis. Ita D. Thom., q. 76, art. 3.

D. Thomas, qu. 76, art. 4, ad 2, ait quòd *maledictio includit desiderium mali.* Unde si ille qui maledicit, velit malum occisionis alterius, desiderio non differt ab homicidâ : differt tamen in quantum actus exterior aliquid adjicit voluntati. Hinc Cajetanus infert quòd maledictio in tot species distinguitur quot specierum sunt mala, quæ quis alteri optat vel imperat : unde si ablationem facultatum imprecatur, desiderio erit fur ; si incendium agrorum, erit incendiarius ; et sic de aliis. Universaliter namque verùm est quòd optare vel imperare aliquid, ad illam speciem spectat ad quam pertineret illud facere. Quòd si omnia aut multa simul mala quis imprecatur, multarum etiam deformitates specierum incurrit ille actus, uno vitio circumstante aliud, prout frequenter accidit. Tandem quando maledicendo, nullum in specie explicat malum, ut si dicat : *Sit ille maledictus,* tunc est unum specie peccatum maledictionis, seu ut dicit Cajetanus, non differt specie ab odii vitio à quo procedit, quoniam ad malum absolutè et in communi tanquàm ad objectum, utrumque terminatur.

Maledicere creaturis irrationalibus in se præcisè consideratis, est quid vanum et otiosum proindeque illicitum ; quia, ut ait D. Thomas hìc, benedictio vel maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui potest aliquid benè vel malè contingere, scilicet rationali creaturæ : irrationales verò secundùm se non sunt capaces mali et boni in ordine ad felicitatem vel infelicitatem : unde illis bonum vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem propter quam sunt ; vel ut sunt res ad aliquem pertinentes : v. g., si quis imprecetur sterilitatem agro, vel mortem pecudibus, etc., perinde se habet ac si imprecaretur, malumque temporale optaret domino earum rerum. Vel ut sunt continentes tempus vel locum, et referuntur ad bona humana : v. g., si quis hâc ratione maledicat diei nativitatis suæ, aut alterius, tunc idem est ac si maledixisset illum hominem nascentem : si verò relativè ad mala humana, nullum peccatum est, sicut nec maledicere malis humanis. Sic Job maledixit diei nativitatis suæ, propter culpam originalem quam contraxit, et propter consequentes pœnalitates hujus vitæ ; et David montes Gelboë maledixit, quia ibi occisus est populus Domini. Maledicere autem creaturis irrationalibus in quantum sunt effectus Dei, est blasphemia et mortale peccatum, quia hæc maledictio in Deum refunditur.

Circa omnes istas verborum injurias extra judicium illatas, plura adducuntur in tract. de Just.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE INJURIIS VERBORUM IN JUDICIO.

De hâc materiâ egit D. Thomas, 2-2, à quæstione 62, usque ad 70 inclusivè. Ubi quinque considerat. Primò injustitiam accusatoris in accusando. Secundò pertinentia ad injustam accusationem. Tertiò injustitiam ex parte rei in suâ defensione. Quartò injustitiam testis in testificando. Quintò injustitiam advocati in patrocinando ; de quibus omnibus fusè agitur alibi, nempe in tract. de Just., et in quinque sequentibus articulis breviter ac compendiosè acturi sumus.

ARTICULUS PRIMUS.

De injustitiâ judicis in judicando.

Divus Thom., 2-2, quæst. 60, art. 2, docet *judicium in tantum esse licitum, in quantum est actus justitiæ. Ad hoc autem ut judicium sit actus justitiæ tria requiruntur. Primò quidem ut procedat ex inclinatione justitiæ, seu ut non procedat contra ordinem et formam justitiæ, sed ex solo illius affectu et zelo, non verò ex passione et odio. Secundò quòd procedat ex auctoritate præsidentis. Tertiò quòd proferatur secundùm rectam rationem prudentiæ. Quodcumque autem horum defuerit, judicium erit vitiosum et illicitum. Nam quando est contra rectitudinem justitiæ, dicitur perversum vel injustum. Quando verò homo judicat de his in quibus non habet auctoritatem, judicium dicitur usurpatum. Quando denique deest certitudo rationis, puta dùm aliquis judicat de his quæ sunt dubia vel occulta propter aliquas leves conjecturas, judicium dicitur suspiciosum vel temerarium.* Ita D. Thomas. Hinc colligitur tria requiri in judice ad munus suum ritè obeundum. Primum auctoritatem ac potestatem legitimam in personas et res de quibus judicat. Secundum, scientiam et veritatem ; ut scilicet conformiter ad leges et juxta allegata ac probata judicet. Tertium, observationem ordinis ac formæ juris, ut juridicè procedat ; quæ tria sequentibus paragraphis à nobis sunt examinanda.

§ 1. *An et quæ potestas requiratur ad judicandum.*

Divus Thomas, q. 60, art. 6, probat judicium per usurpationem reddi perversum, ex illo Apost. ad Rom. 14 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* etc. Tum hâc ratione, quia *cùm judicium sit ferendum secundùm leges scriptas, ille qui judicium fert, legis dictum quodammodò interpretatur, applicando ipsum ad particulare negotium. Cùm autem ejusdem auctoritatis sit legem in-*

terpretari et legem condere, hinc fit quòd sicut lex condi non potest nisi publicâ auctoritate, ita nec judicium ferri nisi publicâ auctoritate, quæ quidem se extendit ad eos qui communitati subduntur : et ideò sicut injustum esset ut aliquis constringeret alium ad legem servandam, quæ non esset publicâ auctoritate sancita, ita etiam injustum est ferre judicium, quod publicâ auctoritate non fertur. Et, q. 77, art. 2, probat *nullum justè posse judicare eum qui non est sibi subjectus*, tum auctoritate D. Gregorii, tum hâc ratione : *Sententia namque judicis est quasi quædam particularis lex in aliquo particulari facto, et ideò sicut lex generalis debet habere vim coactivam, ut dicit Aristot. 10 Ethic., ita etiam et sententia judicis debet habere vim coactivam, per quam constringatur utraque pars ad servandam sententiam; alioquin judicium non esset efficax : potestatem autem coactivam non habet licitè in rebus humanis nisi ille qui fungitur publicâ potestate; et qui eâ funguntur superiores reputantur respectu eorum in quos sicut in subditos potestatem accipiunt, sive habeant ordinariam, sive per commissionem, et ideò manifestum est, quòd nullus potest judicare aliquem nisi sit aliquo modo subditus ejus, vel per commissionem, vel per potestatem ordinariam.* Ita D. Thomas.

Ubi S. doctor distinguit potestatem et auctoritatem legitimam, in ordinariam, et delegatam. Prima, quæ scilicet alicui competit ex commissione ordinariâ sive ecclesiasticâ sive seculari, est ea quæ alicui directè, immediatè, per se primò principaliter ex dignitate et officio competit. Unde habens officium cui vel ex jure, vel præscriptione et usu, annexa est jurisdictio, dicitur judex ordinarius : talem habet papa in spiritualibus super omnes fideles, episcopus supra diœcesanos non exemptos, et rex supra totum suum regnum in temporalibus.

Delegata est ea quæ competit alicui ex commissione seu delegatione alicujus judicis superioris; quomodò cives alicujus loci sunt subditi proregi aut prætori à principe misso. Sic Daniel accepit potestatem ad judicandum seniores, quasi commissam ex instinctu divino, ut dicit D. Thomas loco citato, ad 1.

Item ex commissione et consensu partium, et dicitur potestas arbitraria : ut enim ait D. Thomas ibidem, ad 2, *in rebus humanis aliqui propriâ sponte possunt se subjicere aliorum judicio, quamvis non sint eis superiores, sicut patet in his qui compromittunt in aliquos arbitros. Et inde est, quòd necesse est arbitrium pœnâ vallari, quia arbitri qui non sunt superiores, non habent de se plenam potestatem coercendi. Sic ergo et Christus propriâ sponte humano judicio se subdidit, et Leo papa judicio imperatoris.* Notat Sotus, judices istos per talem electionem partium habere quasi quamdam publicam potestatem, eorumque sententiam habere vim ligandi partes tam in foro exteriori, quàm in foro conscientiæ, prout jure gentium receptum est, quia unusquisque fidem datam servare tenetur. Unde quicumque absque justâ causâ eorum sententiæ non staret, peccaret mortaliter, et pœnam constitutam solvere teneretur ordinariè loquendo.

Item secundùm jura lib. *Extra territor.*, ff. de jur. et de constitut. in 6, cap. *Ut animarum*, et cap. 1 *De raptoribus*, aliquis sortitur forum ratione delicti, et conceditur potestas jure accessoria in eum qui non est subditus ejus, ad quem pertinet forum illius loci in quo crimen commisit, idque respicit non solùm judices seculares, sed et ecclesiasticos. Unde D. Thomas ibidem, ad 3, ait, quòd *episcopus in cujus diœcesi aliquis delinquit, efficitur superior illius ratione delicti etiamsi exemptus, nisi fortè delinquat in re aliquâ exemptâ, puta in administratione bonorum alicujus monasterii exempti. Sed si aliquis exemptus committat furtum vel homicidium, vel aliquid hujusmodi, potest per ordinarium justè condemnari.*

Tandem ratione justæ defensionis, aut justitiæ vindicativæ ob injuriam subdito alicujus principis, à subdito alterius illatam. Si enim superior læsoris nolit interpellatus eam vindicare, aut ejus satisfactionem procurare, licebit alteri principi sui subditi læsi vindictam prosequi, prout supra dictum est in expositione quinti præcepti, de bello et repræsaliis. Igitur nisi habeatur jurisdictio aliquo ex his modis in eum qui judicatur, sententia nullius est roboris, nec obligare potest eum in quem profertur, illamque proferens committit peccatum mortale ex genere suo, et tenetur ad restitutionem omnium damnorum ex tali usurpato judicio provenientium.

Docent tamen communiter auctores eum qui reverà non est judex, posse interdùm validè proferre sententiam. Si nimirùm tria ista concurrant : 1° Si habeat titulum coloratum. 2° Si ex errore communi eoque probabili, existimetur verus judex. 3° Si non adsit impedimentum juris naturalis, puta si sit insanus, aut divini, aut si non sacerdos existimatus nihilominùs talis, absolvat; cùm hi defectus à quâcumque humanâ auctoritate suppleri nequeant. Ratio horum omnium est, quia in spiritualibus Ecclesia pia mater consentaneè id indulsit, et principes pro temporalibus non immeritò statuerunt, ob innumera inconvenientia, graviaque scandala quæ orirentur, si omnes collationes, electiones, confessiones, matrimonia, et similia, quæ plerùmque fiunt cum titulo colorato, invalida forent. Unde valet sententia à judice excommunicato lata, cujus censura est occulta et ex errore communi ignoratur; valet, inquam, etiam respectu eorum qui ex privatâ scientiâ tale cognoscunt impedimentum, validèque possunt recipere ac retinere beneficium ab eodem collatum. Item delegatus conscius mortis delegantis validè fert sententiam, aliosque actus exercet, quamdiù mors illius communiter ignoratur; nam ob bonum commune Ecclesia et respub. civilis in talibus suis judicibus, supplent jurisdictionis defectum, dantque validitatem illis actibus pro utilitate hominum, et ad inconvenientia vitanda : causâ 3, q. 7, can. 1, ff. de Officio prætoris, l. *Barbatius*. Peccat tamen mortaliter parochus, sacerdos aut alius ex inobedientiâ contra Ecclesiæ prohibentis præceptum in re gravi. Et quando excommunicatus non est toleratus ab Ecclesiâ, sed talis publicè declaratus actus jurisdictionis

exercens, peccat etiam usurpatione judicii, cunctaque ab eodem facta sunt irrita. Ex cap. *Miramur*, et c. *Audivimus* 24, q. 1. Item de sent. et re judica., c. *Ad probandum*.

In judice necessaria est quoque scientia et peritia legum, quâ officio suo rectè fungi valeat; quia quilibet scire tenetur ea quæ pertinent ad proprium munus et sine quorum cognitione illud ritè obire nequit : unde qui absque legum notitiâ officium judicis exercet, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem damnorum. Nec potest confessarius eum absolvere, nisi officio suo quamprimùm renuntiet, vel saltem brevi illam notitiam acquirat et assessorem peritum admittat, cujus consilio utatur ad judicandum juxta dispositionem legum. Quânam autem notitiâ informari debeat; privatâ an publicâ in facto, dùm actualiter habet judicare; seu utrùm judici inferiori liceat judicare contra veritatem quam ipse novit propter ea quæ in contrarium allegantur et probantur juridicè; vide circa hoc quæ à nobis dicta sunt superiùs in expositione quinti præcepti, art. 5, § unico.

§ 2. *De formâ juris quam judex servare debet judicando.*

D. Thomas, 2-2, q. 67, art. 3, docet quòd *nullus judex potest aliquem condemnare sine accusatore*, et probat in *Sed contra* ex D. Ambrosio, quia *Dominus Judam cùm fuisset fur, quia non est accusatus, minimè abjecit;* item ad 1 argum. quia *Deus in suo judicio utitur conscientiâ peccantis, quasi accusatore, juxta illud ad Rom.* 2 : « *Inter se cogitationum accusantium, aut etiam « defendentium.* » Vel etiam evidentiâ facti quantùm ad ipsum, juxta illud Genes. 4 : *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ.* Et ibidem, ad 3, ait D. Thomas, quòd *Deus in suo judicio procedit ex propriâ notitiâ veritatis, non autem homo : et ideò homo non potest simul esse accusator, testis et judex, sicut Deus.* Probat D. Thomas, in corp., hâc ratione : *Judex enim est interpres justitiæ : unde, sicut ait Philosophus, homines ad judicem confugiunt sicut ad quamdam justitiam animatam : justitia autem non est ad seipsum sed ad alterum, et ideò oportet quòd judex inter aliquos duos dijudicet. Quod quidem fit, cùm unus est actor, et alius est reus : unde in criminibus non potest aliquem judicio condemnare judex, nisi habeat accusatorem, secundùm illud Actorum* 25 : « *Non est consuetudo Romanis damnare « aliquem hominem,* » etc. Porrò D. Thomas non loquitur de solâ accusatione formali, sed vult saltem virtualem requiri, seu aliquid supplens vices accusatoris, qualia esse dicit ibidem, ad 2, publicam infamiam, evidentiam perpetrati sceleris quæ dat locum inquisitioni, denuntiationem, etc., de quibus statim sermo erit. Igitur gravia crimina, quæ puniri nequeunt absque delinquentis infamiâ, nempe ubi carceribus opus est, neque etiam in claustris monachorum, juridicè vindicari possunt nisi prævià accusatione saltem virtuali. Unde cùm judex inferior nequeat derogare auctoritati ac dispositioni reipub., quâ cavetur ne quis non citatus nec per testes convictus damnetur, non potest aliter damnare aliquem ad gravem pœnam, quamvis scientiâ privatâ certò sciat esse reum. Imò nec judex superior habet talem potestatem, quia consuetudo neminem condemnandi ad gravem pœnam absque accusatore, testibus, datoque ipsi defensionis loco, videtur esse de jure naturali, ut dicitur in Clement. *Pastoralis*, § *Cæterùm;* et in c. *Qualiter*, 2, de accusatione, hæc habentur verba : *Unde videmus Deum non protulisse sententiam contra Adam, nisi priùs vocatum, auditum, et defensum.* Item causâ 3, q. 5, cap. *Nullum*, et c. *Judicantem*, et causâ 2, q. 4. Idemque colligitur ex ratione et auctoribus à D. Thomâ jam adductis : in jure autem naturali homo dispensare nequit. Ergo quando crimen est omninò secretum, vel probari non potest, non est regulariter licitum absque formâ illâ juris reum damnare ad mortem vel gravem pœnam, ut rectè probat Cajetanus in Summâ, v. *Homicidium*.

Dixi, *regulariter*, quia plures auctores asserunt, quòd si reus foret ita potens, ut consuetus ordo servari absque gravissimo reipub. nocumento, et commodè capi non posset, tunc etiam non vocatus posset condemnari absens, dummodò judex supremus allegari et probari curet pro absente, quæcumque eidem favere possunt. Loquimur autem de crimine patrato; nam si agatur de avertendo aliquo gravi reipub. nocumento quod aliquis machinatur, potest princeps jure defensionis, occultâ morte machinatorem plectere, si aliter malum imminens præcaveri non possit. Item judex tenetur servare formam juris in modo procedendi. Et iste modus triplex vulgò assignatur. Primus est per *denuntiationem*. Secundus per *inquisitionem*. Tertius per *accusationem*. Denuntiationem præcedere debet secreta monitio fratris delinquentis, quando speratur fructus ex illâ, nempe emendatio fratris : inquisitionem præcedere debet publica infamia; et accusationem, instantia partis seu auctoris, ex D. Thomâ in 4 Sentent., dist. 35, q. 1, art. 3, ad 6.

Denuntiatio alia est extrajudicialis, ut si delictum fratris declaretur superiori tanquàm patri, ad eum charitativè corrigendum, illiusque emendationi providendum. Alia est judicialis quæ fit superiori tanquàm judici, ut procedat contra delinquentem publicâ pœnâ illum mulctando, vel debitam satisfactionem parti faciendam illi injungendo. Denuntiator non obligat se ad probandum, unde nec punitur si probare nequiverit, et propter hoc in denuntiatione, non est necessaria probatio sicut in accusatione, eam quippe præcedere debet inscriptio; sed sufficit si aliquis verbo denuntiet Ecclesiæ; quæ ex officio suo procedet ad fratris emendationem. Ita D. Thomas, 2-2, q. 68, art. 2, ad 3; unde denuntiatio judicialis est mera criminis manifestatio sine aliquâ actione; denuntiator enim non dicitur actor, sed merè declarat crimen delinquentis superiori tanquàm judici, proponendo quædam indicia quibus moveatur ad inquirendum, seu ut ipse ex officio faciat, quod ipsi videtur faciendum secundùm jus, propter quod auctores duplicem tantùm procedendi modum assignant, nempe ex of-

ficio per inquisitionem, et ad instantiam actoris per accusationem.

Triplex inquisitio communiter assignatur. Prima est omninò generalis. Secunda omninò specialis. Tertia mixta ex utrâque.

Inquisitio generalis, tam ex parte personarum quàm criminum, est ea quâ utuntur prælati in suis visitationibus, inquirentes subditorum mores; an servent leges, et statuta; an sint ibi delinquentes, quos punire oporteat; an aliqua committantur gravia crimina; edicto et præcepto injungentes, ut qui noverit, deferat ad superiores. Hâc viâ judex procedere potest, etiamsi nulla præcesserit infamia aut denuntiatio; cùm id sit omninò necessarium ad bonum commune, moresque subditorum reformandos, et aliunde nulli fiat injuria, eò quòd nec nominetur persona, neque crimen, sed tantùm inquiratur in genere, an quis aliquod crimen in illâ diœcesi, civitate, aut conventu commiserit: et colligitur ex c. 1 de Officio ordin., et c. *Cùm olim*, de Accusat., et c. *Romana* de censibus in 6, et ff. de Officio præsidis L. *Congruit*.

Subditi nihilominùs interrogati etiam sub præcepto formali, aut juramento, aut sub pœnâ excommunicationis, non debent nec licitè possunt, crimen aliquod occultum proximi tunc declarare, sed illud tantum de quo auctor aliâ ratione est diffamatus, et quod etiam extra talem inquisitionem possent et tenerentur denuntiare; quia subditus ad ea tantùm respondere tenetur, quorum superior potest esse legitimus judex; nullus autem præter Deum potest esse legitimus judex delictorum quæ sunt juridicè occulta. Unde præceptum superioris semper intelligitur, salvo juris et charitatis ordine, nempe ut præcesserit correctio fraterna, aut ut frater non sit jam emendatus, nec possit aliter emendari, nisi illi tanquàm patri declaretur. De Accusatione, c. *Qualiter et quando*. Et ex D. Thomâ, 2-2, q. 33, art. 7, ad 5, et q. 69, art. 2. Excipe, nisi revelatio talis criminis sit necessaria omninò ad grave aliquod malum sive temporale sive spirituale proximi, et à fortiori reipub. avertendum, nec alius modus suavior ac commodior illud impediendi tunc suppetat, et periculum sit in morâ. Hinc si homicidium à Titio perpetratum imponatur Mævio, qui ob id capite plectendus est, possum detegere Titium, monendo ipsum antea ut sibi fugâ aliove modo provideat. Item quando delicta vergunt in detrimentum fidei, Religionis christianæ aut reipub. Ea enim mala tenetur quisque impedire aut deferre ad superiorem, etiamsi nulla fiat inquisitio, ut bono communi consulatur, quod est præferendum particulari delinquentis.

An verò extra hos casus, superiores et judices quando utuntur hâc inquisitione generali, teneantur admonere subditos ac exprimere in suis edictis et visitationibus, se de occultis non inquirere, sed tantùm salvo ordine charitatis, præmissâ correctione fraternâ ubi speratur emendatio delinquentis, et ubi non est emendatus, aut solùm de his in quibus aliquis laborat infamiâ, etc., quidam negant prælatum ad hoc teneri, quia superior et judex exercent officium reipublicæ pro bono communitatis, sufficitque ut eorum mandatum subintelligatur esse juxta ordinem juris naturæ et juris divini quæ vetant occulta fratris delicta revelare, quorum nulla præcessit infamia: ideòque non censentur de illis inquirere velle. Quòd si interrogatus respondere nesciat subditus, sibi imputet, cò vel maximè quòd homicida, v. g., tali periculo se exposuit; unde istud inconveniens est per accidens respectu judicis. Ita, Bannes, 2-2, q. 70, art. 1, dub. 2, conclus. 2, ad 2. Cajetanus tom. 1, tract. 31, in resp. quintâ ad 1, quod quidam limitant in communitate in quâ sunt hominis periti, qui id probè callent, quos alii consulere ac ab illis facilè addiscere possunt. Sotus verò, Navarrus, et alii putant superiores teneri ad id exprimendum; quia aliàs magnam præbent occasionem subditis ignorantibus et simplicibus, ne ea revelent quæ non debent, quodque evitare tenentur superiores quantùm possunt. Id tamen quidam limitant dùm inquisitio fit in communitate, ubi plures sunt simplices et ignari, nec habent facilè peritos à quibus consilium in his petere valeant.

Inquisitio omninò specialis est quâ in particulari et nominatim inquiritur et exprimitur determinata persona et determinatum crimen. V. g., an Petrus tale homicidium commiserit.

Mixta inquisitio est partim generalis et partim specialis; aliquando enim est generalis ex parte personæ, et specialis ex parte criminis; ut dùm inquiritur, quis hoc homicidium commiserit. Aliquando verò è converso est generalis ex parte criminis, et specialis ex parte personæ ut dùm inquiritur an Petrus sit homo flagitiosus.

Judex aut prælatus ut procedere valeat per viam inquisitionis omninò specialis, vel etiam mixtæ, quæ est specialis ex parte personæ; jura necessariò exigunt, ut præcedat publica infamia et clamorosa insinuatio, quæ ad aures illius pervenerit, quæque ortum habuerit non à malevolis aut maledicis hominibus, sed à probis et honestis, sparsaque fuerit per majorem partem urbis, aut communitatis in quâ quis moratur, et quod non semel sed pluries, hic rumor invaluerit. Ratio est quia judex nequit contra aliquem juridicè procedere: nisi præcesserit accusatio formalis, aut virtualis, seu denuntiatio, aut publica infamia ac clamorosa insinuatio, saltem nisi crimen sit aliunde notorium, ut quando coram judice et multis aliis publicè patratum fuit; unde in nostro casu cùm non sit accusator, nec denuntiator, requiritur illa publica infamia quæ suppleat vices accusatoris.

An autem indicia manifesta sufficiant ad hanc inquisitionem, habeantque eamdem vim ad inquirendum, quam habet infamia, quidam affirmant; idque deducunt ex D. Thomâ, q. 69, art. 2, in corp., ubi ait judicem posse ab aliquo reo veritatem requirere secundùm ordinem juris aliquo ex his tribus modis, puta cùm præcessit infamia super aliquo crimine, vel aliqua indicia expressa apparuerunt, vel etiam cùm præcessit probatio semiplena. Alii verò seclusâ consuetudine approbatâ, negant esse judici licitum procedere ad spe-

cialem inquisitionem ex solis indiciis absque infamiâ, idque colligitur ex cap. *Inquisitionis* de Accusat. Ubi Innocentius III decernit non posse judicem inquirere contra aliquem non infamatum, etiamsi duo vel tres testes jurati omni exceptione majores asserant se vidisse hominem hunc delictum illud commisisse : indicia autem minùs probant, quàm testes. Ad D. Thomam responderi potest eum sibi solùm quærere in universum quandonam reus teneatur respondere judici, non autem distinguere in particulari de viis istis quibus judices formant processum; dùm enim procedunt viâ accusationis, ad interrogandum reum sufficiunt indicia, vel probatio semiplena; dùm verò id faciunt per viam inquisitionis specialis, requiritur et sufficit publica infamia, prout docuit D. Thomas locis jam citatis; licet in auctoritate istâ hæc non distinguat nec applicet. Vel dicendum D. Thomam loqui de indiciis judicialibus, sive judicialiter probatis, quæ quatenùs pariunt quamdam juris notorietatem, possunt pro infamiâ et ficto accusatore haberi; vel tandem judicem posse procedere ad inquisitionem, non propter indicia præcisè, sed propter vehementem, frequentem et communem populi opinionem ex hujusmodi gravibus indiciis ortam, quæ suspicio tunc se habet velut clamorosa insinuatio, si publicè per os hominum volitetur; magna namque suspicio apud populum habet locum infamiæ.

Diximus, *seclusâ consuetudine;* quidam enim volunt eam derogare huic juri positivo, quo requiritur prævia infamia et clamorosa insinuatio ad inquisitionem specialem. Unde praxis multis in locis recepta est, ut invento cadavere habitisque indiciis de aliquo homine, formetur specialis inquisitio contra illum : quæ praxis induci potuit, eò quòd expediat gravissima delicta ob commune bonum puniri, quamvis inde contingat personam particularem infamari; cùm talis infamia ob commune bonum permitti possit, et introduci quòd gravia indicia suppleant vices accusatoris, moveantque judicem ad procedendum per inquisitionem specialem. Hinc huic juri ecclesiastico communi jam ferè ubique præsertim in tribunalibus secularibus derogatum esse volunt per contrariam consuetudinem, quâ judices ex denuntiatione officialis fiscalis et publici ad hoc constituti vel alicujus privati, vel ad querelam partis offensæ renuentis suscipere onus probandi, vel ex quibusdam indiciis probabilibus, ad specialem inquisitionem, etiam nullâ præcedente infamiâ contra aliquem procedere solent. Quorum praxis videtur ipsis non damnanda, cùm expediat communi reipublicæ bono, ravia delicta non manere impunita, esto id non fiat ine culpâ illius qui crimen proximi occultum denuntiat. Dato enim esse de jure naturæ quòd judex procedere nequeat absque accusatione saltem virtuali, quod tamen plures negant, attamen quòd publica infamia debet supplere vicem accusatoris in inquisitione speciali, est tantùm de jure positivo humano, qui proinde per contrariam consuetudinem ob bonum commune introductam meritò derogari poterit; ac per aliquod aliud vices accusatoris suppleri quòd sufficienter reum infamet, ut est detectio ejus criminis in judicio, etc.

Unde quidam sententiam aliquo modo limitantes exigunt primò, ut in praxi judex laicus nunquàm ex seipso incipiat inquisitionem specialem de quâ agimus, sed tantùm præcedente infamiâ, aut suspicione communi, aut denuntiatione officialis publici, seu fiscalis, aliâve re simili, quæ inquisitioni viam aperiat. Exigunt secundò ut non procedat ex delatione sibi ut privato, et non tanquàm judici factâ, neque etiam ut judici porrectâ, sed incerto auctore, ut per schedulam suppresso delatoris nomine, etsi nominentur testes qui crimen sciunt, ne scilicet idem sit accusator et judex. Tertiò ut quando solùm intenditur punitio criminis merè præteriti, judex non inquirat specialiter nisi præcedat infamia: possit autem secùs agere, quando id necessarium videtur ad comprimenda graviora republicæ valdèque nociva mala, ut sunt hæreses, homicidia, sacrilegia, etc. Prælati tamen ecclesiastici debent servare hanc juris formam à sacris canonibus præscriptam, et non procedere ad inquisitionem specialem contra clericos absque prævià infamiâ et clamorosâ insinuatione quæ frequenter ipsorum aures pulsaverit, exceptis tamen quibusdam casibus. Primò si non agatur de punitione inquisiti, sed tantùm de vitando errore vel damno, ut dùm inquiruntur merita alicujus. priùsquàm assumatur ad beneficium, ad dignitates, ad ordines, ad habitum religionis suscipiendum, ad ineundum matrimonium, etc., tunc prælati tenentur inquirere specialiter, ne eligantur et confirmentur indigni. Cap. *Cùm in multis*, cap. *Cùm dilectus* de Elect. et qui se offert ad hæc suscipienda censetur ob bonum commune renuntiare juri quod habet, ne quis occultos ejus defectus revelet. Unde subditi interrogati tenentur quod sciunt aperire prælato, maximè impedimenta matrimonii declarare.

Secundò quando agitur de impediendis et vitandis malis futuris præsertim animarum, et tollendâ illorum occasione. Cùm enim in isto casu duæ leges naturales concurrant, una de non infamando proximo; altera de salvandis animabus, quæ est fortior alterâ, arctiùsque obligat; inde fit quòd permitti potest amissio famæ proximi, quando est necessaria ad animarum jacturam impediendam.

Tertiò in crimine hæresis et apostasiæ, ut si libelli continentes hæreses publicè seminarentur, etiamsi auctor illorum foret occultus, etiam sine infamiâ et accusatore vero aut ficto posset fieri specialis inquisitio contra aliquem, dummodò præcedat aliqua suspicio gravis de illo. Idem fieri posse in crimine læsæ majestatis docent auctores.

Quartò quando crimen committitur in conspectu judicis et aliorum circumstantium; item quando deprehenditur in discursu processûs, ut si detegatur calumniosa accusatio, instrumentum falsum. Item quando quis juridicè interrogatus confessus fuit occultum crimen coram judice et notario : nam ista confessio facit notorium juris : secùs dicendum si confessio fuerit extrajudicialis coram duobus aut tribus. Item si fiat

prælato extra judicium sponte aut ex lapsu linguæ et inadvertenter. Item si constaret prælato aperienti litteras subditi in quibus confitetur aliquod crimen occultum : in his enim casibus, non esset jus inquirendi judicialiter, nisi crimen foret atrox contra Religionem et bonum commune ; sed solùm paternè corrigendi erunt subditi.

Quintò quando judex aut prælatus in generali inquisitione competit aliquem graviter deliquisse, tunc potest judex ad inquisitionem specialem descendere. Nam hæc delicta jam judicialiter aperta, desinunt esse occulta et incipiunt esse notoria, quæ notorietas supplet locum accusatoris.

Judex viâ accusationis juridicè procedit quoties movetur ad instantiam actoris et instigatoris. Quando igitur est qui proclamat et accusat aliquem, judex potest formare processum, recipere informationes, examinare testes, et postea habità saltem semiplenâ probatione, procedere ad interrogandum reum : est autem semiplena probatio, testis omni exceptione major ; vel etiam habitis indiciis expressis, manifestis et certis, ut delictum et delinquentem ostendant, nec minùs convincant quàm unus testis omni exceptione majore, tunc potest reum interrogare, et torquere si opus fuerit ad veritatem aperiendam : aliàs si absque sufficienti ratione et justâ necessitate judex confessionem criminis per tormenta, vel per proximum eorum metum à reo extorqueat, mortaliter peccat, et tenetur ad restitutionem damnorum ; nec potest torturam adhibere nisi pro gravioribus criminibus, quæ scilicet pœnam corporalem capitis aut mutilationis merentur.

§ 3. *Utrùm judex pœnam à lege taxatam remittere, et à cliente aliquid titulo stipendii recipere possit.*

D. Thomas, q. 67, art. 4, quærit an judex possit licitè pœnam relaxare, per hoc innuens ad formam judicii præter tria jam explicata, requiri quantitatem et qualitatem pœnæ, ita ut juxta illud Deuteron. 25 : *Pro mensurâ delicti, sit plagarum modus.* Et quidem in levioribus delictis, satius est misericordià et mansuetudine, quàm severitate nimioque rigore uti ; ut enim habetur, causâ 26, q. 7, melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem. Difficultas est de gravioribus delictis, an judex infligere debeat pœnam à lege impositam ; nam quando non est in jure determinata sed arbitraria, faciliùs ad arbitrium judicis mutari potest : solent enim leges circa pœnas inferendas multa judicium arbitrio et prudentiæ relinquere, pro varietate locorum, temporum et personarum, ut habetur, ff. de his qui notantur infamiâ l. *Quod ergo.*

Ex duplici autem principio infert D. Thomas judicem non posse licitè pœnam à lege impositam relaxare. Primum, quia habet judicare inter accusatorem et reum ; unde impeditur ex parte accusatoris, ad cujus jus quandoque pertinet ut reus puniatur : puta propter aliquam injuriam in ipsum commissam, cujus relaxatio non est in arbitrio alicujus judicis ; quia quilibet judex tenetur jus suum reddere unicuique ; quare pœna quæ injungitur in satisfactionem partis læsæ, quamvis eâ consentiente remitti possit : secùs tamen eâ invità et renuente, cùm frustrari nequeat per se loquendo jure quod habet petendi satisfactionem lege determinatam : imò tenetur judex reum condemnare ad expensas, si absque legitimâ causâ litigaverit, proindeque nisi curet jus partis illæsum servari per debitam satisfactionem, tenebitur ipse in defectum rei restituere, quod extendendum est non solùm ad casum in quo talis pœna alicui ipso facto à jure applicatur, sed etiam quando ex legis præscripto ab ipso judice est applicanda.

Secundum principium est quòd judex non fert judicii sententiam quasi ex propriâ, sed ex publicâ potestate : unde impeditur ex parte reipub. cujus potestate fungitur ; ad cujus bonum pertinet quòd malefactores puniantur : sed tamen quantùm ad hoc differt inter inferiores judices et supremum judicem scilicet principem, cui est plenariè potestas publica commissa. Judex enim inferior non habet potestatem absolvendi reum à pœnâ contra leges à superiore ipsi impositâ : unde pœnas merè vindicativas et corporales, quales sunt exilii, triremium, etc., etiam remittente accusatore, non potest remittere nec minuere, quando crimen sufficienter probatum fuit in judicio, quia in lege superioris nequit dispensare. Sed princeps qui habet plenariam potestatem in repub. poterit reum licitè absolvere, si ille qui passus est injuriam velit eam remittere, et hoc publicæ utilitati viderit non esse nocivum.

Supple, non existente justâ causâ relaxandi pœnam reo, accusatore invito : quamvis enim regulariter supremus princeps id non debeat facere, tum propter injuriam quæ fit reipub. in non servandis justis legibus, in non puniendis gravibus delictis, tum propter scandalum et grave detrimentum quod inde redundat, etc., si tamen pœnæ relaxatio valdè expediens fuerit bono communi, adhuc ipso accusatore renuente et punitionem petente, poterit princeps reum absolvere : ut si reus esset reipub. valdè necessarius, etc., imponendo ei aliquam satisfactionem pro parte læsâ ; eò quòd bonum privatum meritò sit postponendum bono communi, nec tunc accusator censetur rationabiliter invitus. Unde renuente parte læsâ seu accusatore, videtur quòd supremus judex pœnam à lege taxatam reo condonare non debet, nisi quando contrarium in boni communis detrimentum redundaret, quia debet esse custos justitiæ, inter partes jus dicere, et unicuique jus suum reddere tenetur. Hinc auctores colligunt, periculosum quandoque esse pro reis apud judicem intercedere, in his quæ judicis saltem arbitrio non relinquuntur, cùm exinde nonnunquàm illicita pœnæ relaxatio petatur et consequatur.

Judex qui pro exercendo suo officio accipit aliquid in pretium, præter id quod lege aut consuetudine taxatum est, peccat contra justitiam, quia violat pactum quod saltem tacitè iniit cum repub. non ampliùs accipiendi titulo stipendii pro exercitio sui officii. Tandem peccant judices negando seu differendo justitiam,

præsertim petitam, et tenentur de expensis et damnis illorum quibus negatur vel differtur, absque rationabili causâ. Cætera vide apud Cajetanum, verb. *Judicis peccata.*

Articulus II.

De pertinentibus ad injustam accusationem.

Divus Thomas de Accusatione tractat, 2-2, q. 68, et examinat quatuor articulis, obligationem, formam, justitiam et pœnam accusationis. Accusator propriè est illa pars quæ petit in criminalibus: nam in civilibus nomine quodam generali vocatur *Actor*, Institut. lib. 4, tit. 6. Actio definitur jus prosequendi in judicio quod sibi debetur: accusatio verò est jus prosequendi in judicio ad vindictam publicam, seu propter bonum commune: ad illud enim referri debet proprium accusantis interesse, ut scilicet homines quietè vivant, etc.

Articulo primo ostendit obligationem accusandi, dicens; quòd *si crimen fuerit tale, quòd vergat in detrimentum reipub., tenetur homo ad accusationem, dummodò sufficienter possit probare quod pertinet ad officium accusatoris: puta cùm peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem aut spiritualem*, quia unusquisque jure naturæ tenetur impedire ea quæ directè et immediatè vergunt in damnum publicum tam spirituale quàm corporale: ut sunt hæreses, compilationes ærarii publici, proditiones patriæ, rebelliones, falsificationes monetarum, etc., sicut membra corporis naturali instinctu esse objiciunt periculo ad salvandum caput. Ergo quilibet tenetur ex charitate hæc damna vitare, si sint in fieri, vel in procinctu ut fiant, sed aliquando et sæpè contingit, ut hæc crimina et damna aliter non possint commodè vitari, quàm per accusationem; ergo tunc ad illam tenetur homo, saltem ex charitate. Imò etiam ad hoc tenetur quando crimen est contra aliquam privatam personam, et in fieri vel in procinctu ut fiat, nec aliter grave damnum innocentis averti potest, juxta illud Proverb. 24: *Erue eos qui ducuntur ad mortem.* Eccles. 17: *Mandavit Deus unicuique de proximo suo.* Nisi inde sibi aut suis timeat aliud gravius damnum obventurum: tunc enim debet aliâ viâ huic malo succurrere puta admonendo proximum, aut secretè denuntiando judici, etc.

Dicit autem D. Thomas unumquemque teneri ob bonum publicum, *dummodò sufficienter possit probare*, etc., puta habere testes, aut indicia manifesta sufficientia. Quia, ut ait idem sanctus doctor: *Ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo præstare.* Nec debet quis se temerariè exponere ad subeundum pœnam talionis, aliudve damnum, si in probatione deficiat. Unde tunc videtur obligationi accusandi satisfacere, si crimen illud reipub. perniciosum, ne maneat omninò impunitum et huic gravi malo obvietur, denuntiaverit juridicè. Si autem crimen fuerit tale quod non redundet in multitudinem vel in alicujus tertii grave damnum, ad nihil tenetur illud sciens, nisi correctionem fraternam eo ordine facere et prosequi quo habetur Matth. 78. Hinc habetur, eum qui non accusat vel denuntiat delinquentem contra bonum publicum, etiam revelando secreta, quia scilicet contra bonum commune nullum licet secretum recipere, ut ait D. Thomas hic, ad 3, peccare mortaliter; non tamen tenetur ad restitutionem, quando contra solam charitatem peccat. Idemque dicendum quando non accusat aut denuntiat crimen quod vergit in grave damnum tertii; secùs dicendum dùm etiam ex justitiâ ad hoc tenetur, ut si custodes gabellarum vel silvarum stipendio conducti, non deferant eos qui gabellas defraudant, vel damnum silvis inferunt. Ille enim violat justitiam qui non facit id ad quod tenetur ex officio; ex læsione autem justitiæ oritur obligatio reparandi damnum, si quod inde consequatur.

Quamvis non teneamur alium accusare de injuriâ nobis factâ, id tamen licitè possumus, modò absit odium et animus vindictæ. Ratio est, quia accusatio et vindicatio injuriarum auctoritate publicâ, est actus virtutis: dummodò igitur debitis circumstantiis vestiatur, nullâque perversâ passione vitietur, erit licitus; cùm tamen unusquisque sit dominus rerum suarum exteriorum, potest illatas sibi injurias condonare, velleque patienter ferre, exemplo Christi et sanctorum.

An autem secreta monitio et fraterna correctio semper accusationem præcedere debeat; quidam negant, si naturam accusationis spectemus, quia ejus finis, ut ait D. Thomas hìc, non est emendatio delinquentis, sed punitio: ut scilicet exemplo unius alii deterreantur, ac reipub. tranquillitas conservetur. Idem docet D. Thomas, quodlib. 11, art. 13, et in 4 Sent. dist. 19, q. 2, art. 3; alii volunt quòd si per correctionem fraternam frater speretur corrigendus, tunc non tenetur aliquis eum accusare, quia præceptum de correctione fraternâ est affirmativum, quod obligat pro tempore quo proximus est corrigibilis absque damno corripientis et dispendio boni publici: nisi ergo bonum commune periclitetur, præmittenda est correctio fraterna.

Resp. quòd quando crimen vergit in bonum publicum, et periculum est in morâ, tenetur homo accusare prætermissâ correctione fraternâ, quia in re tanti momenti tutius est eligendum, et damnum quod vitatur longè præponderat infamiæ et nocumento delinquentis. Item quando homo per accusationem intendit recompensationem propriæ injuriæ, aut restitutionem rei familiaris, si non possit aliter recuperare, ei licitum est accusare prætermissâ correctione fraternâ, quia habet jus ad suum recuperandum ordine juridico. In hoc tamen habenda est ratio damni, quod uterque patitur. Si enim tunc damnum accusati notabiliter excedat detrimentum accusantis, iste faciet contra charitatem accusando alium: ut innuit D. Thomas loco citato ex 4 Sent.: *Etiam ad accusationem procedi non debet, secundùm forum conscientiæ, monitione non præmissâ, nec emendatione spectatâ, nisi fortè majori periculo obviandum videatur.* Si offerat satisfactionem congruam, videtur quòd ex charitate non debet læsus eum in judicium vocare.

Articulo secundo ponit D. Thomas formam accusa-

tionis, nempè quòd necessarium est ut fiat in scriptis, porrecto judici aut superiori libello, quando agitur de gravi crimine, ut habetur 2, q. 8, can. *Accusatorum*, quia judex medius constituitur inter accusatorem et eum qui accusatur ad examen justitiæ, in quo oportet, quantùm possibile est, secundùm certitudinem procedere. Quia verò ea quæ verbo tenùs dicuntur, facilè labuntur à memoriâ, non posset judici esse certum, quid et qualiter dictum sit, cùm debet proferre sententiam, nisi esset in scriptis redactum. Ideò rationabiliter institutum est, ut accusatio, sicut et alia quæ in judiciis aguntur, redigatur in scriptis. Item quia accusator obligat se ad probandum, et punitur si probare nequeat: ideò ut constet quid sit probandum, nec possit aliquid mutare et punitionem evadere, si probare nequeat, debet accusatio fieri in scriptis, nam scripta manent; vel verbis accusatoris, quæ statim à notario scribantur et ipsi legantur, huic porrectæ accusationi propriâ manu subscribat, vel si scribere nesciat, manu alterius subsignet et se obliget ad pœnam talionis si in probatione defecerit atque ad persequendam litem usque ad finem, postquàm semel facta est litis contestatio. Item in libello inferenda sunt nomina accusatoris et accusati, cujus nomen si ignoretur, ex oris formâ, ex vestitu, aliisque circumstantiis est describendus. Item exprimi debet species delicti de quo reus accusatur, et socius criminis, si tale sit ut necessariò socium exigat, quale est sodomia, adulterium, etc.; item locus et tempus quo patratum fuit crimen, nempe annus, mensis, dies et hora. Item mensis et dies quo porrigitur libellus judici: causâ 2, q. 8, cap. finali; unde hæc sunt de formâ accusationis secundùm jus commune. Cæterùm usu et consuetudine receptum est, ut non exactè serventur ista, sed sufficiat quòd accusator coram judice crimen deferat per solam verbalem querelam, quam notarius accipit in scriptis ac judici porrigit.

Articulo tertio probat ex causâ 2, quæst. 3, can. *Si quem*, accusationem his tribus modis injustam reddi, nempe: *calumniâ, prævaricatione et tergiversatione.* Inprimis quia nullus debet nocere altere injustè ut bonum commune promoveat per accusationem. Et ideò peccatum injustitiæ committit accusator injustè agens contra eum qui accusatur, eidem scienter et ex malitiâ crimina falsa imponendo, quod est calumniari; id enim cùm sit de se intrinsecè malum, in nullo casu potest esse licitum: et ideò homo non debet ad accusationem procedere, nisi de re omninò sibi certâ, in quâ ignorantia facti locum non habeat. Nec tamen omnis qui falsum crimen alteri imponit, calumniatur, sed solùm qui ex malitiâ in falsam accusationem scienter prorumpit: qui enim hoc bonâ fide facit putans crimen esse verum, quia leviter et faciliter credidit quod audivit, non est propriè calumniator, sed temerarius accusator; mortaliter tamen peccat, et tenetur ad restitutionem damni accusato inde consecuti. Item calumniator censetur, quia scienter accusat aliquem de vero crimine, sed occulto, quod in judicio probare nequit, qua in judicio illud censetur juridicè falsum, quod juridicè probari non potest. ideo peccat contra justitiam, et tenetur ad reparationem damnorum et interesse ad arbitrium boni viri; idque videtur innuere divus, Thomas, 2-2, quæst. 62, art. 2, ad. 2.

Idque procedit in criminalibus: v. g., si quis ab hoste injustè alapâ aut fuste percussus in loco ubi nullus adest qui possit testificari, nullaque suppetat probatio, velit tamen percussorem apud judicem accusare, et adhibeat testes falsos, qui dictis ejus cum juramento affirmatis, ex amicitiâ aut mercede credentes, deponant se vidisse talem in tali loco, die et horâ, graviter eum alapâ et fuste percutientem, exinde motus judex istum percussorem damnet ad emendam pecuniariam, aliudve nocumentum ipsi inferat, videtur quòd hìc accusator nedùm graviter peccet, sed etiam teneatur ad reparationem damnorum quæ læsor incurrit; quia per calumniam injustè ea causavit, petiitque rem per accidens sibi indebitam, nempe reparationem et vindictam publicam, defectu scilicet probationum, et modo indebito, nempe adhibendo falsos testes. In civilibus verò calumniator quidem est, qui rem suam aut sibi debitam petit modo indebito, quia scilicet utitur falsis instrumentis aut testibus; ideòque mortaliter peccat, nec est absolvendus, si insistet ad hoc ut super illis falsis probationibus judex sententiam proferat: non tamen ad restitutionem tenetur, quia, ut suppono, rem suam tantùm recuperat ab alio detentam; idque innuit D. Thomas, 2-2, q. 71, art. 3, ad 3, de advocato loquens, et q. 79, art. 2, in corp., loquens de reo. Verùm de hoc supra egimus.

Alio modo contingit esse peccatum in accusatione ex parte nocumenti reipub. cujus bonum principaliter tunc intenditur, dùm aliquis impedit malitiosè punitionem peccati: quod evenit, vel quando fraus in accusatione adhibetur, et hoc pertinet ad prævaricationem; nam prævaricator dicitur quasi varicator, quia adversam partem adjuvat, proditâ causâ suâ fraudulenter, abscondens ea de quibus accusationem proponit, colludens cum reo, proprias probationes dissimulando, et falsas exceptiones admittendo ut vincatur. Vel totaliter ab accusatione desistendo quod est tergiversari: in hoc enim accusator videtur tergum vertere. Peccat autem si inordinatè et absque justâ causâ desistat ab accusatione, dùm ad eam obligatur ratione boni communis, aut saltem præcepto judicis ex officio procedentis: secùs verò si ordinatè, et absque vitio ab eâ desistat, puta si in ipso accusationis processu cognoverit id de quo accusavit esse falsum, sicque pari consensu se absolvant accusator et reus. Aut si princeps, ad quem pertinet cura boni communis, quod per accusationem intenditur, eam aboleverit.

Tandem articulo quarto, probat accusatorem qui in probatione defecerit, esse obnoxium pœnæ talionis ut habetur causâ 2, q. 3, cap. *Qui non probaverit*, ex Adriano papâ. Quia justitiæ æqualitas hoc requirit, ut nocumentum quod quis alteri intentat, ipse patiatur, juxta illud Exod. 21: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Et ulteriùs huic accusatori debetur pœna infamiæ, propter malitiam ex quâ calumniosè alium

accusavit et per quam fecit injuriam reipub. et judici, et ob hoc remanet infamis ac dignus ut in judicio ampliùs non audiatur, nec in repub. aliquod munus exercere valeat, cap. *Si quis* 2, q. 3.

Verùm pœna talionis hodiè non ita rigorosè observatur : sed isti accusatores, judicis arbitrio relinquuntur puniendi supplicio aut pœnâ, prout expediens judicaverit; remanet tamen infamia.

Articulus III.

De vitiis contra justitiam ex parte rei, seu accusati.

D. Thomas agit de reo, q. 69, quam divisit in 41 articulos. In quibus examinat obligationem quam habet respondendi judici juridicè interroganti, et obedientiam quam præstare debet in executione sententiæ : quæ duo à nobis sequentibus parag. agitabuntur.

§ 1. *Utrùm accusatus possit absque peccato mortali veritatem negare per quam condemnaretur, et se calumniosè defendere.*

Suppono ex dictis quòd ut judex legitimè ac juridicè procedat contra reum, debet habere potestatem publicam et auctoritatem supra illum, tanquàm sibi in judicio subditum; item debet informari scientiâ publicâ, nempè secundùm allegata et probata. Item necesse est ut observet formam et juris ordinem, nempe quòd præcesserit publica infamia et clamorosa insinuatio sparsa per majorem partem vicinitæ, quæ ad ejus aures frequenter pervenerit, si procedat per viam inquisitionis : vel quòd moveatur ad instantiam partis quando procedit per viam accusationis. Item ut reus juridicè interrogetur, oportet ut delictum sit plenè probatum per duos testes, vel saltem semiplenè per unum testem omni exceptione majorem, qui sit juratus, non particeps in crimine, omninò distinctus ab accusatore, aut ab eo quòd supplet vices accusatoris ac testificet de visu. Vel per infamiam semiplenè probatam, vel per indicia manifesta; rarò enim sufficit unum indicium nisi fuerit sufficientissimum et urgentissimum, sed ordinariè plura exiguntur, quæ debent esse evidentia tam respectu criminis, quàm respectu personæ. Item debent esse nota juridicè, id est, scripta in processu, et notificata ipsi reo, ita ut illi constet quòd talia indicia sunt sufficienter probata contra ipsum : aliàs non tenebitur respondere, nec credere judici dicenti quòd habet contra illum indicia manifesta. Itaque hujusmodi probationes et indicia debet judex aperire et manifestare reo ita ut certò sciat se esse in tali statu et articulo constitutum, quòd tenetur obedire judici præcipienti et extorquenti veritatem : alioquin cùm ipse reputet se esse occultum, et ista indicia sint non juris, sed facti, nisi judex illi manifestet, ignorantia facti quod ipsum latet, excusabit eum : aliunde etiam debent ei manifestari ut possit se purgare et rationabiliter opponere. His suppositis,

Dico primò reum non teneri respondere judici, eique veritatem aperire, quando ipsi non constat, aut rationabiliter dubitat eum juridicè procedere et interrogare. Ita communiter auctores cum D. Thomâ hic art. 1. in corp., dicente : *Si verò judex hoc exquirat, quod non potest secundùm ordinem juris, non tenetur ei accusatus respondere, sed potest vel per appellationem, vel aliter subterfugere : mendacium autem dicere non licet.* Ratio est, quia tunc judex non procedit nec interrogat ut superior et persona publica, sed tantùm ut persona privata. Item quia sicut lex non obligat ante sufficientem illius promulgationem, ita reus non tenetur parere mandato judicis, quod est velut lex particularis, nisi constet eum qui jubet esse superiorem justèque præcipere : hoc autem reo constare nequit nisi manifestentur ipsi semiplena probatio vel indicia quibus nititur jus judicis ad interrogandum, quando procedit viâ accusationis : et idem dicendum de infamiâ, quando procedit viâ inquisitionis specialis : unde priusquàm id ei constet, non tenetur respondere. Et licèt non sit exigendum à prælato et superiore, ut ostendat et probet subdito se justè præcipere, ubi nullum est periculum in præstandâ obedientiâ; secùs dicendum quando agitur de gravi periculo subditi. Imò nec testes tenentur contra alium in re gravi testificari, nisi ipsis constet se legitimè interrogari.

Differentia tamen est inter testes et reum, quòd quando crimen est notorium et directè contra rempub. ut in casu hæresis, læsæ majestatis, etc., criminosus verò occultus, si ipse reus inter alios interrogaretur an ipse fecerit, aut latum esset aliquod edictum generale et publicum, præcipiens ut quicumque sciret criminosum, illum denuntiaret, adhuc reus non teneretur se prodere; cùm sit contra jus naturæ ut occultus criminosus et non laborans infamiâ se prodat : ex D. Thomâ, q. 69, art. 2. Alii tamen qui scirent criminis auctorem, interrogati ut testes fateri veritatem tenerentur, imò etiam non interrogati, ex vi talis edicti, imò etiam absque eo edicto. Ratio disparitatis est, quia testis denuntiare tenetur ad obviandum huic malo publico, de quo semper præsumitur periculum in futurum : quod sanè periculum cùm ipse ut plurimùm secretâ admonitione impedire nequeat, tenetur judici denuntiare, ut hâc saltem viâ consulatur bono publico. Atverò reus, quia cessare potest ab illo damno publico futuro, sicque omne periculum impedire, non tenetur se illâ ratione prodere. Si judex dubitat an juridicè procedat, non potest reum interrogare, nisi immineat periculum contra rempub., quod cavere tutius est. Unde si ex alterâ parte immineat periculum injustitiæ contra reum, et ex alterâ parte grave periculum contra rempub., debet deponere dubium et inclinare in favorem reipub., quia judex est custos boni publici ex officio. Ergo in dubio debet potiùs favere reipub. quàm reo, tutioremque partem eligere. Verùm in eodem casu reus non tenebitur respondere, nec similiter quoties dubitat an judex legitimè et juridicè inquirat : tum quia si quâ ratione reus teneretur respondere, id esset propter periculum quod imminet reipub. Huic autem periculo reus potest aliter obviare, nempe ab eo malè cessando, cùm id sit in ejus voluntate et potestate positum; tum quia in dubiis melior est conditio possidentis : reus autem est in possessione vitæ et honoris; tum quia omnis homo præsumitur bonus antequàm probe-

tur malus, tum quia tunc maximè videtur locum habere istud effatum : In dubiis favendum est reo. Nec valet dicere hinc sequi dari posse bellum ex utràque parte justum : non enim est inconveniens contingere per accidens, et suppositâ aliquâ ignorantiâ, bellum ex utràque parte justum, prout accidit in nostro casu. Sic igitur reo qui accusatur et interrogatur, licitum est se defendere veritatem occultando quam confiteri non tenetur, per convenientes modos : puta ut non respondeat, ad quæ respondere non tenetur ; mendacium autem et falsitatem dicere in nullo casu licet, ut D. Thomas rectè monet. Dùm enim iste reus nec silentio, nec appellatione, neque aliâ viâ subterfugere valet, licitè potest veritatem occultare utendo æquivocatione materiali, ut dictum est suprà.

Notat Bannes quòd D. Thomas prudenter admonet hujusmodi reos, ne mentiantur : quia est tunc magna tentatio et occasio negandi simpliciter veritatem et mentiendi ad vitanda supplicia ; idque facilè evenire potest, si habeant tunc intentionem accipiendi hæc verba : non occidi hominem, non commisi crimen ; omninò absolutè, absque amphibologicâ locutione ac restrictione ; de falsitate hujus propositionis non curando, neque de eâ verificandâ juxta aliquem sensum occultum, dummodò supplicia evadant. Tunc enim miseri rei persæpè dicunt quidquid venit in mentem, neque malum reputant contra illam ire, et mentiri, dummodò id conducere possit ad vitandas pœnas.

Nec debet judex juramento delato de dicendâ veritate reum interrogare, antequàm illi manifestet semiplenam probationem aut indicia manifesta, etc. Aliàs, quamvis celet aut falsò neget, videtur esse simplex mendacium officiosum et veniale, nec peccat contra juramentum reus, utpote quia est intelligendum tantùm de veritate, de quâ interrogabitur, juridicè : ita Sotus, Navarrus et alii. Hinc colligit Bannes loco citato quòd reus in nostro casu negando se fecisse crimen, non tenetur ad restitutionem famæ accusatoris, qui ex hâc negatione infamatur : tum quia justè se defendit, nec mentitur ; per accidens autem sequitur infamia injusti accusatoris ; tum quia dato quòd mentiretur, illud tamen mendacium non esset contra justitiam in ordine ad accusatorem, respectu cujus habet jus ad se defendendum. Contrarium tamen docet Cajetanus in Summâ, verb. *Restitutio*, cap. ultimo.

Deinde idem Bannes, q. 70, art. 1, parte 4, concl. 2, ait quòd si judex ut persona publica, vel ejus ministri, injustè, minis, tormentis, vi, fraude aut falsâ promissione impunitatis, aliove modo contra ordinem juris, secretum alicujus delictum extorqueant, tenetur cessare, nec potest ultra procedere, aut illud punire, sive à reo, sive à testibus per injuriam extorserint quæ sit peccatum mortale, ut probat Innocentius papa III, in cap. *Qualiter et quando*, tit. 1, de Actionibus, quia ex his quæ inordinatè acta sunt, non potest ordinabiliter agi : quando enim medium est iniquum, etiam cognitio inde parta est iniqua et inutilis ad aliquem effectum juridicum. Adde quòd confessio convincens in judicio, debet esse legitima, ac nequaquàm per injuriam extorta.

Dico secundò, quando judex legitimè procedit ac juridicè reum interrogat, idque reus certò cognoscit, tunc sub peccato mortali tenetur confiteri veritatem, etiamsi ob eam confessionem sit pœnâ mortis plectendus : nec potest eam negare, etiamsi per hanc negationem haberet probabilem spem evadendi mortem. Ita expressè D. Thomas hìc, art. 1, et communiter Thomistæ, aliique innumeri extranei (1).

Conclusionem nostram probat S. doctor in *Sed contra* dicens : Omne quod est contra gloriam Dei, est peccatum mortale, quia ex præcepto tenemur omnia in Dei gloriam facere, 1 ad Corinth. 10. Sed quòd reus id quod contra se est confiteatur, pertinet ad gloriam Dei, ut patet per illud quod Josue dixit ad Achan : *Fili mi, da gloriam Deo, et confitere atque indica mihi quid feceris : ne abscondas*, Josue 7. Item Eccl. 4, decitur : *Pro animâ tuâ, non confundaris dicere verum.*

Probat in corpore art. 1, dicens quòd quicumque facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat, ut ostensum est supra quæst. 59, art. 4. Pertinet autem ad debitum justitiæ quòd aliquis obediat suo superiori in his ad quæ jus prælationis se extendit : judex autem est superior respectu ejus qui judicatur. Et ideò ex debito tenetur accusatus judici veritatem exponere, quam ab eo secundùm formam juris exigit. Unde si

(1) Theologi qui non admittunt illam obligationem, præsertim in materiâ criminali, et quando mors vel aliud malum gravissimum immineret reo ex suâ confessione, si veritatem detexerit, eo nituntur principio : Lex humana non potest hominibus imponere onus humanæ fragilitati durissimum, nisi id exigente ratione boni publici ; dubitare certè nemo potest quin maximè onerosa sit obligatio quam judex imponeret reo, si iste apprehendat se damnari non posse citra suam confessionem defectu probationum sufficientium, damnandum verò pœnâ capitali si veritatem ingenuè fateatur ; videamus proinde an urgens ratio boni publici exquirat tam grave onus subditis imponi. Hæc ratio necessitatis non facilè probatur ; nam 1° olim fuêre et nunc sunt nationes in quibus in materiâ criminali reus non jubetur præstare juramentum de aperiendâ veritate ; inde legislator non suspicatus fuit inferendum esse grave nocumentum bono publico. 2° Vel independenter à confessione rei adsunt probationes juridicæ criminis, vel non ; si priùs, judex jure naturali et publico potest condemnare reum ad pœnas condignas, sive fateatur, sive neget suum crimen : quis enim dixerit illam confessionem omninò requiri ut justum feratur judicium? Si posterius, non tanti interest boni publici ut reus condemnetur ; tunc enim crimen valdè dubium supponitur, et ea est fragilitas humana ut plerique hominum qui in his angustiis versantur non sint veritatem contra seipsos et periculo certo propriæ vitæ confessuri, licet illud legislator imperet ; ergo non videtur esse ratio sufficiens boni publici ad exigendum ab hominibus actum adeò heroicum... Hanc sententiam satis probabilem reputant multi, qui etiam opinioni adversæ adhærent, ut Lessius lib. 2, cap. 31, n. 16 ; B. Liguori lib. 4, n. 274. Quidquid statuatur de probabilitate intrinsecâ utriusque opinionis, confessarius non deberet nimiâ severitate agere erga reum qui reluctaret, nec se obligatum crederet ad confitendum crimen : in eo omnes conveniunt.

(Edit.)

noluerit confiteri veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, peccat mortaliter. Sic etiam miles duci præcipienti ut hostes aggrediatur, aut stationem suam teneat, etiam cum vitæ periculo obedire tenetur; quia disciplinæ militaris et præcepti hujus observatio, est necessaria boni communi, quod est præferendum privato militis : quòd autem reus in nostro casu teneatur obedire et confiteri veritatem judici, hoc est necessarium ad bonum commune, cùm non possint puniri delicta ac judicia criminosa terminari, nisi per rei confessionem, aut ejus convictionem per testes sufficientes in judicio cognoscantur delicta. Ergo, etc. Probat insuper D. Thomas ibidem ad 2, dicens quòd *mentiri ad liberandum aliquem à morte cum injuriâ alterius, non est mendacium simpliciter officiosum, sed habet aliquid de pernicioso admixtum : cùm autem aliquis mentitur in judicio ad excusationem suî, injuriam facit ei cui obedire tenetur, dùm illi denegat quòd ipse debet, scilicet confessionem veritatis.* Et ibidem, ad 3, ait quòd *reus qui mentitur in judicio se excusando, facit et contra dilectionem Dei, cujus est judicium, et contra dilectionem proximi : tum ex parte judicis, cui debitum negat; tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat; quod autem est contra charitatem est de se peccatum mortale.*

Plures tamen auctores docent quòd non respondere judici, celare veritatem, aut falsum dicere etiam juridicè interroganti, potest quandoque esse solùm veniale peccatum ex parvitate materiæ, dummodò non interveniat juramentum. Quæ materiæ levitas ex duplici capite desumi potest. Primò ex parte juris quod habet judex ad interrogandum : si enim illo jure tenebatur sub peccato mortali ad interrogandum de aliquo, quidquid illud sit, tenebitur quoque interrogatus aperire veritatem, sub mortali : unde religiosus tenetur sub mortali respondere visitatori interroganti de observantiis regularibus, quia ipse visitator tenetur sub mortali de his inquirere, etiamsi quilibet religiosus in particulari non peccet mortaliter, v. g., in fractione silentii. Si verò judex licitè quidem interrogat, sed non tenebatur interrogare, quia talis interrogatio non multùm pertinebat ad causam, tunc reus non tenebitur respondere veritatem sub mortali. Secundò ex circumstantiis considerari potest gravitas aut levitas mendacii in judiciis, scilicet ex injuriâ quam patitur accusator aut testis juridicè ac legitimè agentes. Ratio est, quia mendacium in judicio est immediatè contra justitiam vel religionem. Atqui in vitiis contra istas virtutes potest reperiri levitas materiæ, ut si quis furetur obolum, etiam in loco sacro. Ergo tale mendacium potest quandoque esse solum veniale. Ita Bannes, 2-2, q. 69, art. 2, part. 2, conclus. 2. Idem docet Sotus lib. 5 de Just., q. 6, art. 1, et in relect. de tegendo secreto, memb. 2, q. 7, concl. 2. Cajetanus tamen docet omne mendacium sive in tribunali pœnitentiæ, sive in judicio esse peccatum mortale, 2-2, q. 69, art. 1, et verb. *Confessionis condit.*, 4, in Summâ.

Quomodò autem se gerere debeat confessarius thomista in confessione miserorum reorum, qui juridicè interrogati negârunt veritatem, aut eam fateri nolunt? — Respondeo debere cautè et prudenter se gerere in re tanti momenti, neque facilè absolutionem concedere, aut denegare præcipitanter; sed paululùm eam suspendere, ac interim diligenter inquirere tum à reo, tum ab ejus advocato an sit aliquis defectus in processu, aut in modo procedendi judicis, aut in dictis testium, aut circa probationes, aut circa ordinem juris; tunc enim reus non tenetur respondere. Quòd si è contra omnibus ritè ac maturè pensatis videat, nec ullatenùs dubitet reum juridicè interrogari, et teneri ad obediendum judici, debet eum hortari ut veritatem fateatur : quòd si noluerit, nondùm potest illùm absolvere, cùm peccet mortaliter, velitque in peccato perseverare, sed potest absolutionem suspendere, suppono enim nondùm prolatam esse sententiam, nec periculum esse in morâ. Et tunc si post negationem veritatis reus à pœnâ et à judicio liberetur, postea ritè pœnitendo de hoc peccato absolvi poterit à confessario, impositâ ei salutari pœnitentiâ, injunctâque obligatione restituendi damna quæ parti contrariæ intulit per crimen, et majus damnum quod ex ejus negatione eidem causavit, quia respectu illius peccavit reus contra justitiam : non tamen cogi potest ut ad carcerem redeat aut judicem adeat et seipsum prodat, cùm respectu judicis, obedientiam et justitiam legalem duntaxat violaverit, judexque suo officio perfunctus fuerit, ac cessaverit finis interrogationis, causâ jam decisâ et reo liberato. Quòd si reus non fuerit quidem condemnatus, sed tamen non omninò liberatus, nec extra judicium positus, si contingat denuò à judice interrogari, tunc sub peccato tenetur se retractare, et veritatem fateri : nisi tunc (ut quidam volunt) incurreret novam pœnam, convictus de novâ pœnâ perjurii; quia, ut inquit Bannes ibid., concl. 3, ille se proderet tanquàm reum de novâ culpâ, quod nemo facere tenetur. Si autem non sit periculum quòd novam pœnam incurrat, tenetur fateri veritatem quam negavit, ideòque si probabile sit quòd iterùm interrogabitur, confessarius debet ipsum manere ut sit animo paratus, habeatque tunc voluntatem fatendi veritatem : aliàs si careat dolore de præterito mendacio, et vero proposito se retractandi in casu quo denuò interrogetur, absolvi nequit, cùm velit perseverare in suâ rebellione et peccato, ac de novo præceptum transgrediendi voluntatem habeat. Quòd si credatur judicem ampliùs non interrogaturum, et reus nihil cogitet de tali proposito, sed sit quasi in bonâ fide, non habens scrupulum de negatione præteritâ, quam licitam esse fortè putavit, videtur quòd tunc confessarius regulariter non debeat examinare ac urgere circa tale propositum, cùm sit res difficillima, ac gravis tentatio, quâ fortè exponeretur reus periculo peccandi, sed quòd tunc sufficiat reum monere in genere ut animo firmiter et efficaciter proponat omnia peccata in posterum cavere, doleatque de præteritis, nisi in reo videat bonas dispositiones, nec sit periculum hujus eversionis, si obligationem hujus propositi in particulari eidem manife-

stet. Quandò tandem reus juridicè interrogatus, non obstante quòd veritatem negaverit, condemnatus fuit et ad supplicium ducitur, optimè quidem facit confitendo veritatem : de rigore tamen ad id faciendum non tenetur, nisi aliquod notabile damnum inde consequeretur; sed tunc sufficit quòd suum peccatum ritè confessus fuerit ac sacramentalem absolutionem receperit. Ita Navarrus in Manual., cap. 26, num. 38.

§ 2. *Utrùm reus possit infamare accusatorem, aut testes, aut seipsum absque peccato.*

Constat ex dictis reum contra ordinem juris accusatum aut denuntiatum, negando crimen occultum, quod non est probabile in judicio, non peccare, etiamsi ex hoc indirectè infametur accusator, et tanquàm calumniator habeatur. Ratio est, quia quoties crimen est occultum et reus non tenetur illud confiteri, toties habet jus se defendendi cum moderamine per media licita : est autem licitum reo in hoc casu negare crimen. Unde accusator sibi imputaré debet, si inde infamiam consequatur; cùm enim reus sit publicè et in judicio innocens, innocentiam suam publicè defendendo, utitur jure suo.

An verò peccet, si nedùm simpliciter crimen neget, sed etiam accusatorem medacem, calumniatorem, etc., appellet, respondetur illum peccare contra charitatem, si sufficienter se defendere valeat per simplicem negationem absque aliâ verborum asperitate, cùm absque ullâ necessitate infamet accusatorem, et hæ injuriæ verborum habeant rationem vindictæ et recriminationis, non verò justæ et necessariæ defensionis. Ratio est, quia sic accusatus debet se defendere cum minimo damno possibili alterius, et cum moderamine; ergò cùm aliter absque verborum asperitate se tueri valeat, censetur tunc moderamen excedere. Secùs dicendum, si crimen jam foret sufficienter probatum, et reus juridicè interrogetur : tunc enim cùm non possit absque peccato negare crimen, neque proindè ipsi licitum est, directè aut indirectè accusatorem infamare. Idem dicendum de testibus, nempe licitum esse reo, illorum crimina occulta detegere; si tamen valeant ad infirmandum testimonium, et probari possint, non solùm quando falsum testimonium proferunt, sed etiam quando verum dicunt contra ordinem juris, ac spontè se ad testificandum offerunt, quia hæc objectio criminum habet tunc rationem defensionis respectu rei contra invasores. Quod etiam quidem extendunt quando testes secundùm juris ordinem verum proferunt testimonium. Id tamen limitandum censeo, quando crimen accusati non est probabile in judicio, puta si unus solus adsit testis non omni exceptione major : iste enim utiliter ac temerariè se exposuit huic periculo infamiæ non enim cum tanto suo detrimento testificari tenebatur, si timebat reum declaraturum ejus crimina.

Tandem licitum est reo, ut à gravibus tormentis se liberet torturæ, seipsum infamare confitendo judici crimen verum, sed occultum de quo contra juris ordinem interrogatur. Quia cùm quilibet sit dominus famæ, sicut et pecuniæ, potest ob urgentem et rationabilem causam, qualis est ista, ejus dispendium ferre. Imò auctores docent in isto casu à mortali per se loquendo excusari, qui metu gravissimorum tormentorum, falsum crimen de quo accusatur, fatetur, quia nemo tenetur cum tantis doloribus vitam tueri contra invadentem, voluntque solùm venialiter peccare, illo mendacio officioso. Nec in hoc propriæ morti per se dat causam, sed tantùm per accidens et permissivè : licitè enim commutat gravia longaque tormenta, quæ causant mortem, et sunt quasi prolixa mors, breviore morte. Si tamen cessent tormenta, nec sit periculum quòd ex retractatione ampliùs gravi torturæ applicetur, ut dùm ascendit patibulum, tenetur se retractare coram populo, cùm tunc ea retractatio non possit illi obesse, sed prodesse, saltem ad relinquendum in animis hominum dubium et suspicionem de veritate, ac de illius innocentiâ. Peccatum mortale foret, si quis propter hujusmodi tormenta vitanda, alios falsò infamaret : tunc enim esset mendacium perniciosum; et innocenti causat grave damnum facitque notabilem injuriam : non enim est dominus famæ aliorum, sicut propriæ. Quando tamen fama illius ita est conjuncta cum aliorum famâ, ut unâ læsâ lædatur alia, ac per illius infamiam aliis notabile damnum consequatur, videtur tunc per accidens graviter peccare ac contra justitiam, respectu saltem aliorum et teneri ad restituendum, se retractando, si ob tormenta vitanda, præsertim levia, se infamaverit, ex quâdam animi nimiùm delicati et sensibilis mollitie.

§ 3. *Utrùm liceat reo judicium per appellationem declinare.*

Divus Thomas art. 3, docet quòd *duplici de causâ contingit aliquem appellare : uno quidem modo, confidentiâ justæ causæ, quia videlicet injustè à judice gravatur; et sic licitum est appellare : hoc enim est prudenter evadere, justèque se defendere contra invadentem, ut approbatur* 2, *q.* 6, *et D. Paulus ad Cæsarem appellavit Actor.* 25; *neque reus sic appellando, alicui facit injuriam, cùm utatur jure quod natura unicuique dedit seipsum debito modo ab injusto gravamine defendendi; nulla autem honestior via se tuendi à superiore, et judice inferiore injustè gravante excogitari potest, quàm recurrere ad majorem superiorem, qui illi gravamini mederi potest. Unde justa appellatio meritò tanquàm innocentiæ præsidium et defensio ab omnibus admittitur de jure naturæ.*

Alio modo aliquis appellat causâ afferendæ moræ, ne contra eum justa sententia proferatur; et hoc est calumniosè se defendere, quod est illicitum : facit enim injuriam judici, cujus officium impedit, et adversario suo, cujus justitiam quantùm potest perturbat : et ideò sicut dicitur 2, *q.* 6, *omni modo puniendus est cujus appellatio injusta pronuntiatur.* Quæ D. Thomæ verba videntur intelligenda de appellante à sententiâ quæ ex omni parte scitur esse justa

Appellatio regulariter duplicem vim habet. Primò devolutivam causæ ad judicium superioris. Secundò

suspensivam sententiæ inferioris judicis. De Appellat. cap. *Ad hæc*, et cap. *Proposuit*. Item ff. *Nihil novari*, lib. *Unica*. In quibusdam tamen casibus appellatio sententiam non suspendit, sed judex non obstante appellatione eam potest exequi.

Primò, si appelletur à sententiâ correctionis non excedentis modum à canone vel statuto præscriptum: tunc enim correctio non est differenda, ne detur occasio licentiùs delinquendi. De Appellat. cap. *Ad nostram*. Unde sententia excommunicationis, suspensionis vel interdicti, ligat pendente appellatione. Secundò neque suspenditur sententia episcopi vel ejus vicarii ad componendas in processionibus aut in ecclesiasticis comitiis controversias de præcedentiâ. Ex Trident. sess. 24, de Regul. cap. 13, nec etiam ejus sententia maximè in visitationibus circa reparationes ecclesiæ, provisiones de divinis officiis, et sacris ministeriis, et morum in clero disciplinam. Trident. sess. 24, de Reform. c. 10. Vide etiam sess. 13, de Reform. c. 1, 2 et 3.

Cùm autem D. Thomas absolutè doceat licitum esse omnibus oppressis ab injustâ sententiâ appellare, nullamque inter seculares et regulares ponat differentiam et distinctionem, censet appellationem justam etiam religiosis licitam esse, cùm sit legitima defensio ab injusto gravamine, ipsoque jure naturali omnibus oppressis concessa, cui religiosi non censentur renuntiâsse, sicut nec conservationi famæ et vitæ: non enim in jure isto propriæ defensionis, debent esse pejoris conditionis quàm alii. Debet tamen gravamen esse certum ac manifestum, et non in levioribus, sed gravioribus contra formam canonum aut suarum constitutionum, et tunc appellatio fieri ac prosequi debet gradatim, nempe à priore aut guardiano ad provincialem; à provinciali ad generalem; à generali ad ordinis protectorem, ad sacram congregationem regularium, ad papam, prout definivit sacra congregatio suo decreto emanato ann. Domini 1587 undecimo calend. februarii. Nunquàm tamen licet ad alia tribunalia extra suum ordinem appellare; et qui ad seculares judices recurrunt, pœnam excommunicationis latæ sententiæ reservatam papæ incurrunt, ut constat ex decretis Bonifacii IX, Leonis X, Gregorii XIII et Clementis VIII, ac privatione vocis activæ, et passivæ ipso facto puniuntur.

Nec refert quòd jus commune, et speciales religionum constitutiones graviter religiosis interdicant appellationes. Non refert, inquam; solùm enim prohibitæ fuerunt appellationes frivolæ, absque causâ factæ à correctione prælatorum inflictâ ac debitâ secundùm constitutiones et statuta ac laudabiles consuetudines religionum, absque ullo gravamine, solummodò ad effugiendam disciplinam et superioris ordinarii auctoritatem; et meritò, quia, ut ait Panormit. in can. *Licet* de Officio ordin., ille qui corrigit juxta normam constitutionum et regularem disciplinam non gravat: appellatio autem fundata est super gravamine. Can. *Ut debitus* de Appellatione: secùs dicendum si superior in corrigendo religiosum notabiliter excedat istum modum, ut colligitur ex can. *De priore*, de Appellat., ubi Alexander III priorem quemdam graviter punire jussit, qui modum corrigendi excedens, sui subditi appellationem non admisit; et colligitur etiam ex decreto sacræ congregationis cardinalium, quæ solùm præscribit religiosis modum procedendi in appellationibus, proindeque supponit illis modo debito licitè uti posse, jure defensionis ab ipsâ naturâ omnibus concesso. Nec Trident. sess. 25, de Regul. c. 4, prohibet regularibus appellationes, sed solummodò quòd ad majores superiores personaliter non accedant nisi fuerint ab ipsis advocati, et absque debitâ licentiâ in scriptis per se loquendo. Decet tamen religiosos, ut hoc remedio appellationis, extra suum ordinem præsertim, non utantur; unde ejus decor, integritas et quies sæpè labefactetur, præferendo bonum commune religionis suo privato commodo: sed omnes eorum causæ debent intra parietes et cancellos religionis tractari et terminari, ne ipsi et religio contemptui habeantur. Aut saltem ad superiores debent recurrere tantùm per viam simplicis querelæ proponendo gravamen; qui, causâ cognitâ, ea facere tenentur quæ rectus judex ad se in formâ appellanti præstaret absque judicii strepitu, etc.

§ 4. *Utrùm liceat condemnato ad mortem se defendere, si possit.*

Divus Thomas hìc art. 4, docet quòd aliquis ad mortem damnatur dupliciter. Uno modo justè, et sic condemnato non licet se defendere: licitum est enim judici eum resistentem impugnare; unde relinquitur quòd ex parte se defendentis sit bellum injustum, et quòd indubitanter peccet. Hinc Apost. ad Rom. 13, ait: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, et ipse sibi damnationem acquirit*. Condemnatus autem se defendendo, potestati resistit quantùm ad hoc in quo est divinitùs instituta, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Ergo peccat se defendendo. Nec refert quòd natura ad id inclinet, quasi se defendere sit de jure naturali. Non refert, inquam, quia ideò homini data est ratio, ut ea ad quæ natura inclinat, non passim, sed secundùm rationis ordinem exequatur. Unde non quælibet sui defensio est licita ac de jure naturæ, sed solùm quæ fit cum debito moderamine. Adde quòd natura magis inclinat ut pax et tranquillitas reipub. conservetur per punitionem criminum, ac superiori legitimè præcipienti in his ad quæ jus prælationis se extendit, obediatur, quàm ad hoc ut malefactor conservet suam vitam.

Alio modo condemnatur aliquis injustè. Et tale judicium simile est violentiæ latronum, juxta illud Ezech. 22: *Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem*. Et ideò sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis judicibus; nisi fortè propter scandalum vitandum, cùm ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur.

Videtur, inquit cardinalis Capissuchius tom. 2, q. 7, quòd si quis innocens tyrannicè absque processu

injustè damnaretur et ad mortem duceretur, posset vi de manibus lictorum se eripere, etiam cum ipsorum occisione, si supponatur ipsis nota injustitia judicis : tunc enim perinde est ac si à latronibus et sicariis invasus duceretur ad mortem ; quibus etiam cum illorum occisione resisti posse certum est, si eâ viâ et non aliâ mors vitari possit. Verùm de hoc non fero judicium. Secùs verò dicendum, dùm per processum et in figurâ judicii iniqui per sententiam injustè damnatus fuit, et ad mortem ducitur ; nulla quippe lex permittit, iniquum judicem, accusatorem et falsos testes occidere ; imò Alexander papa VII damnavit opinionem illorum qui asserebant id esse licitum, neque D. Thomas id intendit, sed dicit tantùm, quòd injustè condemnato, absolutè et simpliciter resistere liceat : id autem pluribus aliis modis citra occisionem fieri potest ; nempe non obediendo, sed renitendo, aliqualem vim ministris inferendo, clamando, rationes innocentiæ suæ palàm ac publicè proponendo, ad supremum judicem appellando, etc. Neque S. doctor voluit omninò judicium istud contra ordinem juris factum et injustum, æquiparari violentiæ latronum, sed duntaxat simile esse, in quantum infert vim et injuriam condemnato. Cum hâc tamen differentiâ quòd latrones armis vitam impetunt, ideòque hæc vis armis et cum ipsorum occisione repelli potest : atverò iniquus judex, accusator et falsi testes, physicè et in actuali conflictu hunc innocentem armis non impetunt ; sed aliâ viâ, nempe mendaciis, etc. Ergo hæc violentia alio modo quàm armis et occisione est repellenda, juxta superiùs dicta de homicidio. Adde quòd ista occisio judicis, aut ministrorum, etc., vix absque scandalo et reipub. turbatione fieri potest. Tandem quia ex damnatis ad mortem, pauci inveniuntur qui non existiment se contra ordinem juris et injustè condemnari, sicque licitè posse judicem, accusatorem et testes occidere, ex quo eveniret paucos velle justitiæ bonum cum tanto periculo promovere ; quòd sanè in notabile reipub. detrimentum, redundaret. Hinc sequitur à fortiori eum, qui quamvis sit reipsà innocens, tamen secundùm allegata et probata juridicè convincitur reus ac morte dignus, non posse occidere judicem, ministros aut testes, ut se liberet à morte ad quam fuit condemnatus per sententiam formaliter justam, quæ non nititur falsâ præsumptione, sed potiùs expressâ veritate quâ judex tanquàm persona publica procedens, certò scit se posse et teneri secundùm allegata et probata hunc ad mortem condemnare : repugnat autem superiorem aliquid justè præcipere, et licitum esse subdito armis se tueri contra ipsum aut illius ministros : unde si iste innocens condemnatus, se defendendo, judicem vel ministros graviter vulneraret ; puniretur postea magis, etiamsi de ejus innocentiâ constaret.

Quia tamen hæc sententia est materialiter injusta, iste innocens citra vulnerationem et occisionem ministrorum, potest se omni modo possibili defendere, violenter carcerem frangere, se de manibus lictorum etiam cum aliquâ moderatâ vi extricare, et generaliter actus supradictos facere, ac omnes alios qui reducuntur ad fugam : non verò eos qui pertinent et ordinantur ad pugnam, et aggressionem, ut sunt occisio, aut gravis læsio ministrorum.

Quæres primò, an liceat ante vel post sententiam è carcere fugere. — Resp. affirmativè cum D. Thomâ hic, art. 4, ad 2, ubi ait quòd *nullus ita condemnatur quòd ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur. Et ideò non tenetur facere id unde mors sequatur, quod est manere in loco unde ducatur ad mortem : tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est eum pati.* Ratio est, quia inclinatio naturalis quam unusquisque habet ad vitam omnibus viis licitis conservandam, facit ut jure naturæ et gentium ea præstare valeat quæ non repugnant justo judicis præcepto : judex autem non præcipit reo ut in carcere maneat, nec prohibet ei ut fugiat, si possit : tale namque præceptum esset supra humanam conditionem et contra jus naturæ. Ergo reus fugiendo, jure suo utitur, nec ulli facit injuriam, dummodò ministris justitiæ violentiam non inferat, etiamsi ex illius fugâ aliquod damnum sequatur custodibus carceris, eò quòd illum damnum sit effectus per accidens et præter intentionem fugientis, cùm ipse utatur jure suo : imò potest rumpere vincula, parietis, etc., quia sic fugiens nulli facit vim ; propriè enim vis non infertur nisi creaturæ rationali : sicut damnatus ad bestias feram occidere potest. Nec censeretur vim ministris inferre, si fugiendo secum traheret carceris custodem illum tenentem, aut in terram projiceret, etc., benè tamen si eum ligaret aut graviter percuteret, etc.

Quæ demùm intelligenda sunt quando per sententiam justam judicis non fuit damnatus ad pœnam carceris : tunc enim ei non foret licitum fugere ; quia sicut tenetur exulare, qui condemnatur ad exilium, et qui condemnatur ad non exeundum à civitate, tenetur ibi remanere, quia quilibet tenetur obedire justitiæ legali in his quæ justè præcipit, ita damnatus ad pœnam carceris licitè fugere nequit. Quidam tamen excipiunt casum quo quis esset damnatus ad carcerem perpetuum vel ad durissimam servitutem, ut ad triremes, quia hæc morti æquiparantur, voluntque tunc licitum esse fugere, quod alii limitant, nisi iste reus mereretur mortem ac ad illam foret condemnatus, eaque pœna in carcerem perpetuum commutaretur ; eam quippe acceptando videtur renuntiâsse juri quod antea habebat fugiendi.

Quando reo licitum est fugere è carcere, licitum quoque est ejus amicis aut aliis, nisi fuerint ministri justitiæ, fugam illi consulere, ipsique instrumenta ad vincula rumpenda, effringendumque carcerem necessaria subministrare : non tamen licitè possunt cum exteriùs juvare immediatè, ipsimet vincula rumpendo, aut carcerem effringendo : jam enim tanquàm causæ principales ad liberationem rei directè concurrerent, valdèque rempub. offenderent absque jure ad lædendum ; licitum est illis sine vi et injuriâ decipere custodem, ut reus occasionem fugiendi capiat ; potest etiam reus muneribus amicitiam custodis sibi com-

parare eo animo ut liberiùs tractetur indeque arreptâ occasione fugiat. Nequit tamen dare illi pecunias directè petendo, ut sibi liberam evadendi facultatem tribuat, quia custos licitè non potest hanc facultatem vendere, nec concedere.

Quæres secundò an possit aliquis damnari ad sibi propinandum venenum, et reus teneatur ad illum sumendum. — Resp. negativè, quia, ut ait D. Thomas, *nullus ita condemnatur quòd sibi ipsi mortem inferat, sed quòd ipse mortem patiatur, et idcò non tenetur facere id unde mors sequatur.* Atqui sibi propinare venenum mortiferum, est sipi ipsi mortem inferre. Ergo nullus potest ad id condemnari, et condemnatus non tenetur, imò licitè nequit illud sumere, sed tantùm id pati merè passivè se habendo, et adhuc infusum ab aliis ori ejus, non deglutiendo si possit; idemque dicendum de aliis actionibus directè necem inferentibus.

Articulus IV.

De injustitiâ testium.

De hâc materiâ tractat D. Thomas, 2-2, quæst. 70, per quatuor articulos: in primo quærit *utrùm homo teneatur ad testimonium ferendum*, et respondet quòd si *requiratur testimonium alicujus subditi auctoritate superioris, cui in his quæ ad justitiam perthunt obedire tenetur, non est dubium quin teneatur testimonium ferre in his in quibus secundùm ordinem juris testimonium ab eo exigitur, puta in manifestis, et in his de quibus infamia præcessit: secùs verò in aliis, puta in occultis, et de quibus infamia non præcessit.*

Si verò requiratur ejus testimonium non auctoritate superioris cui obedire tenetur, tunc distinguendum est. Quia si testimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab injustâ morte, seu pœnâ quâcumque, vel à falsâ infamiâ, vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad testificandum: et si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc prodesse possit: dicitur enim Psalm. 81: « *Eripite pauperem et egenum, de manu peccatorum li-* « *berate,* » et Proverb. 24: » *Erue eos qui ducuntur ad* « *mortem.* » *Et ad Rom.* 1: « *Digni sunt morte,* » *etc., ubi dicit Glossa: Consentire est tacere cùm possis redarguere. Super his verò quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi cùm à superiore compellitur secundùm ordinem juris; quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur. Vel si immineat periculum accusatori, non est curandum, quia ipse in hoc periculum sponte se infecit; alia autem est ratio de reo, cui periculum imminet, eo nolente.* Hactenùs D. Thomas. Cujus ultima verba intelligenda sunt de accusatore qui iniquè, id est, non servato juris et charitatis ordine, aut temerè, sine ullâ necessitate accusavit sponte suâ, solùmque ex odio: tunc enim non tenetur quis testimonio suo ad eum defendendum se offerre, aut illius solâ petitione duci ad testificandum: secùs verò de illo qui præcepto superioris; aut ex justâ et necessariâ causâ accusavit: aliàs miserrima foret hujus accusatoris conditio, si alii non tenerentur testimonium ferre: non enim æquum est ut ob hanc actionem licitam et bono communi aut privato necessariam, pœnam talionis aut infamiæ notam incurrat. Unde tenentur alii eidem suo testimonio subvenire, utpote innocenti, etiamsi alius contra quem testimonium ferunt, sit plectendus; in hoc enim non est inconveniens, cùm sit nocens. Hinc colligitur quòd quando testis mandato judicis debitè vocatus et citatus, comparere recusat, aut sciens à judice requiri, se abscondit, aut sistens in tribunali à judice legitimè interrogatus, non vult respondere, aut dicit se nescire, etc., peccet contra charitatem, contra obedientiam et justitiam legalem, ut constat ex dictis de reo, imò et contra justitiam, ut vult probabilior sententia. Ratio est quia quando omissio manifestationis debitæ est vera causa injustæ actionis aut detentionis, tunc non manifestans peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem damni inde consecuti. Atqui testis prædictus est causa saltem indirecta damni proximo consecuti, et quantùm est ex parte suâ est causa moralis ut judex ferat sententiam in damnum alterius, et ut pars læsa non reparetur: ergo illi restituere tenetur.

Excipiuntur tamen quidam casus. Primus est si testis se occultet antequàm vocetur, aut præsens prudenter veritatem occultet ad vitandum aliquod grave damnum, quod inde probabiliter timet obventurum sibi aut cognatis suis, sive in honore, famâ, aut bonis: tunc enim non peccat, nisi ratio boni communis reipub. aut religionis, cui aliter provideri non potest, id requireret. Ex quo inferunt auctores rarò consanguineos, affines, religiosos, teneri contra consanguineos testimonium ferre, quia damnum unius redundat in alterum, ut patris in filium, vel fratris in fratrem, etc., et exinde maximæ dissensiones, rixæ, et inimicitiæ nascerentur inter eos. Domùm sunt intelligenda hæc de damno alterius privati vitando per illud testimonium: secùs de damno reipub. aut religionis. Hinc etiam quidam docent, quòd dùm testes timent ne reus ipsorum crimina occulta detegat, unde gravi infamiâ notarentur, non obligantur ad testificandum; neque etiam tenetur qui est particeps in crimine, timens manifestationem et punitionem sui delicti; neque qui in proximo promovendus est ad sacros ordines, tenetur ad testificandum in causâ sanguinis, si inde timeat se contracturum irregularitatem.

Secundus casus, est quando testis interrogaretur de iis quæ sub secreto accepit, de quibus D. Thomas hic ad 2, ait: *De illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet testimonium ferre quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquàm Dei minister, et majus est vinculum sacramenti quolibet humani præcepto. Circa ea verò quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est: quando enim sunt talia, quæ statim cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando vel denuntiando, contra hoc debitum obligari non potest*

per secretùm commissum. Quandoque verò sunt talia, quæ quis prodere non tenetur, unde potest obligari ex hoc quòd sibi sub secreto committantur, et tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris, quia servare fidem est de jure naturali. Nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de jure naturali. Hactenùs D. Thomas (1).

Hinc doctores inferunt, advocatos, tabelliones, consiliarios, casuistas, medicos, chirurgos, obstetrices, similesque personas, quibus secreto explicito vel implicito deteguntur crimina, non teneri ea prodere, neque posse ea revelare, nisi sint in damnum publicum vel privatum, quamvis à judice sub juramento interrogarentur, quia aliàs nullus auderet eorum fidei se committere, nec ab eisdem in necessitate consilium vel auxilium petere, sicque mala malis adderentur, et id foret contra bonum commune.

Aliqui superaddunt sequentes casus, nempe si agatur de re furtim sublatâ, quam testis benè novit acceptam tantummodò fuisse in justam compensationem, aut ob gravissimam necessitatem. Item si tantùm à personis parùm fide dignis id noverit; imò nec hujusmodi personas judici manifestare debet. Item si per injuriam acceperit delicti notitiam, v. g., litteras aperiendo, aut vi cogendo eum ad delicti revelationem, etc., tandem si sciat ex ignorantiâ factum, et absque ullâ culpâ : in his, inquiunt, et similibus casibus aliquis non tenetur revelare, etiamsi superior præcipiat sub pœnâ excommunicationis. Hinc quando Titius, v. g., obtinet litteras monitoriales, quibus sub excommunicatione præcipitur, ut quicumque novit tantam pecuniæ summam illi fuisse furto ablatam, auctorem furti manifestet; qui scit Caium eam abstulisse, sed videt summam illam tunc restituendi verâ impotentiâ laborare, non tenetur declarare, verùm ex tunc illum secretò monere tenetur, ut cùm primùm poterit, restituat; quòd si monitus restituere renuat cùm possit, tenetur antequàm terminus in litteris præfixus elapsus fuerit, illum denuntiare, quia jam retentio alieni injusta est et peccaminosa. Similiter si Titius ad bellum proficiscens, apud Caium deponat catenam auream, dicens : Si in bello moriar, tua sit ista catena, non tenebitur Caius illam hæredibus restituere Titii, quantumvis litteras monitoriales generales obtinuerint contra eos qui habent de bonis Titii defuncti : imò neque alii hujus donationis conscii, tenebuntur rem judici manifestare, quia scilicet monitorium non debet nec potest aliter intelligi quàm de iniquâ detentione, qualis non est ista. Porrò circa hæc monitoria tria sunt observanda. In primis terminis in monitorio præfixus videtur intelligendus à die publicationis, et non à die notitiæ illius juxta plures auctores, qui inde colligunt, quòd si in monitorio præceptum imponatur revelandi intra decem dies, illi dies sint numerandi à die publicationis, adeò ut si nonnisi post illos decem dies monitorium veniat in cognitionem alicujus, ille non teneatur sub excommunicatione crimen revelare, nisi postea compellatur. Secundò quod omn sit obligatio revelandi nisi id quod in judicio probari potest, quando monitorium præcipit ut aliquid reveletur aut denuntietur. Si verò præcipiat ut homines testimonium ferant, tunc qui sciunt, declarare tenentur quod nôrunt, sive probari possit, sive non : unde verba monitorii sunt diligenter expendenda; quòd si ex eis præcisè mens superioris deprehendi nequeat, tunc ex circumstantiis est indaganda. Qui tamen novit impedimenta matrimonii inter nubere volentes, tenetur occultè declarare parocho. Tertiò quando fertur excommunicatio ad instantiam partis, v. g., ut quis intra mensem solvat, aliàs excommunicationem incurrat, potest pars illum terminum prorogare per alium mensem, inscio judice. Et tunc debitor non incurrit excommunicationem, dummodò intra illum terminum prorogatum solvat; verùm de his alii judicent : hic solùm admoneo concilium Trident. sess. 25, de Reformatione, cap. 3, declarâsse, ex re vulgari et levi monitoria decernenda non esse.

(1) Vid. Appendicem 11 de *Revelatione secreti*, ad calcem

§ 1. *De numero testium ad probationem necessario, et quales debent esse ad faciendam fidem.*

D. Thomas hìc, art. 2, probat jure naturali et divin, *sufficere duorum vel trium testimonium, juxta illud Deuteron* 17 : *In ore duorum vel trium peribit qui interficietur, et cap.* 19 : *In ore duorum vel trium stabit omne verbum. Et ratio est, quia secundùm Philosophum in* 1 *Ethic., cap.* 3, *certitudo non est similiter quærenda in omni materiâ. In actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eò quòd sunt circa contingentia et variabilia. Et ideò non sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat. Est autem probabile quòd magis veritatem contineat multorum, quàm dictum unius, et ideò cùm reus sit unus, qui negat, sed multi testes idem asserunt cum actore; rationabiliter institutum est, iure divino et humano, quòd dicto testium stetur. Omnis autem multitudo in tribus comprehenditur, scilicet principio, medio et fine, unde, juxta Philos., omne totum in tribus ponimus. Ternarius quidem constituitur asserentium numerus dùm duo testes conveniunt cum actore, et ideò requiritur binarius testium numerus, vel ad maiorem certitudinem ut sit ternarius, qui est multitudo perfecta in ipsis testibus. Unde et Eccl.* 4, *dicitur :* « *Funiculus triplex difficilè rumpitur,* » *etc.* Hæc D. Thomas.

Verùm crescente hominum malitiâ, depravatâ fide, corruptâque justitiâ, expediens, imò et necessarium fuit ad vitanda graviora inconvenientia, augere testium numerum, ad habendam majorem certitudinem, maximè in defunctorum testamentis, et in condemnatione episcoporum, presbyterorum, etc., ob tres rationes, quas tradit D. Thomas hìc, ad 3. Ad hoc quippè augmentum jus naturale et divinum permissivè se habet, et relinquit juri humano istam facultatem, prout bono communi expediens fuerit. Dico quòd ad hoc ut duo testes faciant sufficientem et plenam probationem.

debent habere sequentes conditiones. Primò esse omni exceptione majores, seu integerrimæ fidei, quorum testimonium nullâ legitimâ exceptione repelli possit, ac de facto ex certâ scientiâ deponere. Secundò debent esse jurati, seu ante omnia juramentum de veritate dicendâ præstare, 4, q. 3, cap. *Jus juri*, et cod. de tribus, l. *Jurisjur.*, ita ut nullius testimonio, etiam episcopi, religiosi, etc., in judicio standum sit in alterius præjudicium, nisi ante juramentum hoc præstiterit; in nostro tamen ordine testes non solent juramentum præstare, sed à prælato juridicè procedente interrogantur et audiuntur, facto illis priùs formali præcepto, in virtute Spiritûs sancti et sanctæ obedientiæ, additâ aliquando etiam excommunicationis pœnâ, ut quod sciunt deponant. Quod sanè præceptum non minùs dominicanos perstringit et ad veritatem aperiendam urget, quàm juramentum liget cæteros. Tertiò debent esse contestes, seu de eodem facto deponere, et concordes, seu quoad illius speciem ac circumstantias speciales convenire. Si enim unus non confirmet rem de quâ alius testificatur, sed aliam diversam declaret, tunc quilibet est singularis in suo dicto, nec censentur duo testes, sed unus. Cap. *Licet* de Probation. et ex cap. *Licet universis*, de testibus. Quomodò autem convenire debeant disertè, explicat D. Thomas hîc, ad 2. Vide ibi. Quartò opus est ut testentur se aliquo sensu externo factum percepisse, v. g., vidisse Titium furantem, occidentem, etc., vel blasphemantem audivisse, ita ut crimen consistens in facto, visu, in voce verò consistens, auditu perceptum fuerit. cod. de test. l. *Sola*. Quintò, ut solùm vocati et citati à judice, aut à parte, vel accusatore adducti et producti venerint ad testificandum. Ex hoc enim quòd quis spontè se offert, suspectus efficitur. Cod. de episcop. et cleric. l. *Presbyter*.

§ 2. *An alicuius testimonium sit absque illius culpâ repellendum.*

D. Thomas hîc, art. 3, id explicat dicens, quòd *testimonium non habet infallibilem certitudinem, sed probabilem. Et ideò quidquid est quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit testimonium inefficax. Redditur autem probabile, quòd aliquis in veritate testificandâ non sit firmus; quandoque quidem propter culpam, sicut infideles et infames; item illi qui publico crimine rei sunt, qui nec accusare possunt. Quandoque autem absque culpâ, et hoc est vel ex defectu rationis, sicut patet in pueris, amentibus, et mulieribus; vel ex affectu, sicut patet in inimicis, personis conjunctis et domesticis; vel ex exteriori conditione, sicut sunt pauperes, servi, et illi quibus imperari potest, de quibus probabile est quòd de facili possunt induci ad testimonium ferendum contra veritatem. Et sic patet quòd testimonium alicujus repellitur et propter culpam, et absque culpâ.* Hæc D. Thomas. Hæ personæ ex ipso jure non sunt idoneæ ad ferendum testimonium; quando tamen spectatis circumstantiis, testes magis idonei haberi non possunt, videtur admitti posse, ut si Titius fuerit occisus in cubiculo, vel in sylvâ, tempore nocturno, etc. Imò tanta potest esse unius testis omni exceptione majoris auctoritas, ut simul cum testibus minùs idoneis ad probationem sufficiat. Quòd si ex naturâ aut circumstantiâ delicti non satis colligi possit alios suppetere præter non idoneos, eorum testimonium interdùm facit indicium. Verùm hæc jurisperitis examinanda relinquimus.

§ 3. *Utrùm falsum testimonium semper sit peccatum mortale.*

D. Thomas hîc, art. 4, docet quòd *falsum testimonium habet tripticem deformitatem : uno modo ex perjurio, quia testes non admittuntur nisi jurati, et hoc semper est peccatum mortale; alio modo ex violatione justitiæ, et hoc modo est peccatum mortale ex genere suo, sicut et quælibet injustitia; et ideò in præcepto* 8 *Decalogi sub hâc formâ interdicitur falsum testimonium cùm dicitur Exod.* 20 : « *Non loqueris contra « proximum tuum falsum testimonium.* » *Non enim contra aliquem facit, qui eum ab injuriâ faciendâ impedit, sed solùm qui ei suam justitiam tollit. Tertiò ex ipsâ falsitate, secundùm quòd omne mendacium est peccatum; et ex hoc non habet falsum testimonium, quòd semper sit peccatum mortale.* Hæc D. Thomas. Hinc colligitur, primò quòd testimonium falsum ratione juramenti adjuncti, sive in judicio, sive extra prolati, sive in re gravi, sive in re parvâ, semper est peccatum mortale, ob gravem injuriam quæ fit Deo, dùm in testem falsitatis adducitur, et committitur perjurium. Secundò quòd testimonium falsum, secluso juramento, quando est contra justitiam, est quidem mortale ex genere suo : item in individuo, quando infert notabile damnum proximo : potest tamen esse solùm veniale, si solùm in re levi existat; ratione enim parvitatis materiæ excusatur à mortali. Si verò non sit contra justitiam nec contra juramentum, tunc metiendum est juxta naturam mendacii. Tertiò quòd testimonium falsum absque juramento in judicio iniquo, in quo nimirùm juris ordo non servatur, vel à non judice, vel sine testibus aut probationibus profertur, non est peccatum mortale, sed solùm veniale; utpotè quia tale judicium est nullum ac iniquum, ideòque non obligat ratione suî ad dicendam veritatem : nisi ergo res sit de se admodùm gravis, est duntaxat veniale peccatum. D. Thomas ad 2. Quartò quòd testimonium falsum in judicio materialiter solùm, puta cùm creditur esse verum post adhibitam sufficientem et debitam diligentiam, non est peccatum; excusatur enim talis homo ratione ignorantiæ invincibilis, ut docet D. Thomas hîc, ad primum, dicens quòd *in testimonio ferendo non debet homo pro certo asserere, quasi sciens id de quo certus non est, sed dubium debet sub dubio proferre, et id de quo certus est, pro certo asserere. Sed quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ, quòd reputat se homo quandoque certum esse, quod est falsum, si aliquis hoc cum debitâ sollicitudine recogitans, æstimet se certum esse de eo quod falsum est, non peccat mortaliter, hoc asserens, quia non dicit falsum testimonium per se, sed per accidens contra id quod intendit.* Si tamen sufficientem

diligentiam non adhibuit, aut protulit tanquàm certum id de quo dubitabat, mortaliter peccat ex genere suo, quia jam ex negligentiâ culpabili falsum protulit, et ad omnia damna subsecuta restituenda obligatur. Quintò, quòd ille qui scienter, vel ex ignorantiâ culpabili falsum testimonium protulit, tenetur illud retractare, si talis retractatio sit profutura. Imò ad hoc tenetur etiamsi retractando in mortis periculum se conjiciat, si adsit spes falsò accusatum ab injustâ morte eâ viâ liberandum; quia quando necesse est alterum duorum subire damnum, æquitas omninò postulat ut ille potiùs patiatur qui nocens est, quique alteri iniquè damnum inferre tentavit, quàm qui à parte rei omninò innocens est. Tenetur quoque ad reparationem damnorum, si quæ innocens inde passus est, cùm fuerit eorum causa injusta et efficax. Si verò nullum prorsùs damnum causaverit, puta quia falsum testimonium tulit postquàm delictum sufficienter erat probatum, et reus ita convictus aliorum testimonio fuit, ut dictum istius nihil contulerit ad inferendam pœnam vel ad graviorem injungendam, tunc ad restitutionem per accidens non tenetur, sed ad pœnitendum de peccato.

Ille etiam qui solùm materialiter et inculpabiliter testimonium protulit ex quo alteri potest consequi damnum, cessante ignorantiâ tenetur dictum suum retractare, si videat inde prodesse posse ad alium liberandum, dummodò tamen ex hâc retractatione non incurrat notabile damnum proprium : nam ex charitate saltem tenetur, plus quàm alii juvare ac liberare innocentem. Tenetur etiam admonere partem in cujus favorem dixit testimonium, ut restituat, et facere quidquid potest, affirmando coram judice, et si opus fuerit jurando, se ex lapsu memoriæ falsum dixisse, et re diligentiùs consideratâ cognovisse veritatem, ad quam explicandam priùsque dictum retractandum ad ipsum urgente conscientiâ accedere, omnemque movere lapidem, ut malum quod fecit, impedire aut compensare valeat.

Articulus V.

De injustitiâ advocatorum in patrocinando item tabellionum, procuratorum, et aliorum.

D. Thomas, quæstione 71, quatuor articulis tradit obligationem, idoneitatem, fidelitatem, et justum pretium postulandi causas justas, seu patrocinandi in judicio.

In primo igitur articulo, determinat, quòd, cùm præstare patrocinium causæ pauperum, ad eleemosynam et opus misericordiæ pertineat, consequenter idem dicendum est de eo, ac de aliis misericordiæ operibus, nempe quòd sit præceptum affirmativum, proindeque non ad semper, sed pro aliquo tempore et in aliquibus circumstantiis tantùm obliget; nempe quando ex parte advocati adest possibilitas et commoditas, ex parte verò alterius urget indigentia, et necessitas patrocinii hìc et nunc pro loco et tempore occurrens. Quibus concurrentibus considerandum est utrùm aliquis tantam necessitatem patiatur, quòd non in promptu appareat, quomodò ei possit aliter subveniri. Et in tali casu tenetur ei opus misericordiæ impendere. Si autem in promptu appareat quomodò aliter ei subveniri possit vel per seipsum, vel per aliam personam magis conjunctam, aut majorem facultatem habentem, non tenetur ex necessitate indigenti subvenire, ita quòd non faciendo peccet : quamvis si subveniat absque tali necessitate, laudabiliter faciat. Unde advocatus non tenetur semper causæ pauperum patrocinium præstare, sed solùm concurrentibus prædictis conditionibus : alioquin oporteret eum alia omnia negotia prætermittere, et solis causis pauperum juvandis intendere. Et idem dicendum de medico quantùm ad curationem pauperum. Hæc D. Thomas.

Cujus verba Sotus et Cajetanus exponunt hoc modo nempe quòd tunc in promptu dicitur apparere modus quo indigenti subveniri potest, non qualitercumque ac remotè, sed in proximâ aptitudine ad opus, et in potentiâ probabiliter conjungendâ actui : ut si videat pauperem habere fratrem advocatum præsentem, aut sciat per alios statim eidem subveniri. Tunc enim illi patrocinari, est solùm de consilio. Si verò alius tunc appareat qui in promptu sit, et occurrat pauperis causa ad extremam necessitatem spectans, tenetur advocatus patrocinium ferre, etiam cum suo gravi incommodo et damno : ut cùm pauperi et in carcere detento imponitur crimen ob quod morte plectendus erit, vel alicui objicitur delictum, ob quod omnibus suis est spoliandus, ac in extremam necessitatem conjiciendus. Tunc illi subvenire tenetur advocatus etiam cum detrimento necessariorum ad suum statum, prout docet D. Thomas de præcepto eleemosynæ, 2-2, q. 32, art. 5. Si verò occurrat valdè gravis necessitas pauperis citra extremam, nempe si periclitetur ejus honor, aut ad flagellationem injustè sit damnandus, tunc dùm non apparet alius qui subveniat suo patrocinio, tenetur advocatus eidem subvenire de superfluis sui statûs : nempe non cessando quidem à negotiis ad suî ac familiæ sustentationem, sed detrahendo de tempore quo vacare solet causis ex quibus comparat lucrum superfluum ad decentem suî statum, ut colligitur ex præcepto eleemosynæ apud D. Thomam loco mox citato. Idem dicendum de procuratore, de tabellione, aliisque justitiæ officialibus, et de medico quantùm ad curationem pauperum.

Articulo 2, dicit D. Thomas in jure 3, q. 7, multas personas arceri ab officio postulandi, quia aliquis impeditur ab aliquo actu duplici ratione. Uno modo propter impotentiam, alio modo propter indecentiam. Impotentia simpliciter excludit aliquem ab actu : indecentia autem non excludit omninò, quia necessitas indecentiam tollere potest. Sic ergo ab officio advocatorum prohibentur, quidam propter impotentiam, eò quòd deficiant sensu, vel interiori, sicut furiosi et impuberes : vel exteriori, sicut surdi et muti; est enim necessaria advocato interior peritia, quâ possit convenienter justitiam assumptæ causæ ostendere : et iterùm loquela cum auditu, ut possit pronuntiare, et

audire quod ei dicitur. Unde qui in his defectum patiuntur, omninò prohibentur ne sint advocati, nec pro se nec pro aliis. Decentia autem hujusmodi officii exercendi tollitur dupliciter. Uno modo ex hoc quòd aliquis est rebus majoribus obligatus. Unde monachos et presbyteros non decet in quàcumque causâ advocatos esse, neque clericos in judicio seculari, quia hujusmodi personæ sunt rebus divinis adstrictæ. Alio modo propter personæ defectum, vel corporalem (ut patet de cæcis, qui convenienter judicio adstare non possunt), vel spiritualem : non enim decet, ut alterius justitiæ patronus existat, qui in seipso justitiam contempsit. Et ideò infames, infideles, et damnati de gravibus criminibus non decenter sunt advocati : tamen hujusmodi indecentiæ necessitas præfertur, et propter hoc hujusmodi personæ possunt pro seipsis, vel pro personis sibi conjunctis uti officio advocati. Unde et clerici pro ecclesiis suis possunt esse advocati, et monachi pro causâ sui monasterii, si abbas præceperit. Hactenùs divus Thomas. Hinc habetur monachum advocati officio etiam coram judice seculari fungi posse in causâ civili, dummodò hæ duæ conditiones simul concurrant, nempe pro negotio et necessitate monasterii, et interveniente imperio aut licentiâ prælati, quâ sublatâ, etiam testificari nequit absque peccato : cùm enim æquiparetur servo, non habet personam legitimam standi inculpatè in judicio, nec pro se nec pro aliis, nisi interverierit jussio aut permissio superioris; quâ interveniente quidam dicunt, in causis pauperrimorum, ubi non esset in promptu alius aptus ad patrocinandum, monachum ex charitate posse officium advocati exercere.

Articulo 3 docet D. Thomas advocatum peccare, si injustam scienter causam defendat, quia auxilium et consilium præstat ei cujus causam defendit, ejusque malo cooperatur, sicque ad restitutionem tenetur illius damni quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit; item facit contra obligationem proprii officii. Nec est eadem ratio de medico suscipiente curam infirmitatis desperatæ, utpotè quia in hoc nulli facit injuriam. Si autem advocatus ignoranter injustam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundùm modum quo ignorantia excusari potest; verùm cùm primùm hanc injustitiam novit, tenetur monere clientem, et causam deserere : aliàs si vincatur, tenetur eidem restituere expensas quas fecit : secùs dicendum si postquàm illi aperuit sincerè jus partis adversæ, adhuc velit eam prosequi; volenti enim ac consentienti non fit injuria. Verùm in hoc casu alium quærat advocatum : iste enim nequit in conscientiâ illam defendere; aliàs si pars adversa vincatur, debet eidem restituere damna, si cliens restituere renuat.

Quando verò præmisso diligenti examine, advocatus invenit causam esse dubiam, vel æquè probabilem, potest unam defendere : hinc enim ferè omnes lites pendent, quòd jure aut facto versantur in dubio; dummodò clientem moneat de dubio; licet autem sit licitum cum isto dubio causam inchoare, si tamen in decursu processûs, alterius partis causa omnibus pensatis appareat probabilior, tenetur advocatus à prosecutione desistere, maximè si agat causam actoris contra reum, juxta illam tritam juris regulam : *In pari causâ, favendum est potius reo quàm actori;* à fortiori quando rei causa existit melior et probabilior. Nec excusatur advocatus scienter assumens causam injustam defendendam, etiamsi id non faciat ad vincendum, sed aut ad differendum aut ad concordandum, seu pacta aliqua ineunda : constat enim hæc omnia esse iniqua. Et similiter non excusantur, si iniquam causam in principali habens vexet partem contrariam assumendo aliquod caput justum, ut sub hâc justitiâ gradiendo, principale justum impediat, aut etiam pervertat, quia oportet non sòlùm medium, sed finem non esse iniquum.

Peccat advocatus dùm non vult aut negligit scrutari merita causæ assumendæ, sed qualiscumque sit, assumit illam tuendam, quia hoc est non curare an id quod facit sit justum vel injustum, quod est manifestè contra charitatem; item peccat quando negligit studere, et adhibere debita remedia, ad sui clientis causam justam ritè defendendam. Tunc enim solùm ignorantia ipsum excusat, quando quod debuit, non omisit : unde si ex ejus negligentiâ vel imperitiâ cliens damnum aliquod incurrit, ad illius restitutionem obligatur : juxta autem gravitatem et facultatem causæ tenetur majorem curam et diligentiam adhibere ad eam defendendam.

Advocatus qui suum clientem de crimine accusatum, ita justè defendit, ut accusator deficiat in probationibus, proindeque ad pœnam talionis vel etiam arbitrariam damnetur, non tenetur tale damnum compensare, neque irregularitatem incurrit. Videtur enim esse licitum advocato sicut et reo, ad causam ejus defendendam, defectus partis adversæ ac testium detegere, sobriè tamen, quantùm opus est ac sufficit ad istius causam et horum testimonium infirmandum : quando scilicet ista manifestatio ad hoc valet, et alio modo repelli nequit absque incommodo, quia scilicet talis defensio justum moderamen non videtur excedere. Unde si testis alibi fuerit perjurii convictus vel infamis, hæc eidem objici possunt. Peccat tamen contra charitatem grave crimen occultum testi objiciendo, propter quod sit damnandus ad mortem si aliâ ratione minùs noxiâ possit illius testimonium labefactare, maximè verò, si testis non propriâ sponte, sed à judice coactus testimonium ferat. Porrò, quando diximus licitum esse advocato occulta accusatoris vel testium crimina prodere, loquimur de vero crimine, cujus detectio censetur hìc et nunc necessaria, nec excedens moderamen justæ defensionis; nunquàm enim licet falsa crimina alteri imponere.

Advocatus tenetur fidelitatem et secretum erga suum clientem servare, nec potest absque peccato prodere ac parti adversæ declarare, quæ valent ad hujus causam infirmandam. Nec debet leges falsas vel abrogatas afferre, neque bonas in sensu falso distorquere, nec falsis cavillationibus aut instrumentis sup-

posititiis clientem defendere, neque eum instruere ad jurandum falsum, vel ad inducendum testes aut scripturas falsas, neque in gravamen alterius partis dilationes non necessarias petere ac quærere : non enim licitum est mediis indebitis ad bonum finem pervenire. Unde peccat in modo procedendi quamvis causa sit justa ; non tamen ad restitutionem obligatur, quia non peccat contra justitiam neque parti adversæ injuriam facit, sed potiùs ab illâ inferendâ eam impedit. De peccatis Advocatorum, vide D. Raymundum l. 2, de Raptoribus § 39, et D. Antoninum p. 3, tit. 6, c. 2, § 5.

D. Thomas art. 4, docet licitum esse advocato pro suo patrocinio pecuniam recipere, ex D. Aug. Epist. ad Macedonium, dicens quòd advocatus licitè vendit justum patrocinium, et jurisperitus verum consilium. Ratio est, quia ea quæ quis non tenetur alteri exhibere, jure potest pro illorum exhibitione recompensationem accipere : manifestum est autem quòd advocatus non semper tenetur patrocinium præstare, aut consilium dare causis aliorum. Et ideò si vendat suum patrocinium, sive consilium, non agit contra justitiam. Et eadem est ratio de medico opem ferente ad sanandum, et de omnibus aliis hujusmodi personis, dummodò tamen moderatè accipiant, consideratâ conditione personarum, negotiorum et laboris, et consuetudine patriæ. Si autem per improbitatem aliquid immoderatè extorqueant, peccant contra justitiam. Unde Aug. dicit ad Macedonium, quòd ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent : data per tolerabilem consuetudinem non solent. Hactenùs D. Thomas.

Ubi certum pretium advocatis et justitiæ ministris à principe vel lege receptâ et non abrogatâ, taxatum est, tunc si quid notabile extra illud extorquetur, peccatum mortale est, cum obligatione restituendi illum excessum, quia est contra justitiam, ff. de Postulat. l. *Si quis*, et in hoc leges sunt justissimæ ad tollendam omnem turpitudinem et avaritiam à justitiæ ministris, quia ex unâ parte litigantes pudore suffunduntur, si parùm conferant, et aliunde vincendi aviditas eos stimulat ad dandum ; unde satiùs est quòd pretium sit lege taxatum : aliàs vix est quòd non sit immoderatum. Unde etiam quando nullum pretium est à lege taxatum, aut ea lex abrogata fuit, non propterea licitum est advocato extorquere quantùm potest, sed tantùm pretium justum arbitrio prudentum pensatis circumstantiis, nempe gravitate causæ, labore in scribendo et patrocinando, dignitate et peritiâ advocati, consuetudine patriæ, etc. Aliàs si immoderatum accipiat, etiam consentiente cliente ac obligationem restitutionis remittente, adhuc non videtur in conscientiâ tutus, eò quòd ea condonatio non censeatur omninò voluntaria.

Lege prohibitum est advocato ne paciscatur de quotâ litis, id est, de medietate aut tertiâ aut quartâ parte pro pretio sibi dandâ sub conditione, nempe si vincat, Cod. de postulat. L. *Si qui*. Et ff. de pact. L. *Sumptus*. Ne scilicet eâ spe illectus advocatus per fas et nefas vincere conetur, ut sic fraudibus obvietur.

Quæ hactenùs de advocato dicta sunt, proportionaliter de procuratore dicenda veniunt.

Notarius sive tabellio scire tenetur ea quæ ad suum officium spectant : ut enim ait concilium Trident. sess. 22, cap. 10, ex notariorum imperitiâ, plurima damna, et multarum occasio litium oritur ; quare si ex ipsorum ignorantiâ culpabli, sint causæ alicujus gravis damni, peccant contra justitiam, et ad restitutionem obligantur ; puta si in contractibus clausulas ambiguas et confusas apponant, aut quæ difficultates et contentiones inducunt, aut si clausulas solitas, aut diem, mensem, annum, aliaque necessaria omittant, etc. D. Anton., p. 3, tit. 6, c. 3.

Præter scientiam et diligentiam, requiritur in notario veritas seu fidelitas in hoc consistens : Primò, ut sincerè dicta et conventiones partium scribat, nihil illis addendo, vel detrahendo, vel aliter immutando, unde instrumentum reddatur falsum. Secundò, ut solemnitates et clausulas ad valorem contractûs necessarias diligenter opponat. Tertiò, ut apud se instrumentorum omnium originale accuratè servet, nec nisi transumptum petentibus communicet. Quartò, ne ut faveat uni parti, occultet aut laceret instrumentum, quod altera petit tanquàm sibi necessarium ad recuperandum debitum. Quintò, ut partem, quæ ex ignorantiâ aliquâ damnosa vult facere, instruat. Sextò, ut acta conficiat de his quæ visu et auditu percipit : unde si notarius scribat in instrumento pecuniam fuisse coram se numeratum, quæ reverà non fuit, tenetur pœnâ falsi. Insuper notarius debet justitiam servare, tum in conficiendo instrumento, tum in justo pretio exigendo. Circa primum cavere debet, ne ullum conficiat instrumentum injustum, vel illicitum ac prohibitum, quale est contractus usurarius, et contractus contra libertatem Ecclesiæ. Item tenetur notarius significare legata in testamento à se scripto, præsertim ad pias causas. Circa verò secundum, cavere debet notarius ne pretium accipiat pro re, pro quâ nullum pretium est exhibendum, ut pro litteris ordinatorum ; si tamen non habeat aliunde salarium constitutum, potest juxta concilium Trident. sess. 21, cap. 1, pro hujusmodi litteris accipere decimam partem aurei, nempe duodecim solidos. Item notarius cavere debet ne exigat majus pretium eo quod à repub. vel à legitimâ consuetudine taxatum est : nam ultra quòd injustum est pretii augmentum, illudque exigendo peccat contra justitiam, peccat etiam contra juramentum præstitum, quo se obligavit ad fideliter officium suum et leges circa illud latas observandum. Unde notarius, in prædictis casibus peccat peccato perjurii, et etiam injustitiæ.

EXPOSITIO

NONI ET DECIMI PRÆCEPTI DECALOGI :

Non concupisces uxorem, neque rem proximi tui.

Pauca quædam de his duobus præceptis attulimus supra in explicatione sexti et septimi mandati ; ne tamen omittamus præclaram quam D. Thomas circa hæc in 3 Sententiarum, dist. 40, habet doctrinam, placet iterùm de his in proprio suo loco instituere sermonem, iisdemque verbis huic tractatui in Decalogum ultimam imponere manum, quibus sanctus doctor suum librum super tertium Sententiarum terminavit.

Ubi refert Magistrum dicentem quòd in præceptis non mœchandi et non furandi, ipsa prohibentur notata opera, in istis verò duobus ultimis, ipsa vetatur concupiscentia, sicque ab illis multùm differunt sicut actus interiores ab exterioribus. Illi itaque præcepto : *Non mœchaberis* fit superadditio in Evangelio, ubi omnis concupiscentia luxuriandi prohibetur : similiter et præcepto *non furandi*, superadditur prohibitio concupiscendi alienam rem injustè, et ex hoc lex dicitur comprimere manum, et non animum ; Evangelium verò manum et animum. Hujus autem rationem affert S. doctor dicens quòd intentio legis est ut homines ad virtutem inducantur : ad virtutem autem non sufficit ut actus virtutis qualitercumque fiat, sed oportet ut homo sciens et volens, et propter debitum finem, perseveranter et delectabiliter operetur. Similiter etiam non sufficit quòd actus qualitercumque prætermittatur, nisi etiam voluntas illum faciendi derelinquatur, et passiones inclinantes ad actum illicitum, ordinentur. Et ideò in præceptis Decalogi non debuit solùm prohiberi actus illicitus, sed etiam concupiscentia illicitarum rerum. Hactenùs D. Thomas loco citato, art. 1.

QUÆSTIO UNICA.

DE CONCUPISCENTIA.

In his Decalogi præceptis prohibetur duntaxat concupiscentia mala, quam ratio recta et voluntas intra limites suos non coercent, prout debent et possunt, sed ferri sinunt immoderatè et effrenatè in illicita, à Deo aut ab Ecclesiâ prohibita : dùm igitur lex ait : *Non concupisces*, non prohibet ne ullos in nobis concupiscentiæ motus sentiamus, omnesque sensualitatis actus naturales in nobis penitùs extinguamus, sed solùm ne objectis illicitis apprehensis et delectationem sensualem excitantibus consensum præbeamus, prout ostendimus supra in fine 6 præcepti.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm lex Mosaica cohibeat non solùm manum, sed etiam animum.

Prima sententia est affirmativa, et probatur primò, quia ejusdem est animum ordinare ad virtutem, et cohibere à peccato ; sed lex Mosaica ordinat animum ad virtutem, etiam quoad actus interiores, ut patet ex illo Deuteron. 6 : *Diliges Dominum Deum tuum ;* ergo cohibet etiam animum à peccato etiam interiori.

Prob. secundò, quia concupiscentia est in animâ ; sed lex Mosaica cohibet à concupiscentiâ, ut patet in is ultimis præceptis Decalogi, quæ habentur Deuteron. 20, et Exod. 5. Ergo, etc.

Prob. tertiò, quia nulla lex humana prohibet peccatum cordis ; nullus enim homo potest esse cordis inspector et judex. Ergo ad demonstrandum quòd lex vetus esset divina, expressè prohibuit peccata cordis, prohibendo illicitum appetitum, tam boni utilis, quàm delectabilis : exigit enim Deus ab hominibus, præcipuè munditiam et bonitatem internam.

Prob. quartò, quia lex justa et sancta qualis fuit lex vetus, utpotè à Deo data, vetat id quod est malum : sed malum magis reperitur in actu interiori, utpotè radice et principio malitiæ, quàm in exteriori. Inde Scriptura reprehendit maximè cogitationes malas deliberatas, Psalm. 4 ; monet esse conterendum de illis, et Levit. 19, dicit : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, multaque alia peccata cordis in Prophetis passim redarguuntur, ut patebit legentibus.

Nec Christus Matth. 5, quandò dixit : *Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis, non occides*, etc., propterea docere voluit Judæos solùm ex lege obligatos fuisse ad non fornicandum, non occidendum, etc., nullatenùs verò ad non concupiscendum uxorem proximi aut rem alienam ; ita quòd concupiscendo non peccarent : nam ea quæ de se intrinsecè mala sunt, nullatenùs bona et licita fieri possunt per legem. Atqui concupiscentia uxoris proximi et rei alienæ, de se intrinsecè mala est, perinde ac opus externum correspondens : ergo id non fuisset legem declarare, sed destruere. Ergo impossibile est quòd Christus per illa verba intellexerit quòd Judæis solum opus externum fuerit ex lege vetitum. Unde dicendum quòd Christus non loquitur ibi quantùm ad ea ad quæ lex obligat illos, sed quantùm ad id ad quod ipsi putabant se obligatos ex lege, nempe se esse adstrictos tantùm ad non fornicandum actualiter, ad non patrandum homicidium, etc.

Secunda sententia est negativa, et probatur primò, quia lex nova est perfectior quàm lex vetus. Sed nihil potest meliùs declarare hanc majorem perfectionem, quàm cohibitio animi et manûs ; ergo istud privilegium illi soli reservatum fuit, et veteri non competebat.

Prob. secundò, quia nihil cohibet animum nisi gratiæ.

Sed lex vetus gratiam non conferebat, nec justificabat, ut ostendit Apost. in Epist. ad Rom. et 2 ad Corinth., et docet D. Thomas, lib. 2 Sent., dist. 40, art. 3, et 2-2, q. 98, art. 1, ad 2, et q. 100, art. 12, et alibi passim. Ergo lex vetus non cohibebat animum.

Prob. tertiò, quia Christus Dominus supra legis præcepta quæ ad factum pertinent facit additionem de interiori actu peccati; sic Matth. 5, postquàm dixit: *Audistis quod dictum est antiquis: Non occides*, subdit: *Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit*, etc. Et sic etiàm de mœchiâ et de aliis loquitur. Ergo lex vetus non cohibebat animum: aliàs Christus nihil addidisset ad mandata legis, sicque ejus verba forent superflua, quod est maximum inconveniens, ut patet.

Verùm D. Thomas in 3 Sent., q. 40, art. 2, hanc controversiam egregiè suo more dirimit, dicens quòd *coactio legis juxta Philosophum in fine Ethic., ad hoc necessaria est ut illi qui persuasionibus aa bonum non inclinantur per pœnas cogantur: unde cohibitio legis se extendit quantùm pœna inflicta per legem: sicut autem lex vetus infirmis animis nonnisi terrena promittebat, ita etiam pro peccatis temporalem pœnam infligebat: « Oculum pro oculo, dentem pro dente: » pœnæ autem temporales pro peccatis animi infligi non possunt, nisi quatenùs in actum exteriorem prorumpunt; aliàs enim ab homine de eis judicari non potest.*

Et ideò lex vetus manum et non animum cohibere dicebatur. Lex autem nova promittit et comminatur æterna in præmium et pœnam: æterna autem pœna ab illo judice infligitur, qui est cordis scrutator et ideò non solùm manum, sed etiam animum cohibet: quod patet in hoc præcepto: « Non occides, » pro cujus transgressione lex vetus hominem occidebat; sed pro irâ interiori lex novam pœnam comminatur Matth. 5: « Qui irascitur fratri suo, reus erit, etc. » Hæc D. Thomas. Igitur Evangelium passim promittit vitam æternam pro præmio, et comminatur in pœnam ignem æternum pro supplicio, sicque lex nova dicitur cohibere non solùm manum, sed et animum, et etiam pro concupiscentiis et interioribus actibus peccati expressè infligit æternas inferni pœnas.

Vetus lex verò prohibuit quidem concupiscentias malas in his duobus mandatis, suisque præceptis affirmativis et negativis animum ad virtutem ordinabat, et à vitio retrahebat; non tamen contra transgressores hujusmodi præceptorum pœnam aliquam ordinare poterat, secundùm quam cohibere, vel cogere dicitur, et ideò non sequitur quòd animum cohiberet: ita D. Thomas loco citato. Idemque dicit de lege civili, nempe quòd quamvis intendat ad virtutem inducere per cohibitionem pœnarum, non tamen cogit per pœnas animum, sed solùm manum.

Cæremonialia legis præcepta indicebant sacrificia pro certis peccatis, non autem ita pro peccatis cordis, sicut pro peccatis operis, ut videre est in variis ob varia peccata sacrificiis, Levit. 4, 5 et 6. Lex igitur omnem concupiscentiam quantùm ad genus suum prohibebat quidem, non tamen ab omni cohibebat per pœnas, sed ab eâ tantùm quæ prorumpebat in actum. Hactenùs D. Thomas ibidem; et per hæc explicantur ac solvuntur argumenta pro primâ sententiâ adducta; nihilque aliud concludunt rationes allatæ pro secundâ; et tandem habetur quomodò sit accipiendum istud dictum, nempe quòd lex Mosaica *cohibebat tantùm manum, et non etiam animum.*

Veteri legi congruit ut per temporales promissiones et comminationes Hebræos qui temporalibus et terrenis erant affecti, ad Deum manuduceret, sicut probat D. Thomas, 1-2, q. 99, art. 6, dicens, quòd *sicut in scientiis speculativis inducuntur homines ad assentiendum conclusionibus per media syllogistica, ita etiam quibuslibet legibus homines inducuntur ad observantias præceptorum per pœnas et præmia; videmus autem in scientiis speculativis quòd media proportionantur auditori secundùm ejus conditionem: unde sicut oportet ordinatè in scientiis procedere, ut ex notioribus disciplina incipiat, ita etiam oportet eum qui vult inducere hominem ad observantiam præceptorum, ut ex illis eum movere incipiat quæ sunt in ejus affectu; sicut pueri provocantur ad aliquid faciendum quibusdam puerilibus munusculis. Dictum est autem supra, q. 98, art. 1, quòd lex vetus disponebat ad Christum, sicut imperfectum ad perfectum; unde dabatur populo adhuc imperfecto, in comparatione ad perfectionem quæ erat futura per Christum. Et ideò populus ille comparatur puero sub pædagogo existenti, ut patet ad Galat. 3. Perfectio autem hominis est, ut contemptis temporalibus, inhæreat spiritualibus, ut dicit Apostolus ad Philipp. 3; imperfectorum verò est quòd temporalia bona desiderent, in ordine tamen ad Deum, et perversorum est quòd in temporalibus finem constituant. Unde legi veteri conveniebat, ut per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum manuduceret homines ad Deum.* Hactenùs D. Thomas. Idemque probat in 3 lib. Sent., dist 40, art. 4, tribus rationibus.

Nicolaus de Lyrâ refert quòd Hebræi censebant per hujusmodi præcepta non prohiberi concupiscentiam uxoris proximi et rerum alienarum, nisi erumpat in actum exteriorem, v. g., in osculum, amplexum et alia hujusmodi; cujus opinionis fuit Josephus, ut patet ex lib. 12 Antiquitatum, cap. 12, ubi ait non videri rem dignam supplicio, quòd Antiochus voluisset templum Dianæ expoliare, et non perfecisset: inde quidam doctores catholici sumpserunt occasionem dicendi, quòd lex vetus cohibebat manum, et non animum.

Verùm his præceptis lex omnes motus illicitos concupiscentiæ interioris prohibebat quidem, gratiam tamen cordis conversivam ex seipsâ non subministrabat; benè tamen lex evangelica, quæ est lex gratiæ: et juxta D. Thomam, 1-2, quæst. 106, art. 1, est principaliter ipsa gratia Spiritûs sancti, quæ proinde habet hoc supra legem veterem, quòd non solùm prohibeat, sed etiam cum manu comprimat animum, et in tabulis cordis ac in visceribus nostris scripta fuit, prout Deus promiserat per Jeremiam prophetam, cap. 33, non in tabulis lapideis, sicut lex vetus.

Articulus II.

Utrùm duo ista præcepta sint inter se distincta.

Habentur Exodi 20, ubi sic legitur: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Item Deuteronomii cap. 5, sic habetur: *Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt.*

Cajetanus, super cap. 20 Exod., sic ait: Et quamvis noverim hoc præceptum distingui posse in duo præcepta dupliciter; vel juxta hìc scripta; alterum de appetitu rerum immobilium significato per appetitum alienæ domûs; alterum appetitûs rerum mobilium, significati appetitu uxoris alienæ, servi, ancillæ, etc. Habet enim quamdam speciem alliciendi res immobilis atque perpetua, ut domus, ager, regnum et hujusmodi. Vel juxta scripta Deuter. 5, ubi hæc repetuntur præpostero ordine: ita quòd alterum inhibeat appetitum delectabilis in uxore alienâ; aliud appetitum utilis in re alienâ, tam immobili quàm mobili. Rationi tamen magis consentaneum visum est, ut ipsa mixtura varia (videlicet hìc uxoris, cum aliis rebus, quæ possidentur: in Deuteronomio autem domûs cum aliis rebus tam mobilibus, quàm immobilibus); ut hæc, inquam, varia mixtura uxoris et domûs, ex industriâ facta sit à Moyse, ad insinuandum quòd non refert, quovis modo misceas hæc appetibilia, quia unius sunt præcepti: prohibentur enim omnia hæc appetenda, quia aliena. Unde non prohibetur mulier, sed alterius uxor, et similiter domus et reliqua, quia alterius sunt, ut ex unâ eâdemque ratione prohibendi, unum præceptum intelligatur. Hactenùs Cajetanus, et Hebræi idem censebant, ut referunt Lyranus, Sixtus Senensis, et alii. Verùm auctores communiter docent esse duo præcepta distincta inter se et constituere nonum et decimum Decalogi; aliàs forent tantùm novem contra illud Deuteron. 10: *Scripsitque in tabulis juxta id quod priùs scripserat, verba decem quæ locutus est Dominus ad vos in monte*, etc.

Idque probat D. Thomas, 1-2, q. 100, art. 3, ubi ostendit decem esse Decalogi præcepta; et sic concludit: Concupiscentia uxoris alienæ ad commixtionem pertinet ad concupiscentiam carnis: concupiscentiæ autem aliarum rerum quæ desiderantur ad possidendum, pertinent ad concupiscentiam oculorum; unde August. ponit duo præcepta de non concupiscendo rem alienam, et uxorem alienam. Et sic ponit tria præcepta in ordine ad Deum, et septem in ordine ad proximum, et hoc est melius. Ita D. Thomas, idemque colligitur ex Trident. sess. 14, de Confess., cap. 5, idque habetur ex ipso nomine Decalogi.

Confirmatur; nam tam apud Hebræos quàm apud septuaginta interpretes, bis repetitur: *Non concupisces*, ad secernendum sanè concupiscentiam uxoris alienæ à concupiscentiâ rerum alienarum; unde ex diversitate materiæ seu objectorum circa quæ versantur, satis superque colligitur distinctio præceptorum: illa enim ad libidinem, seu ad impudicitiam ordinatur: hæc verò ad avaritiam, id est, ad inordinationem alienarum rerum invito domino possidendarum: sicut ergo distincta sunt præcepta, quibus opera ipsa prohibentur, puta: *Non mœchaberis, non furtum facies*, ita etiam debent esse duo distincta præcepta circa cupiditates illis correspondentes, quorum unum vetet appetentiam inordinatam boni sensualis delectabilis, et appellatur concupiscentia carnis: alterum verò boni utilis, et dicitur concupiscentia oculorum, quas D. Joannes distinguit in primâ suâ Epistolâ, cap. 11, ubi ait: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*, etc.

Nec refert quòd Exod. 20, primo loco ponatur domus proximi, deinde uxor, servus, etc. Hæc enim interpositio unius præcepti in medio alterius, et quasi mixtura, juxta aliquos auctores non erat in tabulis quas Moyses à Deo accepit per angelos, sed in eis distincta et ab invicem separata fuerant hæc duo præcepta; idque colligunt ex verbis jam relatis Deuteron. 5, quibus standum est. Nam id quod in Exodo indistinctè scriptum est, postea in Deuteron. tanquàm lege repetitâ et promulgatâ, distinctiùs ac nitidiùs est promulgatum.

Vel dici potest verba in Exodo mixta proportionaliter accipienda esse secundùm subjectam materiam boni delectabilis et utilis, quæ sunt diversæ rationis: ita quòd aliquando contingat ut aliquis habens propensionem ad unum, non sentiat se affectum ad illud, sed potiùs ab alio valdè abhorreat, sic ut inclinetur ad venerea non tantùm opere, sed et affectu sectanda, et tamen à rei alienæ concupiscentiâ, à furto et rapinâ abhorreat: ideòque ad duplicem istam concupiscentiam reprimendam, in his verbis, etsi mixtis ac involutis, debuit præceptum duplex assignari.

Neque refert quòd omnia relata prohibeantur sub unâ ratione, quia scilicet sunt aliena; non refert, inquam, quia dùm quis habet copulam cum uxore proximi, abutitur quidem re alienâ, ideòque adulterium est contra justitiam; id tamen non impedit, quin pertineat etiam ad luxuriam, et sexto Decalogi præcepto ab aliis contra justitiam distincto, prohibeatur. Similiter dùm quis concupiscit uxorem proximi, desiderat quidem rem alienam; cùm tamen desideret ad concumbendum, jam mœchatus est in corde suo.

Imò Abulensis super Exod. docet quòd concupiscere uxorem proximi, non est desiderare rem alienam, cùm uxor non sit possessio viri, quia vir et uxor ad paria judicantur, idque est tantùm concupiscere aliquid delectabile: concupiscere autem utilia, est desiderare possessionem rerum alterius, quia ipsa sunt quæ possidentur, et in hominum commerciis distrahi et alienari possunt: secùs verò uxor alterius. Hinc consultò apponitur etiam ancilla, quæ concupisci potest tripliciter, nempe aut ad serviendum, aut ad vendendum, aut ad coeundum: duo prima utilia sunt et pertinent ad præceptum non concupiscendi rem alienam, respondetque septimo præcepto: *Non furtum facies*: tertium verò pertinet ad concupiscentiam

carnis et ad luxuriam, respondetque sexto præcepto : *Non mœchaberis*, in quo non solùm prohibetur concubitus cum uxore alterius, sed etiam cum aliâ quàcumque muliere extra legitimum matrimonium : sic non est mirum, quòd etiam in isto nono præcepto, non apponatur mulier, sed tantùm alterius uxor. Et ex his evellitur fundamentum Cajetani.

Dices : Apostolus ad Romanos 7, indicat unicum esse concupiscentiæ præceptum ; de eâ siquidem solùm in singulari loquitur dicens : *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : non concupisces.* Et ibid. subdit : *Invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis.* — Resp. D. Thomas ibidem quòd *peccatum non cognoscitur nisi per legem, quantùm ad reatum pœnæ, et offensam Dei : ideò autem hoc probat Apostolus per concupiscentiam, quia concupiscentia prava communiter se habet ad omnia peccata. Unde sumitur generaliter, prout sub se continet concupiscentias tam venereorum quàm rerum alienarum, de quibus in Decalogo præcepta distincta dantur. In secundo autem loco Apostolus legem vocat ordinationem affectuum carnalium ad delectabilia et utilia secundùm sensum, quæ est in partibus sensitivis hominis tam interioribus, quàm exterioribus ; quia hujusmodi inclinatio est tanquàm lex partis sensitivæ, quatenùs sensitiva est : seu lex carnis, quæ est naturalis inclinatio virium inferiorum ad propria bona, seu utilia et delectabilia secundùm sensum Dicitur quoque lex peccati, quæ est pœna peccati, et deordinatio earumdem virium derelicta ex privatione justitiæ originalis, seu fomes peccati, repugnans rationi, et inducens ad peccatum faciendum, sicut lex inducit ad bonum operandum, ac per legem divinæ justitiæ introductus fuit ; quæ lex fomitis originaliter quidem consistit in appetitu sensitivo, sed diffusivè invenitur in omnibus membris, quæ deserviunt concupiscentiæ.*

D. Thomas in 3 Sent., dist. 40, quæst. 1, art. 1, ad 4, dicit, quòd *omnis concupiscentia aliquo modo istis duobus mandatis prohibetur, et omne desiderium peccandi in quocumque genere, tacitè hùc vetitum fuit ; ratio autem quare magis expressè prohibita fuerit concupiscentia uxoris proximi, et rerum alienarum, jam allata fuit ; nempe quia sentitur in appetitu experientia venereorum, et in possessione rerum utilium est quid de se maximè appetibile : secùs verò homicidium et falsum testimonium,* etc. ; *sunt enim per se horribilia, cùm naturaliter homo diligat sibi simile, et etiam veritatem. Nec ita inclinatur ad actus iræ, utpote qui sunt cum tristitiâ et respiciunt bonum ut arduum, quàm ad actus concupiscentiæ : utpote qui versantur circa delectationes et quietem : non ergo fuit tanta necessitas exprimendi concupiscentiam homicidii patrandi aut falsum testimonium dicendi, aut circa iram, aut circa alia peccata cordis.* Adde ex D. Thomâ, 2-2, quæst. 25, art. 1, et quæst. 82, art. 3, ad 2, quòd *passiones irascibilis ad passiones concupiscibilis reducuntur sicut ad principaliores, inter quas concupiscentia vehementiùs movet, et magis sentitur, et in eâ quodammodò omnes aliæ passiones includuntur : et, ut ait D. August., bona est lex, quæ dùm concupiscentiam prohibet, omne malum prohibet : nisi enim quis concupisceret malum, non faceret. Unde Matth. 15, dicitur :* « *De corde exeunt cogitationes, adulteria,* » etc. Vide D. August., lib. de Spiritu et litter., cap. 4, et Epist. 89, q. 2. Et alibi passim et D. Thomam, 2-2, quæst. 100, art. 11, in fine corporis et art. 5, ad 6. Et ibid., q. 23, art. 1, ad 1. *Appetitus autem irascibilis non dividitur in duas, quia omnes ejus passiones conformantur concupiscentiæ animali.* Ita D. Thomas, 2-2, q. 77, art. 5, in fine corp.

Articulus III.

De concupiscentiâ vetitâ boni delectabilis carnalis.

Divus Thomas, 1-2, quæst. 34, art. 1, docet quòd *delectatio est quies appetitivæ virtutis in aliquo bono amato, et consequens aliquam operationem ; potestque esse bona vel mala : cujus ratio accipi potest, primò quidem ex parte boni in quo quiescens delectatur : bonum enim et malum in moralibus dicitur, secundùm quòd convenit rationi, vel discordat ab eâ,* ut ostendit quæst. 19, art. 3 et 9, *sicut in rebus naturalibus aliquid dicitur naturale, ex eo quòd naturæ convenit : innaturale verò ex eo quòd est à naturâ discordans. Quemadmodùm igitur in naturalibus est quædam quies naturalis, quæ scilicet est in eo quod convenit naturæ, ut cùm grave quiescit deorsùm : ita et in moralibus est quædam delectatio bona, secundùm quòd appetitus superior aut inferior quiescit in eo quod convenit rationi : et quædam mala, ex eo quòd quiescit in eo quod è ratione discordat et à lege Dei.*

Secundò potest accipi alia ratio ex parte operationum, quarum quædam sunt malæ, quædam bonæ. Operationibus autem magis sunt affines delectationes quæ sunt eis conjunctæ, quàm concupiscentiæ quæ eas tempore præcedunt. Unde cùm concupiscentiæ bonarum operationum sint bonæ, malarum verò malæ, multò magis delectationes bonarum operationum sunt bonæ, malarum verò malæ.

Et quæst. 31, art. 5, docet S. doctor quòd *cùm intellectualis cognitio sit perfectior nobisque charior, et bonum spirituale majus sit, magisque dilectum, necesse est delectationes intellectuales et spirituales majoris esse delectationis, quàm corporales et sensuales quoad se ; verùm quoad nos delectationes corporales sunt magis vehementes propter tria. Primò quia sensibilia sunt magis nota quoad nos, quàm intelligibilia. Secundò quia delectationes sensibiles, cùm sint passiones appetitûs sensitivi, sunt cum aliquâ transmutatione corporali, quod non contingit in delectationibus spiritualibus, nisi per quamdam redundantiam à superiori appetitu ad inferiorem. Tertiò quia delectationes appetuntur ut medicinæ quædam contra corporales defectus vel molestias, ex quibus tristitiæ quædam sequuntur,* etc. Et in eâdem quæst., art. 6, docet S. doctor quòd *inter istas delectationes corporales, delectationes tactûs superant alias quæ sunt secundùm cæteros sensus, quia unumquodque in quantum amatur, efficitur delectabile ; ut autem dicitur in primo Metaph. textu primo, sensus propter duo diliguntur, scilicet propter cognitionem et propter utilitatem ; unde et utroque modo contingit esse de-*

lectationem secundùm sensum. Sed quia apprehendere cognitionem ipsam tanquàm bonum quoddam, proprium est hominis, ideò primæ delectationes sensuum quæ scilicet sunt secundùm cognitionem, sunt propriæ hominum. delectationes autem sensuum, in quantum diliguntur propter utilitatem, sunt communes omnibus animalibus. Si igitur loquamur de delectatione sensûs, quæ est ratione cognitionis, manifestum est quòd secundùm visum est major delectatio, quàm secundùm aliquem alium sensum.

Si autem loquamur de delectatione sensûs quæ est ratione utilitatis, sic maxima delectatio est secundùm tactum : utilitas enim sensibilium attenditur secundùm conservationem naturæ animalis : ad hanc autem utilitatem propinquiùs se habent sensibilia tactûs : est enim actus cognoscitivus eorum ex quibus consistit animal, scilicet calidi et frigidi, humidi et sicci, et hujusmodi : unde secundùm hoc delectationes quæ sunt secundùm tactum, sunt majores, quasi fini propinquiores ; et propter hoc etiam alia animalia quæ non habent delectationem secundùm sensum, nisi ratione utilitatis, non delectantur secundùm alios sensus nisi in ordine ad sensibilia tactûs, etc. *; unde si quis velit hos duos sensus comparare, inveniet simpliciter delectationem tactûs esse majorem delectatione visûs, secundùm quòd consistit intra limites sensibilis delectationis, quia manifestum est quòd id quod est naturale, in unoquoque est potissimum. Hujusmodi autem delectationes tactûs sunt ad quas concupiscentiæ naturales ordinantur : sicut cibi, venerea, et hujusmodi.*

D. Thomas in 3 Sent., dist. 40, quæst. 1, art. 1, ad 4, docet, quòd *concupiscentia curiositatis quæ fit per oculos, reducitur ad concupiscentiam delectationis carnis, ad quam etiam reducuntur delectationes aliorum sensuum.*

Appetitus sensitivus naturalis in nobis, puta cibi, est quem non imaginatio gignit, sed ipsa qualitatum naturalium dispositio, quibus naturales vires suas exercent actiones : hic autem motus rationi in nullo subjacet nec obedit ; unde nec in eo peccatum esse potest : appetitus autem sensitivus, seu animalis, est qui ex præcedenti imaginatione vel sensu consequitur ; et hic vocatur motus sensualitatis, et secundò primus, et tunc incipit genus moris, quia primò invenitur dominium voluntatis quæ est principium moralium, ut dicitur 6 Metaph. textu 5, cap. 1 ; in his enim actibus et motibus qui non per imperium rationis procedunt, habet dominium incompletum, eosque impedire poterat, ut sic voluntati subjaceant quantùm ad hoc quod est impediri vel non impediri ; ideòque inordinatio quæ in his actibus contingit, causat rationem peccati, imperfecti tamen et venialis solùm : deformitas autem actûs cujuslibet, illi potentiæ attribuitur ut subjecto, quæ est illius principium ; ideòque cùm sensualitas sit principium horum actuum, convenienter in eâ dicitur esse tale peccatum ut in subjecto ; non enim omne peccatum est in voluntate tanquàm in subjecto, sed sicut in causâ ; et quidem dupliciter, scilicet vel per se, ut quando actus peccati procedit ex imperio voluntatis ; vel quasi per accidens, quando non impedit quod impedire potest, et hoc modo est causa primorum motuum. Hæc D. Thomas in 2 lib. Sent., dist. 24, quæst. 3, art. 1 et 2, ubi S. doctor loquitur de sensualitate, prout nominat appetitum sensitivum in genere, secundùm quòd est incompletus ac indeterminatus et magis ad carnem depressus ; seu prout in operando non sequitur imperium rationis, sed movetur præcisè motu proprio, prævenitque perfectam deliberationem rationis ; et deinde dividitur in concupiscibilem et irascibilem, in quorum actibus potes-repereri virtus vel peccatum mortale : quatenùs scilicet ex completâ deliberatione et ex imperio voluntatis procedunt, prout expressè docet D. Thomas ibidem ad 3, et q. 25 de Verit., art. 4, ait quòd *irascibilis et concupiscibilis subduntur rationi, et similiter sensualitas, quamvis nomen sensualitatis pertineat ad has vires, non secundùm quod participant rationem, sed secundùm naturam sensitivæ partis. Unde non ita propriè dicitur quòd sensualitas subdatur rationi, sicut de irascibili et concupiscibili dicitur ; ex hoc tamen quòd in homine est subjicibilis rationi, et aliquid de eâ ac de libertate participat imperfectè, actus ejus, quamvis rationem præveniat, habent rationem peccati venialis. Si verò ratio motus sensualitatis et actus concupiscibilis et irascibilis illicitos imperet et excitet, aut deliberatè retineat et approbet, aut voluntas consentiat, tunc si sit illicitum quid in genere peccati mortalis, ut sunt venerea,* etc., *erit peccatum mortale, vetitum hoc præcepto :* Non concupisces, etc. Et, 1-2, quæst. 74, art. 8, ad 1, docet quòd *actus inferiorum virium, et etiam exteriorum membrorum possunt esse peccata mortalia, secundùm quòd deficit ordinatio non solùm rationis inferioris, sed et superioris regulantis eos secundùm rationes æternas.*

Consensus in delectationem peccati mortalis præcisè cogitati, etiam absque consensu in opus exterius et intentione ac desiderio illud adimplendi, est peccatum mortale cogitationis morosæ, quæ talis vocatur non à morâ temporis, sed ex advertentiâ et consensu rationis circa rem cogitatam idque brevissimo tempore fieri potest. Probat D. Thomas, 1-2, quæst. 74, art. 6 et 8, primò ex auctoritate D. August., libro 2 de Trin., cap. 12 ; secundò, quia *quòd aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, id contingit ex hoc quòd affectio ejus inclinata est in hunc actum : unde quòd aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est quàm quòd ipse consentiat in hoc quòd affectus suus sit inclinatus in fornicationem : nullus enim delectatur nisi in eo quod est conforme appetitui ejus. Quòd autem aliquis ex deliberatione eligat quòd affectus suus conformetur his quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde consensus in delectationem peccati mortalis, ut venereorum, item in complacentiâ actus homicidii cogitati, est peccatum mortale, et sic de cæteris.* Idem docet D. Thomas, dist. 24, quæst. 3, art 3, et quæst. 15 de Verit., art. 4 : *Delectatio illa igitur quæ sequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ, in idem genus pertinet et reducitur, ac delectatio actûs exterioris,* sicque eamdem habet deordinationem, et isto præcepto : *Non concupisces,*

carnis et ad luxuriam, respondetque sexto præcepto : *Non mœchaberis*, in quo non solùm prohibetur concubitus cum uxore alterius, sed etiam cum aliâ quàcumque muliere extra legitimum matrimonium : sic non est mirum, quòd etiam in isto nono præcepto, non apponatur mulier, sed tantùm alterius uxor. Et ex his evellitur fundamentum Cajetani.

Dices : Apostolus ad Romanos 7, indicat unicum esse concupiscentiæ præceptum ; de eâ siquidem solùm in singulari loquitur dicens : *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : non concupisces.* Et ibid. subdit : *Invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis.* — Resp. D. Thomas ibidem quòd *peccatum non cognoscitur nisi per legem, quantùm ad reatum pœnæ, et offensam Dei : ideò autem hoc probat Apostolus per concupiscentiam, quia concupiscentia prava communiter se habet ad omnia peccata. Unde sumitur generaliter, prout sub se continet concupiscentias tam venereorum quàm rerum alienarum, de quibus in Decalogo præcepta distincta dantur. In secundo autem loco Apostolus legem vocat ordinationem affectuum carnalium ad delectabilia et utilia secundùm sensum, quæ est in partibus sensitivis hominis tam interioribus, quàm exterioribus ; quia hujusmodi inclinatio est tanquàm lex partis sensitivæ, quatenùs sensitiva est : seu lex carnis, quæ est naturalis inclinatio virium inferiorum ad propria bona, seu utilia et delectabilia secundùm sensum Dicitur quoque lex peccati, quæ est pœna peccati, et deordinatio earumdem virium derelicta ex privatione justitiæ originalis, seu fomes peccati, repugnans rationi, et inducens ad peccatum faciendum, sicut lex inducit ad bonum operandum, ac per legem divinæ justitiæ introductus fuit ; quæ lex fomitis originaliter quidem consistit in appetitu sensitivo, sed diffusivè invenitur in omnibus membris, quæ deserviunt concupiscentiæ.*

D. Thomas in 3 Sent., dist. 40, quæst. 1, art. 1, ad 4, dicit, quòd *omnis concupiscentia aliquo modo istis duobus mandatis prohibetur, et omne desiderium peccandi in quocumque genere, tacitè hìc vetitum fuit ; ratio autem quare magis expressè prohibita fuerit concupiscentia uxoris proximi, et rerum alienarum, jam allata fuit ; nempe quia sentitur in appetitu experientia venereorum, et in possessione rerum utilium est quid de se maximè appetibile : secùs verò homicidium et falsum testimonium,* etc. ; *sunt enim per se horribilia, cùm naturaliter homo diligat sibi simile, et etiam veritatem. Nec ita inclinatur ad actus iræ, utpote qui sunt cum tristitiâ et respiciunt bonum ut arduum, quàm ad actus concupiscentiæ : utpote qui versantur circa delectationes et quietem : non ergo fuit tanta necessitas exprimendi concupiscentiam homicidii patrandi aut falsum testimonium dicendi, aut circa iram, aut circa alia peccata cordis.* Adde ex D. Thomâ, 2-2, quæst. 25, art. 1, et quæst. 82, art. 3, ad 2, quòd *passiones irascibilis ad passiones concupiscibilis reducuntur sicut ad principaliores, inter quas concupiscentia vehementiùs movet, et magis sentitur, et in eâ quodammodò omnes aliæ passiones includuntur : et, ut ait D. August., bona est lex, quæ dùm concupiscentiam prohibet, omne malum prohibet : nisi enim quis concupisceret malum, non faceret. Unde Matth. 15, dicitur :* « *De corde exeunt cogitationes, adulteria,* » etc. Vide D. August., lib. de Spiritu et litter., cap. 4, et Epist. 89, q. 2. Et alibi passim et D. Thomam, 2-2, quæst. 100, art. 11, in fine corporis et art. 5, ad 6. Et ibid., q. 23, art. 1, ad 1. *Appetitus autem irascibilis non dividitur in duas, quia omnes ejus passiones conformantur concupiscentiæ animali.* Ita D. Thomas, 2-2, q. 77, art. 5, in fine corp.

Articulus III.

De concupiscentiâ vetitâ boni delectabilis carnalis.

Divus Thomas, 1-2, quæst. 34, art. 1, docet quòd *delectatio est quies appetitivæ virtutis in aliquo bono amato, et consequens aliquam operationem ; potestque esse bona vel mala : cujus ratio accipi potest, primò quidem ex parte boni in quo quiescens delectatur : bonum enim et malum in moralibus dicitur, secundùm quòd convenit rationi, vel discordat ab eâ,* ut ostendit quæst. 19, art. 3 et 9, *sicut in rebus naturalibus aliquid dicitur naturale, ex eo quòd naturæ convenit : innaturale verò ex eo quòd est à naturâ discordans. Quemadmodùm igitur in naturalibus est quædam quies naturalis, quæ scilicet est in eo quod convenit naturæ, ut cùm grave quiescit deorsùm : ita et in moralibus est quædam delectatio bona, secundùm quòd appetitus superior aut inferior quiescit in eo quod convenit rationi : et quædam mala, ex eo quòd quiescit in eo quod è ratione discordat et à lege Dei.*

Secundò potest accipi alia ratio ex parte operationum, quarum quædam sunt malæ, quædam bonæ. Operationibus autem magis sunt affines delectationes quæ sunt eis conjunctæ, quàm concupiscentiæ quæ eas tempore præcedunt. Unde cùm concupiscentiæ bonarum operationum sint bonæ, malarum verò malæ, multò magis delectationes bonarum operationum sunt bonæ, malarum verò malæ.

Et quæst. 31, art. 5, docet S. doctor quòd *cùm intellectualis cognitio sit perfectior nobisque charior, et bonum spirituale majus sit, magisque dilectum, necesse est delectationes intellectuales et spirituales majoris esse delectationis, quàm corporales et sensuales quoad se ; verùm quoad nos delectationes corporales sunt magis vehementes propter tria. Primò quia sensibilia sunt magis nota quoad nos, quàm intelligibilia. Secundò quia delectationes sensibiles, cùm sint passiones appetitûs sensitivi, sunt cum aliquâ transmutatione corporali, quod non contingit in delectationibus spiritualibus, nisi per quamdam redundantiam à superiori appetitu ad inferiorem. Tertiò quia delectationes appetuntur ut medicinæ quædam contra corporales defectus vel molestias, ex quibus tristitiæ quædam sequuntur,* etc. Et in eâdem quæst., art. 6, docet S. doctor quòd *inter istas delectationes corporales, delectationes tactûs superant alias quæ sunt secundùm cæteros sensus, quia unumquodque in quantum amatur, efficitur delectabile ; ut autem dicitur in primo Metaph. textu primo, sensus propter duo diliguntur, scilicet propter cognitionem et propter utilitatem ; unde et utroque modo contingit esse de-*

lectationem secundùm sensum. Sed quia apprehendere cognitionem ipsam tanquàm bonum quoddam, proprium est hominis, ideò primæ delectationes sensuum quæ scilicet sunt secundùm cognitionem, sunt propriæ hominum. delectationes autem sensuum, in quantum diliguntur propter utilitatem, sunt communes omnibus animalibus. Si igitur loquamur de delectatione sensûs, quæ est ratione cognitionis, manifestum est quòd secundùm visum est major delectatio, quàm secundùm aliquem alium sensum.

Si autem loquamur de delectatione sensûs quæ est ratione utilitatis, sic maxima delectatio est secundùm tactum : utilitas enim sensibilium attenditur secundùm conservationem naturæ animalis : ad hanc autem utilitatem propinquiùs se habent sensibilia tactûs : est enim actus cognoscitivus eorum ex quibus consistit animal, scilicet calidi et frigidi, humidi et sicci, et hujusmodi : unde secundùm hoc delectationes quæ sunt secundùm tactum, sunt majores, quasi fini propinquiores ; et propter hoc etiam alia animalia quæ non habent delectationem secundùm sensum, nisi ratione utilitatis, non delectantur secundùm alios sensus nisi in ordine ad sensibilia tactûs, etc. *; unde si quis velit hos duos sensus comparare, inveniet simpliciter delectationem tactûs esse majorem delectatione visûs, secundùm quòd consistit intra limites sensibilis delectationis, quia manifestum est quòd id quod est naturale, in unoquoque est potissimum. Hujusmodi autem delectationes tactûs sunt ad quas concupiscentiæ naturales ordinantur : sicut cibi, venerea, et hujusmodi.*

D. Thomas in 3 Sent., dist. 40, quæst. 1, art. 1, ad 4, docet, quòd *concupiscentia curiositatis quæ fit per oculos, reducitur ad concupiscentiam delectationis carnis, ad quam etiam reducuntur delectationes aliorum sensuum.*

Appetitus sensitivus naturalis in nobis, puta cibi, est quem non imaginatio gignit, sed ipsa qualitatum naturalium dispositio, quibus naturales vires suas exercent actiones : hic autem motus rationi in nullo subjacet nec obedit ; unde nec in eo peccatum esse potest : appetitus autem sensitivus, seu animalis, est qui ex præcedenti imaginatione vel sensu consequitur ; et hic vocatur motus sensualitatis, et secundò primus, et tunc incipit genus moris, quia primò invenitur dominium voluntatis quæ est principium moralium, ut dicitur 6 Metaph. textu 5, cap. 1 ; in his enim actibus et motibus qui non per imperium rationis procedunt, habet dominium incompletum, eosque impedire potest, ut sic voluntati subjaceant quantùm ad hoc quod est impediri vel non impediri ; ideòque inordinatio quæ in his actibus contingit, causat rationem peccati, imperfecti tamen et venialis solùm : deformitas autem actûs cujuslibet, illi potentiæ attribuitur ut subjecto, quæ est illius principium ; ideòque cùm sensualitas sit principium horum actuum, convenienter in eâ dicitur esse tale peccatum ut in subjecto ; non enim omne peccatum est in voluntate tanquàm in subjecto, sed sicut in causâ ; et quidem dupliciter, scilicet vel per se, ut quando actus peccati procedit ex imperio voluntatis ; vel quasi per accidens, quando non impedit quod impedire potest, et hoc modo est causa primorum motuum. Hæc D. Thomas in 2 lib. Sent., dist. 24, quæst. 3, art. 1 et 2, ubi S. doctor loquitur de sensualitate, prout nominat appetitum sensitivum in genere, secundùm quòd est incompletus ac indeterminatus et magis ad carnem depressus ; seu prout in operando non sequitur imperium rationis, sed movetur præcisè motu proprio, prævenitque perfectam deliberationem rationis ; et deinde dividitur in concupiscibilem et irascibilem, in quorum actibus potes-reperiri virtus vel peccatum mortale : quatenùs scilicet ex completâ deliberatione et ex imperio voluntatis procedunt, prout expressè docet D. Thomas ibidem ad 3, et q. 25 de Verit., art. 4, ait quòd *irascibilis et concupiscibilis subduntur rationi, et similiter sensualitas, quamvis nomen sensualitatis pertineat ad has vires, non secundùm quod participant rationem, sed secundùm naturam sensitivæ partis. Unde non ita propriè dicitur quòd sensualitas subdatur rationi, sicut de irascibili et concupiscibili dicitur ; ex hoc tamen quòd in homine est subjicibilis rationi, et aliquid de eâ ac de libertate participat imperfectè, actus ejus, quamvis rationem præveniat, habent rationem peccati venialis. Si verò ratio motus sensualitatis et actus concupiscibilis et irascibilis illicitos imperet et excitet, aut deliberatè retineat et approbet, aut voluntas consentiat, tunc si sit illicitum quid in genere peccati mortalis, ut sunt venerea,* etc., *erit peccatum mortale, vetitum hoc præcepto :* Non concupisces, etc. Et, 1-2, quæst. 74, art. 8, ad 1, docet quòd *actus inferiorum virium, et etiam exteriorum membrorum possunt esse peccata mortalia, secundùm quòd deficit ordinatio non solùm rationis inferioris, sed et superioris regulantis eos secundùm rationes æternas.*

Consensus in delectationem peccati mortalis præcisè cogitati, etiam absque consensu in opus exterius et intentione ac desiderio illud adimplendi, est peccatum mortale cogitationis morosæ, quæ talis vocatur non à morâ temporis, sed ex advertentiâ et consensu rationis circa rem cogitatam idque brevissimo tempore fieri potest. Probat D. Thomas, 1-2, quæst. 74, art. 6 et 8, primò ex auctoritate D. August., libro 2 de Trin., cap. 12 ; secundò, quia *quòd aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, id contingit ex hoc quòd affectio ejus inclinata est in hunc actum : unde quòd aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est quàm quòd ipse consentiat in hoc quòd affectus suus sit inclinatus in fornicationem : nullus enim delectatur nisi in eo quod est conforme appetitui ejus. Quòd autem aliquis ex deliberatione eligat quòd affectus suus conformetur his quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde consensus in delectationem peccati mortalis, ut venereorum, item in complacentiâ actus homicidii cogitati, est peccatum mortale, et sic de cæteris.* Idem docet D. Thomas, dist. 24, quæst. 3, art 3, et quæst. 15 de Verit., art. 4 : *Delectatio illa igitur quæ sequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ, in idem genus pertinet et reducitur, ac delectatio actûs exterioris,* sicque eamdem habet deordinationem, et isto præcepto : *Non concupisces,*

prohibetur, ut docet D. Thomas loco citato de Veritate, ad 9, et à fortiori cogitatio morosa cum consensu in opus externum, aut desiderio deliberato illud obtinendi, erit mortale peccatum; et hujusmodi circumstantia etiam in confessione est explicanda, quamvis opus non fuerit patratum.

Articulus IV.

De concupiscentiâ vetitâ boni utilis alieni injustè rapiendi vel detinendi.

Amor sui usque ad contemptum Dei facit civitatem babylonicam, ait D. August. lib. 14 de Civit., cap. 28, et est causa ac initium omnis peccati, eò quòd in se includat inordinatum appetitum boni, ex quo provenit omne peccatum. Bonum autem dupliciter est objectum sensibilis appetitûs, in quo sunt animæ passiones, quæ sunt causa peccati. Uno modo absolutè, secundùm quòd est objectum concupiscibilis. Alio modo sub ratione ardui, prout est objectum irascibilis. Præter concupiscentiam carnis, est alia concupiscentia animalis, eorum scilicet quæ per sensum carnis sustentationem aut delectationem non afferunt: sed sunt delectabilia secundùm apprehensionem imaginationis ut alicujus hujusmodi acceptionis, quia afferunt utilitatem, ut sunt pecunia, bona temporalia, etc., et refertur ad cupiditatem, in quâ secundùm quod importat universaliter appetitum cujuslibet boni, etiam superbia vitæ continetur; ita D. Thomas, 1-2, q. 77, art. 7, et in 3 lib. Sententiarum, dist. 40, q. 3, art. 1, ad 4, docet quòd *concupiscentia honoris, dignitatis, vel hujusmodi reducitur ad concupiscentiam bonorum temporalium, quorum dignitas numismate mensuratur, id est, appretiatur et æstimatur pecuniâ.*

Catechismus concilii Trident. docet, contra istud præceptum peccare eos qui proprii quæstûs causâ aliorum damna concupiscunt, taliumque hominum plura genera refert: nempe qui ludis prohibitis delectantur, aut etiam ludis licitis immoderatè utuntur cupiditate et gratiâ lucri. Item mercatores qui rerum penuriam, annonæque charitatem expetunt atque id ægrè ferunt quòd alii præter ipsos sint qui vendant aut emant, quò charìùs vendere, aut emere ipsi possint. Item qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo aut emendo ipsi lucrentur. Peccant idem milites, qui bellum expetunt ut furari ipsis liceat. Item medici qui morbos desiderant. Item jurisconsulti qui causarum, litiumque vim copiamque concupiscunt. Item artifices qui quæstûs avidi, omnium quæ ad victum cultumque pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimùm lucrifaciant. In hoc præterea genere graviter peccant ii, qui alienæ laudis gloriæque avidi atque appetentes sunt, non sine aliquâ famæ alterius obtrectatione: idque præsertim, si qui illam appetunt, ignavi nulliusque pretii homines sunt.

Isto præcepto vetatur omnis inordinatus appetitus rei alienæ injustè possidendæ: hoc ipso enim quòd ea quæ possidenda appetuntur aliena sunt, hujusmodi cupiditas tanquàm vitiosa prohibetur isto mandato: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt*; sicut enim aliena rapere, aut detinere domino rationabiliter invito, quæcumque illa sint, prohibentur septimo præcepto: *Non furtum facies*: ita concupiscere quæcumque alterius vetat divina lex, rerumque hujusmodi cupiditas nefaria est, et in peccatis gravissimis numeratur, cùm illis concupiscendis animi præbetur assensus: nam tunc peccatorum natura existit, cùm post malarum cupiditatum impulsum animus rebus pravis delectatur, atque his vel assentitur, vel non repugnat, ut ostenditur in Epist. Jacobi, cap. 1; non enim ea appetere licet quæ possidere omninò nefas est. Hæc habentur in eodem Catechismo, et ibidem explicatur quid sit concupiscere domum proximi, servum, ancillam, etc. Et concludit quòd parochus ad tollendum hujusmodi cupiditatis vitium, remedia accommodata patefacere debet et dicere cum Prophetâ: *Rapinas nolite concupiscere; divitiæ si affluant, nolite cor apponere;* ut eas pietatis et divinarum rerum studio abjicere parati simus, et in sublevandas pauperum miserias libenter illas erogemus: si desint facultates, egestatem æquo et hilari animo feramus, et quidem si rebus nostris dandis liberaliter utamur, rerum alienarum cupiditates restringemus. Harum rerum cupiditas sitis immensa est atque infinita, neque unquàm satiatur, ut scriptum est: *Avarus non implebitur pecuniâ*, et de eo dicitur apud Isaiam: *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis!* etc. Quilibet autem sapiens finem aliquem intendere debet in suo facto.

Ab hunc cupiditatum ardorem extinguendum, plurimùm etiam hoc valet, si quæ incommoda ex illis accidunt ea nobis ob oculos ponamus. Primum, quòd quando hujusmodi cupiditatibus paremus, in animâ nostrâ regnat summa peccati vis, ac potestas; quamobrem monuit Apost. ad Rom. 6: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Quemadmodùm enim, si cupiditatibus resistimus, peccati vires concidunt, ita si iisdem succumbimus, Dominum à regno suo expellimus, et in ejus locum peccatum introducimus: obedire enim per consensum mentis concupiscentiis peccati, est peccatum regnare in nobis; Eccles. 18: *Post concupiscentias tuas non eas.*

Alterum incommodum est, quoniam animi judicium his cupiditatibus obscuratur; homines enim iis cupiditatum tenebris obcæcati, honesta et præclara putant omnia quæ ipsi concupiscunt, Psal. 16: *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Et non in cœlum levare, *et esse sub sentibus, delicias reputant*, Job 30.

Opprimitur præterea concupiscendi vi verbum Dei, quod animis nostris à magno illo agricolâ Deo insitum est; sic enim apud Marcum, cap. 4, scriptum est: Alii sunt qui in spinis seminârunt; hi sunt qui verbum audiunt, et ærumnæ seculi et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes, suffocant verbum, et sine fructu efficitur: unde comparantur spinis quæ cor pungunt et cruciant, sollicitudinibus et inquietudinibus implent. Hinc D. Gregorius ait:

Nihil laboriosius quàm terrenis desideriis æstuare : nihil quietius quàm in hoc mundo nihil appetere. Et D. Ambrosius dicit quòd mens avari semper vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum videt, semper argentum cogitat, semper redditus computat, gratiùs aurum, quàm solem intuetur. Eccl. 2, de avaro dicitur, quòd *cuncti dies ejus pleni sunt laboribus et ærumnis, nec per noctem mente requiescit.* Et ibidem cap. 5, subditur, quòd *saturitas divitis non sinit eum dormire.* Pecuniæ obedit ut servus ; inde David, Psalm. 75, tales appellat *viros divitiarum*, quia tanquàm mancipia ab ipsis possidentur, potiùs quàm illas possideant, et colligitur ex illo Lucæ 16 : *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Juxta Apost. ad Ephes. 5, *avaritia est idolorum servitus*, ubi glossa ait, quòd avari deus est nummus : ut enim subdit D. August., hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur.

Tandem ab hâc concupiscendi vi, veluti fonte quodam, omnia peccata emanant, ut D. Jacobus docet. D. item Joannes, et Apostolus 1 ad Timoth. 6, ait quòd qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva quæ mergunt homines in interitum et damnationem : *Radix enim omnium malorum est cupiditas*, quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis, etc. Vide D. Thomam super hunc D. Pauli locum. Item, 1-2, q. 84, art 1, ubi egregiè, suo more, explicat quo modo cupiditas sit omnium malorum radix, et 2-2, q. 118, peccatum avaritiæ suis coloribus depingit.

Eradicemus igitur è nostris cordibus pestilentes hujusmodi concupiscentias malorum omnium radices, æmulemur charismata meliora, desideria scilicet cœlestis patriæ et bonorum æternorum, audiamus D. August. dicentem : *Cur per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, et sufficit : desidera simplex bonum quod est omne bonum, et satis est. Quid enim amas, caro mea? quid desideras, anima mea? Ibi est quidquid amas, ibi est quidquid desideras. Si delectat pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol. Si salubris vita, ibi erit sana æternitas, et æterna sanitas, quia justi in perpetuum vivent. Si satietas, satiabuntur cùm apparuerit gloria Domini. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas, torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus, et inebriabuntur ab ubertate domûs Dei. Si honor et divitiæ, Deus super multa bona constituit eos; imò filii Dei et dii vocabuntur et erunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, etc. In Man., cap. 34, et ibidem cap. 5.

Exclamat idem August. : *Fac me, dulcis Christe, bone Jesu, fac me, rogo, amore et desiderio tuî deponere onus carnalium desideriorum et terrenarum concupiscentiarum. Dominetur carni anima mea, animæ ratio, rationi gratia tua, et tuæ me interiùs et exteriùs subde voluntati*, etc. Tandem dicamus cum Prophetâ regio, Psalmo 83 : *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.*

Liceat nostrum hunc in decalogum tractatum eodem epilogo claudere, quo Magister Sentent., et doctor noster Angelicus, tertium Sententiarum librum terminârunt, ipsorumque propriis uti verbis ; concludit itaque Magister : *Audisti decem chordas psalterii, utrique sexui impositas, quæ charitate tangendæ sunt ut vitiorum feræ occidantur ;* quem Magistri epilogum D. Thomas ibidem exponens ait : *Per decem chordas psalterii decem legis præcepta intelliguntur : sicut enim David, egregius psaltes, sono citharæ psalterii, spiritum malum à Saül expellebat, ut dicitur 1, Reg. 16, et ursum et leonem interfecit, ut habetur ibidem cap. 17, ita Christus qui per David significatur, corda nostra quasi psalterium his decem præceptis percutiens, omnium mortalium peccatorum feras in nobis occidit, et virtutes perficit quibus ad vitam pervenitur : in quâ cum Christo vivamus, per omnia secula seculorum, Amen.* In cujus laudem et gloriam omnia opera nostra cedant, et Ecclesiæ sanctæ aliqualem utilitatem, cujus judicio et correctioni, omni quâ par est reverentiâ et humilitate libentissimè illa submitto

APPENDIX PRIMA.

DE CULTU SANCTORUM ET DE VENERATIONE SACRARUM RELIQUIARUM,

AUCTORE NATALI ALEXANDRO (1).

Vindicabimus fidem catholicam de cultu sanctorum contra novatores ; deinde exponentur regulæ quas sacra traditio sancivit, ut honor convenienter reddatur sanctis ac sacris illorum reliquiis.

(1) Theologia dogmatica et moralis, lib. 4, cap. 3. Quæ sint fide tenenda et alia scitu digna circa hanc materiam habemus in libro Veronii : *de Regulâ fidei* § 7, 8, 9, 10. Vide t. 1 Cursûs Theologiæ, col. 1566 1576.

§ 1. *Cultus Sanctorum primo Decalogi præcepto non repugnat.*

Sanctis, sive angelis, sive hominibus Dei cum Christo regnantibus, divinum cultum, id est, honorem aliquem Deo proprium aut soli Deo debitum non tribuit aut à fidelibus exhiberi permittit Ecclesia ; sed eum quem conjunctissimis Dei amicis, et arcanorum ejus consciis, nostræque salutis amantissimis, quem distinctionis causâ *duliam* vocat, cùm *latria* sit soli

Deo debita servitus. Cultus hujusmodi putandus non est ullâ ex parte Dei gloriam minuere vel obscurare, sed potiùs augere atque illustrare : tum quia Deus hoc modo non in se solùm, sed etiam in sanctis suis mirabilis et gloriosus agnoscitur : tum quia hoc ipsum Deo acceptum et gratum est, ut sicut reges, principes, sacerdotes, parentes, et quicumque potestatis vel sanctitatis nomine excellunt, Deoque similes sunt, secundùm legem ejus honoramus et veneramur, ita et multò magis eos honoremus, qui regni cœlestis jam cum ipso sunt consortes ; propterea quòd et charitate perfectiores, et dignitate sublimiores, eam apud Deum honoris excellentiam consecuti sint, quâ nusquàm possunt excidere. Deum autem velle ut sic à nobis honorentur, ex sacris litteris compertum est Psalm. 138 : *Nimis honorati sunt amici tui, Deus*, et Joannis 12 : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Sic Josue angelum principem militiæ Domini pronus in terram veneratus est, Josue 5. Sic filii prophetarum, qui erant in Jericho, cùm spiritum Eliæ super Elizæum requievisse experti fuissent : *Venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram*, id est, ut prophetam singulari et plusquàm civili honore venerati sunt. Quod si legimus angelos interdùm honorem ab hominibus sibi exhibitum recusâsse, propterea id fecisse intelligendum est, quòd eum sibi honorem haberi nollent, qui soli Deo debetur. Sic angelus prohibuit S. Joannem ne ipsum adoraret, Apocal. 19 : *Vide* (inquit) *ne feceris. Conservus tuus sum et fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu : Deum adora.* Ita enim dilecto Christi Apostolo apparuerat angelus, ut Deus videri posset. Quamobrem opus erat ut se Deum non esse, sed Dei legatum ac ministrum doceret ne ipsum Joannes adoraret. Ita hunc locum S. Augustinus exponit quæstione 61 super Genesim : *Talis*, inquit, *apparuerat angelus ut pro Deo posset adorari, et ideò fuerat corrigendus adorator.* Quamquàm nec improbabile sit angelum prohibuisse ne supplex ante ipsum Apostolus prosterneretur, ob naturæ humanæ à Filio Dei assumptæ reverentiam. Utque significaret *angelos non dedignari habere hominem socium, qui super se adorant hominem Deum* (inquit S. Gregorius, homilià 8 in Evang.). Quòd verò S. Petrus Cornelium ad pedes ejus prostratum ac supplicem surgere jusserit, dicens : *Et ego ipse homo sum*, id fecisse ad humilitatis exemplum, docet S. Joannes Chrysostomus homilià 23 in Acta Apostolorum.

Sed nec Apostolus fideles deterrere censendus est à religioso sanctorum angelorum cultu, cùm ad Colossenses scribit, cap. 2 : *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum*, etc. Sed vel à Mosaicæ legis observationibus, quæ post Christi mortem et Evangelii promulgationem Dei cultus esse desiit, et transfugarum potiùs angelorum, sive spirituum immundorum cultura facta est, de quibus Apostolus paulò antè dixerat. *Exspolians principatus et potestates, confidenter palàm traduxit illos triumphans in semetipso.* Quæ S. Hieronymi interpretatio est Epistolà 151 ad Algasiam, quæstione 10. Vel superstitiosum dun-

taxat cultum prohibuit, angelis exhibitum ab iis qui, relicto Christo mediatore, angelos ut unicos et primarios mediatores adibant, per eos ad Deum nos adduci necessariò oportere garrientes, per quos lex data esset. Idque falsâ humilitate ducti fieri suadebant, dicentes : *Universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse, et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Hoc est quod dicit Apostolus : *In humilitate et religione angelorum.* Hæc Theodoreti expositio est. Superstitiosum hujusmodi cultum Laodicena synodus canone 35 prohibuit, volens veteri illi morbo mederi ; quia occultæ idololatriæ serviebant, qui Christo et Ecclesiâ relictis, angelos ad orabant. Uno verbo, eum duntaxat Angelorum cultum prohibet ac damnat Apostolus, cui aliquis ita addictus est, ut Ecclesiæ caput, id est, Christum non teneat. *Nemo* (inquit) *vos seducat, volens, in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.* Sed angelos revereri non prohibet ut Dei legatos et ministros, quorum operâ non modò ad Ecclesiæ suæ, sed etiam ad reliquarum rerum gubernationem utitur : ut nostros curatores et custodes, ut patronos apud Deum potentissimos, qui magnâ charitate nos diligunt ; qui pro iis provinciis quibus præsunt (ut ex Scripturâ sacrâ facilè intelligitur) preces fundunt ; quod etiam præstare iis quorum sunt ipsi custodes à Deo constituti ; minimè dubitandum est. Nostras enim preces Deo offerunt (ut constat ex Apocalypsis cap. 8, 3, 4). Quamobrem Christus Dominus in Evangelio docuit pusillos scandalizandos non esse, quia *angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris.*

Objecerunt quidem olim Ecclesiæ ethnici, et Manichæi hæretici, divinos honores martyribus à Christianis et catholicis impendi, eosque idolis gentium mortuos homines substituisse ; sed eam calumniam egregiè repellit S. Augustinus libro 20 contra Faustum, cap. 21. Hujus verba descripsi in tractatu de Sacramento Eucharistiæ, cap. 6, articulo 2. Summa hujus loci est, populum christianum memorias martyrum religiosè celebrare, et *ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur et orationibus adjuvetur.* Cæterùm martyribus altaria non constitui, nec offerri sacrificium, sed soli Deo qui martyres coronavit, in memoriis eorum quos coronavit. Nos martyres colere, non cultu latriæ, *sed eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hâc vitâ coluntur sancti homines Dei.* Paucis verbis ut multa complectar, sancti *honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.... Honoramus eos charitate, non servitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cùm boni sumus, templum summi Dei esse noverunt.* Quamvis ergo vulgò nuncupetur Ecclesia sive templum, aut altare beatæ Virginis, S. Petri, aut alterius sancti, non tamen illis consecrata sunt templa, vel altaria, neque dicati festi dies, sed Deo in eorum memoriam, et sub

eorum invocatione. Hæc Ecclesiæ catholicæ fides.

Sanctorum autem memoriam triplici potissimùm ratione colimus. Primò, ut eximia Dei opera in illis celebremus, Deumque ob beneficia illis, et per illos cæteris hominibus collata laudemus, quemadmodùm Scriptura sacra ubique facit, et Deum in sanctis suis laudari jubet. Secundò, ut fidem etiam sanctorum, quâ *vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*, suscipiamus; ipsosque veluti jam perpetuos filios Dei, fratres et cohæredes Christi, templaque Spiritûs sancti honoremus. Nam planè superbus atque impius est, qui, quos honore summo Pater cœlestis afficit, recusat honorare. Tertiò, ut imitatione sanctioris vitæ sanctos colamus, quæ honoris species est non minima, ut scilicet simus illorum imitatores, sicut et ipsi Christi. Adaugent certè sanctorum vitæ et exempla nobis fiduciam assequendi bravii, quod currendo appetimus. Addunt operandi alacritatem, quòd quæ illos per Christum jam assecutos intelligimus, eodem auctore nos aliquando consecuturos confidamus. Hùc spectant egregiæ illæ sanctorum veteris legis laudes, Ecclesiastici 44, et ad Hebræos 11, ubi Apostolus cùm sanctos ex fide plurimùm commendâsset, addidit : *Idèoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum.*

§ 2. *Sacrarum reliquiarum honor primo Decalogi præcepto non repugnat.*

Martyres enim, aliosve sanctos viros cum Christo regnantes, non adoramus, multò minùs ipsorum reliquias, ne serviamus creaturæ potiùs quàm Creatori : sed *honoramus reliquias martyrum, ut eum, cujus sunt martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait :* « *Qui vos suscipit, me suscipit* » (inquit S. Hieronymus libro contra Vigilantium hæreticum, qui debitum sanctorum reliquiis honorem primus impugnavit). Quem ex Ecclesiæ universæ more atque usu refellit S. doctor, præsertimque Romanæ, cujus episcopus *super SS. Petri et Pauli ossa veneranda offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria.* Honorem sanctorum reliquiis debitum probant miracula quæ Deus ad eorum sepulcra edidit, atque etiamnùm edit, cùm ipsi placet, ac supplicantium fides id meretur; oculis, et manibus, membrisque omnibus captis, in pristinum statum restitutis, mortuis ad vitam revocatis, ex corporibus hominum ejectis dæmoniis; quæ non legisse, ut multi, non audivisse, ut plurimi gravissimi viri, sed se vidisse, testes locupletissimi, SS. Ambrosius et Augustinus litteris prodiderunt. Ille in *Exhortatione virginitatis*, cap. 1 et 2, ubi de sanctorum martyrum Vitalis et Agricolæ reliquiis, et Epistolâ 22 Parisiensis editionis postremæ, ubi de inventione corporum SS. Gervasii et Protasii martyrum scribit; iste verò libro 9 Confessionum, cap. 7; et libro 22, de Civitate Dei, cap. 8, ubi et de S. Stephani protomartyris reliquiis nuper inventis multa habet, et de variis miraculis illarum virtute effectis. Et sermone 217 aliàs 92, *de Diversis*, qui quartus est de S. Stephano martyre : *Exiguus pulvis*, inquit, *tantum populum congregavit; cinis latet, beneficia patent. Cogitate, charissimi, quæ nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta præstat de pulvere mortuorum.* Quid multa? Si Apostoli Pauli sudaria et semicinctia, si umbra S. Petri, priusquàm vitâ per martyrium functi essent, depulerunt morbos, viresque restituerunt, ut Actuum 5 et 19 refert S. Lucas, quis negare audeat Deum per sacros cineres, ossa, cæterasque sanctorum reliquias similia miracula patrare? Id declaravit cadaver illud, quod fortè illatum in sepulcrum Elizæi, ejus tactis ossibus subitò revixit. (4 *Regum* 13.) Ex quibus Scripturæ sacræ locis honorem sanctorum reliquiis debitum probaverunt quarti seculi Patres, præsertim S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 18, et S. Hieronymus Epistolâ 53 ad Riparium, *De errore Vigilantii;* cujus ad finem se Ecclesiæ fidem propugnare disertè asserit. *Non tam*, inquit, *illius infidelitatem, quæ omnibus patet quàm vestram fidem aperuimus.* Secundùm hanc fidem, concilium Carthaginense V, canone 4, statuit, *ne altaria absque reliquiis martyrum exstruantur.* Quinam autem major sacrarum reliquiarum honos, quàm in altari condi, ubi Domino sacrificium offertur? Hanc fidem confirmaverunt septima synodus œcumenica Nicæa adversùs Iconomachos celebrata, et Tridentina sessione 25. Quæ episcopis omnibus, et cæteris docendi munus curamque sustinentibus præcipit ut fideles doceant juxta catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ usum, à primævis christianæ religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum conciliorum decreta, *sanctorum martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritûs sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur : ita ut affirmantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causâ sanctorum memorias frustra frequentari, omninò damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia.*

3. *Sanctorum invocatio primo Decalogi præcepto non prohibetur.*

Hæc propositio dogma fidei est, cùm Scriptura sacra et traditio, quæ Deum unum adorandum, illique soli serviendum ubique clamant; angelorum nihilominùs et sanctorum cum Christo viventium invocationem approbent ut piam atque utilem. Genesis scilicet 48 refertur, Jacob Patriarcham filiis suis benedicentem, sic precatum fuisse : *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis : et invocetur super eos nomen meum; nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac.* En invocationem expressam angeli, et sanctorum Patriarcharum defunctorum. Apocalypsis cap. 1, S. Joannes pacem fidelibus adprecatur ab angelis

thronum Dei cingentibus : *Gratia vobis et pax*, inquit, *ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Sic autem pacem ab angelis adprecari, quid aliud est quàm ipsorum patrocinium invocare, ut gratiam et pacem à Deo pro fidelibus postulent? Exodi 32, Moses Deo his verbis supplicat : *Recordare, Domine, Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurásti per temetipsum*, etc. Et 2 Paralipomenon 6, Salomon Deum orans, ait : *Memento misericordiarum David servi tui.* Deus ipse propter merita sanctorum beneficia confert hominibus, ut constat ex his verbis 4 Regum 19 : *Protegam urbem hanc, et salvabo eum propter me, et propter David servum meum.* Pium igitur ac utile est sanctorum merita coram Deo allegare, ut illius beneficia impetremus.

Præterea, sanctos pro nobis orare, Scriptura sacra docet, Jeremiæ cap. 15, ubi Dominus ait : *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ex quibus colligitur Moysen et Samuelem orare solitos pro populo Israel, non solùm dùm in terris viverent, sed etiam post felicem obitum. Machabæorum 2, cap. 15, Jeremias mortuus orare dicitur pro populo : *Hic est fratrum amator, et populi Israel. Hic est qui multùm orat pro populo, et universâ sanctâ civitate, Jeremias Prophèta Dei.* Sed et S. Petrus orationes suas ac patrocinium apud Deum fidelibus post obitum suum pollicetur, Epistolæ 2, cap. 1 : *Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Denique Apocalypsis 5 legimus quòd *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Id est, preces fidelium hìc in terris degentium, cœlites Deo offerunt, suoque patrocinio commendant. Quid verò prohibet, ut quos sedulò pro nobis Deum deprecari scimus, eorum etiam precibus concedi petamus, ut in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio? Certè non poterit fructus communionis sanctorum Ecclesiæ triumphantis nobis applicari, nisi per fidem, quæ piis votis ac desideriis excitanda est. Perinde autem est apud Deum, qui cordis inspector est, et precantis affectum, non structuram verborum examinat, sive dicamus : Scimus, maxime et optime Deus, Deiparam Virginem, S. Petrum, S. Stephanum orare pro nobis ; eorum itaque precibus concede, ut tuæ protectionis auxilio muniamur. Sive dicamus : Sancta Maria, Mater Dei, sancte Petre, sancte Stephane, orate pro nobis. Sed quantùm ad nos attinet, cùm sanctos nominatim invocamus, non solùm fidem, sed etiam mutuæ charitatis affectum exprimimus ; persuasum habentes, Deiparam Virginem, Apostolos et Martyres, qui adhuc in corpore constituti pro cæteris orare voluerunt, et potuerunt, nunc tantò magis *de nostrâ salute esse sollicitos, cùm de suâ sorte securi sunt, post coronas, victorias, et triumphos*, ut S. Cyprianus, libro de Mortalitate, et S. Hieronymus libro contra Vigilantium loquuntur. Ad quam rationem accedit consuetudo ab Apostolis accepta, et in Ecclesiâ Dei perpetuò retenta, et conservata, cujus testes sunt SS. Cyprianus, Epistolâ 57, Basilius, oratione in 40 martyres, Gregorius Nazianzenus, oratione 18 in S. Cyprianum, et oratione 20 de Laudibus S. Basilii ; Gregorius Nyssenus, oratione de Theodoro martyre ; Joannes Chrysostomus, homiliâ 45 de S. Meletio ; Asterius Amasenus, episcopus, in Encomio martyrum ; Ambrosius, libro *de Viduis*, cap. 9 ; Augustinus, libro 7 de Baptismo contra Donatistas, cap. 1, S. Cyprianum invocans, et passim in Sermonibus ; synodus Chalcedonensis œcumenica, cujus Patres actione 11 conclamárunt : *Flavianus post mortem vivit, martyr pro nobis oret.* S. Leo Sermone 1 de Natali Apostolorum Petri et Pauli ; Theodoretus, libro *de curandis Græcorum Affectionibus* Sermone 8, qui *de Martyribus* inscribitur, et alii. Itaque jure merito sacra synodus Tridentina sessione 25 pronuntiavit : *Sanctos cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre ; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare ; et ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Illos verò qui negant sanctos æternâ felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse ; aut qui asserunt vel illos pro hominibus orare, vel eorum ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi ; vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare, impiè sentire.*

Impiè igitur hæretici objiciunt supervacaneum esse sanctorum patrocinium, quòd Deus sine interprete precibus nostris occurrat. Multa enim Deus non concedit, nisi Mediatoris ac deprecatoris opera et officium accesserit. Quod illustribus Abimelech, et Job amicorum confirmatur exemplis, quorum peccata nonnisi Abraham et Job precibus condonavit. Genesis scilicet 20, Dominus Abimelecho sic de Abraham loquitur : *Orabit pro te, quia Propheta est, et vives.* Et Job ultimo sic amicos sanctissimi patientissimique viri compellat : *Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam ut non imputetur vobis stultitia.* Sic Joelis 2 jubentur sacerdotes inter vestibulum et altare supplicare pro populo, et dicere : *Parce, Domine, parce populo tuo*, etc. Sæpè etiam in Levitico dicitur : *Rogabit pro eo sacerdos, et dimittetur ei.* Hinc Deus Moysi pro populo Israel oranti ait : *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Quibus verbis significavit, *plurimùm apud se prodesse illo populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem si Dominus diligebat : ut eo modo admonerentur, cùm merita nostra nos gravant ne diligamur à Deo, revelari nos apud eum illorum meritis posse, quos diligit* (inquit S. Augustinus, quæstione 149 in Exodum). Paulus etiam Apostolus in omnibus penè Epistolis et se suis in orationibus sine intermissione memoriam facere eorum ad quos scribit, profitetur, et eorum vicissim orationes pro se et pro felici prædicationis evangelicæ exitu implorat. Jacobus denique Apostolus, cap. 5 Epistolæ suæ catholicæ, scribit : *Orate pro invicem, ut salvemini.* Porrò si supervacaneæ

non sunt Justorum in terris militantium orationes cùm pro aliis apud Deum intercedunt, multò minùs supervacaneæ sunt orationes sanctorum in cœlis regnantium ; eorumque patrocinium apud Deum adhibere, salutis nostræ rebus longè utilius erit. Unde S. Augustinus, sermone 320, aliàs 51, *de Diversis*, qui sextus est de S. Stephano, ait : *In cujus nomine faciebat antequàm carnem deponeret, in cjus nomine faciunt orationes ejus ut beneficia impetrentur, quibus novit ea dari debere.*

Frustra etiam quis objiceret, fieri inopiâ et imbecillitate fidei, ut sanctos internuntios et patronos adhibeamus. Nam pius ille centurio, cujus fidem singulari præconio Christus Dominus commendavit, dicens : *Non inveni tantam fidem in Israel*, seniores tamen Judæorum amicos suos ad Salvatorem misit, ut laboranti puero salutem impetrarent.

Verùm (inquiunt) solum Deum invocare licet, dicente Apostolo ad Romanos 10 : *Quomodò invocabunt in quem non crediderunt?* Unde S. Augustinus, libro 20, de Civitate Dei, cap. 10, ait : *Non erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostro. Ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur.*

Huic objectioni facilè respondetur, Apostolum loqui de invocatione Deo propriâ, quâ ipsum ut bonorum omnium ac nostræ salutis primum solumque auctorem appellamus, et pro ope suâ virtute impertiendâ interpellamus. Præmiserat enim Apostolus : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Sed hoc modo non invocamus sanctos, sed illos interpellamus ut Dei amicos ac ministros ; ut Deum, apud quem gratiâ ac favore meritisque plurimùm possunt, pro nobis orent, ut nobis laborantibus, suâ, non ipsorum virtute, opem afferat salutarem : quemadmodùm Apostoli Christum pro muliere Chananæâ deprecabantur, dicentes : *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Nomen porrò invocationis hoc etiam sensu congruè usurpari Scriptura sacra docet Genes. 48, ubi Jacob, filijs Joseph benedicens, ait : *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, et Isaac.* Eum autem qui sic invocatur, fidei nostræ objectum esse minimè necesse est ; alioqui sanctorum in terris viventium opem et patrocinium apud Deum expetere non possemus, quia in ipsos non credimus. Idem est S. Augustini sensus : sanctos enim martyres eâ solùm ratione invocari negat ut eis sacrificium offeratur. Unde subdit : *Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoriâ sacrificet eorum : quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi.*

Injuriam fieri Christo Jesu, qui *unus Mediator Dei et hominum* est, si sanctos velut mediatores nostros apud Deum interpellemus, absque ratione objiciunt hæretici. Quamvis enim solus Christus perfectâ ratione Mediator sit Dei et hominum, Mediator (inquam) redemptionis officio, quia *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, ut loquitur ibidem Apostolus, qui unus per sanguinem Patri cœlesti nos reconciliavit ; et qui *per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ ; et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis* (ut idem scribit ad Hebræos cap. 7 et 9). Sancti tamen inferiori quâdam et minùs perfectâ ratione sunt mediatores, nimirùm intercessionis suffragio, quatenùs pro nobis Deum orant, non proprio merito, sed meritis Christi Salvatoris nostri subnixi, per quem et ipsi et nos omnes accessum habemus ad Patrem. Hoc enim sensu justum quemque mediatorem dici posse docet Scriptura, cùm Moses Deuteronomii 5, dicat Israelitis : *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo ;* et Apostolus ad Galatas 3, scribat : *Legem ordinatam* fuisse *per angelos in manu Mediatoris*, hoc est in manu Moysis. Et certè si propterea subsidiis sanctorum uti non liceat, quòd unum patronum habemus Jesum Christum, nunquàm commisisset Apostolus, ut se tanto studio fratrum viventium precibus commendari et adjuvari vellet. Neque enim minùs vivorum preces, quàm eorum qui in cœlis sunt, sanctorum deprecatio, Christi Mediatoris gloriam et dignitatem imminuerent. Id totum S. Augustinus paucis verbis explicat libro 2 contra Parmenianum, cap. 8 : *Homines omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque Mediator est.* De quo S. Joannes Epist. 1, scribit : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum.* Sancti tamen pro nobis divinam misericordiam deprecantur ; pro se invicem omnia Ecclesiæ membra orant ; *caput pro omnibus interpellat* (inquit S. Augustinus tractatu 1 in Epistolam 1 S. Joannis). Verùm quidquid à Deo, adhibitâ sanctorum intercessione petit Ecclesia, totum illud Christi meritis se impetraturam profitetur et confidit, orationes suas his verbis absolvens : *Per Dominum nostrum Jesum Christum :* hâc de veritate persuasâ, quam S. Augustinus in Psalmum 108 litteris prodidit : *Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.*

Quâ autem ratione sancti necessitates nostras precesque cognoscant, non est curiosiùs disquirendum. Quanquàm enim viventium rebus *per naturam* interesse non possunt, intersunt tamen *per divinam potentiam*. Possunt referentibus angelis ea discere quæ hìc aguntur, et quæ unumquemque illorum nôsse debere judicat Deus, cui cuncta subjecta sunt. Possunt *Spiritu Dei revelante* cognoscere non solùm præterita, vel præsentia, verùm etiam futura, *quæ necessarium est eos nôsse*, et quæ ad eorum statum pertinent (ut ait S. Augustinus, libro *de Curâ gerendâ pro mortuis*, cap. 15). Ut ut est, probabilior est et recepta in scholis theologorum sententia, sanctos in Deo, quem vident sicuti est, preces ad se directas cognoscere, secundùm illud S. Gregorii, libro 12 *Moralium*, cap. 14 : *Quæ intùs omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credenaum*

est, quia foris sit aliquid quod ignorant. Hinc S. Gregorius Nazianzenus oratione 24 de S. Athanasio ait : « Ab « alto, rectè novi, res inspicit nostras. » Sanè, si *gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*, cœlestes cives nôsse quæ hîc aguntur, quantùm Deo placet ut noscant, minimè dubium est.

§ 4. *De cultu SS. imaginum.*

Quod dictum est : *Non habebis deos alienos coram me*, sequentibus verbis perfectiùs explicatur : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terrâ deorsùm, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque coles.* Quo præcepto pingendi, fingendi, sculpendique artem omninò prohiberi non est existimandum. Nam in Scripturis jussu Dei simulacra et imagines effictas legimus, Cherubim scilicet ac Serpentis ænei ; sed prohibuit Deus imagines statui ad cultum Divinitatis, quasi vel ipsa imago esset Deus, vel creatura per eam repræsentata, vel quasi aliqua imago veram Divinitatem exprimere posset. *Duplici autem potissimùm ratione, quod ad hoc præceptum attinet, Dei Majestatem vehementer lædi docet concilii Tridentini Catechismus. Alterâ, si idola et imagines tanquàm Deus colantur, aut credatur inesse aliqua in his Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ ; vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, quod passim sacræ litteræ reprehendunt. Alterâ, si quis conetur Divinitatis formam aliquo artificio effingere, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. — Quis enim Deum, qui sub aspectum non cadit, qui corporis expers est, qui nullis terminis circumscribi, nec ullâ figurâ describi queat, possit exprimere?* (inquit S. Joannes Damascenus libro 4 de Fide orthodoxâ, cap. 17). Quæres in septimâ synodo œcumenicâ, Nicææ celebratâ, actione 5, uberiùs explicatur. Præclarè igitur Apostolus ad Romanos 1 de gentibus ait : *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideriu cordis eorum... Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium : et coluerunt, et servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula.* Creaturas enim tanquàm deos venerabantur, qui creatarum rerum imagines ponebant. Quocirca Israelitæ, qui ante vituli simulacrum aureum clamabant : *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti*, illudque adoraverunt, meritò idololatræ sunt appellati, quia *mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.*

Cùm igitur Dominus deos alienos coli prohibuisset, ut venitùs idololatriam tolleret, imaginem Divinitatis ex ære duct, aut aliâ quâvis materiâ fieri prohibuit : quod Isaias declarans, cap. 40, ait : *Cui similem fecistis Deus, aut quam imaginem ponetis ei?* Qui scilicet spiritus est, et in omnibus est, et ubique discurrit, et terram quasi pugillo continet. Et infra : *Cui assimilâstis me, et adæquâstis? dicit Sanctus.* Hinc Moses populum avertere ab idololatriâ volens, Deuteronomii 4, ait : *Non vidistis aliquam similitudinem in die quâ locutus est Dominus vobis in Oreb de medio ignis : ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, atque reptilium quæ moventur in terrâ, sive piscium qui sub terrâ morantur in aquis. Ne fortè elevatis oculis ad cœlum videas solem et lunam, et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea, et colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.* Hinc Apostolus Atheniensibus Evangelium prædicans, Actuum 17, aiebat : *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus existimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis et cogitationis hominis, divinum esse simile.*

Hoc præcepto generali novatores volunt Deum prohibuisse usum et venerationem sacrarum imaginum, sed quantùm in eo aberrent à vero sensu Scripturarum et à sensu traditionis ecclesiasticæ facilè demonstratur. Etenim :

Christi Domini, Deiparæ Virginis, et omnium sanctorum imagines et habere, et venerari, grati animi certissimum argumentum est, et magnas utilitates affert. Siquidem libri sunt rudium et imperitorum ; et ad cognoscendum utriusque Testamenti historiam, atque ejus memoriam identidem renovandam plurimùm conducunt : quâ rerum divinarum memoriâ excitati, ad colendum atque amandum Deum vehementiùs accenduntur. Sanctorum quoque imagines in templis collocantur, ut eorum piè gesta in memoriam revocemus, eosque studeamus imitari. Cæterùm qui sacris imaginibus exhibetur honos, non est adoratio aut servitus, qualis exhibetur sanctissimæ Trinitati, sed cultus longè inferior etiam eo qui Christo, vel Deiparæ Virgini, aut sanctis exhibetur. Non enim imagines propter ipsas colimus, sed propter prototypa, ad quæ refertur hujusmodi honos, sicut salutatio exhibita regis imagini refertur ad regem, et genuflexio vel capitis inclinatio facta sanctissimo nomine Jesu, de quo dictum est ab Apostolo : *In nomine Jesu omne genu flectatur*, ad ipsam Christi Jesu Salvatoris nostri personam refertur. Unde S. Gregorius Epistolâ 54 libri 7 ad Secundinum inclusum datâ, qui Christi imaginem ab ipso postulaverat, scribit : *Valdè nobis postulatio tua placuit, quia illum toto corde, totâ intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum ; ut dùm picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras. Abs re non facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amans, videre conatur, si contigerit eam ad balneum, aut ad ecclesiam ire, statim per viam incedenti se præparat, ut de visione ejus hilaris recedat. Scio quidem quòd imaginem Salvatoris nostri non ideò petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante Divinitatem, ante illam prosternimur : sed illum adoramus, quem per imaginem aut*

natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur. Uno verbo et Christi Salvatoris imaginem, et crucem quam suo sanguine consecravit, ejusve figuras et signa veneramur, « non latriâ, sed habitudine » (ut loquitur septima synodus generalis), id est, eo cultu et honore qui ad prototypum referatur. Et cùm fideles coram Christi, Deiparæ Virginis, aut sanctorum imaginibus procumbunt, vel orant, non imagines ipsas, sed Christum coram imagine suâ adorant, Deiparam vel sanctos coram eorum imaginibus venerantur, Deum orant, sanctorum apud Deum patrocinium implorant, ut constat ex romano pontificali, in benedictione imaginum : *Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum tuorum imagines seu effigies sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur : hanc, quæsumus, imaginem in honorem ac memoriam beati Apostoli tui,* vel *martyris, confessoris,* aut *virginis adaptatam benedicere ac sanctificare digneris; et præsta ut quicumque* coram illâ *ipsum gloriosissimum Apostolum tuum,* vel *martyrem, confessorem,* aut *virginem suppliciter honorare studuerit, illius precibus ac obtentu à te gratiam in præsenti, et æternam gloriam obtineat in futuro : Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum* (1).

Honorem sacris imaginibus Christi, Deiparæ Virginis, et sanctorum debitum, traditione seu verbo Dei non scripto confirmatum asseruêre SS. Patres, vindicavit Ecclesia, quæ iconomachos illud fidei catholicæ caput impiè ac protervè negantes, illas frangentes ac evertentes, idolaque appellantes, damnavit, et anathemate confixit in septimâ synodo generali Nicææ congregatâ, Adriano I, romano pontifice per legatos præsidente, imperatoribus Orientis Constantino et Irene ejus matre, promoventibus, anno Christi.

Tridentina synodus eamdem traditionem secuta, Ecclesiæ fidem circa sacrarum imaginum usum ac venerationem confirmavit, declaravit, explicuit contra recentes hæreticos, his verbis, sessione 25 : *Imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam.* PASTORES DOCERE DEBENT. *Non quòd credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quòd ab iis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod conciliorum, præsertim verò secundæ synodi Nicænæ decretis, contra imaginum oppugnatores est sancitum. Illud verò diligenter doceant episcopi, per historias mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assiduè recolendis. Cùm verò ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solùm quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, et ad diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, anathema sit.*

§ 5. *Regulæ præsim spectantes circa sanctorum invocationem, sacrarum reliquiarum honorem, et imaginum venerationem.*

REGULA PRIMA. — *Cùm invocantur sancti, spes fiduciaque omnis in solo Deo collocanda est. Nec singulorum morborum curam ita singulis sanctis peculiariter assignatam esse existimare fideles debent, quasi ad eorum curationem aut levamen obtinendum alii suis apud Deum suffragiis nihil possint.*

Maledictus qui confidit in homine, etiam sancto, *sed spes omnis et fiducia in Deo reponenda est,* ut S. Petrus, Epistolæ suæ primæ, cap. 5 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Docenda est igitur plebs fidelis, ut Deo tanquàm omnis boni tam spiritualis quàm corporalis auctori suas preces offerat, sanctis verò non aliter quàm intercessoribus et patronis. Sicut ergo Asa, rex Juda, cùm ægrotâsset dolore pedum vehementissimo, non ob id reprehensus est, quòd medicorum opem implorâsset : cùm alibi dicat Scriptura : *Honora medicum propter necessitatem : etenim creavit illum Altissimus;* sed quia *in infirmitate suâ non quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est,* ut habetur 2 Paralipomeon 16. Cùm tamen absque Domini ope ne tantillùm quidem omnis medicorum ars valeat, sicut scriptum est Psalmo 87 : *Numquid medici suscitabunt, aut confitebuntur tibi?* Sic non in sanctis, qui divinæ medicinæ sunt adjutores, quatenùs animæ, corporisque sanitatem precibus suis impetrant fidelibus, qui ipsum implorant, sed in Deo et Christo, in cujus manu sunt vita et mors, *qui mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit, spes omnis ac fiducia ponenda est.* Non enim suâ virtute aut potestate morbos curant, eduntque miracula sancti, sive in terris viventes, sive regnantes in cœlo, sed Dei virtute, ut docet S. Petrus Actuum 3 : *Viri Israelitæ,*

(1) Cùm colitur imago, honorans vult exhibere et exhibet submissionem externam imagini ad protestandum exemplari affectum submissionis internæ propter ipsius exemplaris propriam et intrinsecam excellentiam ac superioritatem, atque ad interiùs profitendam ejus superioritatem per submissionem externam exhibitam ejus imagini, ad quam habet specialem habitudinem. Igitur in veneratione imaginis duplex intervenit affectus : internus submissionis, nempe affectus submissionis internæ, qui est actus voluntatis, quo voluntas affectivè se submittit alteri et ejus superioritatem affectivè agnoscit, et affectus submissionis externæ, qui est actus voluntatis imperantis signum externum submissionis internæ. Primus affectus ad solum exemplar, secundus verò immediatè ad imaginem, et per imaginem ad exemplar terminatur. P. Antoine, Th. dogmatica, tract. de Incarnatione, c. 7, art. 6.

quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum... Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidistis et nôstis, confirmavit nomen ejus et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm. Quamobrem non est existimandum sanctis certos morbos sanandi potestatem quasi viritim adscriptam sic esse, aut curationum dona ita esse, inter eos divisa, ut nihil alii possint in eorumdem sanatione morborum. Id enim à pietate, et Ecclesiæ sententiâ, usuque supplicationis alienum est. Piè tamen Dominum oramus, ut quemadmodùm olim ad preces sanctorum quosdam morbos depulit, ita eosdem ipsorum intercessione nunc pellat. Sic precari possumus Dominum, ut quemadmodùm, orante S. Petro, socrum ejus à febribus liberavit, ita nos à febrium ardoribus liberare dignetur. Si oratur Deus ut quemadmodùm intercessioni S. Rochi plurimos ab epidemiæ peste liberare in hanc usque diem dignatus est, ita nos à pestilentiæ morbo, et subitaneâ morte illius intercessione liberare dignetur. Hoc pacto spes sanitatis consequendæ non in S. Rochum, sed in Christum conjicitur, idque fide, per recordationem miraculorum, intercessione S. Rochi à Deo editorum, excitatâ. Sic in historiâ S. Agnetis virginis et martyris, Epistolâ primâ inter eas quæ ex Ambrosianarum numero segregatæ, et in appendicem rejectæ sunt in editione postremâ Parisiensi, Constantia Augusta Agnetem virginem precatur ad ejus sepulcrum, non ut vulneribus suis medeatur, sed ut pro se apud Christum sponsum suum intercedat. Subinde Agnes Constantiæ repentinâ somni suavitate correctæ respondet: *Constanter age, Constantia, et crede Dominum Jesum Christum Filium Dei esse Salvatorem tuum, per quem modò consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem.* Non sibi, sed Domino Jesu donum sanitatis Agnes tribuit. Et subdit auctor Epistolæ: *Quotquot credentes ad ejus sepulcrum advenissent salvabantur, quâcumque infirmitate detenti essent. Quod facere Christum nullus dubitat usque in hodiernum diem.* Sic cùm oramus ut quemadmodùm Deus animum Apolloniæ virginis et martyris confirmavit, ne contusione dentium à fidei confessione deficeret, ita et nobis, cùm dentium dolore vexamur, patientiam tribuat, nosque corroboret; non adscribimus S. Apolloniæ dentium medelam, sed Dei misericordiam imploramus, cujus in Apolloniâ speciem exhibuit. Doceantur itaque populares minùs docti, *ut cùm sanctorum memorias visitant, et eorum auxilium implorant, ac christianâ consuetudine orationem Dominicam recitant, intelligant se eam non ad sanctos, sed ad Deum dirigere adjunctis sibi comprecatoribus sanctis.* Decretum est consilii Cameracensis anno 1565. Quod est populo explicari jubet discrimen locutionis quâ usa est et utitur Ecclesia cùm invocatur Deus, et cùm invocantur sancti; in eâ enim facilè perspicitur alium esse cultum qui exhibetur Deo, alium qui sanctis defertur.

Regula II. — *Nulla nova miracula prædicanda sunt aut admittenda, nec novæ reliquiæ recipiendæ, nisi recognoscente et approbante episcopo: qui de iis simul atque aliquid compertum habuerit adhibitis in consilium theologis, et aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati et pietati consentanea judicaverit.*

Ita statuit sacra synodus Tridentina, sessione 25, idemque decernunt concilia Mediolanensia primum, quartum, et sextum sub S. Carolo Borromæo; synodus Turonensis anno 1583, Bituricensis 1584, Aquensis 1585, Tolosana 1590. Quomodò autem in eâ recognitione se gerere debeat episcopus, concilium Mediolanense IV, p. 1, cap. 2, explicat hunc in modum: *Scripta, tabulæ, litteræ, certi annalium codices, aliave cujusvis generis monumenta, quæ in iis ipsis Ecclesiis, earumve atriis, atque ædibus, aut aliis locis exstant, schedulæque vasculis arcisve sacrarum reliquiarum affixæ inclusæve recognoscantur accuratè et diligenter. Unde illarum vel translatio vel collocatio ibi facta cognosci, aut alia ejusmodi notitia earumdem haberi queat. Testes præterea conquiruntur, si qui sunt, qui testimonium dent antiquæ constantisque traditionis, ex quâ certa earum cognitio constet. Deinde ut singulæ ipsæ sacræ reliquiæ, quas exsture compertum est re ipsâ cernantur; ita tamen ubi sub altaribus, aliisve subterraneis ejusmodi locis, corpora sanctorum collocata reconditave sunt, nec ostium neque fenestra insit unde inspici queant, non aperiantur aut effodiantur, nisi ob causam aliter episcopus faciendum censuerit. Quâ omni recognitione factâ, diligentiâque adhibitâ, librum præcipuum certumque confici episcopus curet, in quo singulæ quæ in Ecclesiis et urbis et diœcesis sunt, reliquiæ sacræ rectè atque ordine describantur, notatis etiam diligenter, non solùm iis ipsis Ecclesiis ubi reconduntur, sed scriptis etiam, annalibus, tabulis, aliisve monumentis, è quibus illarum testimonium constet.* Jus autem illud recognitionis et approbationis sacrarum reliquiarum habent episcopi in Ecclesiis etiam regularium, aliisque quâvis immunitate aut privilegio donatis, ut declarat concilium Mediolanense 4, sub S. Carolo.

Inprimis autem Romani pontificis auctoritate et approbatione opus est, ut inventæ de novo reliquiæ venerationi fidelium publicè exponantur, ut declarat concilium Lateranense 4, sub Innocentio III, canone 62, et refertur cap. *Cùm ex eo*, extra. *de Reliquiis et Veneratione sanctorum.*

Regula III. — *Omnis abusus, omnisque superstitio in sacrarum reliquiarum expositione et cultu sedulò ab episcopis extirpari debet, caverique præsertim ne turpis lucri, sive quæstûs gratiâ exponantur.*

Ita statuit sacra synodus Tridentina, post Lateranensem sub Innocentio III, canone mox citato; item synodus Mediolanensis 1, et aliæ post Tridentinam celebratæ. Ad mentem horum conciliorum hæc sunt observanda:

1° *Incertæ reliquiæ in atrio, aut sub parietibus templorum, aut circa ipsa sepeliendæ sunt, ne populus christianus indebiti cultûs superstitione polluatur.*

Hanc regulam à Patribus acceptam secutus est

Amolo Lugdunensis episcopus, et Theobaldo Lingonensi episcopo tradidit, cùm de reliquiis incertis, à nescio quibus monachis delatis in basilicam Divionensem sancti Benigni martyris interrogatus esset : *Videtur nobis*, inquit, *ut ossa illa, quæ nullâ ratione, nullâ auctoritate, nescio cujus sancti esse dicuntur, unde primùm pruriyo hujus curiositatis exorta esse videtur, omninò de sacris adytis, et de loco celebri tollantur, et nequaquàm intra ecclesiam, sed foris in atrio, aut certè sub pariete, vel circa ipsam, vel quod utilius existimamus, circa aliam secreto in loco apto et mundo sub paucorum conscientiâ sepeliantur ; ut quoniam et sancta esse dicuntur, aliquid eis reverentiæ deferatur, et quia esse penitùs nesciuntur, nequaquàm rudibus populis occasio erroris et superstitionis existant. Nec metuere debemus ne fortè ex hâc diligentiâ aliquam offensionem incurramus. Vult enim omnipotens Deus nos in rebus suis cautos esse atque discretos, juxta præceptum Apostoli dicentis : « Omnia « probate, quod bonum est tenete ; ab omni specie mali « abstinete vos. »* Et iterùm. *« Nam et ipse Satanas « transfigurat se in angelum lucis. » Unde et Dominus monet dicens : « Estote prudentes sicut serpentes, et sim- « plices sicut columbæ. » Habemus in hâc re magnum et reverendum pietatis exemplum in gestis beati Martini, ut nequaquàm temerè adhibeamus incertis fidem. Qui beatus et gloriosus Christi confessor et pontifex locum quemdam à prædecessoribus suis sub altaris titulo consecratum, et concurrentis populi frequentiâ celebratum, quia nec nomen sepulti illic* (ut ferebatur) *martyris, nec tempora passionis ejus reperit, omninò se ab illo loco abstinuit nec auctoritatem suam vulgi opinioni accommodare ullatenùs voluit, donec rei veritate divinitùs sibi patefactâ, etiam populum superstitionis illius absolvit errore. Invenimus etiam in decretis B. papæ Gelasii graviter notari episcopos, et penè alienos à Christianitatis affectu designari, qui in quocumque nomine defunctorum, et fortassis nec omninò fidelium, ædificatas sacris processionibus auducter instituere præsumunt Ecclesias. Sed et quorumdam venerabilium valdè sanctorum corpora novimus, vel inter agrorum sepulturas, vel in angulo Ecclesiæ annis plurimis jacuisse, donec se dignis revelationibus manifestarent. Quapropter juxta apostolicam atque evangelicam auctoritatem, et venerabilia sanctorum Patrum exempla atque instituta, removeatur de medio, et congruendi modo habeatur unde tanta pullulavit occasio superstitionis, et nulla probatur existere utilitas salutis.*

2° *Reliquias unius sancti pro alterius reliquiis colendas ex industriâ proponere, ubi comperta falsitas, vel dubia res lethale peccatum est indebiti cultûs.*

Hæc regula firmatur verbis venerabilis Guiberti Novigentini abbatis, libro 1 de Pignoribus sanctorum, cap. 3, ubi de contentione Constantinopolitanorum, et Angeriacensium monachorum caput S. Joannis Baptistæ habere se jactantium, hæc habet : *Cùm constet id quod nusquàm geminari potuerit, alterutros habere non posse, perspicuum est hos vel illos plurimæ falsitati succumbere. Quòd si in hâc re quæ tota pietati commilitat, mutuâ ad se versum arrogantiâ mendacioque confligunt, pro divinis dæmoniaca agunt. Alterutri ergo qui decipiuntur atque decipiunt, idipsum profectò quo se jactitant, indebitè colunt. Quòd si indignum aliquid ab eis colitur, ecce quanto discrimini series ei obsequentium universa addicitur. Quòd si Joannis Baptistæ non est, alicujus verò sancti est, non mediocre tamen mendacii malum est.*

3° *Nullius peccati rei sunt, qui reliquias unius sancti pro reliquiis alterius bonâ fide colunt.*

Ita docet venerabilis Guibertus abbas Novigentinus cap. 4 ejusdem libri, § 2 : *Quæritur quoque ab aliquibus utrùm eorum reliquiæ cùm alteræ pro alteris honorantur, et non sint ejus cujus putantur, aliquid perniciosum colentibus importare credantur. Quod ego non æstimo, cùm enim Dominus de eis dicat : « Ut sint « unum, sicut et nos unum sumus, » cùm ipsorum universitas sub Christo capite sit quasi quædam identitas corporis, et unus cum Deo sit spiritus ipsi adhærentis, inter eorum ossa qui sancti sunt, non est error si alia pro aliis excolantur, qui commembres in sui auctoris corpore dignoscuntur. A quo sensu non discrepare videtur quòd quatuor Coronatorum festivitas sub aliorum quinque martyrum nominibus ex Romanâ auctoritate recolitur.*

4° *Nullius peccati reus est, qui bonâ fide illum invocat, quem sanctum esse certò credit, quamvis reverà sanctus non sit.*

Quia, inquit Guibertus abbas, *sicut Deum, qui eum, de quo est incertus exposcit, irritat ; ita eum, si fideliter sanctum illum credens, qui non est sanctus exoret, placat. Verbi gratiâ, ponamus aliquem qui eleemosynam putet esse peccatum : si ergo is scienter eleemosynam faciat, profectò ex conscientiæ intuitu peccat, cùm tamen aliorsùm verè sit bonum quod faciat. Ita planè si sanctum quis æstimet, quem sanctum quidem dici audiat, sanctum verò esse non constet, si eum vræcordialiter et secundùm fidem interpellet, apud Deum, qui causa et fructus est orationis, intentio tota defigitur, quocumque modo animus per simplicitatem super suo intercessore errare videatur ; et quod sub spe boni honoratur, nunquàm à boni remuneratione cessatur.* Qui tamen publicè aliquem invocaret, et coleret ut sanctum, cujus sanctitas à Romano pontifice ritu solemni vindicata non esset, lethalis peccati reus foret.

Regula IV. — *Sacræ reliquiæ in vasculis honestis et decoris recondi debent, et religiosè servari, nusquàm verò extra capsam aut loculum ostendi ; nec absque sacris ritibus, quibus fideles ad earum venerationem excitentur.*

Hanc regulam tradunt Innocentius III, cap. *Cùm ex eo*, extra. *de Reliquiis et Veneratione sanctorum*, synodus Mediolanensis IV, Bituricensis anno 1584, Aquensis 1585, et aliæ. A laicis cujusvis ordinis aut dignitatis hominibus tractari non decet.

Statuit verò synodus Mediolanensis IV, provincialis sub S. Carolo, quod et Aquensis, Avenionensis et Aquileiensis confirmant, *ut cùm ab ecclesiastici ordinis hominibus illæ cum suis loculis vasculisve suscipiuntur, ut vel populo ostendantur, vel in altari exponantur, vel in processionibus ferantur, primùm illis thurificatio adhibeatur, sicque in viâ ferantur, tunc acolythus sacerdoti illas ferenti præeat, qui item thurificet. Ne passim omni*

tempore, sed certis tantùm festorum dierum celebritatibus, utpotè in nativitate Domini, Epiphaniâ, Paschâ Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, et ejusmodi, festoque ipso die exponantur, ostendanturve, quo illius sancti, cujus reliquiæ sunt, ecclesiæ, in quâ reconditæ sunt, celebritas solemni festoque officio agatur; tum præterea quo die ob aliquam causam jusserit concesseritve. Cùm in altari exponuntur, hæc serventur : Primò in illis exponendis processio per Ecclesiam ab ejusdem clero agatur, certo luminum numero adhibito. Rursùs idem præstetur, cùm reconduntur. A sacerdote, qui post episcopum in illâ ecclesiâ digniorem sacerdotalem locum obtinet, nisi aliquando episcopus ipse id munus sibi obeundum censuerit, exponantur et recondantur. Isque superpelliceo, et stolâ, vel pluviali etiam pro reliquiarum, ecclesiæve ratione, indutus sit. Dùmque exponuntur, et item cùm reconduntur, hymnus canatur, tum antiphonæ, et alia ad hujusmodi rem accommodata, ultimoque loco oratio de Sanctis.

Dùm in altari expositæ sunt, candelæ saltem quatuor grandiores accensæ ibi colluceant : ad earumque custodiam adhibeatur qui semper assistat, unus, duove, sacris majoribus ordinibus initiati, iique moribus probati, ac superpelliceo induti. Horum verò clericorum, non laicorum operâ, ministeriove adhibito, liceat fidelibus, pietatis et religionis causâ, calculorum coronis sacrarum reliquiarum vasculo, loculosve attingere, quâ horâ episcopus concesserit. Sacris reliquiis, si sanctissimo Eucharistiæ sacramento non ita propè quidem eæ collocatæ sunt, ut illius lampade harum cultui satisfiat, lampas propria assiduè præluceat : nisi hanc impensam nimia ecclesiæ, et populi egestas, episcopi judicio non patitur. Cæterùm corporibus sanctorum, et reliquiis, episcopi judicio insignibus, lampas omnibus una semper colluceat.

Mulieres locis, quibus populo colendæ reliquiæ proponuntur, assidere vetant synodus Turonensis anno 1583, et Tolosana 1590. Ab ecclesiasticis personis, non à laicis in supplicationibus publicis deportari jubet synodus Bituricensis 1584, nisi fortè ex antiquâ et laudabili consuetudine Ecclesiarum et locorum ab illis concessum sit. Si quæ in privatis domibus sint, auctoritate episcopi ad Ecclesiam reduci decernit synodus Bituricensis 1584.

Regula V. — *Christiana plebs monenda est à pastoribus, ut ad Deum in sanctis suis laudandum, non ob miracula præcipuè, sanctorum memorias frequentet.*

Post tot enim miracula in primitivâ Ecclesiâ edita, alia postulanda non sunt. *Quisquis enim adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, quòd mundo toto credente, ipse non credit* (inquit S. Augustinus). Fidei ergo excitandæ gratiâ, non miraculorum præsertim intuitu, sanctorum memoriæ, et sacra pignora frequentari debent à fidelibus. *Quia verò plerùmque fit, ut vulgi concursu, populique clamore, aliquid pro miraculo, aut sacris reliquiis evulgetur, quod reverà non est, studeant summoperè episcopi, ubi ejusmodi occasio se obtulerit, ut primis illis vulgi clamoribus viè obsistant, donec rei veritas legitimè comprobata constet.* Ita sanxerunt concilia, Senonense anno 1528, Mediolanense IV, 1576, Aquense 1585. Denique *altaria, quæ per somnia, et per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum* constituerentur, omnimodè reprobari, jam olim decrevit concilium Carthaginense V, canone 4.

Regula VI. — *Nemini licet ullo in loco, vel ecclesiâ etiam quomodolibet exemptâ, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit.*

Decretum est sacrosanctæ synodi Tridentinæ, sessione 25. Porrò pictoribus et sculptoribus prohibere debent episcopi, ne quid inordinatè, aut præposterè, aut tumultuariè accommodatum, ne quid profanum, aut inhonestum pingant, aut effingant. *Domum enim Domini decet sanctitudo.* Rectores etiam Ecclesiarum, qui sacram aliquam imaginem insolitam suis in ecclesiis, etiam exemptis, poni permiserint, episcopi plectere pro arbitrio possunt, et censuris ecclesiasticis coercere.

Effigies jumentorum, canum, aliorumque brutorum animalium in ecclesiâ, pingere, vel sculpere vetitum est, nisi historiæ sacræ expressio, ex sanctæ matris Ecclesiæ consuetudine hoc postulet. Quamobrem S. Martini equo incidentis statuam in altari poni, minùs conveniens est, sed episcopi potiùs habitu effingi debet, qui status fuit ipius perfectior.

Imagunculæ illæ parvulæ, fictili opere effictæ, si ita fuco, alioque apparatu concinnatæ sint, ut episcopi judicio vanitatem præ se ferre, aut offensionem præbere videantur, ad altare ne adhibeantur. Crux, aut sacra imago, etiam in ecclesiâ, humi non exprimatur, aut in locis uliginosis, quæ picturam deformare possint. Si quæ sacræ tabulæ, imaginesve pictæ, nimiâ vetustate, carie, situ, aut sordibus penè deletæ, indecenti aspectu sunt, eas episcopus piâ, religiosâque picturâ, ab iis quorum interest, renovari jubeat : aut si id non potest, omninò deleri. Auferantur imagines historias apocryphas exprimentes, aliquidve Scripturæ sacræ, aut traditioni repugnans. Tabulæ sanctorum imaginibus expressæ, vetustate consumptæ, in vilem et sordidum, profanumque usum ne convertantur, sed ut de altaris pallis, ac velis temporis usurâ penè confectis sancitum est, in ignem conjiciantur; tum cineres in pavimenti fossis collocentur. Imagines quoque sacræ sculptæ, si deformatæ sint, amoveantur, et sub pavimento ecclesiæ, aut saltem sub cœmeterii solo collocentur. Novas imagines solenniter, statutisque precibus, ex Ecclesiæ ritu oportet benedici.

Hæc statuta sunt concilii Mediolanensis IV, Remensis, anni 1583, Turonensis eodem anno; Bituricensis anno 1584, Mexicani, libro 3, tit. 18, Tolosani anno 1590, cap. 11. Quod et indecorè vestiri, ornarive sacras imagines vetat; Avenionensis 1594, cap. 26. Mechliniensis anno 1607, tit. 14, Narbonensis 1609, cap. 7. Legantur et Instructiones S. Caroli Borromæi, de Fabricâ Ecclesiæ, lib. 1, cap. 17.

Regula VII. — *Sacrosanctam Trinitatem aliquibus figuris adumbrare licet : cavendum tamen ne Pater æternus sic humanâ specie sculpatur aut pingatur, ut*

rudi populo errandi detur occasio, existimandique Deum corporeâ formâ circumscriptum esse.

Hanc regulam tradit sacra synodus Tridentina sessione 25, ubi cùm præmisisset, *nullas falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes* statuendas esse, subdit: *Quòd si aliquando historias et narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus non propterea Divinitatem figurari quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.*

Idem confirmat concilii Catechismus, p. 3: *Nemo*, inquit, *propterea contra religionem atque legem quidquam committi putet, cùm sanctissimæ Trinitatis aliqua persona quibusdam signis exprimitur, quæ tam in veteri quàm in novo Testamento apparuerunt. Nemo enim tam rudis est, ut illâ imagine Divinitatem credat exprimi, sed illis declarari doceat pastor proprietates aliquas, aut actiones, quæ Deo tribuuntur: veluti cùm ex Daniele pingitur* ANTIQUUS DIERUM *in throno sedens, ante quem libri aperti sunt, Dei æternitas, et infinita sapientia significatur, quâ omnes hominum et cogitationes et actiones, ut de illis judicium ferat, intuetur. Columbæ verò species, et linguæ tanquàm ignis, in Evangelio, et Actis Apostolorum, quas Spiritûs sancti proprietates significent, multò notius est quàm ut oporteat pluribus verbis explicari.*

Cavendum tamen ne imperitis errroris detur occasio, putentque Deum corpus et humanam effigiem habere, esseque circumscriptum. Unde S. Augustinus, libro de Fide et Symbolo, cap. 7, explicans hæc verba Symboli, *Sedet ad dexteram Patris*, ait: *Nec ideò tamen quasi humanâ formâ circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat; aut idipsum quòd sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, in quo exsecratur Apostolus eos qui « commutaverunt gloriam « incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis ho- « minis. » Tale enim simulacrum Deo nefas est christiano in templo collocare: multò magis in corde nefarium est, ubi verè est templum Dei, si à terrenâ cupiditate atque errore mundetur.*

Tardiùs certè admissas in Ecclesiâ Dei Patris imagines, constat ex Origene libro 7 contra Celsum in fine, et S. Joanne Damasceno libro 4 de Fide Orthodoxâ, cap. 17, qui Christianos nullam Dei imaginem habere docent, utpote incorporei et invisibilis. Septima synodus nullas Dei imagines agnoscit, aut colendas præcipit, sed solùm Christi, Deiparæ Virginis, et sanctorum. Tridentina synodus imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam esse declarat: non meminit imaginum Dei Patris; uti nec forma professionis fidei à Pio IV præscripta. Nec mirum, quia non est tam certum in Ecclesiâ, an sint faciendæ imagines Dei, sive Trinitatis, quàm Christi et sanctorum: hoc enim confitentur omnes Catholici, et ad fidem pertinet; illud est in opinione (inquit Cardinalis Bellarminus, lib. 11 *Imaginibus sanctorum*, cap. 8). Hinc romanum pontificale ritum benedicendi crucem, imagines Deiparæ Virginis, et sanctorum præscribit, nullum benedicendi imagines Dei Patris. Hinc Abulensis episcopus Tostatus, Durandus, Peresius, Hesselius, imagines Dei extra Scripturæ sacræ historiam non probant. Tostatus in cap. 4 Deuteronomii, Durandus in 3 Sententiarum, dist. 4, Quæst. 2, ad quartum; Hesselius in Explicatione Decalogi, cap. 65. Sed in admittendis Patris æterni sub humanâ specie imaginibus, vel rejiciendis, prout fidelium utilitati et ædificationi conveniens esse, vel rudium et imperitorum multitudini periculosum, præsertim in Ecclesiis pagorum, esse perspexerint, romani pontificis in toto orbe christiano, et episcoporum in suâ cujusque diœcesi, esto judicium.

APPENDIX SECUNDA.

DE SANCTIFICATIONE DIEI DOMINICÆ ET FESTORUM.

Utrùm præter cessationem ab operibus vetitis et auditionem Missæ, aliquid insuper requiratur ad satisfaciendum legi.

In expositione tertii præcepti dictum est legem de sanctificatione diei Dominicæ considerari posse sub duplici respectu, quatenùs scilicet est negativa vel positiva. Sub eo secundo respectu controvertitur inter theologos quodnam sit illius objectum integrum: alii illud reponunt in solâ auditione Missæ, adeò ut, juxta eos, qui Missâ auditâ reliquum diem transigit in actibus profanis non specialiter vetitis, ut opera servilia, satisfeci: præcepto; alii autem volunt insuper requiri ut certum diei Dominicæ tempus expendatur in pia religionis seu charitatis exercitia. Ad solutionem difficultatis brevior methodus esset astruere præcipua argumenta utriusque opinionis quæ simul conferrentur discussione analyticâ; attamen cùm nostrum institutum postulet ut, quantùm fieri possit, integrum auctorum textum afferamus, gratum fore ac perutile lectori theologo judicavimus si utramque opinionem affirmativam et negativam successivè adduxerimus, qualem eam propugnant auctores, cum suis omnibus argumentis servato ordine et ipso textu; cum hæc prolata fuerint, unusquisque eam partem amplexabitur quæ sibi magis fundata apparebit.

Auctores selegimus Patuzzi et Billuart, quos præ cæteris hanc quæstionem majori studio perpendisse arbitramur. Patuzzi in suâ Theologiâ morali, t. 4, *de festorum Sanctificatione*, cap. 3; Billuart Theol. morali, *de Virtute Religionis*, dissert. 6, art. 8.

§ 1. *Sententia affirmans requiri alia pietatis exercitia præter Missæ auditionem ad satisfaciendum præcepto de festorum sanctificatione.*

(AUCTORE PATUZZI)

Præceptum de die festo colendo non merè negativum esse, imò de se primò et principaliter positivum, et superiùs diximus, et ipsa divinæ legis verba apertè indicant : *Memento, ut diem sabbati sanctifices. Illa autem* (inquit S. Th. 2-2, q. 122, a. 4, ad 3) *dicuntur sanctificari in lege, quæ divino cultui applicantur ;* et in corp. art. dixerat : *Dies septima mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum Deo.* Non igitur merâ cessatione à servilibus operibus festa sanctificantur, sed necessariò sunt ponendæ exteriores actiones, quibus Deo debitus reddatur cultus, exhibeatur honor et reverentia. Audiatur D. Joan. Chrysostomus, hom. 1 de Lazaro sic docens : *Judæi putabant sibi sabbatum otii gratiâ fuisse datum. Verùm non ista est causa, sed potiùs ut abducti à curis rerum temporalium, otium omne consumerent in spiritualibus. Quòd enim sabbatum non otii, sed spiritualis actionis materia sit, dilucidum apparet ex ipsis rebus. Nam sacerdos eo die duplum facit operis. Qui quotidiè nonnisi unicam hostiam offerre solitus, sabbato jubetur offerre geminam. Quòd si prorsùs esset otii dies, oportebat sacerdotem omnium maximè otium agere. Quoniam igitur Judæi non vacabant spiritualibus, ut puta sobrietati, modestiæ, et audiendis divinis sermonibus, sed è contra servientes ventri, indulgentes ebrietati, distenti cibis deliciantes, ideò eos reprehendit Propheta.* Hanc autem esse et Ecclesiæ doctrinam patet ex ipsius præcepto, quo jubet omnes fideles ad Missam integrè et devotè audiendam in diebus festis teneri, quod quidem præceptum non naturale est, nec divinum, sed ecclesiasticum, cùm Deus nullibi in Scripturis speciale opus in Dei honorem de necessitate exhibendum statuerit ; exceptis tamen cæremonialibus de sacrificiis duplicatis, et aliis, non perpetuò duraturis, sed quæ aliquando cessare debebant. Verum quidem est, Ecclesiam hoc suo mandato partem divini cultûs ex divinâ lege indictum statuere ; quapropter meritò dici potest, auditionem Missæ, prout pium sanctumque opus est, ad divinum, naturaleque præceptum pertinere ; atque tale opus ab Ecclesiâ præscribi.

Qui itaque à Missæ auditione ex aliquo capite præpediuntur, debent alio pio opere, et quidem exteriori, diem festum sanctificare. Hinc navigantes, infirmi, in carcere detenti vel quoquo modo impediti, debent diem festum in aliis operibus pietatis insumere, adeò ut verum sit ipsos diem festum sanctificare, id est, in Dei cultum insumere ; hoc enim indicit præceptum divinum, dùm dicit : *Memento, ut diem sabbati sanctifices*, id est, non partem, sed totum diem integrum debes divino cultui deputare, quod tamen intelligendum est de integritate non physicâ, sed morali. Quamobrem S. Augustinus serm. 25 de Temp. sic fideles monet : *Qui verò ad Ecclesiam venire non potest, saltem in domo suâ oret et non negligat Deo... reddere vensum servitutis.*

Itaque hoc præceptum non implent, nec sunt consulunt saluti fideles, qui unicâ contenti Missâ totum diem in rebus inutilibus et profanis, in ludis, cursibus, terunt et insumunt. Contrariam opinionem, quam tamen plures defendunt theologi, ab Ecclesiæ mente alienam meritò appellat Van Espenius de Jure Eccles. part. 2, tit. 17, cap 2, scribens : *Facilè apparet omninò à mente canonum et Ecclesiæ esse alienam quorumdam opinionem, qui arbitrantur præcepto de sanctificando die Dominico aut festivo satisfieri per unius Missæ privatæ, quæ semihoræ spatio absolvitur, auditionem, tametsi reliquam partem actionibus profanis et inutilibus impendant.* Et reverà summi pontifices et concilia ea omninò docent et prædicant, quæ toto cœlo ab hâc doctrinâ distant Nicolaus pontifex in resp. ad consulta Bulgarorum, cap. 10, docet *Dominico die à labore terreno cessandum, atque omni modo orationibus insistendum, ut quod negligenter per sex dies agitur, per diem Resurrectionis precibus expietur... ut liberiùs ad ecclesiam ire, psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memorias sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynam indigentibus ministrare valeat Christianus.* Et in canone *Jejunia*, distinct. 3, de Consecr. hæc jubentur : *Die Dominico nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum. Nulla operatio in illâ sanctâ die agatur, nisi tantùm hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus illa dies transigatur.*

Accedunt conciliorum innumera penè decreta, quæ Ecclesiæ mentem et doctrinam exponunt. Concilium Turonense anni 813, can. 42, statuit : *Die Dominicâ oportet omnes Christianos in laude Dei, et gratiarum actione usque ad vesperam perseverare.* Concilium Bituricense anni 1584, tit. 6, can. 4 : *Dominico die sit quies animi et corporis sancta, et ad Deum levata mens, et à terrenis abstracta : satis sint Christiano opera charitatis, orationes piæ, hymni, et cantica.* Concilium Aquileiense anni 1596, cap. 14 : *Tempus dici festi in audiendis concionibus, Missæ sacro, et divinis officiis ponendum est, non in commessationibus, multò minùs peracto prandio ad saltationes, et lusus declinandum : cum sit in Ecclesiam ad horas vespertinas divertendum, et nomen Dei concorditer devotè, vel silentii meditatione, vel vocis exultatione laudandum. Quod curabunt episcopi, curatorum diligentiâ populis inculcare.* Conc. Remense anni 1583 : *Diebus Dominicis et festivis parochus populum conveniat, ut Missæ, concioni ac Vesperis intersit.*

Idem docet et inculcat S. Carolus Borromæus in suo conc. III Mediolan. tit. de fest. dier. Cultu, ubi hæc habet : *Ut verò ii dies omni pietate et religione colantur, hoc crebrò populum parochi et concionatores admoneant atque hortentur, ut illorum dierum tempus, quod Deo, cjusque cultui debetur, in iis actionibus totum consumant in quibus sanctè consumendum sit, ut concionem in mane, sacram lectionem à prandio, ubi explicari solet, audiant. Ut divinis vesperarum præsertim officiis præsentes piè religiosèque adsint. Ut in christianæ doctrinæ rudimentis ac præceptis vel percipiendis, vel recolendis*

versentur. Ut in operibus etiam, officiisque pietatis se exerceant, ægros homines visitando, mœrentes piè consolando, et alia hujusmodi præstando. Denique, ut plura alia innumera, quæ afferri possent, statuta omittam, addam concilii Cameracensis anni 1604, tit. 4, cap. 1, doctrinam et decretum : *Ut abusus ille* (verba sunt S. synodi) *divino et ecclesiastico præcepto contrarius semel tandem penitùs aboleatur, quo se plerique existimant, probè suo functos officio, si Missâ etiam privatâ tantummodò diebus Dominicis et festis auditâ, reliquum diem profanationi, negotiationi, lusibus, choreis, potationibus, et aliis secularibus, vel etiam illicitis actionibus impendant, parochi suis subditis frequenter inculcent ea quæ in Catechismo Romano ad tertium præceptum Decalogi et aliis auctoribus de rectâ dierum festorum observatione traduntur.*

Et reverà Catechismus Romanus doctrinam Ecclesiæ exponens de festorum Sanctificatione hæc habet part. 3, § 25 : *Neque verò parochus prætermittere debet, ut diligenter doceat, quibus operibus atque actionibus christiani homines diebus festis exercere se debeant. Illæ verò ejusmodi sunt, ut ad templum accedamus, eoque loco sincerè piâque animi attentione sacrosancto Missæ sacrificio intersimus; divina Ecclesiæ Sacramenta quæ ad salutem nostram instituta sunt, ad animæ vulnerum curationem crebrò adhibeamus... Attentè præterea, diligenterque sacra concio à fidelibus audienda est. Nihil enim minùs ferendum est, neque tam perfectò indignum, quàm Christi verba contemnere, aut negligenter audire. Exercitatio item fidelium, studiumque in precibus, divinisque laudibus frequens esse debet. Præcipuaque eorumdem cura, ut quæ ad christianæ vitæ institutionem pertinent, ea diligenter addiscant, sedulòque se exerceant in eis officiis, quæ pietatem continent, pauperibus, et egenis eleemosynam tribuendo, ægros visitando, mœrentes, quique dolore afflicti jacent, piè consolando.*

Eamdem veritatem confirmant etiam nobiliores theologi. S. Antoninus, 3 part., tit. 9, cap. 7, § 4, scribit : *Sed quæri potest, utrùm quis abstinendo se à criminalibus, et operibus manualibus, per hoc solùm quòd non vacet divinis nisi audiendo Missam, vel non audiendo, quia non potest; sed per totum festum solatiatur, et ratiocinatur de otiosis, peccet mortaliter. Et videtur quòd sic, quia maximè cadit sub præcepto, quod est de intentione legislatoris. Sed ad hoc intentio legislatoris hujus præcepti de sanctificatione sabbati est, ut vacetur Deo. Talis autem non vacat Deo, quia etsi audiat Missam, illud valdè modicum est respectu totius diei; et modicum pro nihilo reputatur... Quod si verum esset, durus esset hic sermo, et multi præter suum credere, et commune credere damnarentur. Posset ergo ad argumenta responderi per quamdam distinctionem, quam ponit D. Thom., ad 2, q. 100, a. 9; dicit enim in resp. 1, 2.* « *Intentio legislatoris est de duobus : de uno quidem, ad quod intendit ver* « *præcepta legis inducere, et hoc est virtus : aliud autem* « *est, de quo intendit præceptum ferre, et hoc est quod* « *ducit, vel disponit ad virtutem, scilicet actus virtutis.* « *Non enim idem est finis præcepti, et id de quo præce-* « *ptum datur, sicut neque in aliis rebus idem est finis, et* « *quod est ad finem.* » *Hæc D. Thomas. Et hoc videtur posse dici, quòd quamvis intendat legislator finem præcepti, ut quid perfectius, non tamen intendat id ponere sub præcepto, quia multitudo, cui datur lex, non est subitò capax perfectionis, sed paulatim; sed intendat ponere sub præcepto id quod disponit ad illud, quod faciliùs est ad observandum; et sic abstinere ab operibus servilibus est de præcepto. Non vacare Deo pro majori parte diei tamen peccatum est.*

Consentiunt et Cajetanus in Summulâ, v. *Festum*, ubi hæc docet : *Licèt cum abstinentiâ à servilibus solius Missæ cultus sufficiat in festo ad evitandum peccatum mortale, tenentur tamen fideles diem expendere in divinis laudibus, saltem eundo ad prædicationem, et ad Vesperas. Unde qui post Missam festos dies vanè consumunt ludendo, jocando, otiosè vagando, aut venando, spectaculis intendendo, licèt ex ipsis operibus, utpote non servilibus, mortale non incurrant, ex omissione tamen divini cultûs, ad quem festa instituta sunt, graviter peccant, quia non reddunt quæ sunt Dei Deo; et quia, quantùm in se est, ridiculo exponunt christiana festa, juxta illud :* « *Viderunt eam hostes, et deriserunt sab-* « *bata ejus.* » *Et hoc præsertim tangit viros graves et majores, et dominos; cæteri namque eos imitantur.*

Et auctor operis Theoriæ et Praxis de Sacramentis in suâ morali Theologiâ, t. 4, de Virt. Relig., toto cap. 5, hanc veritatem pluribus argumentis confirmat. Et Petrus Ballarinus in notis ad S. Antoninum, part. 2, tit. 9, cap. 7, § 4. Necnon Turnelius de tertio Decal. præcepto, cap. 3, art. 1, conclus. 2. Nec desunt argumenta ex ipso naturali lumine petita, et à laudatis theologis exposita, vel indigitata. Nam, ut aiebat S. Antoninus, præceptum sanctificandi dies festos obligat ad vacandum Deo per illum diem. Porrò quis unquàm dicet, illum per diem festum vacare divino cultui, qui per solum dimidium horæ, quod vix quadragesimam octavam partem diei constituit, Deo vacaret audiendo Missam? Quis dominus servum, quis opifex mercenarium sibi per totum diem inservisse censeret, qui per solam dimidiam horam vel operi vel ministerio suo vacâsset, licèt per reliquum tempus nec aliis dominis servisset, nec pro alio vel pro se aliquid operis fecisset? 2° Qui in die festo per horam, vel etiam, ut nonnulli docent theologi, per duas horas servilibus incumbit operibus, saltem lethaliter, diem festum non violare censetur, quia modicum quid est ad totam diem. Quomodò ergo satis esse poterit ad totum dies sanctificandum spatium dimidiæ horæ? et non modicum, imò minimum reputandum ad totius diei sanctificationem? Nonne locum hìc habet, quod dicitur Proverb. 20, v. 10 : *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum?* Ex totâ itaque hactenùs traditâ doctrinâ hæc elicio consectaria.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Non est confundendum divinum et naturale præceptum sanctificationis festorum, cum præcepto de tali die sanctificando, et de Missâ in illo audiendâ. Primum præceptum obtinuisset, licèt nec Ecclesia

aliquam designâsset diem, nec ullum præcepisset homini pium opus tali die implendum. Oportuisset enim, ut homines et diem sibi præstituerint, in quo unicè divino vacarent cultui, et opera religionis exercerent et pietatis, quæ in Dei honorem cederent. Fingamus ergo nullum impositum ab Ecclesiâ mandatum de Missâ audiendâ; porrò in eâ hypothesi quis diceret satis esse ad impletionem præcepti Deo per dimidiam horam vacare, reliquum verò temporis in otiosis et inutilibus terere? Nullus profectò, nisi insipiens. Non sufficit ergo ad divini præcepti impletionem per breve dimidiæ horæ spatium Deo vacare.

Ex præcepto Ecclesiæ non tenentur fideles, nisi ad unius Missæ piam et devotam auditionem. Hoc quoque certum exploratumque est, tum quia nullum inter præcepta Ecclesiæ de sanctificatione festorum reperitur præceptum, præter præfatam Missæ adsistentiam. Canones verò, pontifices et concilia, quorum statuta, decreta et ordinationes attulimus, plura quidem indicant, consulunt et insinuant, pia officia, et religiosa opera, de nullo autem peculiare indicunt præceptum, et legem ferunt. Imò plura indicando, consulendo, suggerendo, ostendunt manifestè liberum esse fidelibus quæ maluerint eligere. Quòd si alicubi invecta sit consuetudo, ut vespertinis horis fidelis populus intersit, ad hoc pium opus tenentur quidem, non tam præcepto Ecclesiæ, quàm ipsâ consuetudine, quæ tractu temporis fortassis vim legis obtinuit. Illud tamen adnotandum cupio: Quando Ecclesia præceptum tulit de unicâ Missæ auditione, una tantùm, et quidem solemnis Missa in quâlibet habebatur ecclesiâ, quam vel comitabantur, vel constituebant longiores preces, repetita psalmorum et canticorum recitatio, vel cantus, Sacramentorum frequens ministratio, Evangelii explanatio, vel catechistica instructio; ideòque non breve unius dimidiæ horæ spatium, sed totum penè matutinum tempus implebat.

Ecclesia, Missæ auditionem præcipiendo, nec divinum præceptum immutavit, aut coarctavit, nec eam satis esse ad integrum diem sanctificandum declaravit. Primum omninò certum est, cùm non sit in Ecclesiæ potestate divina et naturalia præcepta coarctare, vel immutare. Secunda pars est pariter evidens; nullum extat enim decretum, nullus canon, nulla Pontificum, vel episcoporum definitio, quæ declaret solà Missæ auditione diem integrum sanctificari, et debitum Deo cultum integrè rependi. Imò Ecclesia oppositum semper docuit et in jure canonico, et in conciliis, et synodalibus statutis, et in catechismis ejus jussu et auctoritate editis ad fidelium instructionem. Id unum taque suo de Missâ audiendâ præcepto indicare voluit, nimirùm inter cætera pietatis opera ad Dei cultum in die festo peragenda, Missæ auditionem nullo modo esse omittendam. Cætera verò pietatis opera ideò non præcepit, non quia censeat prætermitti posse absque culpâ, hoc enim pacto divinum coarctasset præceptum, sed quia voluit fidelibus liberum esse inter multiplicia pietatis et religionis officia, ea præeligere, quæ sibi magis congrua, opportuna, salutaria prospexissent, non verò ut omninò omitterentur. Quod adhuc meo videri ineluctabili confirmo argumento: Fidelis populus tenetur ex divino præcepto in die festo à servilibus operibus vacare; ex præcepto verò Ecclesiæ satis est si Missam audiat; ergo per reliquum diei spatium ex mente et voluntate Ecclesiæ poterit impunè vacare ludis, comessationibus, vel saltem otio indulgere, quin diei sanctitatem violet. Porrò quis suspicari poterit eam fuisse Ecclesiæ mentem in præcipiendâ auditione Missæ, nimirùm tantum temporis spatium liberum christianis relinquere in turpi otio insumendum, quòd profectò meliùs assumpsissent in servilibus operibus, et manibus operando? Mens igitur et voluntas Ecclesiæ est, ut Missam quidem audiant ex suo speciali præcepto, ex divino verò mandato ea addant pietatis opera, quæ quisque maluerit, non verò ut omittant.

Non semper qui in aliquo festo solam Missam audit, est statim lethalis peccati reus habendus. Contingere enim potest, ut quis in loco versetur, ubi præter Missam nulla alia habeantur divina officia, vel publica pietatis opera, vel justâ de causâ, vel etiam urgente necessitate ab aliis operibus præstandis præpediatur. Quod quilibet debet in interiori conscientiæ suæ secreto, et coram Deo perpendere. Ideò puto S. Antoninum, et Cajetanum absolutè à qualitate et gravitate peccati definiendâ abstinuisse, contentos asserere, *non vacare Deo pro majori parte diei esse peccatum, et fideles ex omissione divini cultûs, ad quem festa instituta sunt graviter peccare.* At secùs dicendum puto de illis, qui ex merâ negligentiâ, atque acediâ, et unicè ut ludis, venationibus, choreis, comessationibus, vel etiam inerti otio indulgeant, et non quidem uno vel altero die festo, sed per totum annum, et fortassè toto vitæ tempore ex habitu et consuetudine, unâ brevi auditâ Missâ per totum diem de Deo, ejusque honore et cultu ne minimùm quidem cogitant. Nec audiendi sunt benigniores illi theologi, qui libenter quidem concedunt istos peccare contra alia vel præcepta, vel virtutes, minimè verò adversùs diei festi præceptam sanctificationem; cùm hoc, quàm falsum sit, ostendant omnia quæ in superiori capite retulimus argumenta.

Confessarii suo muneri non satisfaciunt, si pœnitentes non interrogent de observantiâ sanctificationis festorum, si fideles non moneant et instruant de præcepto naturali et divino, pia et religiosa opera exercendi, et si illos, qui ex negligentiâ et acediâ, et ex pravâ consuetudine integros dies festos otiosè insumunt, vel in profanis operibus terunt, à sacramentis non arcent. Et quidem interrogare debent, quia plerùmque vel ignorantiâ, vel ex pravâ opinione nullius criminis reos se esse putant, si à servilibus operibus feriantes unam Missam audierint, et reliquum diem otiosè transegerint; quod præcipuè contingit iis, qui parùm piè vivunt, et in lethalibus criminibus diutiùs sordescunt. 2° Monere debent diem festum esse sanctificandum, id est, in divino cultu insumendum, et secùs faciendo discrimini se committere transgrediendi

hocce præceptum, et de æternâ salute periclitari, cùm à Deo judicandi simus non juxta opiniones nostras, vel magistrorum, sed secundùm veritatem, et legem suam. 3° Debent illos, quos ex negligentiâ et acedià comperient dies festos in inutilibus et otiosis insumere, præsertim si hoc in more habeant nec emendationem polliceri velint, à sacramentis arcere, et absolutionem denegare; nam licèt sola auditio Missæ et abstinentia ab operibus ferialibus pro aliquo festo, vel tempore à gravi culpâ excusare fortassis possit, id tamen in more habere, et diutiùs ex merâ negligentiâ et acedià in eo perseverare à gravi culpâ excusare nemo sapiens et prudens audebit.

§ 2. *Sententia negans fideles ad aliud teneri diebus Dominicis, ultra cessationem ab opere servili et auditionem Missæ.*

(Auctore P. Billuart.

Dico 1°: Conveniens diei Dominicæ et festorum sanctificatio postulat ut fideles, præter Missam et cessationem ab operibus servilibus, verbum Dei audiant, vespertinis officiis intersint, actibus fidei, spei et charitatis, compunctioni cordis et contritioni vacent, atque in piorum librorum lectione aliisque religionis operibus sacros illos dies transigant, ita ut meritò sint reprehensibiles qui, cessatione ab operibus servilibus et solâ Missâ contenti, reliquum diem agunt in nugis, in deambulationibus, colloquiis profanis, negotiis secularibus, lusibus, spectaculis, choreis, venationibus et, quod pejus est, in compotationibus, comessationibus, ebrietatibus, impudicitiis, contentionibus et dissolutionibus.

Ita passim concilia provincialia, Turonense, Mediolanense, Aquense, Avenionense, Rhemense, Burdigalense, Bituricense, Aquileiense, Narbonense; item Nicolaus I, in responsione ad consulta Bulgar., cap. 10 et 11, can. *Jejunia*, dist. 3, *de Consecratione*; Catechismus Romanus, 3 p. in explicatione tertii præcepti § 25, quorum omnium textus leguntur apud Natalem Alexandrum infra citandum; item S. Antonin., part. 2, tit. 9, cap. 7, § 4; Cajet. in Summulâ, v. *Festum*, n. 30; Natalis Alexander, lib. 4, a. 6, reg. 10; Pontas v. *Dimanche*, cas. 1, et alii quotquot sunt exactæ disciplinæ assertores.

Patet etiam quia, præter jam assignata peccata et alia plura quæ hujusmodi christiani frequentiùs committunt diebus festis quàm aliis (quod sanè summopere dolendum est), præter scandalum quod inde oritur maximè in viris gravibus et superioribus, quia eos cæteri imitantur; præter omissionem Vesperarum, quam dicam modò venialem, est sanè improbanda perversitas directè agere contra finem Ecclesiæ, et dies quos ad Dei cultum et propriam salutem promovendam instituit, otio, næniis et, quod pessimum est, vanitati, crapulæ, luxuriæ, verbo dicam, ipsi dæmoni consecrare, sicque festa nostra ludibrio exponere, juxta illud Thren 1: *Viderunt eam hostes et deriserunt sabbata ejus.*

Dico 2°: Vi præcepti ecclesiastici, fideles non tenentur præfatis diebus ad actus interiores fidei, spei, charitatis aut contritionis: quia 1° hoc præceptum, ut dictum est art. 1, ex D. Thomâ, est tantùm de cultu exteriori (1); 2° quia hos actus nullibi leginus ab Ecclesiâ præcipi his diebus; 3° sensus et praxis communis est contraria.

Utrùm verò teneantur vi præcepti naturalis aut divini positivi, respondetur negativè, ubi de Virtutibus theologicis et de sacramento Pœnitentiæ ostendimus nullo fundamento talem obligationem astrui singulis diebus Dominicis et festis, sed hæc præcepta obligare duntaxat pluries in anno; quoties verò et quando præcisè, vix posse certò determinari.

Dico 3°: Non obligantur fideles vi præcepti ecclesiastici audire concionem diebus Dominicis et festis, licèt ex alio capite possint obligari.

Prima pars patet, quia nullibi legitur præceptum strictè ad id obligans, neque sensus communis fidelium id percipit.

Secunda pars etiam patet, quia si concio sit alicui necessaria, sive ad mysteriorum fidei cognitionem, sive ad morum compositionem, nec eam aliàs et alibi habeat, tenebitur ex præcepto naturali et divino diebus præfatis habitam audire: quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media huic fini assequendo necessaria.

Dices cum glossatore Summulæ Cajetani et aliis: Ex cap. 4 jam cit., sess. 24, concilii Trid. tenentur episcopi et parochi diebus Dominicis et festis solemnioribus annuntiare fidelibus verbum Dei: ergo

(1) In eo articulo 1, ad quem remittit Billuart, hæc leguntur ad explanandam doctrinam S. Thomæ, q. 122 art. 40: *Remotis per primum et secundum præceptum Decalogi veræ religionis impedimentis, nimirum superstitione, sacrilegio, perjurio,* etc., *consequens erat ut statueretur id per quod homines in verâ religione positivè fundarentur, et hoc est cultus divinus. Et quia, ad interiorem cultum, qui consistit in oratione et devotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritûs sancti instinctu, et insuper hujusmodi cultus interior primo et secundo præcepto Decalogi satis intelligitur requisitus (fides enim necessaria intelligitur his verbis: « Ego sum « Dominus Deus tuus, » et reverentia atque honos per hoc quòd dicitur solus Deus colendus, et nomen ejus non vanè assumendum), ideò conveniens fuit ut daretur legis præceptum de exteriori cultu; et hoc est tertium Decalogi: « Memento ut diem sabbati sanctifices... non « facies omne opus in eo. »*

Quia verò præcepta Decalogi sunt quasi quædam prima et communia legis principia, ideò in hoc tertio præcepto præcipitur exterior Dei cultus sub signo beneficii omnibus communis, scilicet creationis mundi, à quâ requievisse dicitur Deus die septimâ. In cujus signum dies septima mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum Deo. Et ideò, Exod. 20, præmisso præcepto de sanctificatione sabbati, assignatur ratio: quia « sex « diebus fecit cœlum et terram, et in septimâ die requie- « vit. »

Sed advertendum hìc cum Cajetano super hunc art. quòd, cùm audis S. Doctorem docere interiorem cultum non juberi hoc præcepto, sed exteriorem duntaxat, intelligendus sit de cultu interiori secundum se; talis enim non est hìc præceptus, sed est finis præcepti. Cum quo tamen stat quòd cultus interior, qui est conditio necessaria cultûs exterioris, prout cadit sub lege, sit in præcepto; tenetur enim audiens Missam in Dominicâ interiorem et exteriorem hominem cultui Missæ exhibere.

tenentur fideles his diebus audire verbum Dei, idque in suâ parochiâ ; correlativa enim debet esse obligatio, siquidem frustra tenerentur parochi concionari si nullus teneretur eos audire.

R. 1°: D. consequens : Ergo tenentur fideles his diebus audire verbum Dei, quatenùs id necessarium est ad observationem festi, nego ; quatenùs id necessarium est ad suam salutem, concedo. Et in hoc correlativa est obligatio parochi et parochiani, ut quando iste indiget, ille tenetur docere, et iste tenetur audire. Si autem non indigeat, quia vel scit, vel ab alio instruitur et corripitur, nulla est in parochiano obligatio audiendi, quamvis remaneat in parocho obligatio docendi ; quia semper præsumuntur plures indigentes : sic, v. g., in academiis professores stipendiarii tenentur docere volentes instrui, nullus tamen tenetur eos audire vel adire.

R. 2° quòd sicut parochi in his Tridentini verbis non apprehendunt sibi strictum præceptum singulis omninò Dominicis concionandi ; quot sunt enim inter timoratos qui absque scrupulo aliquoties omittunt ! ita nec parochianis debent imponere.

Inst.: Concilium ibidem subdit : *Moneatque episcopus populum diligenter, unumquemque teneri parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Ergo.

R. 1° Ut : ante concilium loqui de obligatione audiendi concionem quatenùs necessaria est ad scientiam salutis, non quatenùs necessaria est ad sanctificationem diei Dominicæ ; cùm ibi sermo sit de concionibus quæ habentur non solùm diebus Dominicis, sed etiam diebus ferialibus tempore Quadragesimæ et Adventûs, ut patet ex textu.

R. 2° : Ex hâc ratione et ex his particulis, *ubi commodè id fieri potest*, evidens est *id teneri* non importare strictam obligationem, sed decentiam tantùm et convenientiam respectu fidelium in genere. Respectu autem eorum quibus necessaria est concio ad salutem urget præceptum naturale, ut dictum est supra.

Dico 3° : Obligantur fideles sub peccato veniali adesse Vesperis diebus dominicis et festis : ita Pontas, v. *Dimanche*, cas. 2, cum Navarro et aliis ; quia sic fert consuetudo populi christiani ; nec est ullus saltem in his partibus qui aliquam obligationem audiendi Vesperas his diebus non apprehendat, minorem tamen obligatione audiendi Missam ; et ideò de hujusmodi omissione se accusant, distinguendo tamen inter omissionem Missæ et Vesperarum. Adde quòd tempore Vesperarum soleant prohiberi speciatiter mercatus, compotationes, lusus, spectacula, etc., quæ omnia indicant aliquam obligationem.

Dico 4° : Qui diebus Dominicis et festis abstinet ab operibus servilibus, et audit Missam neglectis aliis religionis operibus, quamvis sit reprehensibilis, ut dixi in primâ conclusione, satisfacit tamen præcepto de observatione festorum sic, ut non peccet mortaliter. Sat S. Anton., 2. p., tit. 9, cap. 7, § 4 ; et post ipsum Natalis Alexan., lib. 4, a. 6, reg. 10 ; Cajet. in Summâ, v. *Festum*, n. 30 ; Pontas, v. *Dimanche*, cas. 1, et communiter summistæ.

Sequitur ex præcedentibus conclusionibus, eamque probat S. Antonin. citatus, ex hoc D. Thomæ principio : *Intentio legislatoris circa aliquod præceptum est de duobus. Primum est ad quod intendit inducere per præcepta legis, et hoc est virtus ; aliud est de quo intendit præceptum ferre, et hoc est quod inducit vel disponit ad virtutem, scilicet actus virtutis : non enim idem est finis præcepti et id de quo præceptum datur, sicut neque in aliis rebus idem est finis et id quod est ad finem.* Post quæ D. Thomæ verba subdit S. Antoninus : *Itaque quamvis intendat legislator finem præcepti ut quid perfectius, non tamen intendit id ponere sub præcepto, quia multitudo cui datur lex non est subitò capax perfectionis, sed paulatim ; sed intendit ponere sub præcepto id quod disponit ad illud et quod est facilius ad observandum.* Hæc S. Anton. in præsenti materiâ : sicque abstinere ab operibus servilibus et audire Missam cadunt quidem sub præcepto de observationem diei festi ; at sanctificari per opera pia tam interna quàm externa, et iis vacare pro majori saltem parte diei, est finis Ecclesiæ præcipientis qui non cadit sub præcepto.

Quod sanè doctoris Angelici principium, communiter receptum, non satis advertunt qui agentem quodcumque opus à divino cultu abstrahens, statim violati præcepti reum inclamant, non distinguentes inter rem præceptam et finem præcepti, nec intelligentes cultum divinum præter cessationem ab opere serviii et auditionem Missæ, esse duntaxat finem præcepti, et non rem præceptam ; quod est alterum D. Thomæ principium de quo dixi art. 1 hujus dissert., conclus. 3.

Obj. in variis tum conciliorum cum pontificum decretis et in Catechismo Romano, plura alia pietatatis opera præscribi exercenda per totam diem Dominicam aut festivam : ergo. — R. plura quidem præscribi non quæ semper necessariò fieri debeant, sed quæ fieri convenit, ut dixi in primâ conclusione. Plura enim præscribuntur quæ certò constant non requiri necessariò ad festorum observationem, ut sunt pauperum sublevamen, ægrotantium visitatio, mœrentium consolatio et similia.

Confutatur singularis opinio Francisci Hennon.

Singularem opinionem hic defendit R. pater Franciscus Hennon, in Decalog., disp. 3, q. 1, conclus. 8, eum nempe qui, auditâ privatâ Missâ, reliquum tempus otiosè tereret, peccare mortaliter, non quidem contra legem ecclesiasticam, sed contra legem naturalem præcipientem totam diem sanctificare, nisi aliàs huic obligationi per hebdomadam satisfaciat. Et quamvis fateatur hanc suam sententiam non ita multos casuistas habere patronos, contendit tamen esse verissimam, et in conciliis, Patribus et ratione esse evidenter fundatam. Piam sanè religiosi viri intentionem laudo, at singularem ejus opinionem prorsùs infundatam et falsam evincam ex ipsius probationum refutatione.

Profert itaque 1° in probationem suæ sententiæ

concilium Matiscon. II sub Pelag. II, ubi canone 10 dicitur : *Sint oculi munusque vestræ toto illo die* (Dominico) *ad Deum expansæ*; Turon. 4 : *Die dominico oportet omnes christianos in laude Dei et gratiarum actione usque ad vesperam perseverare*; item. conc. Narbon., Aquense, Avemon., Bituric, Burdigal., ubi ostenditur debere christianum hymnis, canticis, orationibus, assistendo divinis officiis, Vesperis, concioni, etc., diem Dominicam transigere.

R. hoc argumentum ex omni parte nutare. Et 1° hæc sunt juris positivi, nec concilia laudata ullatenùs insinuant ea quæ præscribunt esse juris naturalis.

2° His sanctionibus eam adhibeo responsionem quam ipse Henno, conclus. tertiâ ejusdem quæst. adhibet Catechismo Romano eadem præscribenti, nimirùm *ibi non tantùm referri ea quæ fieri debent, sed ea quæ fieri convenit*, cùm recenseatur multa quæ evidens est non requiri necessariò ad diei Dominicæ observantiam, ut in concilio Burdig. pauperum sublevamen, mœstorum consolationem, etc., et in concilio Aquensi distinguatur inter Missam et Vesperas : sic ut de Missâ dicatur, *quòd sine gravissimi peccati culpâ prætermitti non potest*, de Vesperis autem, quòd iis interesse *maximè convenit*.

R. 3° hoc argumentum, si de obligatione strictâ intelligatur, nimis probare, adeòque nihil. Probaret enim totam omninò et integram diem Dominicam operibus pietatis esse impendendam : quod ipse adversarius in resp. ad objectionem quartam fatetur contra Juenin., *nec physicè nec moraliter posse intelligi; aliàs vix unus christianus obligationi suæ satisfaceret : unde putat non condemnandum illum gravis peccati qui ultra preces manè et vesperi recitari solitas Missam attentè et reverenter audiret, et postea Vesperis interèsset.* Sed dicat velim, quâ auctoritate aut quo fundamento doctor privatus jus naturæ, ut prætendit de totâ et integrâ die ad unam horam circiter restringat, qui tam amarè insurgit in eos qui ad semihoram restringunt; tantumne intercedit intervallum inter horam et semihoram, ut hora dicatur tota dies et non semihora? Sed audiamus rationem : *Quia*, inquit, *Ecclesiæ prælati etiam maximè timorati non videntur plus exigere.* Ita sanè : sed quia sic Ecclesiæ prælati etiam timorati, non in eâ sunt opinione quòd jus naturæ præcipiat totam et integram diem impendendi cultui divino ut contendit theologus Franciscanus*; alioquin non magis ipsi quam ipse cohærentia loquerentur.

Profert 2° in probationem suæ sententiæ auctoritates Patrum, et 1° S. Clementis papæ, lib. 2 Constit. Apostolicarum, cap. 63, ubi dicitur : *Quam excusationem afferre potest Deo qui hoc die non convenit ad audiendum salutarem de resurrectione sermonem... in quo Prophetarum lectio habetur et Evangelii prædicatio et sacrificium?* Citat insuper Justinum Martyrem, Apolog. 2 pro Christianis, ubi eadem ferè profert; et Nicolaum I, ad consulta Bulgarorum, cap. 10 et 11.

R. constitutiones quæ dicuntur Apostolicæ et sub nomine S. Clementis circumferuntur, juxta sanioris criticæ vindices, Bellarminum, Baronium, Albaspinæum, etc., esse apocryphas, doctrinam continere sive quoad dogma sive quoad disciplinam à doctrinâ Apostolorum et S. Clementis abhorrentem, ideòque et Apostolis et ipsi Clementi supositas. De quo vide Natalem Alexand., secul. 1, dissert. 1.

R. 2° dato hanc auctoritatem esse alicujus ponderis, nihil eâ importari præter auditionem Missæ in quâ et habebatur sermo et legebantur Scripturæ; neque enim tunc temporis erant communes Missæ privatæ sicuti nunc. Quòd si aliquid aliud prætendat Henno, ipsemet aut solvat, cùm in resp. ad quartam objectionem concedat, omisso sermone, satisfieri præcepto naturali per auditionem Missæ et Vesperarum, aut certè dicat eum non satisfacere qui sermonem de resurrectione non audierit. De S. Justino, cùm nihil speciale proferat, nihil speciale respondeo. Ad Nicolaum I respondeo ut supra conciliis respondi.

Profert 3° momenta à ratione. Primum : *In rei veritate non potest dici diem aliquam sanctificare, qui ad summum quadregesimam octavam illius partem sanctificat.* Ergo. Secundum : *Illa dicuntur sanctificari in lege quæ divino cultui applicantur*, inquit S. Thomas, 2-2, q. 122, a. 4; *sed qui totum diem Dominicum impendit otio, nugis*, etc., *exceptâ parte minimâ, non applicat illum cultui divino.* Ergo. Tertium : *Non censetur ille natalem regis celebrare qui, datâ recreationi semihorâ, reliquum diei tempus insumeret in studiis, negotiis*, etc. Ergo.

R. 1° has omnes ratiunculas niti falso supposito, nimirùm totam et integram diem, aut saltem majorem ejus partem, ex præcepto naturali esse cultui divino positivo impendendam. Falsum est, inquam, quàm maximè hoc suppositum, quòd nec leviter probat Henno, nec probari potest : quis enim evincet legem naturalem dictare unum ex septem diebus hebdomodæ integrum, aut pro majori parte, in continuis pietatis operibus necessariò et sub peccato mortali esse transigendum? Fortè proferet istud vulgatum Exodi : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* At id est juris positivi, neque his verbis importatur præceptum, sed finis duntaxat præcepti, inquit disertè S. Thomas. Sed quid moror? ultrò fatetur ipse Henno, in responsione ad quartam objectionem, hoc suum suppositum *neque physicè neque moraliter* posse intelligi; et ideò totam diem ad unam circiter horam reducit. Quò ergo tendunt ejus argumenta? Non sanctificat equidem totam diem qui semihoram tantùm applicat cultui divino, sed non tenetur ad talem totius diei sanctificationem, fatente ipso patre Henno, cui sufficit unius circiter horæ sanctificatio. Ad fortè sanctificare horam circiter unam, est diem sanctificare? Dic, sodes, quo revelante didiceris semihoram non constituere diem, unam verò horam constituere? Interim ego

R. 2° adversarii rationes in ipsum retorquendo. 1° *In rei veritate non potest dici diem aliquem sanctificare, qui vigesimam quartam partem tantùm sanctificat* : atqui, juxta patrem Henno, sufficit ad vitandum peccatum mortale sanctificare vigesimam quartam partem tantùm : ergo. 2° *Illa dicuntur sanctificari in lege*

quæ divino cultui applicantur, inquit S. Thomas, 2-2, q. 122, a. 4; *sed qui totum diem Dominicum impendit otio, nugis, exceptâ parte minimâ* (scilicet vigesimâ quartâ, juxta Henno), *non applicat illum divino cultui*: ergo. 3° *Non censetur ille natalem regis celebrare qui, datâ recreationi unâ horâ circiter, reliquum diei tempus insumeret in studiis, negotiis*, etc. Ergo.

Vides quomodò ipse se suo gladio jugulat theologus Franciscanus; nisi fortè dicat, ut jam notavi, semihoram additam semihoræ aut ab eâ substractam facere et non facere diem, sic, ut qui semihoram sanctificat diem non sanctificet, et qui horam sanctificat diem sanctificet; quod, ut jam innui, risu potiùs quàm seriâ refutatione foret dignum.

Me etiam non parùm movet quòd religiosus auctor in suæ singularis opinionis patrocinium, advocet S. Thomam, eo ipso loci ubi S. Doctor ipsi in faciem resistit; docet enim S. Thomam loco quem citat P. Henno sanctificationem sabbati per cultum positivum esse duntaxat finem præcepti et non rem præceptam: *In observantiâ sabbati*, inquit S. Doctor, *duo sunt consideranda, quorum unum est finis, et hoc est ut homo vacet rebus divinis, quod significatur in hoc quod dicit: « Memento ut diem sabbati sanctifices; » illa enim dicuntur sanctificari in lege quæ divino cultui applicantur.* Hæc ibi S. Thomas; alibi autem docet finem præcepti non cadere sub præcepto. In hoc ergo alucinatus est doctor Scotista, quòd non distinxerit inter finem præcepti et ipsum præceptum.

R. 3° etiam secundùm nostram et communem sententiam, diem aliquo sensu sanctificari, nempe cessatione ab operibus servilibus; hâc enim requie in memoriam requietionis Dei ab opere creationis assumptâ, ipsi Judæi sabbatum aliquo modo sanctificabant. Quòd si præterea cultum aliquem positivum requiras, etiam habetur in auditione Missæ. Aliquid autem plus, aliquâ lege etiam naturali in rigore requiri, gratis asseritur. Et, ut exemplo patris Henno iterùm contra ipsum utar, numquid ille censeretur diem natalem regis celebrare, qui per totam diem, clausâ officinâ, abstineret ab operibus suæ artis et per semihoram adesset principaliori recreationi propositæ, de cætero, otio, deambulationi, studio, litteris scribendis et similibus vacaret? Non aliter certè celebrantur festa profana.

Judicet modò lector utrùm hæc singularis opinio theologi Franciscani, pluribus aliunde titulis venerandi, sit *verissima et in conciliis, Patribus et ratione evidenter fundata.* Interim, citra cujuscumque offensionem, mihi liceat in hunc auctorem regerere verba quæ ipse, conclusione primâ ejusdem quæstionis, profert in rigidiores casuistas: *Sciant ergo illi qui sic pro libitu præcepta multiplicant, se etiam multiplicare peccata, et, sub prætextu obsequii Deo præstiti, illaqueare animas innumeris peccatis.*

Ita Billuart: integrum retulimus textum illius auctoris et alterius, nempe Patuzzi, ut lector habeat sub oculis et præcipua fundamenta utriusque opinionis, et modum quo pars affirmativa et negativa discussa fuit ab his theologis: nostrùm non est controversias inter doctores agitatas dirimere; id solùm notabimus in ordine ad praxim, non tantum dissidium esse quantum primo intuitu apparet. Non putamus patronos prioris opinionis accusaturos esse veluti peccati mortalis reum eum qui identidem non aliter sanctificat diem Dominicam quàm per auditionem Missæ. Collet, vir in moralibus minimè suspectus laxitatis, non eò usque progreditur, sed hæc tantùm dixit: *Graviter intra venialis peccaret qui mediam diei partem in otio tereret, ut ii faciunt quibus quæcumque occasio legitima est sese divinis ab officiis dispensandis causa.* Conf. Prælect. de tertio præcepto, n. 126. Ex aliâ parte patroni secundæ sententiæ censent graviter esse reprehensibiles eos qui ex pravâ consuetudine, tum per hebdomadem, tum per dies festivos, negligunt cultum divinum, et auditâ breviori Missâ quando præcipitur, reliquum tempus profanis negotiis vel otio absumunt; hi enim sin ob violationem tertii præcepti et legis ecclesiasticæ, saltem sub alio diverso respectu meritò arguuntur negligentiæ culpabilis in negotio salutis, et se infaustâ experientiâ probant alienos à vitâ christianâ. Hæc si simul conferantur, eadem ferè erit in praxi agendi ratio confessariorum, scilicet quantùm in se est, fideles hortabuntur ad pietatis exercitia per dies festos, at non severè eos reprehendent qui illa veluti opera supererogationis aliquando negligent, modò aliunde sub aliis respectibus non suæ saluti desint.

Nota: Mayol, col. 354, 356. quasdam habet assertiones circa determinationem operum vetitorum diebus festivis, quæ fortè multis paulò duriores videbuntur, nempe de operariis qui his diebus in chartâ delineant opera postea executioni demandandas, item de notariis qui etiam privatim conficiunt vel transcribunt contractus; de his et aliis similibus judicandum est juxta probatam locorum consuetudinem. Hujusmodi simplices delineationes artificum in chartâ, quales sunt architectorum, sculptorum, fabrorum, communiter permittuntur à theologis, quia licèt tendant ad opus servile, tamen in se non sunt inter opera servilia computandæ, quùm potiùs sint operationes animi quàm corporis. Ita Collator Andegavensis, *Commandements de Dieu*, conf. 9, quæst. 3; Billuart, de Religione, dissert. 6, art. 3 et alii. Quoad notarios qui conficiunt instrumenta contractuum, B. Liguori supponit, eos non peccare lib. 3, n. 286, hoc permittende consuetudine; ita etiam Collet de tertio præcepto, n. 26, Coll. Andeg., Pontas, verbo *Dimanche*; ii omnes non expressè declarant hoc licitum, sed eo modo loquuntur qui satis designat notarios non peccare, etsi salubrius esset et consultius si, extra casum necessitatis, ab eo abstinerent. Ratio autem est quòd cùm actus notarii non sit opus servile naturâ suâ, nec in jure legatur vetitus, fieri tutâ conscientiâ potest, nisi obstet locorum consuetudo, aut lex specialis.

Hæc, licèt non pertineant ad præsentem appendicem, datâ occasione, diximus ut locum teneant annotationis quam textui Mayoli adjicere volebamus.

APPENDIX TERTIA.

DE REVELATIONE SECRETI (1).

(EDITORES.)

Observatio secreti pertinet ad varia Decalogi præcepta juxta diversitatem bonorum quibus opponitur, prout damnum affert vel bonis fortunæ, vel honoris et famæ, aut bonis animæ; sed reduci modo generaliori potest ad octavum mandatum, quatenùs eo prohibetur implicitè omnis abusus linguæ noxius proximo. Ut quæstiones morales de secreto, quantùm par est, evolvamus, dicemus 1° de secreto generatim; 2° de obligatione servandi secretum; 3° De quibusdam consectariis ex illâ lege secreti deducendis.

§ 1. *Notiones præviæ de secreto.*

In præsenti appendice non tractamus de observatione illius arcani, quod ex sacramentali confessione habetur, hoc enim est supernaturalis ordinis, nec ad præsens attinet argumentum, et suo loco reservamus; sed illius secreti, quod naturale est, et solâ naturæ lege indicitur. Multipliciter autem aliquid arcanum vel secretum esse potest, nimirùm 1°, quia publicum non est, ut sunt plura crimina, quæ secretò committuntur; et hæc absque justâ causâ revelare peccatum constituit detractionis, de quo superiùs abundè diximus. 2° Quia tuæ fidei commissum est vel ad tui, vel ad dicentis utilitatem, scilicet vel ut audiens aliquod evitet periculum, vel ut dicens consilium quærat, et hoc dicitur secretum commissum. 3° Quia pollicitus es corde tegere, et arcanum habere quod audisti, et hoc dicitur secretum promissum: quòd si alter rem tibi sub secreto patefacit, et tu silentium pollicitus sis, tunc secretum dicitur et commissum et promissum. 4° Quia quod arcanum erat, sed non tibi commissum, cum injuriâ proximi rescivisti, ut cùm arcana amicorum per epistolæ aperitionem innotescunt. 5° Cùm illud fortè fortunâ sine alterius injuriâ comperisti.

Secretum custodire ardua res est, præsertim si cum vafris callidisque hominibus agendum sit, qui illud explorare satagant, nam quandoque ipsa vultûs mutatio, involuntarius rubor, tenax silentium, responsi denegatio, nisi arcanum manifestant, suspicionem tamen vehementem inducunt. Quamobrem qui secreta sua aliis prodere volunt, attentè perspiciant oportet et indolem investigent illius, in cujus sinum secreta sua effundere cupiunt, nùm 1° probus sit et pius; nam ut dicitur Proverb. 11: *Qui amtulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi; celat amici commissum.* 2° Nùm ingenii polleat acumine, quo valeat versipelles indagatores vel declinare vel fallere. 3° Nùm sit animo fortis et constans, ut nec minis ad revelationem terreri possit, nec blanditiis et pollicitationibus emolliri. Et contra nemo facilè secretum promittat, sed attentiùs consideret se onus sibi grave assumere, in quo facilè potest de suâ salute periclitari sive loquendo, sive tacendo.

§ 2. *De obligatione servandi secretum.*

Inquirunt theologi ad quam legem pertineat arcani custodia; alii eam revocant ad fidelitatem, alii verò ad justitiam. Hanc controversiam non difficile est componere; enimverò si agatur de secreto à naturâ rei, seu ad quod servandum nullo pacto tenemur, sed jure naturali, qui illud revelat, v. g., manifestando sine causâ sufficiente delictum occultum proximi, non peccat contra fidelitatem, cùm nullo modo silentium promiserit, sed violat charitatem et justitiam, qui injusta detractio opponitur. Si autem quæstio sit de secreto ad quod vi pacti obligamur, considerandum quæ sit natura hujus pacti, quali intentione sancitum fuerit, an partes voluerint se obligare justitiâ an solùm titulo fidelitatis. *Secretum simpliciter promissum* (seu cujus conventio subsecutâ est cognitionem rei quam promittens jam ipse viderat vel audierat), per se imponit obligationem fidelitas, ut omnes fatentur; omnis enim promissio seriò facta servari debet; sed quandoque vinculum justitiæ etiam inducit ex intentione promittentis. Quoties ea est voluntas contrahentis et permissio eodem sensu ab altero aeceptatur, nullum dubium est quin exurgat obligatio justitiæ; si autem illa intentio nec verbis nec aliis circumstantiis satis manifestetur, præsumendum est promittentem noluisse se obligare titulo justitiæ; nam gratuita promissio favorabiliter est interpretenda. Secretum, quod theologi vocant *commissum*, quia alicui committitur prævià conventione de eo servando, imponit per se ei cui traditur obligationem justitiæ proportionatam rei gravitati. Ratio est quòd tunc intervenit contractus onerosus, seu mutua et reciproca obligatio quæ ex sensu communi non est simplex obligatio fidelitatis, sed justitiæ; hoc secretum alicujus fidei traditum consideratur veluti depositum; porrò justitia vetat quominùs violetur depositum et quis utatur notitiâ rei quam non habet ut suam, sed ut rem alienam sibi commissam.

Quousque se extendat obligatio secreti sive titulo charitatis, sive titulo fidelitatis vel justitiæ, statuemus, per regulas sequentes.

Regula prima. — *De secreto à naturâ rei.*

Qui sine ratione sufficiente secretum revelat ex quo proximo damnum sequitur, sive in bonis fortunæ, sive in vitâ, famâ et honore, quocumque modo secreti notitiam sit adeptus, peccat lethaliter contra justitiam, et ad damna reparanda tenetur. Manifesta est hujus propositionis veritas, quæ probatione non indiget, sed declaratione. Qui furibus locum secretum,

(1) Vid. Molina de Justitiâ, t. 4, tract. 4, disp. 3, 4, 5, 6; De Lugo, de Jure disp. 14, sect. 9; Patuzzi de octavo præcepto, cap. 6.

ubi custoditur pecunia proximi, revelat, graviter contra justitiam peccat, et est restitutioni obnoxius. Qui ducum et principum arcana hostibus, revelant, pari pacto gravissimè contra justitiam peccant, et damna tenentur sarcire.

Dixi, *sine ratione sufficiente*, nam juxta ea quæ explicata sunt ubi de detractione, nemo tenetur secretum servare cum vitæ suæ dispendio, nec cum suo majori damno, quàm est illud quod ex revelatione sequeretur, custodire, nisi in boni communis detrimentum vergat. Manifesta est hujus quoque doctrinæ veritas; nam nemo tenetur magis proximum amare quàm seipsum, et alterius bono cum suo majori detrimento consulere. Fieri tamen potest, ut quis ex charitate erga proximum, et ob bonum ejus spirituale, tam grave onus assumat; nec peccabit contra ordinem charitatis, cùm quisque possit ex motivo charitatis, et ob bonum proximi spirituale vitæ temporalis detrimentum sustinere, ut superiùs ostendimus.

Regula II. — *De secreto commisso.*

Generatim loquendo, qui secretum sibi commissum, et ab ipso promissum revelat, graviter peccat, licèt nullum sequatur proximo detrimentum, sed sola injuria vel dedecus : nam in re gravi proximum injustè gravat, ac gravem illi infert injuriam. Secretum autem non solùm tunc commissum et promissum dicitur, quando alter secreti custodiam postulat, alter expressè pollicetur, sed etiam cùm tacitè quis ex officio suo aliorum secreta novit, uti sunt medici, advocati, chirurgi, theologi, obstetrices, quippe qui ex officio vel imposito vel spontè suscepto, arcanorum veluti depositarii constituuntur, et lege secreti adstringuntur, licèt nulla exterior præcesserit secreti vel commissio, vel promissio. De advocatis scribit S. Thomas hìc qu. 71, a. 3, ad 2 : « Advocatus si in principio credidit « causam justam esse, et postea in processu appareat « eam esse injustam, non debet eam prodere, ut sci- « licèt aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri « parti revelet. »

Dixi, *generatim loquendo ;* non potest modo absoluto statui legem secreti commissi semper obligare sub gravi, cùm identidem ea sit illius materia ut esse nequeat, nequidem vi intentionis contrahentium, objectum obligationis gravis; sed dici potest generatim hanc esse obligationem gravem præsertim si secretum alicui fuerit commissum ratione sui officii. Tunc enim independenter à materiâ et detrimento personali proximi in casu particulari, adest consideratio generalis petita ex ordine et bono publico societatis. Maximè interest boni publici ut grave sit depositum secreti sub custodiâ hominum, qui ex officio illud suscipiunt, ut omnes possint fiducialiter recurrere ad eorum fidem et prudentiam quando indigent consilio; atverò, si sub prætextu quòd materia sit levis, hi depositarii putarent se aut nullatenùs aut nonnisi leviter peccare secreta revelando, multùm læderetur illa fiducia, et non semel leve reputaretur quod grave est respectu eorum quorum refert; unde dicendum est generatim, gravis peccati reos esse censendos qui hæc secreta produnt.

Regula III.— *De secreto promisso.*

Qui secreti custodiam spontè pollicitus est, ad illud servandum tenetur, modò sub gravi, modò sub levi spectatis circumstantiis. Nam si aliquod sequatur ex revelatione damnum proximo, illud sub gravi custodire tenetur; si verò nullum damnum vel nocumentum profluat, sed solùm dedecus vel ignominia, adhuc sub gravi ad illius custodiam tenetur. Pari pacto, si negotium sit gravioris momenti, profectò arctiùs ad secreti custodiam, quàm si sit levioris, adstringit; quæ enim levia in se sunt, materiam esse non possunt gravis obligationis.

Nota 1°. Qui alterius secretum injustè rescivit, ejus, ex. g., litteras injustè aperiendo, si grave inde proximo consequatur damnum in vitâ, honore et bonis, tenetur etiam cum periculo vitæ secretum custodire. Nam injustitia in proximum commissa ejus secretum detegendo injusto modo, ilium jure suo, quo gaudet ne secretum suum manifestetur et in publicum prodeat, non privat; ipse verò, qui injustè alienum detexit secretum, in hanc necessitatem se spontè conjecit, quippe qui et prævidere et præcavere hujusmodi periculum et poterat et debebat. Excipitur tamen casus, in quo teneretur quis, cujus est res arcana detecta, eam manifestare ad vitam innocentis servandam, vel si injustè vexaret ipsum secretum rescientem; tunc enim iste vim vi repellere posset, ut licet uti gladio ad sui defensionem quem illicitè furatus est.

Nota 2°. Qui secretum, quod sub gravi custodire tenetur, vel uni revelat, graviter peccat. Huic regulæ contradicunt non pauci auctores, quos citant et approbant Salmanticenses, qui putant : *Posito quòd non cedat in alicujus famæ vel bonorum detrimentum, parùm refert quòd ab uno vel altero prudenti res sciatur, qui eam sub secreto sunt servaturi.* Verùm à positâ regulâ, tanquàm solâ verâ et certâ, puto non recedendum, opposità planè ratione, quia nimirùm non parvi, sed imo maximi refert, ne quis uni vel alteri secretum sibi commissum revelet; nam hoc pacto quolibet arcanum jam facillimè in publicum prodiret. Quandoquidem si mihi, qui sub gravi, ut supponimus, tenear secretum custodire, illum uni vel alteri pandere sine gravi culpâ licet, profectò hoc licebit et iis, quibus secretum revelavi, cùm majori non obstringantur silentii lege; poterunt igitur et isti uni vel alteri revelare, et sic de cæteris erit dicendum : en igitur secretum manifestatum viginti vel etiam triginta personis absque ullâ gravi secreti violatione. At hoc quàm contra communem sensum sit, nemo non videt : quamobrem vetus adagium est : *Res cæteras melius à pluribus custodiri, secretum melius à paucioribus.* Nec valet quod subdunt, nimirùm secretum aperiri uni vel alteri *prudenti*, quia illud sciet custodire; si enim tu, qui prudentissimus es, putas non graviter tibi illicitum uni vel alteri prudenti manifestare, et prudentes qui à te audiunt idem existimabunt, et sic prudentes qui sciunt custodire secretum, secretum prudentissimè manifestabunt. At quænam prudentia tua aliis manifestare, qui secretum custodiant, cujus tu custodiam putas minimè sub gravi

urgere, imò putas parùm referre, ut unï vel alteri reveletur? Excipiunt tamen, et meritò in suâ doctrinâ, non detegendum secretum illi, cui qui revelavit scis, vel prudenter censes voluisse specialiter celatum.

Regula IV. — *De conflictu legis secreti, cum necessitate vitandi grave damnum, vel removendi damnum nobis extremum, aut præcepto superioris.*

Nulla alia generalis regula potest assignari, in eo casu conflictûs, præter istam : Illa pars præponderare debet quæ magis favet bono publico omnibus attentis. Verùm cùm illud suâmet generalitate minùs inserviat in praxi, necesse est varias hypotheses percurrere. Itaque :

1° Si agatur de damno ipsi secretum spondenti imminente, non putamus eum teneri servare secretum cum suo gravi damno, nisi spontè ad illud se obligaverit. Pacta non obligant ultra intentionem legitimè præsumptam contrahentium; at qui suscepit secretum non in suî, sed in deponentis vel alterius commodum, non censetur voluisse se obligare cum tanto onere, et injustus profectò foret qui illud ei contenderet imponere; ergo, etc.; quantum verò quis subire debeat damnum ne prodat secretum, judicandum est attentis circumstantiis; minus certè requiritur pro secreto promisso quàm pro commisso; item minus si damnum immineat privato quàm si societati; in isto ultimo casu salus publica incunctanter anteponi debet nostræ saluti, et si quid grave malum passura sit societas, necessitas nobis incumbit mortem sustinendi potiùs quàm detegatur secretum.

2° Si agatur de damno avertendo nobis extraneo quod societati vel privatis, vel etiam ipsi qui commisit secretum, hæc tenenda : quando pactum secreti est incitativum ad crimen, vel aliqua criminis cooperatio, ut si quis postulârit secretum ut alter intersit alicui delicto vel adjuvet ad illud patrandum aut ei faveat suo silentio, res detegi debet; nam promissio fuit jure naturali invalida, ut patet. Quando autem pactum nullatenùs est incitativum ad crimen, attendi debet, saltem regulariter loquendo, quæ sit rationabilis voluntas committentis secretum; hæc autem meritò præsumitur esse ut servetur secretum quoties ipse illud servare potest, illæsâ tum justitiâ, tum charitate; è contra, si ipse sub gravi teneatur vel ab incœpto desistere, vel suam actionem manifestare, non potest rationabiliter exigere secretum ab alio. Hinc secretum nocivum ordini publico, ut puta de conspiratione quam moliuntur contra societatem, revelandum est; ratio boni publici prævalet conventioni inter privatos initæ... Hinc revelari etiam debet secretum graviter nocivum proximo, quando versatur circa crimen quod continuatur in detrimentum spirituale vel temporale proximi. Idem dicendum quando secretum est valdè nocivum ipsi qui illud tradidit; non potest rationabiliter exigere ut contra suam propriam necessitatem servetur. In his casibus præmittenda est correctio fraterna quâ avertatur à pravo proposito; verùm, si aut impossibilis sit, aut nihil proficiat illa fraterna correctio, qui secretum habet potest tutâ conscientiâ, imò tenetur illud revelare in quantum necesse est ad propulsandum damnum. Nam vel jam noverat pravas machinationes proximi antequàm sponderet silentium, vel illam notitiam accepit sub prævià conventione eas silendi; in primo casu, nulla est difficultas; statim enim ac novit damnum quod injustè parabatur societati aut privatis, charitas ipsi imposuit obligationem illud modo quocumque justo avertendi, ac proinde manifestatione occultorum, si necesse erat; porrò pactum postea initum non potuit derogare huic obligationi naturali; loco igitur principii statuendum, aliquem esse obnoxium oneri revelandi quoties, ante promissionem et independenter ab eâ, aderat obligatio charitatis auxiliandi proximo, sive qui postulavit secretum, sive tertio, per revelationem. In secundò autem casu idem generatim dicendum; nam nemo potest alteri imponere obligationem silentii quæ latiùs extendatur quàm jus quod habet ut res maneat occulta; atverò supponi nequit jus ad occultationem in eo qui malum societati, aut privatis, aut sibi machinatur, nec ab incœpto vult desistere; ergo nihil sub eo respectu obstat quin secretum detegatur ab eo cui fuerit commissum.

Hæc decisio communiter datur; tamen limitanda aliquando foret, in casu quo secretum non spectat societatem sed privatos, et susceptum fuerit in exercitio professionis. Tunc pensandum est quantùm vergeret in detrimentum boni publici, si homines scirent hæc secreta posse revelari : nam præceptum subveniendi innocenti, vel alterius cujuscumque detrimentum avertendi, non obligat cum gravi societatis nocumento, et majus bonum resultans ex inviolabilitate horum secretorum postulat ut illius intuitu permittantur mala privata.

3° Quando lex silentii concurrit cum præcepto superioris qui revelationem imperat, ob motivum aliquod boni publici vel privati, hæc verisimiliora videntur. 1° Potest et debet revelari secretum promissum, quia eo ipso quo viis justis obtenta fuit notitia rei, societas jus acquisivit obtinendi revelationem, si sit necessaria; huic juri non valent derogare pacta subsecuta. 2° Non potest revelari secretum commissum in exercitio professionis vel titulo specialis prudentiæ; omnibus enim ponderatis, magis societatis interest ut illa secreta serventur. 3° Videtur regulariter revelandum esse secretum conversationis, animi levitate et sine necessitate commissum; nam bonum publicum non tantoperè requirit ut foveatur fiducia pro hujusmodi secretis, unde obligatio resultans ex pacto ea servandi eliditur per præceptum superioris; juri societatis subjacent omnes privatæ conventiones. 4° Quoad secretum titulo amicitiæ alicui commendatum, si non ageretur de damno avertendo, sed tantùm de plectendo crimine, prodi non deberet, judice præcipiente; ita satis communiter societas alia media habet detegendi veritatem quæ ei sufficiunt ad suum scopum obtinendum, et talis proditio foret maximè odiosa.

§ 3. *Consectaria doctrinæ præcedentis.*

Inter multa consectaria quæ deducenda sunt ex principiis positis, quædam seligemus majoris momenti, nimirùm circa usum restrictionum mentalium, apertionem litterarum, etc.

1° Necessitas servandi secretum, legitima est ratio utendi restrictione latè mentali, qualis fuit explicata in tractatu Mayoli; ibi enim dictum est licere uti hujusmodi restrictionibus, quamvis sensus à loquente intentus sit obscurus, et ipse loquens intendat celare veritatem modò subsit gravis causa; hæc autem causa certè reperitur in necessitate servandi secretum. Vel enim aliquis ad illud tenetur vi pacti vel lege charitatis : si prius, sensus loquentis sufficienter cognosci potest ab eo cui dirigitur sermo, modò attendat ad illam circumstantiam, si noverit pactum secreti intercessisse, vel ad principia usu apud probos recepta. Ponamus, ex. g., aliquem interrogatum de re aliquâ quam silere tenetur, respondere simpliciter, *nescio;* hæc responsio non reputatur mendacium, nam inter viros probos, nec interrogatio nec responsio attingunt res quæ ex solâ secreti communicatione cognoscuntur, vel quæ revelari nequeunt nisi violatâ fide datâ, aut illato injustè damno alicui; hujusmodi rerum notitia vel non est in commercio humano, aut supponi non debet communicanda; ergo sic ratiocinari possumus : Ad veritatem responsionis sufficit ut censeatur meritò facta ad mentem interrogantis; atverò qui lege silentii obstrictus declarat se nescire, respondet ad mentem interrogantis; ille enim profectò novit ea solùm sciri notitiâ sibi communicabili, quæ manifestari possunt illæsa à fide datâ, et si quid ulteriùs quærere præsumat, non ignorare debet alterum jus habere occultandi veritatem sub tali restrictione; ergo sibi imputet si inde fallatur. Ita à fortiori dicendum, si occurrat specialis circumstantia. ut conditio consiliarii, legati, vel professio cui annectitur depositum secreti, ut medici, advocati, etc. Si posterius, seu lege solâ charitatis teneatur ad silentium, idem dicendum et eadem applicanda sunt principia; nullum certè periculum procreabunt illæ restrictiones latè mentales, quoties ad hunc finem adhibebuntur : imò convenientissimum erat ut illa via restaret injustè oppugnato ad celandam veritatem quæ manifestata proximo nocumentum afferret; circumstantia injustæ vel indiscretæ quæstionis, mos apud probos receptus ea occultandi quæ non illæsâ charitate panderentur, abundè sufficiunt ut audientes possint, si seriò attendant, vitare errorem.

2° Non licet ab alio secreti commissi manifestationem vel blanditiis, vel promissis, vel subdolis interrogationibus et suggestionibus extorquere. Nam si ille, qui secretum sibi commissum revelat, graviter peccat, profectò ejusdem culpæ particeps est, qui illum ad secreti manifestationem inducit, cùm ad peccandum pertrahat, et incitet. Nec excusatur ut putant Salmanticenses, si ita extorquens, secreti manifestationem habeat in proposito illud apud se custodiendi. Nam, sicut superiùs diximus, non licere uni aut alteri, etiam prudenti, qui sciat tacere, commissum secretum revelare, ita nec cuicumque prudentissimo licebit secreti manifestationem extorquere, cùm sine peccato esse non possit revelatio secreti. Tunc verò solùm licebit secreti manifestationem extorquere, cùm sine peccato esse non possit revelatio secreti. Tunc verò solùm licebit alia secreta expiscari, quotiescumque id postulet vel bonum commune, vel etiam privatum, sed gravioris momenti, puta ut quando eligendi sunt præpositi, pastores, parochi, qui communitatem regere debent, vel quando quis postulet ingredi religionem, vel ineundum est matrimonium : tunc enim his, quorum interest, licitum est inquirere si quæ sint etiam occulta impedimenta, quæ obesse possint vel acceptationi in religione, vel celebrationi matrimonii. Si quæ tamen detegantur, quæ revelata aliis vel damnum vel injuriam afferant proximo, sunt sub naturali sigillo accuratè custodienda.

3° Non licet alienas litteras obsignatas aperire et legere, nisi qui eas aperit vel polleat potestate, vel legitimâ moveatur causâ. Et primò quidem non licere, imò esse ex se lethale peccatum alienas epistolas aperire, et legere communiter docent theologi; nam ipsum, quo obsignatæ sunt litteræ, sigillum ostendit, secreta esse debere ea quæ ibi continentur, et quilibet jus habet, ne suum secretum detegatur. Nec audiendi sunt theologi illi, qui docentes non graviter peccare, qui alterius crimen occultum uni vel alteri revelat, ita cohærenter docent non lethaliter peccare, qui unius vel alterius epistolas aperit, licèt crimen infamatorium in eâ contineatur, dummodò tamen nullum ex tali aperitione et lectione detrimentum patiantur, qui scripsit, vel ad quem datæ sunt : nam quemadmodùm, ut superiùs ostendimus, reus est gravis detractionis qui uni vel alteri secretum revelat, ita reus est lethalis culpæ, qui unam vel alteram aperit epistolam. et præsertim si grave alterius crimen ex eâ prodeat; nam præter infamiam proximi, et injuriam detecti alterius secreti, nova etiam est injuria in modo detegendi, quod proximo graviter displicere potest. Addidi, *nisi qui aperit epistolam potestate polleat*, cujus modi sunt omnes regularium superiores, sive id in Constitutionibus præcipiatur, sive non; cùm superiores omnes jus habeant ea resciendi, quæ ad bonum commune, sive privatum suorum religiosorum pertinent. Non possunt tamen legere litteras à subditis ad superiores, vel ab istis ad ipsos missas. Item parentes valent filiorum et filiarum, quæ sub patriâ potestate adhuc detinentur, secreta cognoscere, et litteras aperire. Idem possunt et supremi principes, et bèlli duces, quotiescumque id ob publicum bonum expedire existimaverint. Subdidi : *Et nisi legitima adsit causa legendi*, quæ hujusmodi sunt, 1° consensus illius, qui vel epistolam mittit vel recipit, cùm isti possint, cui voluerint sua secreta revelare, et volenti et consentienti nulla fiat injuria, qui consensus licèt expressus non sit, sufficit si sit prudenter præsumptus, puta quia maximâ intercedit cum scribente, vel recipiente epistolam necessitudo, et amicitia, vel postulat neces-

sitas, vel convenientia, vel tales occurrunt circumstantiæ, ut prudenter existimetur cui interest præbiturum consensum. 2° Justa defensio, si nimirùm quis prudenter et urgentioribus motus argumentis suspicatur in epistolâ ea contineri, vel renuntiari, quæ sibi magno damno esse possunt, ad illud avertendum poterit litteras aperire, et notitiâ uti ad suî defensionem; sicut licet gladium vel vi extorquere, vel clàm subtrahere ab inimico, quo me ferire vel tentat, vel machinatur. Cavere tamen debet, ne justæ defensionis limites transiliat, ea solùm legendo, quæ ad finem sunt necessaria, et quæ lecta sunt, et cognita, si ita postulent, secretò custodienda. 3° A gravi culpâ etiam excusant plures theologi, inter quos et Concina, illos, qui alienas aperiunt litteras, in quibus nihil contineri, quod sit alicujus momenti, prudenter certò arbitrantur, solius curiositatis, vel risûs causâ, ob rudem, vel lepidum scriptionis modum. Cavendum tamen et à veniali peccato, quod certè committitur, et forsitan à graviori, si fortè illi cui interest hujusmodi curiositas vel risus acriter displiceat.

Alienas epistolas in proprio cubiculo relictas etiam apertas, vel fortuitò amissas, vel in ignem projectas et inde extractas, seu laceratas, et collectis fragmentis unitas legere, culpâ non vacat; nam omnes hujusmodi epistolæ adhuc naturale secum secretum afferunt, quod violare nefas est. Nùm verò culpa gravis, vel levis sit, puto ex circumstantiis, motivo, et fine colligendum; si enim qui legit suspicetur in illâ aliqua contineri, quæ occulta esse debent, et scribens vel recipiens nulli comperta esse vellet, et ipse expiscari velit, absque gravi culpâ legere non potest. Si verò solâ levitate, vel curiositate legeret, nec quid arcani in eâ contineri suspicaretur, fortassis solùm levis culpæ reus esset; si quid tamen reperiret quod esset tegendum, ad secretum custodiendum teneretur. Epistolas verò spontè in publicum locum, vel ad communem usum relictas legere, nullum erit peccatum, cùm manifestè appareat, illos, ad quos pertinent, vel cedere juri suo, vel nihil in illis contineri, quod secretum mereatur.

APPENDIX QUARTA.

DE ABSTINENTIA ET JEJUNIO.

(AUCTORE P. BILLUART.)

Series rerum postularet ut post explanationem decem Decalogi præceptorum, specialem aggrederemur tractatum de præceptis Ecclesiæ; verùm cùm de eis agatur in variis theologiæ partibus, præsertim ubi de observatione diei Dominicæ, de sacramentis Pœnitentiæ et Eucharistiæ, solùm restat ut dicamus de Abstinentiâ et Jejunio. Hoc præstabimus extrahendo è Theologiâ P. Billuart dissertationem quæ reperitur in tractatu de Fortitudine et Temperantiâ. Novem erunt hujus Appendicis articuli in quibus ordine successivo omnia expendentur quæ spectant legem de Jejunio et de Abstinentiâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Jejunio, utrùm et quo jure sit præceptum.

1° Quæstionem de jejunio aggressurus, in capite notare velim semel pro semper, ex Cajetano hìc a. 7, § *Ad evidentiam*, quòd, quia hæc materia est juris positivi humani, ut infra dicam, sicut consensu utentium firmatur, ita contrariâ consuetudine, aut dispensatione, seu relaxatione infirmatur et tollitur; et ita accidit ut, quod priùs erat jus, non sit ampliùs de juris necessitate, et quod priùs nefas erat, licitum postmodùm sit. Ita Eminentiss. Non est itaque quòd miremur plures varietates circa legem jejunii à temporibus Apostolorum irrepsisse, neque uniformiter in omnibus Ecclesiis observari. Unde auctor hìc, a. 8, ad 3, loquens de abstinentiâ ab ovis et lacticiniis dicit: « In jejuniis diversæ consuetudines existunt apud « diversos, quas quisque observare debet secundùm « mores eorum inter quos conversatur. »

2° Jejunii nomen sumptum est à *jejuno*, quod est quoddam intestinum animalis semper vacuum, unde significat abstinentiam à cibo et potu. Variè accipitur. 1° Sumitur generaliter pro abstinentiâ ab omni cibo et potu in stomachum transmisso, sive ab omni eo quod sumitur per modum cibi et potûs, ut est etiam medicamentum; et sic sumptum dicitur jejunium *jejuni*, seu jejunium naturale: tale requiritur à mediâ nocte ad sumptionem Eucharistiæ; de quo in materiâ de Eucharistiâ. 2° Sumitur pro abstinentiâ cibi et potûs secundùm regulas communes temperantiæ, in ordine ad proprium finem qui est bona corporis et mentis dispositio ad suas functiones. Hoc jejunium vocatur morale et philosophicum. 3° Sumitur pro abstinentiâ cibi et potûs, majori quidem quàm exigit communiter temperantia secundùm proprios fines, sed quam tamen exigit secundùm alios fines ad quos ab aliis virtutibus ordinatur, puta, ad satisfactionem pro peccatis, ad refrenationem luxuriæ, etc.

Jejunium hoc tertio modo sumptum, vel est arbitrarium, cujus varia exempla habemus in Vitis Patrum, et etiamnùm in religiosâ piorum praxi, vel est lege statutum, scilicet vel lege particulari alicujus communitatis aut religionis, vel lege communi totius Ecclesiæ, quale est jejunium quod dicitur communiter ecclesiasticum, de quo potissimùm hìc est quæstio.

Eustachiani et Ariani quarto seculo, negârunt jejunium esse in præcepto; sic enim discurrit Arius apud S. Epiphanium, hæresi 75: *Sed neque jejunii instituendi ulla ratio est: hæc enim omnia Judæorum propria sunt et cuidam servitutis jugo subjecta; quipp.*

justo nulla lex est posita, sed parricidis et matricidis duntaxat et id genus aliis : nam si jejunare omninò decreverim quâcumque libuerit die, sponte et integrâ libertate jejunabo. Quam theologiam cùm suam fecerint Lutherani et Calvinistæ (quo pudore videant), eamdem etiam cum istis hæreticis damnationem à concilio Langrensi, anno 524, latam subire coguntur. Hoc autem concilium, can. 19, anathemati subjicit illum *qui, absque necessitate corporeâ, tradita in communi jejunia et ab Ecclesiâ custodita superbiendo dissolvit.* Contra quos omnes

Dico 1° : Jejunium in communi, jure naturali præceptum est : quoad determinationem verò temporis et modi, jure ecclesiastico.

Probatur prima pars. Unusquisque tenetur ex naturali ratione uti remedio quo indiget : atqui jejunium in communi est remedium ad deletionem culpæ præteritæ et cohibitionem futuræ, ac ad elevationem mentis ad Deum, qui sunt fines nobis necessarii : ergo jure naturæ tenetur unusquisque jejunium adhibere in quantum est sibi necessarium ad prædicta.

Probatur secunda pars. Sicut ad seculares principes pertinet præcepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his quæ pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus, ita à fortiori ad prælatos ecclesiasticos pertinet ea statutis præcipere quæ ad utilitatem communem fidelium pertinent : atqui Ecclesia statuto determinavit tempus et modum jejunii : ergo. Major constat tum ex paritate potestatis spiritualis ad temporalem, tum ex potestate ligandi datâ Ecclesiæ, Joan. 20 et 21 ; ex illo Luc. 10 : *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit ;* ex præceptis per Apostolos factis, Act. 15. Confer. insuper, 1-2, q. 96, a. 4. Minor etiam constat ex generali consuetudine Ecclesiæ pro lege ubique receptâ.

Confirmatur. Principes et magistratus hæretici quandoque indicunt jejunia, ut patet in Angliâ et Hollandiâ. Quæro : Subditi tenentur vel non tenentur servare ista jejunia qualiacumque sint ; si teneantur, quidni fideles Ecclesiæ pariter jejunia præcipienti obedire debent ? si non teneantur, remitto argumentum ipsis principibus et magistratibus, fustibus non verbis probandum.

Respondet Dallæus, indici posse ab Ecclesiâ communia jejunia ex temporum personarumque causis ac necessitatibus, nulla verò posse indici stata et perpetua. Sed contra. Qui potestatem habet indicendi jejunia pro emergentibus rei christianæ causis, pari jure habet auctoritatem stata in perpetuum jejunia præcipiendi, si causæ illorum sint perpetuæ et certis vicibus recurrentes : tales sunt causæ jejuniorum ecclesiasticorum, scilicet, ut jam dixi, deletio culpæ præteritæ, cohibitio futuræ, elevatio mentis ad Deum, refrenatio concupiscentiæ, quæ causæ sunt perpetuæ ; et ultra illas jejunium quadragesimale specialiter est institutum ut Christiani ad festa paschalia se præparent, utque carnis mortificatione quodammodò Christo commoriantur ; quæ causæ singulis annis recurrunt.

Itaque jejunium ecclesiasticum de quo nunc et in sequentibus erit sermo, est *abstinentia cibi juxta modum ab Ecclesiâ præscriptum.* Hic autem modus tria complectitur : primum, abstinentiam à certis cibis, nimirùm à carnibus ; secundum, unam tantùm refectionem ; tertium tempus hujus refectionis. De quibus dicemus distinctis articulis. Nunc,

Dico 2° : Lex ecclesiastica jejunii secundùm se obligat sub mortali. Est communis contra Angelum, v. *Jejunium*, n. 14, et paucos alios qui nolunt præcepta humanæ obligare sub mortali, nisi ut non agatur contra illa ex contemptu vel ex consuetudine. Probatur. Leges obligant pro quantitate materiæ sub mortali vel veniali, nisi contrarium constet de intentione legislatoris : atqui jejunium, utpote opus virtutis et homini ad salutem necessarium aut valdè utile, est ex suo genere materia gravis : ergo. Major probatur dùm de Legibus, et patet, quia nisi teneatur hæc regula, nulla alia erit discernendæ obligationis ; recurrere enim ad intentionem legislatoris, nisi de eâ apertè constet, est divinare, maximè cùm hæc sit ordinariè conformis capacitati materiæ.

Confirmatur ex gravissimis pœnis quibus Ecclesia subjiciebat olim violatores jejunii : nam concilium Langrense, ut dixi supra, eos subjiciebat anathemati. Similiter canon 68 inter Apostolicos, et canon 56 synodi Trullanæ ; et si sint clerici, jubent eos deponi. Hæ autem pœnæ non solent ferri in peccantes venialiter tantùm.

Hinc jure damnata est ab Alexandro VII hæc propositio num. 23 : *Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientiâ hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.* Advertit tamen Cajetanus in Summâ, v. *Jejunium*, cap. 3, n. 6, quòd is qui absque fraude violat jejunium, putans bonâ fide se habere causam sufficientem, quæ tamen non sit, non peccat saltem mortaliter ; quia, inquit, non censetur transgressor præcepti, cùm per se et ex intentione non agat contra illud ; nec etiam ita per accidens et materialiter operatur ut redeat peccatum in naturam suæ formæ, nisi fortè agat ex ignorantiâ ita crassâ ut dolo æquiparetur. Ita etiam post Cajetanum, Navarrus, in Manu. c. 21, num. 20, citans S. Antoninum, 2 p., tit. 6, c. 2, § Ante. Item Sylvius hìc, a. 4, versùs finem.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° cum modernis hæreticis : Obligatio jejuniorum pertinet ad jugum et servitutem legis Judaicæ à quo Christus non liberavit : unde jejunare ex obligatione, est profiteri legem veterem, quod est superstitiosum : ergo.

R. 1° hoc ipsum esse argumentum Eustachianorum et Arianorum quos Ecclesia quarti seculi damnavit in concilio Langrensi ; illùc nostrates hæretici quærant solutionem. Interim,

R. 2° : N. ant. Non enim observamus jejunia nostra vi veteris legis, sed vi legis Ecclesiæ, neque sub iisdem cæremoniis et ex iisdem causis ex quibus servabantur legalia. Est sanè argumentum risu dignum : Lex vetus præcepit jejunia ; ergo lex nova non potest præcipere, quasi Ecclesia non possit præcipere opera

bona, quia Synagoga priùs præcepit : perinde est ac si dicas : Lex vetus præcepit orationem et eleemosynam ; ergo lex nova non potest præcipere. Neque magis ab hâc obligatione nos liberavit Christus quàm ab obligatione obediendi legitimis superioribus tam secularibus quàm spiritualibus, quam è contra ubique urget. Libertas ergo quâ nos donavit Christus est libertas 1° à servitute peccati ; 2° et consequenter à servitute diaboli ; 3° à servitute legis Mosaicæ, maximè cæremonialis, cujus jugum erat grave et vix portabile, Act. 15.

Obj. 2° cum eisdem. Disciplina Ecclesiæ modernæ circa jejuniorum observationem est eadem cum disciplinâ Montanistarum ; ergo rejicienda. Probatur ant. 1° Catholici moderni sicut Montanistæ pari modo jejunant in certos dies, in abstinentiâ à certis cibis ex lege statâ et inviolabili. 2° Antiqui Catholici impugnabant olim eodem modo et iisdem argumentis jejunia Montanistarum, quibus nunc Calvinistæ impugnant jejunia modernorum Catholicorum, his nimirùm S. Scripturis : *Non hoc est jejunium quod elegi ; quod intrat in os non coinquinat hominem ; esca nos non commendat Deo*, et aliis ; ergo.

R. N. ant. Ecclesia catholica etiam jam probabat et observabat stata sua jejunia sicuti nunc, tempore quo Montanistarum jejunia damnavit ; cùm illa sint ex traditione Apostolorum, ut probabimus infra, et testatur ipse Tertullianus Montanista, lib. de Jejunio, c. 2, dicens : *Certè in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant* (Catholici) *quibus ablatus est sponsus, et hos esse jam solos legitimos jejuniorum christianorum.*

Disparitatem autem inter utraque jejunia assignat S. Hieron. Epist. 54 ad Marcell. : *Nos*, inquit, *unam quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus. Illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint salvatores. Non quòd et per totum annum, exceptâ Pentecoste, jejunare non liceat, sed quòd aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.* Igitur error Montanistarum non erat in eo positus, quòd quadragesimale jejunium observandum esse ex præcepto contenderent et observarent ipsi sicut catholici, sed quòd, præter quadragesimam ab Ecclesiâ observari solitam, duas alias quadragesimas seu xeropagias necessariò esse observandas contenderent ex lege à Montano latâ. Catholici verò alia quidem jejunia præter antepaschale esse licita fatebantur, sed esse necessaria pernegabant ; nec Montano ac suis pseudoprophetissis inesse eam auctoritatem hæc jejunia ex præcepto instituendi asserebant, quam agnoscunt in Ecclesiâ cui Spiritus sanctus jugiter assistit secundùm Christi promissionem. Et hic est Montanistas inter et Catholicos controversiæ status quem dissimulat Dallæus.

Hoc autem semel constituto, valida erant Catholicorum contra Montanistas argumenta. Et 1° superstitiosa meritò videbatur illa disciplina et Christi verbis Apostolicisque sententiis repugnans, quæ fanaticis tantùm Montani sociarumque mulierculorum prophetiis fulta erat. 2° Meritò Catholici incusabant Montanistas quòd, Galatarum instar, dies et annos observabant, quòd coinquinari putarent hominem per ea quæ in os inferebantur, quòd essent ex genere hominum ab Apostolo damnatorum, qui nuptias et usum certi cibi erant prohibituri, quòd denique illorum xeropha giæ ethnicam superstitionem redolerent. Quid enim aliud credi poterat de semiviro illo Montano, et de Priscâ et Maximillâ, insanis feminis, quæ novas prophetias mentitæ, unà cum illo hæresiarchâ novas leges Ecclesiæ statuendi, novaque indicendi jejunia insolitasque abstinentias auctoritatem sibi arrogabant?

At immeritò Calvinistæ hæc adversùs nos argumenta contorquent, cùm facilè probetur, *ut patebit ex dicendis*, nostra jejunia ab Ecclesiâ instituta, vel ab Apostolis accepta, ex obedientiâ quam Ecclesiæ matri debemus religiosè observari et observata semper fuisse. Confer art. præcedentem et art. 7.

Obj. 3° cum quibusdam catholicis contra secundam conclusionem. Violatio jejunii est tantùm peccatum inobedientiæ : atqui inobedientia non est peccatum mortale nisi sit formalis, proindeque cum contemptu : ergo. Probatur maj. Quando Ecclesia prohibet aliquid quod non est per se malum, hujus legis transgressio non est nisi peccatum inobedientiæ : atqui esus carnium, aut multiplex in die refectio, non est quid per se malum : ergo.

R. 1° : N. maj. Ad probationem, N. maj. Est enim id proprium veræ legis cujuscumque aliquid prohibentis aut præcipientis in materiâ alicujus virtutis, ut actum talis virtutis non necessarium, faciat necessarium hoc ipso quo faciendum præcipit, et omissionem ejus culpabilem in eodem genere virtutis : sic, v. g., dùm Ecclesia præcipit clericis recitationem breviarii, facit ut hæc recitatio sit actus necessarius religionis, et ejus omissio peccatum contra religionem. Cùm igitur jejunium sit in materiâ temperantiæ, Ecclesia illud præcipiens facit ut sit actus necessarius temperantiæ, cùm alioquin non foret necessarius si lege non præciperetur ; et consequenter qui jejunium ab Ecclesiâ præceptum violat, peccat contra temperantiam, et non solùm contra obedientiam.

R. 2° : N. primam min. Quando enim materia inobedientiæ est gravis, etiam inobedientia materialis erit peccatum mortale, ut docet Sylvius hìc.

Quantùm ad alia argumenta hæreticorum, confer infra articulum de delectu ciborum, et art. de universalitate hujus obligationis.

Articulus II.

Utrùm convenienter determinata sint tempora jejunii ecclesiastici.

Dico 1° : Convenienter determinata sunt tempora jejuniorum ecclesiasticorum.

Probatur. Convenienter indicta sunt jejunia illis temporibus in quibus oportet homines à peccato purgari et fidelium mentes in Deum elevari per devotionem ; ad hæc enim duo maximè ordinatur jejunium,

ut dictum est : atqui homines à peccato purgari et ad Deum elevari maximè convenit ante solemnitatem paschalem, ut rectè mysteria Dominicæ passionis et resurrectionis celebrent, seque ad confessionem et communionem præparent; similiter in vigiliis præcipuarum solemnitatum quæ sunt devotiùs celebrandæ : item in quatuor anni temporibus quibus ordines conferuntur, ad quorum scilicet susceptionem oportet per jejunium præparari, et eos qui ordinant, et illos qui ordinandi sunt; et etiam totum populum pro cujus utilitate ordinantur. Ergo convenienter determinata sunt tempora jejunii quadragesimæ, antepaschalis, vigiliarum et quatuor temporum, quæ sunt omnia jejunia ecclesiastica.

Adde pro quadragesimâ, aptissimum esse tempus ratione castitatis, quia verno tempore libido maximè incenditur, ob sanguinis et spiritum augmentum ac fervorem. Et pro quatuor temporibus etiam specialiter convenientia sunt, ut Deo supplicemus pro frugibus terræ, aut pro iisdem gratias agamus; his enim temporibus aeris temperies maximè variatur, et fructus omnes aut seruntur, aut nascuntur, aut maturantur, aut colliguntur. Ita S. Leo, Serm. 2, 5 et 8, de Jejunio decimi mensis, de Jejuniis quatuor Temp. Lege in jure, dist. 75.

Confirmatur ex generali consuetudine totius Ecclesiæ : *Quod enim tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est*, inquit S. Aug., Epist. 118.

Si dicas jejunia in determinatis mensibus pertire ad cæremonialia legis veteris, resp. jejunia nostra quatuor temporum non servari iisdem temporibus quibus Judæi, nec propter easdem causas. Vigiliæ, autem festivitatum quibus indictum est jejunium, sunt vigiliæ Nativitatis Domini et Assumptionis B. Virginis, cap. 1 de Observant. jejun. vigiliæ omnium Apostolorum, exceptis vigiliis. SS. Philippi et Jacobi et S. Joannis Evangelistæ, ibid., cap. 2. Advertendum tamen quasdam harum vigiliarum in certis provinciis non observari ex contrariâ consuetudine. Item alia quatuor jejunia, etsi non jure scripto, generali saltem consuetudine servantur : nimirùm vigiliæ S. Joannis Bap., S. Laurentii, omnium Sanctorum et Pentecostes.

Dico 2° : Quadragenarius dierum numerus in quadragesimâ, et ternarius in quatuor anni temporibus, sunt etiam convenienter assignati.

Quantùm ad quadragesimam, patet, 1° quia sic pro modulo aliqualiter imitatur jejunium Salvatoris, qui jejunavit quadraginta diebus. 2° Quia sic offerimus Deo decimas dierum anni; constat enim annus diebus 365; horum decima pars sunt 36 qui à Dominicâ primâ quadragesimæ usque ad Pascha, non computatis diebus dominicis, sunt jejunio consecrati : quibus tamen postea additi sunt quatuor præcedentis hebdomadæ pro majori confirmitate ad jejunium Christi. Ubi obiter adverte, etiam esse jejunandum feriâ quintâ in Cœnâ Domini, ut definivit concilium Laodicenum circa medium quarti seculi, contra quorumdam contrarium usum.

Porrò ante horum quatuor dierum additionem, nihilominùs dicebantur *Quadragesima;* quia licèt non jejunaretur jejunio perfecto nisi triginta sex diebus, jejunabatur tamen quadraginta diebus, jejunio tam perfecto quàm imperfecto; quia etiam dominicis diebus erat abstinentia à carnibus et lacticiniis, quod est quoddam jejunium quadragesimale.

Quantùm ad jejunia quatuor temporum, patet etiam convenientia, tum ex numero mensium qui competit cuilibet tempori, quasi singulo mensi suum correspondeat jejunium; tum ex numero sacrorum ordinum qui his temporibus conferuntur.

Dico 3° : Convenienter Ecclesia non instituit de præcepto jejunio tempore paschali usque ad Pentecosten, neque diebus dominicis. Quia jejunium est opus pœnale et afflictivum, quod non convenit diebus lætitiæ, quales sunt dies quinquaginta post Pascha et dies Dominici, propter commemorationem resurrectionis. Unde S. Ambros. serm. 61, et refertur dist. 76, c. 8, ait : *Per hos quinquaginta dies* (à Paschate ad Pentecosten) *est jugis et continua festivitas; ita ut hoc omni tempore neque ad observandum indicamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus.* Similiter S. Aug. Epist. 119, cap. 13. Quapropter qui paschali tempore aut diebus dominicis jejunat ex contemptu hujus moris Ecclesiæ, aut ex errore Manichæorum qui veram Christi resurrectionem negabant, aut ex singularitatis desiderio, aut cum superstitione vel scandalo, non est à peccato immunis.

Dices 1° : Cap. *Rogationes* de Consecrat. dist. 3, ex conc. Aurel. legitur : *Rogationes, id est, litanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in dominicæ Ascensionis solemnitate solvatur.* 2° Vigiliâ Pentecostes jejunium de præcepto servatur. 3° Quatuor tempora sunt infra tempus paschale, quod finitur in octavâ Pentecostes tantùm. Ergo.

R. ad primum, vel ibi sermonem esse de jejunio imperfecto, scilicet de abstinentiâ à carnibus, quale etiamnum observatur; vel hoc jejunium non fuisse de præcepto, sed de consilio tantùm; vel tandem non fuisse jure communi præceptum pro totâ Ecclesiâ, sed propter aliquam necessitatem in particularibus quibusdam Ecclesiis, quod abiit in dissuetudinem. Sensus autem S. Thomæ et noster est, quòd assignatis temporibus nullum sit jure communi constitutum jejunium de præcepto pro totâ Ecclesiâ.

Ad secundum, resp. neque jejunium vigiliæ Pentecostes esse ullo jure scripto præceptum, sed observatum fuisse primò ex piâ fidelium devotione et consuetudine, quæ paulatim invaluit ac tandem vim præcepti obtinuit.

Ad tertium, resp. tempus paschale quoad officium durare quidem usque ad octavam Pentecostes, quoad verò exemptionem à jejunio expirare in ipsâ die Pentecostes, et modò ex consuetudine in vigiliâ Pentecostes. Hujus enim dùm meminerunt SS. Patres, non numerant nisi quinquaginta dies, ut patet ex SS. Ambros. et Aug. citati et aliis.

Quia tamen jejunium secundùm se consideratum, est omni tempore laudabile, et juxta S. Hieron. ad Lucinium (refertur dist. 76, cap. *Utinam*) optandum sit ut omni tempore jejunare possemus, inferunt Bellarminus et Sylvius hìc, eum qui seclusis prætactis motivis aut inconvenientibus, jejunaret assignatis diebus ex aliquo motivo honesto et pio, puta, propter fervorem devotionis aut pœnitentiæ, vel propter instantem necessitatem publicam aut privatam, non esse condemnandum.

Si opponas quòd Melchiades papa ad episcopos Hispaniæ scribat, quòd *jejunium Dominici diei et quintæ feriæ nemo celebrare debeat, ut inter jejunium Christianorum et gentilium, veraciter credentium et hæreticorum, vera et non falsa discretio habeatur*, refertur de Consec. dist. 3, cap. 14, respondeo quòd tunc temporis gentiles et hæretici assignatis diebus jejunarent, ad quorum ideò odium et detestationem pontifex prohibet Christianis jejunare iis diebus. Cessantibus verò his motivis abolevit lex.

Quæritur utrùm præter assignata jejunia, sint vel fuerint alia jure communi præcepta pro totâ Ecclesiâ.

Pro responsione accipe sequentia. 1° Antiquitùs feria quarta et sexta cujuslibet hebdomadæ erant jejunio consecratæ : feria quarta, quia hâc die Judas convenit de tradendo Christo, et Judæi de eo occidendo consilium inierunt; feria sexta, quia eâ die Christus passus est. Ita S. Aug., Epist. 86 ad Casulanum. 2° Sabbato, in memoriam sepulturæ Christi, jejunabant olim pleræque Ecclesiæ occidentales cum Romanâ; non tamen orientalis, neque inter occidentales Mediolanensis, ut patet ex hâc vulgatâ responsione S. Ambrosii ad S. Aug. interrogantem pro matre suâ : *Quando hìc sum* (Mediolani scilicet), *non jejuno sabbato, quando Romæ sum, jejuno sabbato : ad quamcumque ecclesiam veneritis ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.* Hujus discrepantiæ inter Ecclesiam orientalem et occidentalem causa fuit, quòd in orientali essent quidam hæretici, ut refert. Epiphan. de Simoniacis, hæresi 21, et de Marcionitis, hæresi 42, qui affectabant jejunare sabbato, ne viderentur lætari de quiete et operibus Creatoris, quem verum Deum esse negabant : in quorum odium et detestationem, Ecclesia græca prohibebat jejunium sabbati, excepto tamen sabbato majoris hebdomadæ. 3° Fuisse olim universale jejunium kalendis novembris, constat ex Isidoro, lib. 1 de Offic., cap. 39; item et kalendis januarii per triduum, constat ex concil. Turon. 2, can. 13. 4° Servatum etiam antiquitùs fuisse jejunium per adventum, tradit Innocentius III, cap. *Consilium*, tit. de Observat. jejuniorum. De diebus Rogat. dictum est supra. 5° Utrùm hæc omnia jejunia fuerint observata ex devotione tantùm, an etiam ex præcepto, non satis constat, excepto fortè jejunio sabbati, quod videtur fuisse præceptum in Ecclesiâ romanâ et pluribus Ecclesiis occidentalibus. Atverò constat ex populi christiani communi sensu et praxi, saltem nunc, nullum ex his esse universaliter in præcepto. Quòd si in quibusdam Ecclesiis particularibus quædam adhuc vigeant, standum est consuetudini.

6° Feriâ sextâ et sabbato cujuslibet hebdomadæ, item tribus diebus Rogationum, est obligatio sub mortali abstinendi à carnibus : ita obtinuit consuetudo, salvâ tamen consuetudine contrariâ in certis locis aut dispensatione, quia in Galliâ, in Belgio et pluribus aliis provinciis licitè comeduntur carnes sabbatis inter Nativitatem Christi et Purificationem B. M. Virginis, etiam ipsâ die Purificationis, si sabbato evenerit, ut declaravit concil. Carnotense, anno 1526. Idque factum arbitror, sive quia legem de abstinentiâ à carnibus diebus sabbati ab initio non acceptavit plebs christiana, nisi retentâ veteri libertate præfatis sabbatis carnes comedendi, sive quia contra legem latam et acceptatam usus contrarius postea invaluit.

Quantùm ad feriam sextam, si in eâ incidat festum Nativitatis Christi, est speciale rescriptum Honori III ad episcopum Pragensem, his verbis : *Explicari per Sedem Apostolicam postulâsti, utrùm sit licitum illis qui nec voto nec regulari observantiâ sunt adstricti, carnes comedere quando in sextâ feriâ dies Dominicæ Nativitatis occurrit. Ad hoc respondemus quòd illi qui nec voto nec regulari observantiâ sunt adstricti, in sextâ feriâ, si festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundùm consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt qui, ob devotionem, voluerint abstinere.* Refertur cap. *Finali*, Extra. *de Observant. jejun.* lib. 3, tit. 46.

Hinc oritur dubium, utrùm religiosi quibus solâ regulari observantiâ non obligante ad culpam indicta est abstinentia carnium, ut sunt Dominicani, possint absque peccato comedere carnes die Natalis Domini, si in feriam sextam inciderit.

R. juxta communiorem sententiam posse. Ita Abbas, Sylvester, Armilla, Tabiena, Sa, Lopez et alii quos citat et sequitur Loth, tract. 7, q. 4, art. 3; item etiam ii qui severioris sunt disciplinæ, Henricus à S. Ignatio, Natalis Alexander, lib. 4, art. 7, reg. 7, ex Prospero Fagnano in cap. *Explicari;* quia, inquit laudatus Fagnanus, erga tales religiosos *non habet locum exceptio de quâ hìc, quia loquitur tantùm de his qui ad abstinentiam obligantur ex voto vel ex regulâ.* Ii autem quibus indicta est hæc abstinentia ex regulâ non obligante ad culpam, strictè et propriè non obligantur, canone *Denique*, § *Etsi Legibus*, dist. 4.

Addi potest quòd, si non eximantur vi dispensationis pontificiæ, quia fortè ibi excipiuntur, videantur saltem exempti vi consuetudinis generalis, de quâ est mentio in rescripto, sicut ex pari causâ eximuntur, nullo contradicente, sabbatis intra Nativitatem Christi et Purificationem B. Virginis : hæc enim consuetudo generalis, ut derogans legi communi quæ etiam ante rescriptum, ut ex ipso patet; jam vigebat, sicut neminem excipit, ita omnes afficit, relictâ solâ voti aut regulæ obligatione.

Articulus III.

De unâ vel multiplici refectione in die jejunii.

Jam dixi supra ad integrum jejunium ecclesiasticum

tria requiri : primum, unicam refectionem ; secundum, quòd hæc unica refectio sumatur horâ à jure statutâ et non ante ; tertium, abstinentiam a certis cibis, scilicet carnibus, ovis et lacticiniis. Unde jejunium cui deest aliqua ex his tribus conditionibus, non est nisi imperfectum et semiplenum jejunium, quale agitur in diebus Rogationum, feriis sextis et sabbatis, et diebus dominicis in quadragesimâ. Has tres conditiones expendit S. Th. tribus articulis sequentibus, et nos cum ipso, simulque varias difficultates ipsis annexas per varios §§. Unde :

§ 1. *Utrùm requiratur ad jejunium quòd homo semel tantùm comedat.*

Dico. Ad jejunium requiritur quòd semel tantùm comedatur in die, exceptâ cœnulâ de quâ infra.

Probatur 1° ex consuetudine generali totius Ecclesiæ, quæ ab ejus incunabulis viguit ; cùm enim tunc fideles nonnisi ad vesperam refectionem sumerent, constat eos nonnisi unam sumpsisse. Probatur 2° Ecclesia instituit jejunium ad concupiscentiam refrenandam, ita tamen quòd salvetur natura : atqui ad utrumque sufficere videtur unica comestio, per quam scilicet homo et naturæ satisfacit et tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices : ergo.

Si quæras ubinam exstet hoc Ecclesiæ præceptum, R. reperiri in ipsâ institutione jejunii ab Apostolis, non scripto factâ, sed verbo et exemplo. In jejunio, inquit Cajetanus, communiter intelligitur unica refectio, quia Ecclesia, indicendo jejunium secuta est exemplum Patrum veteris Testamenti, qui jejunantes tantùm semel reficiebantur : unde etiam per unicam refectionem distinguuntur jejunantes à non jejunantibus ; et ideò non dicimur jejunare feriis sextis et sabbato, neque diebus dominicis in quadragesimâ, licèt à carnibus abstineamus, quia nimirùm possumus pluries refici.

Dices 1° : Non taxatur jejunantibus quantitas cibi : ergo nec numerus comestionum taxari debet. Patet consequentia, quia jejunium, ut dictum est, est actus abstinentiæ quæ non minùs observat quantitatem cibi quàm comestionis numerum.

R. N. consequentiam. Quias quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari propter diversas corporum complexiones, ex quibus contigit quòd unus majori, alter minori cibo indiget ; sed, ut plurimùm, omnes possunt naturæ satisfacere per unicam comestionem.

Dices 2° : Licet pluries in die bibere : ergo et pluries comedere. Solutioni hujus argumenti reservamus infra § integrum.

§ 2. *Utrùm quis toties peccat contra legem jejunii, quoties comedit ultra unam refectionem ; an solùm secundâ refectione.*

Solùm peccari contra legem jejunii secundâ refectione et non sequentibus docent plures, nec ignobiles theologi, Durandus, Cajetanus, Sylvester, Navarrus, Paludanus, Lessius et alii. Contra quos

Dico. Probabilius et mihi prope certum videtur peccari contra legem jejunii, non solùm secundâ refectione, sed etiam sequentibus, tot quot sumuntur, exceptâ collatione. Ita Joannes Medina, Covarruvias, Molanus, Sylvius, Natalis Alexander et alii.

Probatur. Præceptum ecclesiasticum de unicâ refectione, licèt verbo tenùs videatur affirmativum, est tamen re et sensu negativum. Hujus enim propositionis : *Sumes unam tantùm refectionem*, sensus est : Non sumes plures refectiones : sicut cùm Ecclesia præcipit sacerdotibus : *Celebrabitis tantùm semel in die*, sensus est : Non celebrabitis pluries in die : atqui præcepta negativa obligant semper pro semper, ita ut non solùm per primum aut secundum actum ipsis oppositum violentur, sed per quoscumque sequentes. Sic, v. g., quia Ecclesiâ prohibet ingressum monasterii monialium, toties quis peccat contra illud quoties ingreditur ; sic in præsenti materiâ, quia Ecclesia prohibet esum carnium in die jejunii, toties legem transgrederis quoties carnes comedis, juxta ipsos adversarios : ergo similiter.

Confirmatur. Ex hoc quòd Ecclesia præcipiat aut permittat ut sacerdos semel in die tantùm celebret, aut fidelis communicet, sequitur prohiberi non solùm secundam celebrationem aut communionem, sed etiam tertiam, quartam, quintam, etc. ; ergo similiter in nostro casu. Unde falsum est quod dicunt adversarii, hoc præceptum non continere negationem simpliciter, sed finitam et certo limite comprehensam, scilicet ne bis comedatur : ac proinde non prohiberi quascumque refectiones post primam, sed secundam duntaxat. Quemadmodùm, inquiunt, si mulier, vovendo virginitatem, intendat tantùm se obligare non ad continentiam simpliciter, sed ad continendum à primo actu virginitati contrario, non peccabit contra votum per actus sequentes, sed per primum tantùm.

Patet, inquam, ex dictis hoc assumptum esse falsum. Licèt enim verum sit quòd Ecclesia potuerit suam intentionem restringere ad secundum actum, gratis omninò, imò irrationabiliter asseritur, cùm sit de ratione præcepti negativi ut obliget semper pro semper, ut dictum est, nisi aliter intendat et exprimat præcipiens, sicut facit mulier vovens de quâ in instantiâ. Id autem fecisse Ecclesiam nullibi legitur : unde est disparitas.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° : Jejunium, postquàm secundâ refectione violatum est, non potest ampliùs observari, quia fractum est, neque fieri potest ut non sit fractum : atqui nemo tenetur ad impossibile : ergo. Ita Angelus. — R. 1° retorsione argumenti. Jejunium, postquàm primâ comestione carnium est violatum, non potest ampliùs observari, quia fractum est, neque fieri potest ut non sit fractum : atqui nemo tenetur ad impossibile : ergo nec ad observantiam talis jejunii. Negant adversarii hanc consequentiam : quo ergo jure eam negant, eodem jure nego consequentiam præcedentis argumenti. Unde — R. 2° : Dist. maj. Non potest ampliùs observari integrè, C. maj., quoad aliquid, N. maj. Potest enim adhuc observari

quoad tertiam, quartam, etc. refectiones, quæ non minùs prohibentur quàm secunda. Qui autem non potest totam legem observare, tenetur observare partem quam potest.

Inst. Si cui præciperetur non frangere vas aliquod, postquàm semel fregisset, non peccaret ampliùs illud in ulteriores partes frangendo : ergo similiter. R. Dist. ant. Si vas semel fractum sit omninò initile, C. ; si sit adhuc utile, N. Jejunium autem semel fractum potest adhuc utiliter observari quoad aliquid. Insto in eo qui semel comedit carnes, potest adhuc et debet ab ulterioribus comestionibus abstinere, juxta adversarios. Insuper non valet consequentia à physicis ad moralia.

Obj. 2° : Lege jejunii non prohibentur plures refectiones absolutè, sed solùm quatenùs per eas transgredimur limitem in jejunio præstitutum qui est una refectio : atqui per solam secundam refectionem hunc limitem transilimus : ergo. Probatur min. à simili. Tunc solùm quis transgreditur alicujus loci limitem sibi constitutum, cùm facit primum passum ultra illum, non autem si postea longiùs ad decem aut viginti passus ulteriùs progrediatur : ergo similiter. Ita Durandus. — R. N. maj. Præcepto enim jejunii prohibentur ulteriores refectiones præter primam, quomodocumque considerentur, quia, ut dixi, est præceptum negativum ; præcepta autem negativa non solùm prohibent actum primum, aut secundum ipsis oppositum, sed omnes sequentes : unde etiam debet negari min. Hoc ipso enim quòd omnes refectiones præter primam prohibentur, non solùm per primam transilitur limes, sed etiam per sequentes, cùm per eas etiam violetur præceptum, proindeque neganda est paritas, quia transilienti limitem non prohibentur plures comestiones ; si enim prohiberentur, etiam toties peccaret, quoties ulteriùs per intervalla progrederetur. Ut sit ergo paritas, debet comparari pluries comedens cum eo qui pluries limitem transgrederetur.

Obj. 3° : Plures refectiones non prohibentur in jejunio, nisi quatenùs earum abstinentia videtur pertinere ad mortificationem carnis : atqui solùm abstinentia à secundâ refectione videtur ad hoc valere, non autem tertia, vel quarta, nisi fortè valdè parùm : ergo. Probatur min. Passim homines, exceptis mechanicis, nonnisi bis comedunt ; et qui bis comedit, non videtur multùm mortificare carnem si ab ulterioribus refectionibus abstineat : ergo. Ita Lessius. — R. Dist. maj. Plures refectiones non prohibentur in jejunio, nisi quatenùs earum abstinentia videtur pertinere ad mortificationem carnis positivè, vel privativè, C. maj. ; positivè tantùm, N. maj. Ad cujus sensum distinctâ min. N. consequentiam. Explicatur. Qui abstinet à secundâ refectione, mortificatur positivè, quatenùs plus solito fame torquetur et caro debilitatur, seu saltem ad hoc tendit hæc abstinentia. Qui verò sumptâ secundâ refectione abstinet ab ulterioribus refectionibus, licèt fortè plus solito fame non torqueatur, nec magis quàm extra jejunium caro debilitetur, privat se tamen iis quibus caro magis ac magis nutriretur et saginaretur, magisque libido incenderetur : quam ideò mortificationem voco privativam, et quam dubio procul intendit lex jejunii ; si enim prohibeat secundam refectionem ut non recalcitret caro, à fortiori prohibet ulteriores ex quibus magis recalcitraret : unde sic retorqueo argumentum. Plures refectiones non prohibentur in jejunio, nisi quatenùs sunt carnis saginativæ et libidinis incentivæ : atqui non solùm secunda, sed tertia et quarta, etc., sunt carnis saginativæ et libidinis incentivæ, et eò magis quò plures sumuntur ergo.

Insuper posset absolutè negari minor. Nemo enim in die jejunii sumit tertiam aut quartam refectionem, nisi vel gulâ, vel alio motivo humano ad id excitante : his porrò motivis resistere et abstinere, est vera nec tam levis mortificatio. Quapropter ipse Lessius cujus est argumentum, cogitur tandem fateri quòd per tertiam et quartam refectionem longiùs eatur ultra jejunii limitem, et magis recedatur à fine intrinseco jejunii quàm per secundam solùm, et quòd communi hominum judicio magis censeatur violare legem jejunii qui quater comedit, quàm qui bis tantùm, licèt in hoc agnoscat culpam tantùm venialem, quia existimat, tertiam et quartam refectionem prohiberi tantùm secundariò, sed gratis et falsò ; tum quia, ut dixi, graviter conducunt ad carnis saginationem et rebellionem ; tum quia, ut etiam dixi, de ratione præcepti negativi est, ut prohibeat æquè primariò omnes actus sibi oppositos : unde, sicut quoties quis manducat carnes in die jejunii, aut quoties iterat celebrationem missæ, toties peccat mortaliter, ita quoties quis plus quàm semel reficitur in die jejunii.

Obj. 4° : In confessione non solet explicari nec inquiri numerus refectionum, seu simpliciter dici solet non servatum jejunium ; ergo. Ita iterùm Lessius. — R. N. ant. universaliter sumptum. Novi enim et pœnitentes explicantes et confessarios interrogantes numerum refectionum : quantùm ad illos qui non explicant aut non interrogant, tribuendum est partim eorum ignorantiæ, partim probabilitati contrariæ sententiæ, quam fortè probabiliorem reputant.

Obj. 5° : Lex jejunii est pœnalis : ergo restringenda. R. Dato ant. nego consequens. Ergo restringenda, servato sensu obvio verborum, C. consequentiam ; non servato sensu obvio verborum, N. Sensus autem obvius horum verborum : Non comedes pluries, est quòd prohibeantur omnes comestiones præter unam, sicut per hoc : Non celebrabis pluries in die, prohibentur omnes celebrationes præter unam.

Ex dictis colliges falsum esse quod ex suâ sententiâ inferunt quidam adversarii, eum scilicet qui sciens manè sumpsit jentaculum, sive cum culpâ, sive sine culpâ, puta, causâ profectionis, non teneri eo die jejunare, etiamsi contingat eum non proficisci ; quia, inquiunt, jejunium jam est violatum et ampliùs servari nequit. Quod principium confutavimus. Sed

Petes 1° quomodò jejunare debeat qui manè vel culpabiliter vel inculpabiliter sumpsit jentaculum. — R. Si manè plenam refectionem sumpserit, omisso

prandio, debet ipsi sufficere collatio vespertina. Si leve tantùm jentaculum sumpserit æquivalens collationi, potest vesperi cœnam, aut si subsit quædam ratio, v. g., quòd debeat adesse communitati prandenti, prandere, omissâ tamen collatione; quia debet salvari unica refectio in quantum potest : sic autem salvatur in utroque casu. Illinc inferes, eum qui manè culpabiliter jentavit, si postea plus quàm unam refectionem sumat eo modo quo diximus, duplex peccatum committere in confessione aperiendum, unum ratione anticipati temporis, aliud ratione multiplicis refectionis. Attamen si is qui inculpabiliter jentaculum sumpsit, gravem pateretur difficultatem in transigendo reliquo die absque cibo, posset meo sensu præter cœnam aut prandium aliquid leve sumere circa meridiem aut vesperam; et id ex benignâ interpretatione matris Ecclesiæ, quæ non censetur velle ut innocens graviorem patiatur difficultatem in jejunando quàm alii communiter : secùs de illo qui culpabiliter jentavit; ipse enim sibi imputet.

Petes 2° utrùm qui aliquid leve pluries comedit in die jejunii, peccet mortaliter. R. affirmativè, dùm pervenit ad quantitatem notabilem; quia effectus singularum comestionum manet, et ita corroborat naturam, tollitque jejunii difficultatem, ac si simul fierent; paritas est de furtis minutis. Unde damnata est ab Alexandro VII hæc propositio, num. 29 · « In die jeju- « nii, qui sæpiùs quid modicum comedit, etsi notabi- « lem quantitatem in fine comederit, non frangit jeju- « nium. » Si tamen singulis diebus semel aut bis aliquid leve comederet, non ideò in fine quadragesimæ peccaret mortaliter, quia diversorum dierum sunt diversa præcepta, unicuique enim diei est suum præceptum affixum.

Petes 3° quæ quantitas censeatur notabilis et ad peccatum mortale sufficiens. — R. mihi videri quantitatem notabilem, peccato mortali sufficientem, quæ æquivalet vel levi jentaculo, vel collationi, vel tertiæ parti refectionis.

Petes 4° utrùm qui lautiùs prandit ut faciliùs sustineat laborem jejunii, satisfaciat præcepto. — R. affirmativè cum Covarruviâ, Sylvio, Loth et aliis, etiamsi levis quædam intemperantia subreperet; quia, juxta S. Th., quantitas cibi in unâ refectione non taxatur præcepto jejunii. Idem dicendum de eo qui pridiè lautiùs cœnaret aut postridiè citiùs et largiùs jentaret. Verùmtamen si quis gravi intemperantiæ excessu se cibo potuque ingurgitaret, eo præcisè animo ut nullatenùs sentiret difficultatem jejunii, non video quomodò posset excusari à fraude, proindeque à violatione legis, quia « legem violat, inquit S. Th., qui in « fraudem legis aliquid facit. » Neque dicas ut ante, quantitatem cibi non prohiberi lege jejunii, proindeque eum de quo in casu uti jure suo : non enim dico hunc peccare contra legem præcisè ratione quantitatis, sed ratione fraudis; nemo autem habet jus faciendi aliquid in fraudem legis. Si reponas legem non magis fraudari in hoc quàm in priori casu, nego : aliud enim est, temperatâ jejunii difficultate, se illi et suis muniis parem reddere, quod intenditur in primo casu; aliud, omnem jejunandi difficultatem gravi excessu extinguere, quod intenditur in secundo casu. Sic, juxta communem sententiam, peccat contra legem jejunii qui in ejus fraudem proficiscitur in locum ubi non est jejunium; non peccat, si illùc eat propter sua negotia. Cæterùm hæc dicta velim inquirendo potiùs quàm resolvendo.

§ 3. *Utrùm liceat dividere refectionem in die jejunii.*

Dico. Qui sine causâ legitimâ sic dividit refectionem ut non remaneat moraliter una, frangit jejunium.

Patet ex dictis. Quia lex jejunii permittit tantùm unam refectionem.

Dixi 1°, *sine causâ legitimâ;* quia sicut causa legitima excusat ab integro jejunio, à fortiori ab unitate refectionis quæ est tantùm pars jejunii : minor enim causa requiritur ad eximendum à parte legis quàm à totâ lege.

Quæ verò debeat censeri in hâc parte causa legitima, variè varii determinant, et ut mihi videtur satis arbitrariè. Generaliter loquendo potest assignari, sicut circa omnes alias leges humanas, impotentia physica aut moralis continuandi eamdem refectionem : impotentia physica, ut accidit plerùmque in pauperibus qui non habent unde unam integram refectionem simul et semel sumere possint : impotentia moralis, seu magna difficultas, quando scilicet non potest continuari eadem refectio absque aliquo gravi damno aut incommodo, v. g., si quis ex infirmitate non possit eodem tempore integram refectionem sumere; si parochus, inchoatâ refectione, vocetur ad ministranda sacramenta quæ commodè aut sine periculo differri non possunt; si instet alia necessitas succurendi proximo periclitanti sive corporaliter, sive spiritualiter; si inter prandendum occurrat mercatori occasio transiens aliquas merces notabiles vendendi, aut solutionem debitorum periclitantium recipiendi. Ex his exemplis alia collige. Et nota, minorem, ut jam dixi, requiri causam ad dividendam refectionem quàm ad eximendum à toto jejunio; item majorem vel minorem requiri prout majus vel minus intervallum intercesserit inter utramque partem refectionis.

Dixi 2° : Sic ut non remaneat moraliter una refectio : pro quo attendendum est et ad intentionem jejunantis, et ad spatium temporis quod inter inchoatam et resumptam refectionem intercedit.

Ex primo capite, qui sufficienter, licèt non abundè refectus, surgit à mensâ cum animo finiendi, et postea iterùm eidem vel alteri mensæ accumbit, quamvis intra tempus communiter concessum ad refectionem, quod est duarum horarum, frangit jejunium; quia in hoc casu prior refectio re et animo finita est, adeòque repetitio non censetur respectu hujus hominis continuatio prioris, nec una moraliter cum illâ, sed plures. Ita Navar., Valent., Layman, Sylvius et communis contra Lessium. Hanc tamen violationem quidam non reputant nisi venialem; quibus assentior, modò sit breve intervallum, puta, semiquadrantis circiter, quia

tunc videtur materia levis : secùs si sit notabile intervallum, juxta sequentia.

Ex secundo capite, qui sive sufficienter, sive insufficienter refectus, sive cum animo, sive sine animo repetendi mensam, abrumpit sine causâ legitimâ refectionem, et post notabile tempus, puta, unius horæ, etiam sistendo intra tempus legitimum refectionis, repetit mensam ibidem vel alibi, peccat mortaliter, vel contra substantiam jejunii, si jam fuerit sufficienter refectus, vel contra modum unicæ refectionis ab Ecclesiâ præscriptum, si non fuerit sufficienter refectus ; quia ob notabile spatium intermedium non censetur moraliter una refectio, sed duplex. Si autem sit brevior mora, puta, unius quadrantis, et secundùm aliquos, semihoræ, videtur materia levis, ideòque peccatum veniale, maximè si non fuerit priùs sufficienter refectus et adfuerit animus continuandi postea. Si autem sit brevissima mora, nullum erit peccatum, quia parùm in moralibus pro nihilo reputatur, et non desinit ideò reputari moraliter una refectio. Hæc omnia satis communiter admittuntur, nisi quòd alii longiorem moram, alii breviorem assignent.

Ex dictis colliges 1° eos qui inter pocula et fercula confabulantur, nugantur, nuntia seu litteras legunt, modò refectionem non protrahant ultra duas horas, non peccare contra legem jejunii, quia moraliter censetur una refectio.

Colliges 2° eos qui, dùm prævident diù differendam esse refectionem, aliquid præsumunt intra horam legitimam, propter debilitatem præsentem, aut contra superventuram alioquin infirmitatem, non peccare ; si id faciant absque causâ, peccare venialiter aut mortaliter, pro quantitate materiæ et interpolationis. Hâc ratione quidam excusant lectores et ministros mensæ, qui aliquid sumunt ante prandium horâ tamen legitimâ, et statim post prandium aliorum absolvunt suam refectionem. Alii eos excusant, eò quòd censeatur una moraliter refectio. Ego neutram rationem universaliter sufficientem arbitror : non primam, quia non omnes indigent hoc adminiculo ; non secundam, quia tamdiù potest protrahi refectio, puta, ad duas horas, ut non possit censeri moraliter una refectio ex priori et posteriori assumpto. Quia tamen communiter theologi tales excusant, verius puto eos excusari ex consuetudine communiter receptâ etiam apud timoratos et religiosos.

§ 4. *De cœnulâ seu collatione.*

I. Diù ignota fuit in Ecclesiâ cœnula vespertina quæ dicitur collatio ; cùm enim unica permitteretur refectio, quæ sumenda erat in quadragesimâ, horâ vespertinâ, et in aliis jejuniis horâ nonâ, hoc est, tertiâ pomeridianâ, non erat locus collationi. Huic verisimiliter occasionem præbuit usus apud quosdam monachos bibendi ante lectionem seu collationem spiritualem, quæ vespere ante completorium fieri solebat, ut legitur in conventu abbatum Franciæ Aquisgrani, anno 817, his verbis : *Si necessitas poposcerit ob operis laborem post refectionem vespertinam, etiam et in quadragesimâ pari modo et quando officium mortuorum celebratur, priusquàm lectio completorii legatur, bibant.* Deinde potui additum est frustulum vel panis vel alterius cibi, ne potus noceret. Et ne tempus officiis vitæ regularis destinatum in eâ actione tereretur, lectionem seu collationem spiritualem quæ in claustro seu capitulo fieri solebat, his diebus in refectorio habuerunt, et hunc ad refectorium aditum his verbis significabant, *ire ad collationem, ire ad lectionem collationum*, et sic nomen collationis ad serotinam illam refectiunculam translatum est.

Verùm non in solo potu, adhibito frustulo alicujus cibi solidi per modum medicinæ, ne potus noceret, semper stetit hæc collatio, sed aucta est tandem ad aliqualem nutritionem, ac per modum cibi sumpta cœnula evasit. Quando hæc initium habuit non satis constat. Videtur quòd tempore D. Th. (obiit anno 1274, nondùm erat in usu ; ubicumque enim S. doctor agit de jejunio, illud reponit in unâ refectione, nullâ mentione factâ collationis ; et constitutiones nostræ, circa hæc tempora editæ, nonnisi potûs meminerunt his verbis : *Infra verò lectionem bibere poterunt... datâ benedictione ab hebdomadario : largitor omnium bonorum benedicat potum servorum suorum.* Probabile est tunc cœnulam fuisse introductam, quando anticipata est hora refectionis à vespere et tertiâ pomeridianâ ad meridiem ; cùm enim, si post tam maturam diei refectionem, homines nihil ampliùs cibi sumerent, difficilè noctu somnum capere possent, consuetudine paululùm invalescente, cœnula vespertina fuit introducta.

II. Cæterùm, quidquid sit de origine hujus cœnulæ, nunc saltem constat esse licitam, non solùm ne potus noceat, aut somnus impediatur, sed etiam ad aliquam nutritionem ex indulgentiâ matris Ecclesiæ, hanc relaxationem in suâ lege tolerantis. Id admittunt unanimiter theologi, et confirmat praxis omnium etiam timoratorum. Sed circa quantitatem et qualitatem ciborum sumendorum in hâc cœnulâ, tanta est sententiarum varietas, ut vix duos sibi consentientes reperias, et ferè tot sint sententiæ quot capita.

III. *Circa qualitatem :* Quidam permittunt solùm panem ; alii cum pane fructus arborum crudos, poma, pira, uvas, cerasa, acetarium, etc. ; quidam butyrum et caseum ; quidam pisciculos paucos non coctos, sed furvo duratos, aut aceto maceratos, quidam etiam coctos, item et legumina cocta, imò et jusculum coctum ex his quæ licita sunt in collatione, ut ex vino vel cerevisiâ, vel aquâ cum pane, herbis, butyro, vel oleo conditum. Cùm enim, inquiunt, liceat hæc sumere seorsim in collatione, quidni pariter liceret sumere jusculum ex his commixtis et coctis confectum, cùm nihil referat calidum vel frigidum sumatur? Negant alii, contendentes ignis concoctionem multùm mutare materiam subjectam, ita ut alium ex eâ cibum faciat nutritioni magis servientem. Quidam generaliùs determinant posse sumi quæ in jentaculis apponi solent vel præmitti in refectionibus ad excitandum appetitum, vel postponi ad sigillandum cibum, *en dessert*. Quidam

tandem volunt non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem duntaxat, ita ut ex omnibus cibis esurialibus, seu qui die jejunii licitè sumuntur in prandio, piscibus, leguminibus, ovis, etc., etiam liceat sumere in collatione, modò servetur quantitas. Ita Cajetanus, in Summulà, v. *Jejunium*, cap. 1, n. 9, dicens : *Non referre quid quisque sumat, si modum non excedit.* Ita Bonac. de Præceptis Eccl. disp. ult., q. 1, puncto 3, citans Asor., Tolet., Abul., Reginald., Filluc. Ita Loth citans Jacob. Marchant. in Resolut. pastor., p. 2, c. 5; Wiggers tract. de Temp., c. 1, dub. 4. Ita etiam Sporer, in Append. ad 3 præceptum Decalogi, sect. 2, § 3, n. 32, citans Petrum Marchant. Tribun., parte 2, tract. 12, tit. 3, q. 3, dub. 1, cujus ratio est quia *cùm collatiuncula illa tolerata sit, seu permissa ad aliquam confortationem naturæ propter infirmitatem humanam, nihil refert quo cibo esuriari illa confortatio fiat, modò non excedatur.*

In tantà opinionum varietate, rectiùs docere mihi videntur qui dicunt standum esse probatæ consuetudini regionis in quâ quis vivit. Quia cùm collatio ortum habeat à consuetudine, etiam consuetudine modus ejus regi debet.

IV. *Circa quantitatem* non minùs dissentiunt auctores, dùm alii ad unam panis unciam cum dimidiâ restringunt, alii ad duas, alii ad tres, quatuor, quinque, sex, extendunt : quasi verò quivis panis aliusve cibus esurialis sit ejusdem virtutis nutritivæ, et alter altero non sit substantior, et quod sufficit uni omnibus sufficiat. Relictis ergo his opinionibus ut infundatis et arbitrariis; alii assignant pro quantitate collationis leve aut semiplenum jentaculum, alii quartam, alii quintam, alii sextam partem ordinariæ refectionis; sed hæ sententiæ videntur etiam arbitrariæ, et nisi aliquid addatur, patiuntur easdem instantias ac prior. Itaque, salvo meliori judicio, duo sunt attendenda, juxta quæ regi debet quantitas collationis. Primum est consuetudo cujusvis regionis inter timoratos recepta; non enim est una in omnibus : sic in frigioribus regionibus plus concedi solet quàm in calidioribus; in his partibus satis communiter assumitur pro cœnulâ quod æquivalet mediocri jentaculo, aut quartæ tertiæve parti refectionis ordinariæ.

2° Inspicienda est conditio personæ jejunantis; plus enim concedi debet seni seu debili quàm adolescenti aut robusto, plus voraci quàm fame carenti : idque ratio suadere videtur. Sicut enim, juxta S. Th., *quantitas cibi non oportuit eadem omnibus taxari* (in refectione) *propter diversas hominum complexiones, ex quibus contingit quòd unus majori alter minori cibo indiget*, ita nec oportuit eadem omnibus taxari in refectiunculâ, quæ permittitur etiam ad indigentiam naturæ aliqualiter sublevandam.

Dicimus itaque quòd ex primo capite quisque potest sumere in collatione tantùm quantùm sumi communiter solet in suâ patriâ, eodem semper principio, quòd collatio à consuetudine vim habeat. Ex secundo capite, potest plus sumere etiam quàm sumi soleat communiter, qui plus indiget.

Sed dices fortè : Si collatio debeat sumi respectivè, ad conditionem personæ, ita ut plus sumere possit plus indigens, minùs qui minùs indiget, ergo nihil sumere debet et potest qui nullatenùs indiget, quales sunt plurimi quibus unica plena refectio abundè sufficit ad sedandam famem per totum diem et ad naturam sustentandam : atqui hoc videtur inconveniens : ergo. — R. N. sequelam majoris. Quia licèt ex secundo capite collatio sit respectiva, ex primo tamen capite est absoluta, ita ut quisque consuetudine permittente, possit absolutè sumere quantùm communiter sumi solet in suâ patriâ, sive indigeat, sive non. Unde est tantùm respectiva hoc sensu, quòd qui plus indiget plus sumere possit quàm sumitur communiter, non autem quòd qui minùs indiget minùs sumere debeat quàm sumitur communiter, sed minùs quàm qui plus indiget. Sicut quia lex jejunii permittit sumere unam integram refectionem, quisque, sive indigeat sive non, potest eam sumere absque transgressione legis; ii autem qui plus indigent, possunt sumere largiorem quàm sumi solet communiter, absque eo quòd qui non indigent teneantur vi legis abstinere ab eâ quæ communiter sumi solet. In hoc tantùm est disparitas, quòd in plenâ refectione lex nullatenùs taxet cibi quantitatem, ita ut non indigens qui lautiùs pranderet, non peccaret contra legem jejunii, sed contra temperantiam tantùm : in refectiunculâ autem consuetudo taxat in communi et secundùm se certam quantitatem, puta, æquivalentem mediocri jentaculo, ultra quam communiter non itur; non prohibet tamen quin per accidens quis possit plus sumere, si nempe plus indigeat. Cæterùm, id unum omnibus et semper est observandum, ut sic attemperetur cœnula quòd non vertatur in cœnam.

Petes 1° quantus excessus requiritur in collatione ad peccatum mortale. — Meo sensu talem requiri qui seorsim sumptus sufficeret ad alteram collationem : sicut dixi supra, talem quantitatem sufficere ad fractionem mortalem jejunii.

Petes 2° utrùm liceat sumere collationem meridie, prandio in vesperam dilato. — R. Non licere sine causâ; quia est contra consuetudinem Ecclesiæ. Hæc tamen transmutatio non est nisi venialis, quia non est violatio jejunii quoad substantiam, sed quantùm ad circumstantiam non multùm gravem, cùm difficilius sit sustinere famem, sumptâ manè collatione, ad vesperam, quàm suscepto prandio. Occurrente autem aliquâ causâ rationabili quæ non debet esse multùm gravis, v. g., itineris, studii, lectionis, aut concionis habendæ, alicujus negotii peragendi, amici adventuri, etc., nulla est culpa. Ita communiter.

Petes 3° utrùm vigiliâ Nativitatis possit sumi largior collatio. — R. Negativè, nisi ubi viget consuetudo contraria (non videtur vigere in his partibus), aut nisi labor assumendus in cantu plurium horarum excuset.

§ 5. *Utrùm juxta S. Thomam potus solvat jejunium.*

Nota 1° Ex his qui contendunt potu solvi jejunium, quidam concedunt non solvi potu aquæ simplicis.

Natalis Alexander, lib. 4 Theol. Dogmat. et Moral. cap. 5, a. 7, Reg. 14, his verbis : *Aqua quidem secundùm se non nutrit, et ob hoc non solvit jejunium.* Non sic tamen, S. Thom. in 4, d. 15, q. 4, a. 4, quæstiunc. 1, ad 1 : *Aqua*, inquit, *etsi solvat jejunium naturæ, quia aliquo modo nutrit, non tamen solvit jejunium Ecclesiæ, quia Ecclesia non attendit in statuendo id quod quomodocumque nutrire potest, sed id quod principaliter ad nutriendum ordinatum est.* Alii paulò liberaliores concedunt quòd licèt vinum, cerevisia, sicera et similes liquores nutriant, liceat tamen eis uti extra horam refectionis ex necessitate, seu ad extinguendam sitim, sed ultra sumptos frangere jejunium. Ex aliâ parte quidam plus æquo indulgentes, ita volunt licitum esse omnem potum, ut etiam sumptus in fraudem jejunii, causâ sedandæ famis et nutriendi, non solvat jejunium, nec etiam si aliquid cibi sumatur toties quoties bibitur, ne potus noceat. Idem censent de *chocolat* sumpto ad nutritionem et ad extinctionem famis.

Nota 2°. Esto potum non prohiberi lege jejunii, ut modò dicam, certò tamen constat eum qui bibit sine necessitate extra horam refectionis, agere contra finem præcepti, peccare contra temperantiam, et jejunii meritum perdere vel in toto vel in parte, in toto, si sit immoderantia mortalis; in parte, si sit venialis, eo modo, v. g., quo qui in fine orationis voluntariè distrahitur perdit ex illâ parte meritum orationis. Quapropter omninò culpandi sunt qui non sine fidelium scandalo dies jejunii agunt in popinis, seque vino aut cerevisiâ ingurgitant. Sed utrùm etiam peccent contra legem jejunii, quæstio est, secundùm mentem D. Th.; quæ, ut magis elucescat, vix aliquid de meo proferam, sed omnia ferè ex S. doctore, cujus etiam verba, juxta id quod consuevi, distinctis signis notabo. Itaque

Dico. Juxta S. Thomam potus propriè sumptus secundùm se non frangit jejunium. — Probatur 1° : S. doctor hìc a. 9, sibi proponit secundo loco hoc argumentum : *Sicut homo nutritur cibo, ita et potu..... sed non est prohibitum quin bibamus pluries diversis horis diei : ergo etiam non debet esse prohibitum jejunantibus quin pluries comedant.* Cui argumento respondet ad secundum his verbis decretoriis : *Jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium : non autem intendit Ecclesia interdicere sumptionem potûs, qui magis sumitur ad alterationem sedandam et digestionem ciborum assumptorum quàm ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat; et ideò licet pluries jejunantibus bibere;* ergo juxta S. Thomam potus propriè sumptus secundùm se non solvit jejunium.

2° Ibidem immediatè subjungit : *Si autem quis immoderatè potu utatur, potest peccare et meritum jejunii perdere; sicut etiam si immoderatè cibum in unâ comestione assumat.* Subsumo : Atqui qui cibum immoderatè sumit in unâ comestione non frangit jejunium, sed peccat duntaxat contra temperantiam; ergo juxta S. Th. potus propriè dictus, etiam immoderatè sumptus, secundùm se non frangit jejunium.

3° In 4, dist. 15, q. 3, a. 4, quæstiunc. 10, sic discurrit : *Jejunium dupliciter solvitur, uno modo quantùm ad meritum, ita quòd homo vel non meretur, vel minùs meretur; et de hâc solutione jejunii non intendimus ad præsens... Alio modo solvitur jejunium secundùm quòd est ab Ecclesiâ institutum... et de hâc solutione jejunii nunc quærimus. Ad hoc autem præcipuè valet considerare intentiones statuentis. Intendit autem Ecclesia certum modum statuere manducandi, ut scilicet semel in die jejunans manducet : et ideò si aliquorum sumptio secundùm quæ manducatio solet compleri iteretur, jejunium prædicto modo acceptum solvitur. Si autem aliqua sumantur quæ ad manducandum de se non sint ordinata, sed ad alium usum, qui usus communiter manducatio non vocatur, talis cibi vel potûs sumptio præter manducationem unam ante vel post, non facit esse binam manducationem; et ideò talis sumptio jejunium non frangit.* Subsumo : Atqui potus propriè dictus non est de se ordinatus ad manducandum, sed ad potandum, et ejus usus communiter manducatio non vocatur : ergo juxta S. Th. potus propriè dictus secundùm se non frangit jejunium.

4° Ibidem ad primum : *Quamvis aliquis potus aliquo modo nutriat, tamen de se non ordinatur ad nutriendum, sed magis ad bonam dispositionem eorum quæ nutriunt, ut scilicet per membra deducantur et in stomacho non comburantur : unde sumptio potûs manducatio non dicitur; et ideò qui potat extra horam unicæ refectionis, non dicitur bis manducare, et propter hoc nec statutum Ecclesiæ frangit, nisi fraudem faciat, quia legem violat qui in fraudem legis aliquid facit.* Ergo, juxta S. Th., potus propriè dictus secundùm se non frangit jejunium.

Hæc plana sunt, nec commentariis indigent : unde meo sensu cæcutiunt in meridie qui S. doctoris mentem in dubium revocant.

Dixi 1° *potus propriè dictus*, qui nimirùm, ut dicit S. doctor ex suâ naturâ et principaliter ordinatur ad refrigerationem et digestionem, licèt aliquo modo nutriat, ut sunt vinum, cerevisia, sicera, aqua, et alii similes liquores. Unde lac, mel, jusculum, *bouillon*, *chocolat*, et similia, non censentur potus, quia licèt non dicantur manducari, neque propriè potari, sed sorberi, potiùs tamen secundùm se ordinantur ad nutritionem quàm ad refrigerationem et digestionem, et sic sunt magis cibus quàm potus; et ideò frangunt jejunium (1). Quantùm ad *thé* et *café*, quamvis aliquo modo nutriant, ratione jusculi herbarum, aut fabarum et sacchari, cùm tamen secundùm se sumantur principaliter ad refrigerationem et digestionem,

(1) Si alicubi hæc permittantur, ut in Italiâ potio chocolati et alia hujusmodi, duo sunt observanda : 1° Hæc non permitti, nisi in parvâ quantitate, eo modo qui non censeatur adhibitus in fraudem jejunii. 2° Hanc licentiam non jure universali fundari, sed solùm usu particulari locorum, unde extendi non potest ad regiones ubi non viget illa consuetudo; quidquid enim suâ naturâ tendit non solùm ad sedandam sitim, sed ad nutritionem, vetatur jure communi, quo prohibetur ne sumatur cibus extra prandium et cœnulam.

videntur mihi habere rationem potûs, nec solvere jejunium, nisi fortè multùm lactis et sacchari immisceatur et sumantur in magnâ quantitate.

Dixi 2° *secundùm se*, quia per accidens potus potest solvere jejunium duplici modo. 1° Ratione consuetudinis; si enim in aliquâ provinciâ vel diœcesi vigeat consuetudo pro lege communiter acceptâ, abstinendi à potu extra horam refectionis, servanda est : sicut enim consuetudo potest præscribere contra legem, ita etiam potest vim legis obtinere. Quòd si non vi consuetudinis hæc abstinentia servaretur, sed ex falsâ opinione quòd lex jejunii secundùm se et vi suæ institutionis ad illam obliget, tunc ex solâ conscientiâ erroneâ et fortè ratione scandali quis peccaret bibendo. Depositâ autem hâc conscientiâ per saniorem doctrinam D. Th. non teneretur à potu abstinere, nisi secundùm leges temperantiæ et fortè scandali vitandi.

2° Potus per accidens frangit jejunium, quando sumitur in fraudem jejunii; *quia*, inquit S. doctor supra cit., *violat legem qui in fraudem legis aliquid facit.* At quando quis censetur bibere in fraudem legis, non est una omnium sententia. Quidam id fieri putant quando quis bibit immoderatè, aut ex solâ voluptate sine ullâ necessitate. Ita Pontas, v. *Jeûne*, c. 12 : Henricus à S. Ignatio, l. 11, c. 3; et sic etiam videtur sentire doctissimus Sylvius hìc.

Sed non sic S. Thomas : *Si quis*, inquit hìc, a. 6, ad 2, *immoderatè potu utatur, potest peccare et meritum jejunii perdere, sicut etiamsi immoderatè cibum in unâ comestione sumat.* Sed qui sumit immoderatè et ex solâ voluptate cibum in unâ comestione, non ideò censetur agere in fraudem jejunii, nec peccare contra legem jejunii, sed contra temperantiam tantùm : ergo. Item S. doctor in 4, loco citato, ad 3, ait : *Quidam dicunt quòd si electuaria comedantur ad delectationem, solvunt jejunium; si autem causâ medicinæ sumantur non solvitur jejunium* (electuaria sunt medicamenta saccharo vel melle condita, v. g., confecturæ). *Sed statutum legis positivæ non attendi intentionem observantis, sed ipsum actum, eò quòd modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti; sed ex intentione potest aliquis mereri vel demereri, et ideò dicendum quòd electuaria, etsi aliquo modo nutriant, non tamen hìc est principalis usus eorum; unde nec loco manducationis sumi consueverunt et ideò talis sumptio jejunium Ecclesiæ non solvit, quamvis homo possit totaliter vel in parte ex hoc meritum jejunii perdere, vel etiam mortaliter peccare, si sit immoderata libido; non tamen est transgressor præcepti Ecclesiæ, nisi in fraudem sumeret, aut si eis quasi aliis cibis uteretur ad famem extinguendam.* Ergo sumere præcisè immoderatè et ex voluptate electuaria, à fortiori potum, non est agere in fraudem legis jejunii, nec eam transgredi.

Ille itaque, juxta S. Thomam, dicendus est sumere potum aut electuaria in fraudem legis qui, ut dicit S. doctor in textu præcedenti, *eis utitur quasi aliis cibis ad extinguendam famem* et ad nutriendum; vel, ut dicit hìc, a. 6, ad 3, qui ea assumit per modum cibi. Hoc autem assumitur *per modum cibi*, quod assumitur ad sedandam famem et ad nutriendum; ad id enim ordinatur cibus. Qui igitur eo animo sumit potum aut electuaria, agit in fraudem legis, et ideò peccat, vel mortaliter si sumat in magnâ quantitate, vel venialiter si in parvâ.

Ex his colliges hoc famosum et ubique decantatum adagium : *Liquidum non frangit jejunium*, ex duplici capite esse falsum, nec à S. Th. unquàm traditum, quin ab ejus mente prorsùs alienum.

1° Quia, licèt omnis potus sit liquidum, non tamen omne liquidum est potus, ut patet de lacte, jusculo et aliis, ut dixi supra; solus autem potus propriè dictus juxta S. Th. non frangit jejunium. 2° Quia, juxta eumdem S. doctorem, potus etiam propriè dictus potest per accidens frangere jejunium, si nempe sumatur in fraudem jejunii per modum cibi, et etiam, ut dixi, ratione consuetudinis.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1° S. Th. hìc a. 1 et 3, dicit jejunium assumi ad concupiscentias refrenandas, ad elevationem mentis ad Deum et ad satisfactionem pro peccatis; et ad 2, quòd *si quis transgrediatur* (legem) *hoc modo ut impediatur finis quem intendit* (legislator), *peccet mortaliter talis transgressor*, atqui qui immoderatè bibit vinum aut cerevisiam impedit finem quem legislator jejunii intendit, scilicet refrenationem concupiscentiæ, elevationem mentis ad Deum, etc.; ergo. Ita Henricus à S. Ignatio.

2° S. Th. hìc, a. 6, ad 3, dicit quòd, « si aliquis in « fraudem electuaria in magnâ quantitate sumat per « modum cibi, » solvat jejunium : atqui eadem est ratio de potu maximè substantiori, ut est pinguis cerevisia, aut vinum generosum : ergo. Ita Sylvius. — R. ad primum. Fateor eum qui transgreditur legem hoc modo ut impediatur finis legislatoris, peccare mortaliter; sed qui bibit extra horam refectionis non transgreditur legem, siquidem lex *non intendat interdicere sumptionem potûs.* Hìc a. 6, ad 2. — Ad secundum. Datâ minori, N. consequentiam. Non enim dicit S. Th. quòd qui sumit electuaria in magnâ quantitate, præcisè agat in fraudem jejunii, sed qui sumit in magnâ quantitate *per modum cibi :* sic etiam sumptum potum fatemur solvere jejunium; sumitur autem, ut jam dixi et modò adhuc dicam, per modum cibi, quando sumitur ad extinguendam famem et ad nutriendum.

Omisi minorem, quia potest negari, et veritas asserta; cùm enim electuaria, ut plurimùm solida, manducentur et sint valdè substantiosa, si sumantur in magnâ quantitate, moraliter loquendo et in apprehensione hominum, censentur comedi et sumi per modum cibi : hìc enim res moraliter agi et judicari debet; secùs de potu qui, cùm sit liquidus et minùs substantiosus, quantùmvis sumatur, non censetur moraliter comedi, nec sumi per modum cibi ad extinguendam famem et nutriendum, nisi id formaliter intendat bibens.

Inst. 1° : Qui potu utitur immoderatè ex solâ voluptate, non eo utitur ut potu : ergo ut cibo. Probatur ant. Potus secundùm D. Th. est qui ordinatur

ad refrigerationem et digestionem : atqui qui utitur potu immoderatè, non eum ordinat ad refrigerationem et digestionem : ergo. — R. N. ant. ad prob. D. min. Qui utitur potu immoderatè, non eum ordinat ad refrigerationem, et digestionem et tamen ex se, hoc est, ex suâ naturâ et institutione ad id ordinatur, C. ; et ex se ad id non ordinatur, N. Non dicit autem S. Th. id esse potum quem potans ordinat ad refrigerationem et digestionem, sed id quod de se, hoc est, ex suâ naturâ ex institutione ad id ordinatur. Sicut qui immoderatè cibum sumit, quamvis eum non ordinet de facto ad extinguendam famem et ad nutriendum, sed ad solam voluptatem, quia tamen ex se ad id ordinatur, remanet cibus.

Insuper dato primo antecedente, potest negari consequentia. Ex eo enim quòd quis non utatur vino ut potu, non sequitur quòd utatur ut cibo ; sicut ex eo quòd quis non utatur pane ut cibo, non sequitur quòd eo utatur ut potu. Potus enim et cibus non sunt contraria immediata.

Inst. 2° : Qui immoderatè utitur potu validiori in magnâ quantitate, v. g., cerevisiâ crassâ, aut vino generoso, quamvis formaliter et explicitè non intendat uti per modum cibi in fraudem ad extinguendam famem et ad nutritionem, hoc ipso tamen quo sentit ex eo, in se famem extingui et corpus multùm nutriri, de facto fraudat legem, sicque videtur saltem virtualiter et implicitè uti tali potu per modum cibi in fraudem. Ergo. — R. non ita visum fuisse doctori Angelico. *Si quis*, inquit hìc ad 2, *immoderatè potu utatur, potest peccare et meritum jejunii perdere, sicut si immoderatè cibum in unâ comestione assumat ;* porrò qui cibum immoderatè sumit in unâ comestione, non censetur fraudare neque violare legem jejunii, nisi id formaliter intendat : ergo neque qui potu immoderatè utitur.

Itaque negandum est antecedens. Nemo enim dicitur fraudare legem, qui facit quod lex non prohibet, nisi eo animo faciat ut fraudet legem, sed dicitur uti jure suo. Si dicas neminem habere jus bibendi immoderatè, fateor vi præcepti temperantiæ, nego vi præcepti jejunii, quia eo non prohibetur : unde peccat contra temperantiam, sed non contra præceptum jejunii.

Inst. 3° : S. Th. in 4, cit. ad 3, loquens de electuariis, dicit quòd, *quis esset transgressor præcepti Ecclesiæ, si ea in fraudem sumeret, aut si iis quasi aliis cibis uteretur ad famem extinguendam ;* ergo juxta S. Th. aliud est sumere electuaria in fraudem, aliud ea sumere per modum cibi ad famem extinguendam : porrò non videtur quomodò non sumpta per modum cibi sumantur in fraudem, nisi quando sumuntur in magnâ quantitate : eadem autem videtur esse ratio de potu. — R. 1° me jam assignâsse disparitatem inter electuaria et potum, ita ut qui electuaria sumit in magnâ quantitate, moraliter censeatur comedere et sumere in cibum, licèt id formaliter non intendat : secùs de potu. — R. 2° τὸ *aut* non hìc sumi in vi copulæ disjunctivæ, sed apponi majoris explicationis, ergo ; sicut si diceret S. doctor : Si ea in fraudem sumat iis utendo quasi aliis cibis ad famem extinguendam. Sic cùm dico : Si Paulus qui vendidit equum Petro ipsum defraudavit, aut equum morbidum pro generoso supposuit, tenetur ad restitutionem ; ast *aut* non sumitur disjunctivè, sed explicativè, ita ut sensus sit : Si Paulus fraudaverit Petrum ipsi supponendo equum morbidum pro generoso, tenetur ad restitutionem. Similiter in nostro casu. Certum est enim quòd uti electuario ut cibo, sit modus fraudandi legem, nec apparet quòd præter eum sit alius. Et ideò S. doctor, in Summâ, hìc, ad 3 utrumque pro uno et eodem accipit, scilicet agere in fraudem et sumere electuaria in magnâ quantitate per modum cibi, dùm dicit quòd is solvit jejunium qui « in fraudem electuaria in magnâ quantitate assumit per modum cibi ; » quibus verbis explicat quòd sumere in fraudem sit sumere per modum cibi, et significat quòd sumere in magnâ quantitate, præcisè non sit sumere in fraudem, nisi sumatur per modum cibi.

Cæterùm mihi sanè mirum est velle per tot diverticula et illationes scrutari mentem S. doctoris, dùm ipse eam formalissimis et patentissimis terminis prodit : audi ergo iterùm, argumentator, et acquiesce : *Jejunium non solvitur nisi per ea quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium ; non autem intendit Ecclesia interdicere sumptionem potûs :* hìc, ad 2. Item : *Si quis immoderatè potu utatur, potest peccare et meritum jejunii perdere, sicut si immoderatè cibum in unâ comestione assumat ;* ibid. Item : *Sumptio potûs non dicitur manducatio, et ideò ille qui potat extra horam unicæ comestionis, non dicitur bis manducare, et propter hoc nec statutum Ecclesiæ frangit :* in 4 citato, ad 1. Quid vis clarius? quid expressius?

Obj. 2° : Primæva lex jejunii interdicebat omnem potum extra horam refectionis : ergo.—Probatur ant. 1° ex jejunio veteris Testamenti, ad cujus instar institutum est jejunium ecclesiasticum. Esdras jejunans panem non comedit et aquam non bibit, Esd. 1, c. 10. Jejunium Ninivitarum fuit in abstinentiâ panis et aquæ : *Homines et jumenta non gustent quidquam, nec pascantur et aquam non bibant.* Jonæ 3.

2° Ex testimonio Patrum. S. Greg. Nissenus, in Orat. in principio jejunii : « Amarum est, inquit, jejunium, sed dulcis paradisus ; molesta est sitis, sed propè est fons ex quo qui biberit non sitiet in æternum. » S. Fructuosus, episcopus Tarracon., cùm duceretur ad supplicium, oblatum potum recusavit, quia jejunii dies erat et nondùm advenerat hora nona, prout refert S. Prudentius, hymno sexto Peristephanon, his versibus :

Jejunamus, ait, recuso potum,
Nondùm nona diem resignat hora ;
Nunquàm conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipsa meum sacrum resolvet.

Sylvanus abbas, ut refert Ruffinus, lib. 3 de Vitis Patrum, c. 46, discipulum sitientem et aquam bibere volentem prohibuit, eò quòd esset jejunium Ergo.

Hæc objectio non impetit directè conclusionem nostram in quâ præcisè agitur de mente D. Thomæ. Probat autem, si quid probat, errâsse S. Thomam; sed quia id omninò falsum existimo, ideò ad argumentum resp. 1° ipsum nimis probare, adeòque nihil. Ex eo enim sequitur quòd non solùm vinum, sed nec aquam liceat bibere, urgente siti, extra refectionem: quod non admittunt ipsimet adversarii.—R. 2°: Nego ant. Ad probationes, nego iis probari hanc unquàm fuisse toti Ecclesiæ legem impositam abstinendi à potu extra horam refectionis. Inprimis quæ afferentur ex veteri Testamento nihil omninò probant. 1° Quia jejunium Esdræ fuit arbitrarium, et jejunium Ninivitarum fuit ipsis singulare et extraordinarium. 2° Quia esto jejunium ecclesiasticum sit ad instar jejunii veteris Testamenti, non debet tamen illi in omnibus assimilari; aliàs sequeretur quòd nobiscum deberent jejunare jumenta, nec liceret nobis quidquam comedere aut bibere per totum diem.

Quæ verò objiciuntur ex SS. Patribus non etiam sufficienter probant. Possunt enim intelligi vel de jejunio arbitrario ex fervore devotionis rigidiùs assumpto, vel de jejunio obligatorio quod sibi privatâ lege aut voto imposuerant seu impositum habebant ex severiori disciplinâ alicujus instituti. Aut si loquantur de jejunio ecclesiastico, intelligendi sunt juxta morem alicui provinciæ particulari proprium, non toti Ecclesiæ communem. Et eò difficiliùs adducor ut credam legem jejunii ex suâ institutione unquàm interdixisse potum extra tempus comestionis, quòd S. Thomas apertè contrarium indicet, siquidem licentiam bibendi non ex consuetudine aut indulgentiâ Ecclesiæ, sed ex ipsâ jejunii institutione ubique repetat: dicit enim hìc ad 2: *Jejunium non solvitur nisi per ea quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium* (audis instituendo); *non enim intendit Ecclesia interdicere sumptionem potûs*. Similiter in 4, cit. loc., et ad 2.—R. 3°: Dato ant., scilicet quòd Ecclesia in primâ jejunii institutione abstinentiam à potu intenderit, saltem constat quòd nunc eam ampliùs non intendat, huncque primævum rigorem ex indulgentiâ remiserit. Hujus intentionis benignæ matris Ecclesiæ mihi testis est omni exceptione major doctor Angelicus qui Romæ vixit, summis pontificibus et aliis Ecclesiæ et prælatis notus et familiaris, cui proinde meliùs quàm cuivis alteri contrarium opinanti perspecta fuit intentio Ecclesiæ in hâc communi lege, et cujus scripta tot encomiis non celebrâssent SS. pontifices, quin potiùs emendari curâssent, si tam apertum errorem docuissent. Testis est insuper constans praxis omnium etiam eruditorum et timoratorum in plerisque orbis catholici provinciis.

Inst. Juxta SS. Patres, olim toto tempore quadragesimæ erat interdictus potus vini, ut patet ex Cyrillo Jerosol. Catechesi 4: *Jejunamus*, inquit, *à vino et carne;* et ex constitutionibus apostolicis S. Clementis, lib. 5, can. 19, ubi legitur: *A vino et carnibus abstinete in iis diebus*. Ergo.—R. Ex hâc instantiâ nihil contra nos. Non enim in eâ agitur de abstinentiâ à quocumque potu extra refectionem, sed de abstinentiâ à certo genere potûs, scilicet vini, non solùm extra, sed etiam intra refectionem, sicut de abstinentiâ à certo genere cibi, scilicet carnium. Ex eo autem quòd prohibitus fuerit usus vini etiam in ipsâ refectione, non sequitur quòd prohibitus fuerit quivis alius potus, sive intra sive extra refectionem. Et cùm nunc iste rigor non vigeat ampliùs, ususque vini permittatur, eo licet uti non secùs ac alio potu, sive intra sive extra refectionem. Imò neque omninò certum arbitror usum vini fuisse unquàm lege communi jejunii toti Ecclesiæ interdictum; proindeque præfatæ auctoritates intelligi possunt vel de consilio, vel de more alicui provinciæ proprio, non toti Ecclesiæ communi. Id mihi suadet S. Thomas, qui hìc art. 8, ad 1, docet Ecclesiam lege jejunii convenientiùs interdixisse usum carnium quàm vini et leguminum, quia licèt hæc tria conducant ad libidinem, id tamen præstat esus carnium subministrando humorem qui diù manet, vinum autem ministrando calorem, et legumina ministrando spiritus, qui calor et spiritus citò transeunt.

Obj. 3°: Ex hâc quam dicimus S. Thomæ sententiâ sequitur quòd, qui præ nimio potu non potest manducare, verè jejunat et meliùs jejunat quàm qui abstinet in pane et aquâ, quia hic sumit unam refectionem quam ille non sumit: atqui consequens videtur absurdum et à mente S. doctoris alienum: ergo.—R. 1° majorem universaliter sumptam non esse veram. Si enim is nimiùm potâsset in fraudem jejunii, aut contra consuetudinem in suâ provinciâ receptam, ut explicui supra, verè non jejunaret. Sed extra hos casus, resp. 2° talem verè jejunare hoc sensu quòd non peccet contra legem ecclesiasticam, non autem hoc sensu quòd tale jejunium sit illi meritorium. Ad id quod additur, nego ipsum meliùs jejunare; non enim ille meliùs jejunat qui magis abstinet simpliciter, sed qui magis abstinet ex motivo virtutis. Unde, v. g., qui abstinet in pane et aquâ ex avaritiâ ut parcat sumptibus, non meliùs jejunat quàm qui ordinario modo abstinet ad carnem domandam, aut ad satisfaciendum pro peccatis.

Obj. 4°: Potus est pars refectionis: atqui permittitur tantùm una refectio: ergo bibens extra refectionis horam sumit plusquàm unam refectionem.— R. Dist. maj. Potus est pars assumpta ut cibus reficiens, nego: assumpta ut ciborum vehiculum et digestivum, conc. Et ideò sumpta extra refectionem, non facit alteram refectionem.

Petes 1° utrùm sumere liceat leve quid cibi ne potus noceat.—R. Si potus sit necessarius, licet, quia tunc sumitur per modum medicinæ: nec probo quod dicit Henno, potum necessarium solitariè sumptum nunquàm nocere. Si non sit necessarius et sæpiùs iteretur cum cibo levi, non licet; quia tunc moraliter loquendo, censetur potiùs sumi per modum cibi quàm per modum medicinæ.

Petes 2° utrùm ad sedandum sitim liceat manducare poma, pira, cerasa et similia.—R. negativè, ab-

solute loquendo. Quia hæc sunt verè cibus, et ideò dicuntur manducari et non bibi. Quia tamen in casu petitionis sumuntur quasi potus, et aliunde sunt cibi valdè leves et leviter transeuntes, longè major in eis quantitas requiritur ad frangendum jejunium quàm in aliis cibis.

Articulus IV.

De horâ solvendi jejunii.

Dico 1° : Prioribus Ecclesiæ seculis, hora solvendi jejunii communis extra quadragesimam erat nona, hoc est, tertia, pomeridiana : intra quadragesimam protendebatur ad vesperam.

Probatur prima pars : S. Epiphanius, in fine librorum adversùs hæreses, dicit : *Quarta et pro sabbato jejunium statutum est usque ad horam nonam.* S. Aug. Epist. 18 ad Januarium dicit, horam solvendi jejunium esse nonam. Cassianus, Collat. 21, cap. 25, scribit horam capiendi cibi esse nonam. Patebit adhuc ex sequentibus ; unde :

Probatur secunda pars : S. Hieron. in Epist. ad Eustochium dicit, monachos solvere jejunium post horam nonam, exceptâ quadragesimâ in quâ districtiùs vivitur. S. Bernardus, serm. 3 de Quadragesimâ : *Hactenùs*, inquit, *usque ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum universi reges et principes, clerus et populus, et ignobiles, simul in unum dives et pauper.* Concilium Cabilonense, anno 650, et refertur cap. *Solent, de Consecrat.* dist. 1, sic habet : *Solent plures qui se jejunare putant in quadragesimâ, mox ut signum audierint, ad horam nonam comedere ; qui nullatenùs jejunare credendi sunt, si ante manducaverint quàm vespertinum celebretur officium : concurrendum est enim ad missas, at auditis missarum solemnibus et vespertinis officiis et largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad missam venire non valeat, æstimatâ vespertinâ horâ, completâ oratione suâ jejunium solvat.* Ex quibus colligitur tunc temporis missam celebrari horâ nonâ, hoc est, tertiâ pomeridianâ ; post missam vespertinum officium, quo completo refectio sumebatur : unde promiscuè apud SS. Patres refectio in die jejunii dicitur *cœna*, et non prandium.

Dico 2° : Seculo decimo tertio mos obtinuit ut omnia jejunia indistinctè solverentur horâ nonâ, seu tertiâ pomeridianâ.

Hujus moris testis est S. Thomas hîc, art. 79, ubi etiam rationes congruentes profert. Prima, quia est communis consuetudo hominibus comedendi circa duodecimam in summo solis ascensu : abstinendo autem per tres horas usque ad tertiam, habetur aliqua notabilis castigatio carnis, nec tamen per hoc multùm gravatur natura : ergo. Secunda, quia hora nona, id est, tertia pomeridiana, convenit passioni Christi, quæ completa fuit horâ nonâ, quando inclinato capite tradidit spiritum ; jejunantes enim dùm carnem suam affligunt, passioni Christi conformantur. Ex quibus habes malè à quibusdam intelligi S. Thomam de horâ nonâ inchoatâ et non completâ.

Dico 3° : Nunc hora solvendi jejunii est circa meridiem.

Ita passim obtinuit consuetudo, vidente et annuente matre Ecclesiâ, hominum infirmitati indulgente.

Paucis post annis à D. Thomâ, consuetudinem hanc obtinuisse testatur Durandus, ejusdem seculi scriptor, in 4, dist. 15, art. 3, q. 9, his verbis : *Comedentes in quadragesimâ et quibuscumque aliis jejuniis, circa horam sextam* (id est, duodecimam), *non peccant ; quia tam papa quàm cardinales, prælati et religiosi sic observant.*

Hanc mutationem horæ nonæ in sextam esse rationabilem, probant Cajetanus hîc et Bellarmin. lib. 2 de bonis Operibus, cap. 2 ; quia quando homines solebant sumere refectionem circa meridiem, hora conveniens solvendi jejunii erat tertia pomeridiana. Hæc enim dilatio trium horarum erat congrua carnis mortificatio, ut dictum est. Ergo cùm nunc soleant homines refici, sive jentando sive prandendo, circa nonam matutinam hora conveniens solvendi jejunii est circa meridiem ; ibi enim ut ante intervenit dilatio trium horarum. Antiquæ tamen consuetudinis voluit Ecclesia manere quædam vestigia : unde in quadragesimâ ante refectionem cantantur Vesperæ, in aliis jejuniis cantatur Nona.

Dixi, *circa meridiem ;* non enim Ecclesia intendit arctare ad subtilem temporis inspectionem, quasi oporteret accipere astrolabium ad cognoscendam comestionis horam ; sed sufficit si circa illam horam quam Ecclesia determinat, jejunans sumat cibum. Unde usus invaluit tam apud regulares quàm seculares, ut possit comedi ad medium duodecimæ, imò in his partibus, saltem apud seculares, horâ undecimâ.

Dico 4° : Qui absque legitimâ causâ notabiliter anticipat horam refectionis in die jejunii, peccat mortaliter.

Est sententia probabilior et tutior Cajet., Navar., Sylvestri, Paludani, Sylvii, Marchantii et aliorum, contra Lessium, Layman, Toletum et alios ; ratio est quia transgreditur præceptum in re notabili : hæc enim conditio jejunii notabiliter facit ad carnis mortificationem quæ est finis præcepti, dicitur autem materia notabilis quæ notabiliter contrariatur fini legis.

Dices 1° : Hæc conditio non est essentialis jejunio, sed accidentalis tantùm, cùm Ecclesia pluries circa illam variaverit. Ergo. — R. 1° : N. ant. juxta S. Th., qui disertis verbis dicit : « Cùm Ecclesia instituit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit ; » non dicitur autem solvi jejunium omittendo id quod ipsi est accidentale. Ad probationem, R. ex ea nihil evinci, siquidem Ecclesia etiam variaverit circa unam refectionem, permittendo collationem ; nemo tamen dicit abstinentiam à multiplici refectione, prout nunc observatur, non esse de essentiâ jejunii : in hoc ergo sita est essentia jejunii, in quo illud statuit Ecclesia

pro diversis temporum congruentiis. — R. 2°: Dato ant. N. consequentiam. Sive enim hæc conditio sit essentialis, sive accidentalis jejunio, sufficit eam præcipi ab Ecclesiâ, ut censeatur peccare mortaliter qui eam omittit in notabili quantitate.

Dices 2° : Mortificatio seu difficultas quæ minuitur anticipando refectionem, augetur et compensatur diuturniore dilatione collationis, et sic in idem redit. Ergo.

R. N. ant. Ut enim omnes ferè fatentur et experiuntur, major et præcipua difficultas jejunii est ante primam refectionem, quâ plenè sumptâ facilè expectantur hora collationis, etsi quandoque contrarium per accidens contingat.

Dixi, *absque causâ legitimâ*, quia sicut causa legitima excusat à totâ lege, potest à fortiori excusare à parte. Causa autem legitima est quando quis non potest sine gravi incommodo sumere refectionem horâ solitâ, qualis est iter inchoandum, concio habenda, aliquod grave negotium tractandum circa meridiem, et similia. Multi addunt urbanitatem erga hospitem qui discessum differre non potest : sed non satis video quale gravamen communiter resultaret, si hæc urbanitas omitteretur legis ergo servandæ.

Petes quæ censeatur anticipatio notabilis? — Respondet hic doctissimus Sylvius, anticipationem mediæ horæ esse certò levem, anticipationem duarum horarum esse certò notabilem, anticipationem unius horæ esse probabiliter notabilem. Hoc ultimum mihi videtur durum. Cæterùm notari velim, majorem vel minorem causam requiri pro majori vel minori anticipatione, et eò majùs vel minùs esse peccatum, quò plus vel minùs causa accedit ad sufficientiam vel ab eâ recedit. Unde non puto eum peccare qui urbanitatis causâ comederet cum amico proficiscenti medio undecimæ, in his partibus ; quia, dato quòd non sit sufficiens causa ad notabilem anticipationem, ut dixi, est tamen sufficiens ad levem.

Articulus V.

De abstinentiâ à carnibus ovis et lacticiniis.

Nota. Circa hanc tertiam jejuniorum nostrorum conditionem, duæ hæreses contrariæ versantur. Prima est illorum qui quosdam cibos naturâ suâ immundos ac ideò illicitos reputabant, quales fuerunt Ebionitæ, Encratitæ, Eusthatiani, qui omnium animantium carnes dicebant immundas ; Manichæi, qui non solùm carnes, sed et vinum immundum dixerunt : quam hæresim, quoad vinum, secutus est Mahumetus in Alcorano, cap. 3, teste Bellarm. lib. 2 de bonis Operib. cap. 3. Hanc hæresim prædamnavit Deus ipse, dicens Noe post diluvium : *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum.* Prædamnaverunt suo exemplo Christus et ejus Apostoli qui, tum aliàs, tum potissimùm in ultimâ cœnâ agnum comederunt et vinum biberunt. Prædamnavit specialiter Paulus, 1 Timoth. 1, his verbis : *In novissimis temporibus, discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium..... prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus..... quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.*

Altera hæresis huic contraria, est eorum qui contendunt nullos omninò cibos, sive in perpetuum sive ad tempus, sive omnibus sive quibusdam, posse aut debere interdici : tales fuerunt olim Nicolaïtæ et Valentiniani ; tales sunt nunc Lutherani et Calvinistæ, qui volunt ad jejunium duntaxat pertinere abstinentiam à lautitiis, eumque proinde meliùs jejunare qui carnibus moderatè vescitur, quam qui optimis piscibus et variis condimentis utitur. Contra quos :

Dico 1° : Ecclesia jure potest interdicere jejunantibus esum carnium.

Probatur 1° ex variis S. Scripturæ locis : *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ; qui vos audit me audit ; qui vos spernit me spernit*, etc. Ergo.

Confirmatur : Apostoli in concilio congregati, interdixerunt Christianis usum quorumdam ciborum, scilicet sanguinis et suffocati, ut lex vetus suaviùs abrogaretur : ergo Apostolorum successores possunt etiam fidelibus certorum ciborum usum interdicere ad alium aliquem bonum finem, ut est refrenatio carnis, etc.

Probatur 2° : Lumine naturali constat medicum jure posse infirmo præcipere abstinentiam à carnibus ad vitam corporalem salvandam : ergo id etiam jure potest Ecclesia erga jejunantes sibi subditos ad vitam spiritualem salvandam. Patet consequentia, quia non minùs, imò magis competit Ecclesiæ regimen animarum quàm medico regimen corporum.

Dico 2° : Abstinentia à carnibus pars ecclesiastici jejunii semper fuit.

Probatur 1° ex S. Joanne Chrysost. Hom. 1 in Genes. habitâ initio quadragesimæ, ubi sic ait : *Hæ verè feriæ sunt, ubi..... omnis hujus vitæ apparatus abigitur, ubi clamor et tumultus, et coquorum discursus, et pecudum mactationes è medio tolluntur.* Et Hom. 2 : *Nusquàm hodiè tumultus, vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorum discursus, sed omnia illa abierunt.*

2° Ex S. Aug. serm. 64 de Tempore qui primus est in Dominicam 1 quadragesimæ. *Illa est*, inquit, *in diebus quadragesimæ grandis utilitas, quòd dùm à licitis etiam abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare ; nos enim qui abstinemus à carnibus quibus uti aliis diebus licet, fugiamus peccata quæ omninò nunquàm licent.*

3° Ex facto quod accidit sub imperio Justiniani. Cùm enim tunc gravis fames Constantinopoli urgeret, ideòque secundâ quadragesimæ hebdomadâ carnes venales exponi jussisset imperator, populus *mortem potiùs sibi tolerandam existimavit, quàm ut quidpiam de patriis moribus ac traditionibus immutaret.* Ita referunt Nicephorus, lib. 17, Hist. Eccles. cap. 32, Theophanes, Cedrenus et Anastasius Bibliothecarius. 4° Ex concilio Toletano 8, anno 653, in quo canone 9, sic decernitur : *Quisquis diebus quadragesimæ, sine incu-*

labili necessitate atque fragilitate, vel etiam impossibilitate ætatis, esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit resurrectionis dominicæ, verùm etiam alienus ab ejus diei sanctâ communione: et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni carnium esu abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Quibus ultimis verbis significatur hanc legem jam antea vigere. 5° Ex Trullanâ synodo, quæ canone 56 jubet totâ quadragesimâ *abstinere ab omni eo quod mactatur*, itemque *ab ovis et caseo;* et clericos transgressores deponit, laicos segregat.

Dico 3° : Convenienter ab Ecclesiâ interdicitur jejunantibus esus carnium, ovorum et lacticiniorum.

Hanc legem de facto esse ab Ecclesiâ latam, probant et quæ modò diximus in secundâ conclusione, et communis fidelium sensus ac praxis. Unde meritò damnata est ab Alexandro VII hæc propositio : *Non est evidens quòd consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesimâ obliget.* Hanc verò legem esse convenienter latam.

Probatur. Ecclesia illos cibos convenienter jejunantibus interdicit quæ et in comedendo maximè habent delectationem, et hominem maximè ad venerea provocant : atqui hujusmodi sunt carnes animalium in terrâ quiescentium et respirantium, et quæ ex eis procedunt, sicut lacticinia ex gregibus et ova ex avibus : ergo. Major patet, quia, ut sæpè dictum est, jejunium est ab Ecclesiâ institutum maximè ad reprimendas carnis concupiscentias, quæ sunt circa cibos et venerea.

Probatur min. Carnes animalium terrestrium et quæ ex eis procedunt magis conformantur humano corpori, et ideò plus delectant et magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, et sic ex eorum comestione plus superfluit ut vertatur in materiam seminis cujus multiplicatio est maximum incentivum libidinis. Ergo.

Est tamen quædam differentia. Cùm enim carnes primariò et principaliter interdicantur, secundariò et minùs principaliter ova et lacticinia, quatenùs sunt exorta ex animalibus carnes habentibus, ideò in omnibus jejuniis carnes prohibentur : in jejunio autem quadragesimæ, quod est solemnius, quia observatur ad imitationem Christi et per ipsum disponimur ad redemptionis nostræ mysteria celebranda, præter carnes prohibentur ova et lacticinia, quæ non prohibentur in aliis jejuniis. Hæc intellige de jure communi : ex usu enim in multis provinciis permittuntur lacticinia in quadragesimâ; et è contra, teste Navarro in Man. c. 21, n. 13, prohibentur ova et lacticinia in aliis jejuniis. Quapropter circa horum observantiam, unusquisque debet vivere secundùm morem eorum inter quos conversatur : unde S. Hier. Epist. ad Luci. de jejuniis loquens, dicit : *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, et præcepta majorum, leges Apostolicas arbitretur.* Et S. August. Epist. 86 : *In his rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura sacra, mos populi Dei vel instituta majorum, pro lege tenenda sunt.*

Solvuntur objectiones.—Obj. cum hæreticis tam modernis quàm antiquis. 1° Scriptura sacra damnat et rejicit legem de abstinentiâ carnium : ergo. Probatur ant. 1° ex verbis Christi, Matth. 15 : *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Et Luc. 10, vult Apostolos manducare quæ illis apponuntur. 2° Similiter Apostolus, 1 Cor. 10 : *Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam : Domini est terra et plenitudo ejus; si quis vocat vos infidelium et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* 3° Idem Apostolus, 1 Timoth. 4, damnat eos qui novissimis diebus venturi sunt, prohibentes nubere et præcipientes abstinere à cibis quos Deus creavit. *Quia*, inquit, *omnis creatura Dei bona est et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Et ideò Tit. 1, addit : *Omnia munda mundis.* 4° Idem Apostolus, Coloss. 2, ait : *Nemo vos judicet in cibo aut potu... Si ergo mortui estis cum Christo, ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquàm viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne gustaveritis, ne contrectaveritis : quæ sunt omnia in interitum in ipso usu secundùm præcepta et doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate.* Et 1 Cor. 8 : *Esca vos non commendat Deo : neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus.* Et ideò addit Apost. Rom. 14 : *Qui non manducat, manducantem non spernat.*

R. N. ant. Ad primam probationem, fateor id quod intrat in os non coinquinare hominem ex naturâ suâ, benè tamen ex inobedientiâ et intemperantiâ utentis : quomodò fructus in paradiso terrestri coinquinavit Adamum, et cibi prohibiti in antiquâ lege coinquinabant sumentes : quomodò etiam nunc coinquinantur cibo aut potu immoderatè utentes. Cùm autem Christus vult Apostolos manducare quæ illis apponerentur, sensus est, juxta Ambros., Theophilactum et alios, quòd debeant esse contenti cibis quæ offeruntur, etsi sint viles et ingrati, neque studiosè quærere debeant gratos et lautos. Et loquitur Christus de cibis licitis; non enim voluisset Christus ut manducâssent cibos lege prohibitos, aut venenatos, si fortè ipsis oblati fuissent.

Ad secundam. Apostolus ibi loquitur de esu idolothytorum; cùm enim carnes immolatitiæ, non solùm in idoliis, sed etiam publicè venderentur et in mensis privatis apponerentur, docet Apostolus fideles non debere anxiè quærere quæ carnes sint, cùm nullus cibus sit ex se immundus, nec etiam immolatitiæ reum faciant comedentem, qui nullâ idoli religione et sine offensione fratrum illas manducat. Patet hic sensus ex toto contextu.

Ad tertiam. Apostolus ibi prædicit futuros quosdam qui præciperent abstinentiam à certis cibis tanquàm per se, seu naturâ suâ malis et immundis, quales fuerunt Ebionitæ, Encratitæ, Marcionitæ et Manichæi, qui quosdam cibos execrabantur quòd à malo Deo essent. Hic sensus patet ex ratione Apostoli : *Quia* inquit, *omnis creatura Dei est bona.* Et hunc locum sic interpretantur S. Hieron., lib. 2 adversùs Jovin., cap.

2; S. Chrysost. Hom. 12 in Epist. 1 Timoth., S. Aug., lib. 3 contra Faust., cap. 5.

Nec te moveat quòd dicat, *in novissimis diebus*. Nam per novissimos dies rectè intelliguntur tempora subsequentia, secundùm modum loquendi Scripturæ sacræ quæ totum tempus quod est à Christo ad finem mundi solet vocare novissimos dies, horam novissimam, fines seculorum. Sic S. Petrus Epist. 1, cap. 1, scribit Christum manifestatum fuisse *novissimis temporibus*. Similiter Act. 2; Epist. 1 S. Joan. 2; 1 Cor. 10.

Ad quartam. Apostolus non agit illic de ciborum delectu quem edomandæ concupiscentiæ et carnis castigandæ causâ fideles observant ex lege Ecclesiæ, sed de legalibus cæremoniis legis Mosaicæ, vi cujus cibi, alii mundi, alii immundi reputabantur; quibus Apostolus docet fideles non ampliùs adstringi, eò quòd ab iis sint liberati per mortem Christi. Hic sensus apertè patet ex contextu Epistolæ, sicque interpretatur S. Hieron. in Epist. ad Aglasiam, quæst. 10.

Inst. 1° : Apostolus loquitur de doctrinis hominum : ergo non de lege Mosaicâ quæ erat à Deo. 2° Dicit : *Nemo vos judicet in cibo aut in potu;* nullus autem potus prohibebatur ut immundus in lege antiquâ : ergo.

R. ad primum, 1° cum S. Chrysost. Hom. 7 in Epist. ad Coloss. legem Mosaicam, si post abrogationem suam rursùm revocetur in usum, ut à pseudoapostolis et hæreticis Simonianis et aliis revocabatur, jam non legem divinam, sed humanam posse dici. 2° Vocatur ab Apostolo doctrina hominum, quia ei admixta erant instituta Pharisaica.

Ad secundum, N. ant. Potus enim qui reperiebatur in vasibus immundis, aut quæ carerent operculo, aut in quæ cecidisset morticinium, erat immundus, Num. 19, et Levit. 11. Adde verisimile esse Pharisæos, inter alias traditiones suas, etiam quædam genera potûs interdixisse.

Obj. 2° ex Patribus. S. Aug., lib. 30 cont. Faustum, cap. 5, ait : *Christiani, non hæretici, sed catholici; edomandi corporis causâ, propter animam in orationibus ampliùs humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per quadragesimam ferè omnes, quantò magis quisque vel minùs, seu voluerit, seu potuerit!* Ergo voluntaria et non necessaria ex lege communi fuit abstinentia à carnibus.

Idem S. Aug., lib. de Moribus Manichæorum, cap. 14, nullam agnoscit abstinentiam à carnibus, nisi quæ suscipitur *vel ad comprimendam delectationem..., vel ad tuendam infirmitatem propter illa quæ sacrificantur atque libantur, vel propter charitatem*, ne fratres offendantur. Ergo nullam hâc de re legem ecclesiasticam agnoscit. Julianus Pomerius, lib. 2 de Vitâ contemplat., cap. 24, ait : *Verùmtamen sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos jejunandi vel abstinendi necessitati subdamus, ne jam non devoti, sed inviti rem voluntariam faciamus;* unde ibidem docet licere propter quoslibet advenientes abstinentiam intermittere : ergo idem quod ante. S. Isidorus Hispalensis, l. 2 Sentent., sive de summo Bono, cap. 42, dicit, *non qualitatem ciborum, sed eorum cupiditatem cavendam*. Theodoretus, lib. 5 Hæretic. Fab., cap. 29 de abstinentiâ à vino et carnibus loquens, dicit : *Ecclesia verò de his nihil lege decrevit, neque etiam horum usum interdicit*. Similiter in cap. 14 Epist. ad Rom. 10. S. Epiphanius, in Expositione fidei catholicæ, postquàm dixit Ecclesiam consuevisse in quadragesimâ jejunare, exceptis dominicis, et hebdomadam ultimam xerophagiis transigere, narrat varios esse mores circa abstinentiam, quosdam nempe ab omnibus carnibus abstinere, alios à quadrupedibus, tantùm, sed avibus vesci, alios à carnibus et piscibus abstinentes, caseum sibi permittere, etc. Ergo. — R. ad primum locum S. Aug. hæc verba, *quantò magis quisque vel minùs, seu voluerit, seu potuerit!* referenda esse non ad abstinentiam à carnibus, sed ad abstinentiam à quibusdam terræ fructibus.

Inferes ex solutione datâ. Ergo illos *paucos* quos S. Augustinus dicit semper abstinuisse à carnibus et à fructibus, necessariò et ex lege abstinebant semper à carnibus, liberè tantùm à fructibus; utramque enim propositionis partem, et *paucos* scilicet et *ferè omnes*, afficiunt hæc verba, *quantò magis quisque vel minùs*, etc. Ita Dallæus. — R. N. illationem. Quia juxta ipsum S. Aug. alia est ratio abstinentiæ quadragesimalis, alia abstinentiæ perpetuæ quam magis ferventes sibi imponebant. Illa necessaria ex lege, ista voluntaria. Patet ex serm. 64 de Tempore, cit. in probatione conclusionis. — Ad secundum locum S. Aug. resp. ipsum ibi loqui non de abstinentiâ à carnibus certis diebus ab Ecclesiâ præscriptâ, sed de abstinentiâ a carnibus perpetuâ, quam Manichæi sibi imponebant, et quam quidam Catholici observabant, diversâ tamen ratione : illi necessariò, eò quòd carnes à malo deo conditas arbitrarentur; isti spontè ad libidinem edomandam, vel fratrum offensionem vitandam, vel propriam infirmitatem tuendam, ne fortè idolothytis incautè vescerentur. Potest etiam dici sub primo titulo legem Ecclesiæ contineri, siquidem Ecclesia hanc abstinentiam imperet ad frenandam libidinem. — Ad Julianum Pomerium, dico ipsum pariter loqui de abstinentiâ perpetuâ spontè susceptâ. — Ad Isidorum, loquitur de qualitate ciborum secundùm se spectatâ, non verò de qualitate ciborum ut interdictorum ab Ecclesiâ, siquidem legem abstinentiæ certis diebus adstruat, lib. 1 de divin Offic. c. 36 et sequent. — Ad Theodoretum, R. ipsum loqui de abstinentiâ perpetuâ à vino et carnibus, qualem Encratitæ et Manichæi observabant, quòd malam horum naturam censerent. Patet ex adjunctis primo loco : *Abstinentiam*, inquit, *à vino esuque carnium et reliquam continentiam, non similiter ac hæretici amplectitur* (scilicet Ecclesia) : *hi enim ab his tanquàm abominandis abstinere præcipiunt; Ecclesia verò nihil de his præcipit*, etc. Ferè similiter secundo loco citato. — Ad S. Epiphanium, R. ipsum, n. 22 de jejunii quadragesimalis ritu quidem agère, verùm, n. 23, ubi varios abstinentiæ mores refert, de quadragesimali jejunio non ampliùs loqui, sed

de abstinentiâ et aliis observantiis, ad quod vis anni tempus indifferenter spectantibus.

Obj. 3° ex historiâ ecclesiasticâ. Sosomenus, lib. 1. Hist. Eccles. cap. 11, narrat Spiridionem, tempore quadragesimæ, peregrino adventanti apposuisse carnes suillas sale conditas, et eas eum ipso manducâsse. Theodoretus, in Historiâ religiosâ, in Martiano, refert ipsum induxisse avitum ad ipsum adventantem, ante vesperam cibum sumere, et dixisse : *Scimus charitatem jejunio præstantiorem : hæc enim divinæ legis est opus, jejunium verò potestatis nostræ arbitrii.* Socrates, lib. 5 Hist., cap. 22, narrat diversitatem fuisse in abstinentiâ à carnibus, etiam quadragesimali, inter Catholicos sui temporis, quorum quidam cum piscibus etiam aviculis vescebantur, affirmantes ex aquis eas esse conditas. Idem ex ipso Nicephorus. Eusebius, lib. 5 Hist. eccles., cap. 3, refert Alcibiadem per visionem, Attalo martyri factam, reprehensum fuisse, quòd in carcere pane et aquâ contentus abstineret à carnibus. Ergo. — R. ad Sozomenum, 1° non constare esse vera quæ refert, tum quia juxta D. Gregorium, lib. 6, Epist. 31, multùm mentitur ; tum quia Ruffinus, lib. 10 Hist., cap. 5, ubi de Spiridione agit, nihil de hâc re loquitur. 2° Sed, dato veram esse hanc historiam, dico Spiridionem carnes hospiti apposuisse urgente necessitate, cùm alii cibi non suppeterent, et ipsum carnes cum hospite manducâsse, ut reluctanti quòd quadragesima esset scrupulum excuteret, eumque suo exemplo ad vires propè deficientes eo cibo reficiendas invitaret : quod omninò licitum est. Id totum patet ex ipsâ historiâ, prout refertur à Sosomeno. Quin imò ex eâ constat legem esse tunc de abstinentiâ carnium ; si enim unicuique fuisset liberum edere carnes, Spiridion cùm audivisset neque panem neque farinam esse domi, antequàm carnes suillas juberet apponi, non præmisisset orationem, non petiisset veniam, et peregrinus non abnuisset vesci carnibus appositis, eò quòd se christianum esse diceret, prout refertur in dictâ historiâ.

Si instes cum Dallæo, non esse verisimile Spiridionem episcopum in eremo habitâsse, nullumque habuisse vicinum à quo saltem panem peteret ad reficiendum hospitem. — R. non constare ex ecclesiasticâ historiâ, nec aliunde, an jam esset episcopus Spiridion cùm præfatum hospitem excepit, an verò agricola ruri vitam degens, qualem ante episcopatum fuisse narrat Sosomenus. Unum constat, tunc ipsi non fuisse præstò panem, sed tantùm carnes suillas sale conditas : et alios cibos facilè ipsum comparare non potuisse verisimillimum est ; alioquin panem saltem emi jussisset, quem apponeret hospiti cum carnibus. — Ad Theodoretum, R. Martianum non carnes, sed olera et legumina hospiti apposuisse, et hoc quidem in jejunio perpetuo adeòque arbitrario, non ecclesiastico. Ita constat ex ipso Theodoret loco citato. — Ad Socratem, R. ex abusu quorumdam Ecclesiæ disciplinam interri non posse. Porrò abusus fuit esus ovorum tempore quadragesimæ, sicut et insulsa ratio ad illum excusandum. Abusum fuisse constat ex Basilio Cilice exprobrante Joanni Scytopolitano *quòd, cùm sanctam quadragesimam tribus hebdomadibus concluderet, ne iis quidem esu volatilium abstineret*, ut refert Pothius, in Biblioth. cod. 107. — Ad Eusebium, R. non agi ibi de abstinentiâ ecclesiasticâ, sed de abstinentiâ voluntariâ in pane et aquâ, quam Alcibiades in carcere servabat sicut priùs consueverat : et hoc inconsideratè, tum quia ex tantâ abstinentiâ, tempore et loco ubi nec jubebatur nec expediebat, offendebantur alii fideles incarcerati ; tum etiam quia, cùm incarcerati frequenter tormentis subjicerentur indigebant cibis ad vires conservandas et reparandas. Prudentiæ ergo erat aliquid remittere tunc de severiori abstinentiâ, quod et fecit Alcibiades ab avito monitus. Confer art. primum et secundum hujus dissert.

Obj. 4° cum Kemnitio. Quidquid dicant Catholici ut amoliantur suspicionem Manichæismi in prohibitione carnium, attamen rationes quibus hanc prohibitionem stabilire conantur, ostendunt in eodem ipsos luto cum antiquis hæreticis hærere. Ergo. Probatur ant. 1° ex benedictionibus quas ad suos cibos adhibent ; hæc enim indicant eos credere hos cibos esse immundos. 2° Refugiunt carnes eò quòd in homine pravas carnis concupiscentias excitent : atqui hoc ipsum est veterum hæreticorum fundamentum : ergo. — R. apertam Kemnitii calumniam evinci ex hoc quòd extra tempus jejuniorum, carnibus et cujusvis generis cibis utamur, in non ipsis jejuniis ex causâ legitimâ : quod planè demonstrat nos non credere eos secundùm se esse immundos ; quod enim per se immundum est, semper est immundum : unde illi antiqui hæretici nullo unquàm tempore carnes comedebant.

Ad primam itaque probationem, insulsa est prorsùs Kemnitii argumentatio, ex quâ nempe sequitur 1° nos etiam credere panem et aquam esse secundùm se immundos, siquidem etiam benedicantur in Ecclesiâ, nosque idcò ab istis debere abstinere. Sequitur 2° paucos posse etiam extra tempus jejunii carnibus vesci, quia pauci sunt qui curant eas benedici. Sequitur 3° nos etiam in jejuniis carnes his benedictionibus purgatas posse liberè comedere, quæ omnia sunt insulsa et absurda. Benedictiones igitur et exorcismos quandoque adhibemus non solùm circa cibos, sed etiam circa varias alias creaturas, non quòd putemus eas esse secundùm se immundas aut à diabolo inquinari sic, ut eis uti non liceat nisi benedicantur, sed quia scimus diabolum, Deo permittente, sæpè eis uti in nostram perniciem, et ideò eas benedictione seu signo crucis munimus, Deumque precamur ut non sinat res illas à diabolo converti nobis in malum.

Ad secundam probationem anteced. Neque puto ipsos hæreticos inficiari quin esus carnium sit libidinis incentivus, cùm id Patres passim agnoscant, probet ratio, testetur experientia. Sed non ideò nos, plusquàm ipsi, carnes esse secundùm se immundas dicemus, sicut nec vinum aut legumina, quæ tamen suo etiam modo sunt libidinis incentiva ; quia non in hunc finem à Deo creata sunt aut concessa in cibum, sed ut moderatè sumpta corpus reficiant. Abusus ergo vescen-

tium immoderatè carnibus, non ipsarum natura damnatur. *Non ergo*, inquit S. Augustinus, lib 10 Confess., cap. 31, *immunditiem obsonii timeo, sed immunditiem cupiditatis.*

Quod autem assumunt hæretici moderni, hoc ipsum esse fundamentum veterum hæreticorum, probat eos esse peregrinos in doctrinâ Patrum : testatur enim S. Aug., lib. de Hæres., cap. 46, Manichæos non comedere carnes animalium, quia dùm occiduntur fugit ab eis anima et remanet corpus à malo principio factum : *Nec vescuntur*, inquit, *carnibus tanquàm de mortuis vel occisis fugerit divina substantia, tantùmque ac tale inde remanserit quod jam dignum non sit in electorum ventre purgari ;* et infra : *Nam et vinum non bibunt, dicentes fel esse principum tenebrarum.* S. Epiphanius de Encratitis dicit : *Animata abominantes interdicunt non continentiæ gratiâ, neque honestæ vitæ, sed ob timorem et imaginationem, ut non condemnentur ab animatorum esu.*

Inferes. Ergo sufficiebat Ecclesiæ prohibere abusus immoderatè utentium carnibus, lautitiis et condimentis, nec proinde debebat ipsam cibi qualitatem interdicere. — R. N. illationem. Cùm enim Ecclesia, cujus intentio erat per jejunium domare concupiscentiam, et carnem spiritui subjicere, deberet ideò statuere certam aliquam et communem regulam, hanc non potuit statuere circa quantitatem cibi, neque circa lautitias et condimenta, quia quod est multum uni parum est alteri, quod huic videtur lautum non est tale isti, et condimentum quod placet uni non sapit alteri. Quapropter restabat ut regulam communem et certam statueret circa aliquod cibi genus quod secundùm se magis delectat et magis nutrit, quales sunt carnes, ut dicemus modò.

Obj. 5° : Jejunium est institutum ad carnis macerationem ejusque concupiscentias refrenandas : atqui magis concupiscentiam provocat potus vini quàm esus carnium, secundùm illud Proverb. 20 : *Luxuriosa res est vinum* ; et quidam pisces æquè delectabiliter comeduntur ac carnes, imò magis delectabiliter quàm carnes macilentæ aut caseus aridus ; neque tamen vinum et pisces prohibentur : ergo nec carnes debent prohiberi. — R. 1° quantùm ad vinum. Ad actum generationis tria concurrunt, calor, spiritus et humor ; calorem ministrat vinum, spiritus legumina quæ sunt inflativa, carnes humorem : calor et spiritus citò transeunt, sed humor diù manet : et ideò magis interdicitur jejunantibus esus carnium quàm vini vel leguminum. — R. 2° quantùm ad pisces. Ecclesia jejunium instituens intendit ad id quod communiùs accidit ; esus autem carnium secundùm se et communiter est magis delectabilis quàm esus piscium, magisque confert ad nutrimentum, ac per consequens plus importat materiæ spirituosæ, quamvis in quibusdam aliter se habeat ; sed hoc est per accidens intentioni Ecclesiæ, quæ cùm non possit de singulis particularibus disponere, debet intendere ad id quod per se et ut in pluribus accidit.

Nec te moveat quòd pisces delicati, exquisitis condimentis præparati, sint communiùs magis delectabiles quàm caro macilenta aut caseus aridus ; sic enim res non spectantur secundùm se : sed ut justa sit comparatio, debent comparari simpliciter carnes cum piscibus, delicatæ cum delicatis, aridæ cum aridis, recentes cum recentibus : et sic nemini dubium est quin esus carnium sit magis delectabilis et magis fini jejunii repugnans quàm esus piscium. Et quia ova et lacticinia non prohibentur principaliter, ut supra dixi, non oportet comparare ova et caseum cum piscibus, sed cum leguminibus ; certum est autem quòd ova et lacticinia magis repugnent fini jejunii quàm legumina.

Articulus VI.

Variæ difficultates circa præcedentem materiam breviter resolvuntur.

Petes 1° utrùm præceptum abstinendi à carnibus, ovis et lacticiniis, secundùm se obliget sub mortali. — R. affirmativè. Quantùm ad carnes, certum est ex communi fidelium sensu, et quia, ut supra dixi, lex jejunii obligat sub mortali, abstinentia autem à carnibus est pars essentialis jejunii ecclesiastici. Quantùm ad ova et lacticinia in quadragesimâ, est etiam sententia communis contra paucos ; fundatur pariter in communi sensu fidelium, et insuper in cap. *Denique*, dist. 4, ubi S. Augustino, Anglorum episcopo, quærenti utrùm illicitum esset manducare ova et lacticinia in quadragesimâ, respondit S. Gregorius sic : *Par est autem ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem jejunemus, à lacte videlicet, caseo et ovis* : in quibus verbis attentâ interrogatione et contextu responsionis, doctores communiter agnoscunt strictum præceptum et non solam convenientiam, ut volunt quidam. Insuper si solam convenientiam importarent, nequidem esset obligatio sub veniali, quod est damnatum ab Alexandro VII de quo supra articulo præcedenti, conclusione tertiâ, et quod non admittunt ipsimet adversarii.

Dixi in petitione, *secundùm se*, quia in hâc lege, non secùs ac in aliis legibus ecclesiasticis, admittenda est levitas materiæ : unde qui sumeret buccellam carnis, non ideò peccaret mortaliter, quia per hoc non contrariaretur graviter fini legis ex quo pensanda est gravitas materiæ. Vix autem aut ne vix peccant coqui qui leviter prægustant obsonia ex carnibus, quia tam leve quasi pro nihilo reputatur ; quòd si solùm palato degustent non deglutiendo, certum est eos nullatenùs peccare, quia sic non est manducatio.

Ex his inferes 1° non licere in quadragesimâ, ubi non permittuntur ova, comedere biscoctos partim ex ovis confectos : nec obstat quòd substantia ovi videatur in aliam substantiam transmutata, quia remanet virtus substantialis ovi, et alioquin sequeretur eâdem ratione quòd liceret comedere alios cibos ex carnibus aut jusculo carnium confectos seu conditos, quod refugit communis sensus fidelium. Inferes 2° nec licere in diebus jejunii comedere laridum aut adipem, quia, quamvis in rigore non sint caro, magis tamen ap

proximant ad carnem quàm ova et lacticinia; et hic est sensus communis fidelium. Unde non probo quòd quidam id permittant saltem pauperibus aut famulis et famulabus quibus hæc ab heris ad esum porriguntur, nisi necessitas excuset aut contraria consuetudo vigeat, qualis est, v. g., in Brabantiâ, comedendi pinguedinem cum jusculo diebus sabbatinis.

Petes 2° utrùm quis toties peccet quoties in die jejunii carnes comedit. — R. affirmativè. Quia præceptum non comedendi carnes est negativum. Ita communiter.

Petes 3° utrùm qui die jejunii non habet alium cibum nisi carnes, possit eas comedere. — R. affirmativè. Quia necessitas evidens ipsum excusat. Si autem habeat panem cum carnibus, debet, meo judicio, abstinere à carnibus, nisi per plures dies deberet solo pane vesci cum gravi et insolitâ difficultate, aut notabili detrimento sanitatis, utpote aliis cibis assuetus.

Petes 4° utrùm exemptus, seu dispensatus in abstinentiâ à carnibus, hoc ipso sit dispensatus in abstinentiâ à pluribus refectionibus, et è contra. — R. negativè pro utràque parte. Est communior inter doctores, et sic observatur inter fideles. Ratio est 1° quia, ut jam sæpè dixi, quando lex plura distincta continens non potest servari in toto, debet servari in parte possibili : sic, v. g., qui est dispensatus ut possit serviliter operari in die festo, tenetur, si possit, sacrum audire; sic excusatus à parte etiam majore breviarii, non illicò excusatur à toto juxta propositionem quinquagesimam quartam ab Innocentio XI damnatam, de quâ alibi. 2° Quia potest esse ratio dispensandi in parte et in toto, ut accidit in nostro casu, ubi tota ratio excusans ab unâ parte est impotentia, quæ ad alteram partem supponitur non esse. Et si dicas cum adversariis, ei qui non potest abstinere à carnibus, legem jejunii quæ essentialiter importat hanc abstinentiam, esse ipsi factam impossibilem, et similiter si non possit abstinere à pluribus refectionibus. — R. ei factam esse impossibilem quoad partem, non quoad totum.

Intellige tamen resolutionem nostram tam in hâc lege jejunii quàm in aliis legibus Ecclesiæ, quando terminus potentiæ et impotentiæ in observantiâ legis non est incertus et ambiguus : aliàs daretur locus infinitis scrupulis, ut patet in infirmis, in quibus vix aut ne vix quandoque determinari potest quid possint, quid non possint : unde hi et similes, ex benignâ interpretatione Ecclesiæ, quiescere debent vel in dispensatione superioris, vel in judicio medici, alteriusve viri prudentis.

Petes 5° utrùm in iis locis in quibus tempore quadragesimæ prohibentur ova et lacticinia, sint etiam prohibita diebus dominicis. — R. affirmativè, secundùm communiorem doctorum sententiam et communem fidelium sensum et praxim.

Petes 6° utrùm cui licet ex dispensatione comedere carnes aut ova, possit etiam comedere pisces. — R. affirmativè cum Sylvio, Medinâ, Asor, Loth, etc. Quia licentia comedendi carnes aut ova, non adimit ipsi potestatem comedendi pisces, qui sunt ipsi jure communi concessi; privilegium enim seu dispensatio non imponit onus, sed impositum tollit (1).

Si dicas : Vel pisces nocent, vel non nocent : si nocent peccat; si non nocent, etiam peccat, quia nulla est dispensatio, utpote sine causâ datâ : R. quòd si nocent, peccet contra legem temperantiæ, sed non contra legem jejunii à quâ est solutus. Si non nocent, peccat, non quia comedit pisces, sed quia comedit carnes, invalidè dispensatus. Nota tamen sæpè contingere modicum esum piscium non nocere, qui, se solus adhibeatur ad integram refectionem, vel noceret, vel in sufficiens foret ad vires conservandas seu restaurandas : in quo casu valida est dispensatio.

Petes 7° utrùm cui plus permittitur in hâc materiâ, permittatur et minus. — R. affirmativè, si majus et minus contineantur sub eodem genere : sic cui permittuntur carnes, permittuntur etiam lardum, adeps, ova et lacticinia; hæc enim prohibentur eò quòd sint carni affinia, aut ex carne trahunt originem : ergo cui permittitur caro, etiam ista permittuntur. Non tamen cui permittitur minus, ideò permittitur majus : unde ex permissione ovorum et lacticiniorum, non sequitur permitti lardum aut adipem, quia hæc sunt quid majus quàm illa.

Petes 8° quibus cibis uti debeat qui tenetur jejunare sive ex voto, sive ex pœnitentiâ injunctâ; sive jubilæi lucrandi causâ. — R. debere et posse uti iis cibis quibus concives communiter utuntur in jejuniis Ecclesiæ tunc occurrentibus : ita ut si utantur ovis et lacticiniis, possit eis uti, secùs non : quia tam vovens quàm confessarius aut pontifex præsumuntur intendisse jejunium juxta quod solet observari in patriâ. Dico, juxta quod solet observari, quia si ex speciali et insolitâ dispensatione comederentur carnes in quadragesimâ, non puto id licere jejunantibus præfatis, quia non præsumitur sive vovens sive confessarius, sive pontifex intendisse id quod præter morem accidit.

(1) Benedictus XIV multa sancivit de jejunio ecclesiastico quæ ad illas quæstiones referuntur, V. præsertim constitutionem quæ incipit : *Libentissimè*, anno 1745; in eâ primùm declarat ac memorat quod fuerat in præcedentibus statutum : *Illud decrevimus, ne ulla in posterum, sive peculiaris, sive generalis pro aliquâ civitate, concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore jejunii vel quadragesimæ, nisi conditio servandi jejunii, sive unius comestionis interponatur; et illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eamdem carne ac piscibus instruere; existimavimus pravam illam consuetudinem quæ apud multos invaluerat, penitùs evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus.* Refert deinde responsa quæ dederat variis quæsitis circa sensum suæ constitutionis; hæc possunt ad aliquot puncta reduci, nempe 1° prohibitio permiscendi carnes cum piscibus in eâdem comestione, obligat sub gravi. 2° illa prohibitio complectitur etiam dies dominicos quadragesimæ et alios dies jejunii extra quadragesimam. 3° Permissio carnes manducandi non extenditur ad vespertinam refectiunculam; in eâ cœnulâ necesse est eo cibo eâque uti portione, quibus utuntur homines rectæ conscientiæ, nisi tamen ob debilitatem virium quis aliam specialem dispensationem obtinuerit, quâ eximatur non solùm ab abstinentiâ, verùm simul et à jejunio.

Constitutiones seu Epistolæ evangelicæ Benedicti XIV de Jejunio collectæ reperiuntur in Theologiâ morali B. Liguori.

Petes 9° utrùm pueris nondùm adeptis usum rationis, et amentibus, liceat ministrare carnes die jejunii. — R. affirmativè. Ita communiter, contra Palud. et Tolet., quia leges Ecclesiasticæ non imponuntur nisi iis qui usu rationis pollent.

Petes 10° utrùm religiosi exempti possint, saltem extra conventum, comedere carnes aut ova non priùs obtentâ licentiâ sui prælati regularis, quando episcopus pro suâ diœcesi dispensavit. — R. Negativè per se loquendo, quia cùm non subjiciantur jurisdictioni episcopi, ejus dispensatio eos non afficit, sicque respectu illorum lex manet in suo vigore. Si tamen usus invaluerit in certis provinciis aut conventibus, videntibus et non contradicentibus prælatis regularibus, ut religiosi sequantur morem secularium quantùm ad carnes et ova, sicut invaluit quantùm ad lacticinia, possint uti hâc tacitâ licentiâ : unde dixi in responsione, *per se loquendo*.

De licentiâ manducandi carnes sabbatis intra Nativitatem et Purificationem, et feriâ sextâ, quando in eam incidit Nativitas Christi, etiam respectivè ad religiosos, diximus, supra art. 2.

Articulus VII.

Utrùm violaturis jejunium liceat ministrare cibos prohibitos aut cœnam.

Quæstio est de petentibus cibos prohibitos aut cœnam : non petentes enim aut imparatos ad id invitare, procul dubio non licet.

Dico 1° : Non licet absque justâ et rationabili causâ, violaturis jejunium ministrare cibos vetitos aut cœnam.

Probatur 1° : Ex lege charitatis et præcepto Dei, qui *unicuique mandavit de proximo suo*, Eccli. 7, tenemur impedire et offensam Dei et malum proximi, quando absque nostro aut alterius nocumento possumus. Ergo. Probatur 2° : Qui absque legitimâ causâ præbet alteri occasionem seu materiam peccandi, censetur moraliter velle ipsius peccatum et ipsi positivè cooperari, cùm tum nihil rationabile adferre possit propter quod id faciat. Ergo.

Dices 1° : Hæc, nempe ministrare cibos aut cœnam, sunt secundùm se indifferentia, et actus ad quos concurrunt, scilicet cœnare aut comedere carnes, sunt etiam secundùm se indifferentes. Ergo. — R. Esto hos ultimos actus secundùm se esse indifferentes, tamen prout hìc et nunc fiunt, sunt mali, ideòque eis præbere occasionem aut materiam, nullâ interveniente causâ legitimâ, est malum.

Repones. Si ego talia non vendam aut ministrem, alii ministrabunt, sicque non vitabitur peccatum. Ergo mihi licet. — R. nego consequentiam. Sicut enim non valet hoc argumentum : Si non occidam Petrum, occidetur à Paulo : ergo mihi licet Petrum occidere, ita nec præcedens, quia nimirùm etiam alii tenentur non ministrare, et sicut si ministrent peccant, ita et tu.

Instabis. Qui talia petit, jam periit voluntate peccandi. Ergo. — R. N. iterùm consequentiam. Quia peccatum nondùm est opere externo perpetratum, cui non potest absque justâ causâ materiam seu occasionem præbere, quin potiùs teneris impedire.

Dices 2° : Abusus non jejunantium, ebriosorum et similium tolerantur à republicâ : atqui privatus non tenetur impedire peccata quæ tolerantur à republicâ : ergo.—R. D. min. Privatus non tenetur impedire universim et publicè peccata quæ tolerantur à republicâ, C.; privatim et in particulari, dùm potest, N. Sic, v. g., meretrices tolerantur in certis locis ; si tamen aliquam in particulari posses commodè à peccato impedire, quis dubitat te ad id teneri?

Inst. Licet elocare domos meretricibus, quia tolerantur à republicâ. Ergo similiter. — R. D. ant. Elocare domos meretricibus, iis in locis in quibus cogun tur habitare, C.; alibi, N. Licet ergo domos elocare meretricibus, non præcisè quia tolerantur à republicâ, sed quia sic tolerantur ut adstringantur habitare in tali loco et non alibi : unde quia non possunt manere sub dio, qui in tali loco domos habent videntur justam causam habere permittendi eorum peccata, elocando eis domos.

Dico 3° : Ex justâ et rationabili causâ licet ministrare cibos vetitos, aut cœnam violaturis jejunium.

Probatur. Ministrare carnes aut cœnam, est actio secundùm se indifferens et ex naturâ suâ ordinatâ ad refectionem corporis, quâ petens potest adhuc benè vel malè uti ; quòd autem ordinetur ad peccatum est ex malitiâ petentis : atqui nullâ lege tenemur cum nostro nocumento abstinere ab actione secundùm se indifferente propter malitiam alterius, sed possumus nobis consulere, permittendo seu negligendo ejus malitiam, quam, ut suppono, aliunde detestamur : ergo.

Confirmatur. Facere rem secundùm se indifferentem et non malam, quæ sit alteri occasio aut materia peccandi, non est per se malum, cùm omnia omnibus possint esse occasio et materia peccandi ; sed tunc solùm est malum, quando quis eam facit nullâ rationabili causâ motus ; quia tunc, ut dixi supra, censetur moraliter velle peccatum et ipsi cooperari positivè, cùm nihil rationabile afferre possit propter quod hanc faciat : ergo ubi est rationabilis causa illam faciendi, non est malum. Unde S. Th. docet licere accipere mutuum sub usurâ, *propter aliquod bonum quod est subventio propriæ necessitatis vel alterius, et alibi quod licitè possumus uti malitiâ alterius vel etiam materiam quâ abuteretur non subtrahere, sed præbere, pro aliquo incommodo vitando.*

Nota benè. Hoc autem incommodum seu causa, ut sit legitima et excusans, debet essé proportionata et ipsi operanti et peccato quod inde sequitur : ita ut debeat esse tantò gravior quantò majus est peccatum, tantò gravior quantò propinquiùs ad peccatum concurritur ; item gravior si sine tuâ cooperatione peccatum non fieret quàm si fieret ; gravior tandem si agatur de peccato contra justitiam cum damno tertii, ut de furto, homicidio, etc. Ad quod discernendum maximè opus est judicio prudentûm. Latiùs de hâc materiâ, dùm de scandalo.

Hinc inferes licitè apponi carnes aut cœnam viola-

turis jejunium, si ex denegatione meritò timeantur graves iræ, rixæ, blasphemiæ, grave damnum, sive grave lucrum cessans, quod respectivè ad ministrantem reputetur grave damnum; ut quòd hospes deferatur ad magistratum, puniendus in locis hæreticorum, quòd hospitium omninò aut notabiliter deseratur: non verò si leve damnum aut leve lucrum cessans emeatur, puta, quòd displiceat hospitibus; quòd ab iis aut aliquibus tantùm hospitium deseratur. Idem dic de propinantibus vinum aut cervisiam se inebriaturis, etc.

Ubi adverte, tantò gravius fore peccatum in ministrante quantò levior erit causa ministrandi, tantò minus quantò gravior erit causa; ita ut futurum sit veniale duntaxat, si causa non multùm recedat à legitimâ. Hinc viderint quot peccatis se implicent hi caupones qui ex merâ avaritiâ et majoris lucri cupiditate, omnibus indiscriminatim cibos vetitos, cœnam, potum ministrant, et, quod pejus est, violaturos jejunium aut se inebriaturos incitant, urgent ad comedendum aut bibendum : quod nullo unquàm casu licet, quia hoc est directè concurrere ad peccatum. Quantùm ad carnes, puto rarò esse causam legitimam apponendi in partibus catholicorum, quia tam in ministrante quàm in petente est valdè scandalosum, et quasi quædam professio tacita hæreseos; saltem ideò gravior requiritur causa quàm ad ministrandam cœnam. Imò, nullo casu, neque hoc neque istud licitum foret si peteretur vel caro, vel cœna in contemptum religionis, quia tunc ministrare foret secundùm se malum.

Inferes 2° quòd, si sit dubium an hospites habeant jus cœnandi, debeant hâc de re interrogari si decorè fieri possit : sin minùs, propter eorum reverentiam, possunt præsumi posse; quia nemo debet reputari malus nisi probetur : et dubia sunt in meliorem partem interpretanda.

Inferes 3° tibi à jejunio exempto, non licere urbanitatis causâ invitare ad cœnam tecum eum quem scis jejunio teneri, quamvis paratum domi suæ cœnare. Ita Less. Loth. Asor. et alii contra Navar. Ratio est, quia si sola urbanitas non sit causa sufficiens, ut licitè præbeas occasionem aut materiam peccandi, à fortiori ut invites ad id quod sine peccato hìc et nunc fieri non potest, quod, ut jam dixi, nullo unquàm casu licitum est : cœna autem, quamvis secundùm se sit indifferens, tamen hìc et nunc non potest sumi sine peccato.

Et hinc solvitur prima ratio Navarr. Addit præfatus auctor : 1° Deus invitat et juvat ad aliqua quatenùs sunt entia, quæ tamen aliàs sunt peccata : ergo et nos ita possumus. 2° Licitum est gaudere de Passione Christi, quatenùs est nostra Redemptio, etsi de illâ doleamus, ut fuit peccatum. 3° Licitum est egenti petere mutuum ab usurario, sacramenta à malo parocho; ergo et invitare, etc. — R. ad primum, Deum nunquàm invitare ad id quod sine peccato fieri non potest; juvat autem suo auxilio ad id, ut est ens, quia auxilium physicum non attingit nisi entitatem physicam et præscindit à malitiâ; non sic invitatio moralis quæ respicit actum ut est à parte rei cum suis circumstantiis. — Ad secundum, N. consequentiam. Disparitas est, quòd gaudium possit esse de bono præcisè secundùm se considerato, absque approbatione causæ vel circumstantiæ pravæ; non sic invitatio aut incitatio, ut dictum est : unde non licuisset incitare Judæos ad occidendum Christum. — Ad tertium, N. pariter consequentiam. Disparitas est, quòd mutuum et sacramenta possint præstari absque peccato, non verò sumere cœnam in die jejunii. Insuper supponitur causa rationabilis ad priora, non ad posterius.

Articulus VIII.

Utrùm omnes ad jejunia ecclesiastica teneantur.

Dico 1° : Omnes Christiani vigesimum primum ætatis annum completum adepti, tenentur ad jejunia ecclesiastica, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum. Hæ ultimæ particulæ adduntur propter causas excusantes à jejunio, de quibus articulo sequenti.

Probatur. Statuta communia proponuntur secundùm quòd multitudini conveniunt, et ideò legislator in eis statuendis attendit id quod communiter habetur et in pluribus accidit : atqui rationes instituendi jejunii sunt omnibus communes : ergo omnes obligantur. Probatur min. Rationes instituendi jejunii sunt carnis castigatio ut ipsa spiritui subjiciatur, aut in subjectione jam adeptâ permaneat, elevatio mentis ad Deum, placatio iræ divinæ, satisfactio pro peccatis præteritis, cautio futurorum, boni privati aut publici impetratio : atqui hæ rationes omnes aut saltem pleræque et præcipuæ sunt omnibus communes; et dato quòd in aliquo particulari deficerent, nihilominùs lege tenerentur, quia cessante fine legis inadæquatè tantùm, non ideò cessat lex : ergo.

Dices 1° ex Apostolo 1 Timoth. 2 : *Lex non est posita justo;* ergo. — R. D. ant. Lex coactiva non est posita justo, quasi metu pœnarum impellatur ad ejus observantiam, C.; lex directiva quæ sit regula ejus actionum et quam tenere debet, N. Certè justus erat Adam quando illi fuit posita lex de non edendo ligno scientiæ boni et mali. Justus erat David quando dicebat Deo : *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum.*

Inst. Luc. 5, Christus Pharisæis, et Joannes discipulis quærentibus cur ejus discipuli non tam frequenter jejunarent, sicut ipsi jejunabant, respondet : *Numquid potestis filios sponsi, dùm cum illis est sponsus, facere jejunare? Venient autem dies cùm ablatus fuerit sponsus, tunc jejunabunt illis diebus.* Quod habetur etiam Matth. 9, excepto quòd, loco *jejunare*, legatur *lugere*. Atqui sponsus, scilicet Christus, est cùm justis spiritualiter eos inhabitans : ergo. — R. S. Thomas huic auctoritati adhibet tres expositiones ex SS. Chrysost., Hier. et Aug. Communior tamen est hæc : Christus se sponsum vocat, quia sic appellatus fuerat à Joanne Baptistâ, Joan. 3. Discipulos suos vocat fi

lios sponsi : filii sponsi dicuntur pronubi et amici dari sponso comites, honoris gratiâ, cujusmodi triginta dati sunt Samsoni, Judic. 14. Sensus ergo verborum Christi est : Sicut non congruit pronubis lugere seu jejunare, quamdiù durant tempora nuptialia quæ lætitiæ plena sunt, ita non congruit discipulis meis luctibus et jejuniis frequentibus ac extraordinariis addici, sicut vos Pharisæi et discipuli Joannis voluntariè addicimini, quamdiù sum cum illis. Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, scilicet per mortem vel ascensionem meam, et tunc lugebunt et jejunabunt, sicut reipsà factum indicant Acta Apostolorum.

Reponcs. S. Hieron. in hunc locum Matth. dicit : *Quamdiù sponsus nobiscum est, et in lætitiâ sumus, nec jejunare possumus nec lugere : cùm autem ille propter peccata à nobis recesserit, tunc indicendum est jejunium, tunc luctus recipiendus.* Ergo.—R. S. Hieron. duntaxat velle quòd jejunium, quâ parte est luctuosum, hoc est, assumptum pro peccatorum expiatione, non convenire justis. Duplex enim juxta S. Augustinum distingui potest jejunium : unum tribulationis et luctûs, quod assumitur pro peccatis commissis eluendis, et hoc non convenit justis et perfectis; aliud lætitiæ, quod pertinet ad gaudium mentis in Deum elevatæ vel elevandæ, et hoc convenit perfectis.

Dices 2° : Cassianus, Collat. 121, cap. 29, asserit justos quadragesimali jejunii lege non teneri, sed duntaxat mundanos et vitiis deditos; additque justos, superveniente honestâ et sanctâ necessitate, audere stationem jejunii absque ullâ dispensatione laxare, quod negat peccatoribus. Ergo. — R. D. ant. Cassianus asserit justos non teneri lege jejunii, ut cogente, C.; ut dirigente, N. Patet ex solutione primi argumenti. Quòd autem dicat justos et non impios, ex honestâ necessitate posse laxare legem jejunii, nihil aliud vult quàm quòd justi, qui per totius anni curriculum jejunia protrahunt, faciliùs jejunium præceptum solvere possint, quia tum apud se, tum apud alios certi sunt quòd non ex intemperantiâ id faciant, sed ex verâ necessitate, quàm terreni homines qui, deliciis perpetuò inservientes et genio indulgentes, leviribus de causis et sæpè fictitiis jejunia solvunt. Et si quid aliud intendat Cassianus, deserendus est, utpote contrarius menti et praxi Ecclesiæ. Eodem modo exponendus est S. Isidorus Hispal. lib. de Offic. Eccles., cap. 38, ubi exscribit sententiam et verba Cassiani.

Dixi 1° in conclusione, *omnes Christiani;* ideòque non solùm catholici, sed etiam hæretici lege ecclesiasticâ jejunii adstringuntur, quia cùm per baptismum fiant Ecclesiæ subditi, ejus legibus tenentur : secùs infideles et pagani, quia defectu baptismi non sunt Ecclesiæ subditi.

Dixi 2° : *Vigesimum primum ætatis annum completum adepti.* Pro quo.

Dico 2° : Nemo ante vigesimum primum ætatis annum completum, tenetur integrè vi legis ecclesiasticæ ad jejunia ecclesiastica. Ita mentem Ecclesiæ interpretatur consuetudo à D. Thomâ asserta et doctorum ac piorum praxi propè generali firmata. Sic etiam post D. Th. docent S. Antonin., Palud., Sylvester, Cajet., Rosell., Navarr., Sylv., Less., Pontas, et innumeri alii contra paucos.

Ratio etiam adstipulatur. Quia in pueris, ante assignatam ætatem, est evidens ratio non jejunandi; tum propter debilitatem naturæ ex quo provenit quòd indigeant frequenti cibo et non simul assumpto; tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti quod fit de residuo alimenti : ergo quamdiù sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad jejunia ecclesiastica. Conveniens tamen est ut etiam hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minùs secundùm modum suæ ætatis : quod est consilii, inquit hìc Cajetanus, et non præcepti : gratis itaque doctor Daelman hìc astruit obligationem sub veniali.

Quandoque tamen, magnâ tribulatione imminente, in signum pœnitentiæ arctioris, etiam pueris indici possunt jejunia, sicut legimus de jumentis, Jonæ 3. Possunt etiam ipsis imponi à confessariis, si id necessarium visum fuerit ad coercendam carnis petulantiam, sicut et ipsi possunt ultrò se voto adstringere ad jejunandum.

Dixi *integrè;* quia certum est omnes, ubi adepti sunt usum rationis, quod in pluribus accidit in fine primi septennii, teneri ad partem jejunii quæ est abstinentia à carnibus : tum quia id fert generalis consuetudo quæ est optima legum interpres; tum quia carnes non sunt ita ipsis necessariæ ad debitum naturæ augmentum, sed sufficiunt alii cibi et plures refectiones. Et de hoc imperfecto jejunio intelligenda sunt jura, si quæ sint quæ pueros doli capaces astringant jejunio. Ante verò usum rationis, neque à carnibus abstinere tenentur, sicuti nec amentes, quia leges Ecclesiæ non afficiunt, nisi ratione utentes : unde possunt etiam ab aliis carnes edendæ ipsis porrigi, ut jam dixi alibi, modò absit scandalum.

Dices 1° : Plures ante annum vigesimum primum indigent jejunio ad cohibendam carnis petulantiam : ergo ad illud tenentur. R. D. consequens. Ergo ad illud tenentur vi legis naturæ, C., si nempe alio remedio peccatum vitare non possunt; vi legis ecclesiasticæ, N. Hæc enim non intendit obligare ante assignatum tempus, ut colligimus ex consuetudine et communi sensu doctorum, sed judicio prudentis confessarii relinquit determinandum quid in certis casibus facto sit opus.

Instabis. Quidam ante vigesimum primum ætatis annum adipiscuntur statum augmenti et naturæ robur : ergo hi saltem tenentur lege ecclesiasticâ jejunii. R. N. consequentiam. 1° Quia cùm Ecclesia in suis legibus attendat ad id quod communiter accidit, et communiter non habeatur status augmenti ante hunc terminum, ibi fixit tempus obligationis, ita quòd ante illud nemo teneatur, sicut post illud omnes tenentur, etiamsi quidam nondùm attigerint statum augmenti. 2° Quia alioquin incerta nimis et ambigua foret obli

gatio jejunii, cùm non facilè dignoscatur quando quis præcisè attigit statum augmenti.

Repones. Pueri qui ante primum septennium attigerunt usum rationis tenentur ad sacrum audiendum, ad confessionem annuam et ad abstinentiam à carnibus : ergo similiter qui ante vigesimum primum ætatis annum attigerunt statum augmenti, tenentur ad jejunium. R. Dato ant. N. consequentiam. Quia nullibi nobis constat esse mentem Ecclesiæ ut qui attigerunt usum rationis eximantur à prioribus legibus, sicut constat nobis ex consuetudine et communi sensu doctorum esse mentem Ecclesiæ, ut qui non attigerunt vigesimum primum annum eximantur à lege jejunii. Insuper faciliùs dignoscitur usus rationis quàm status augmenti.

Omisi antecedens, quia non ita certò constat, quin fortè posset negari.

Dices 2° : Non est determinata ætas ad finiendam obligationem jejunii. Ergo nec ad inchoandam.

Pro solutione hujus argumenti, dico 3° : Non est determinata ætas ad finiendam obligationem jejunii, sicut ad inchoandam, unde malè quidam assignant sexagesimum annum pro termino finiendæ hujus obligationis.

Ratio conclusionis et disparitatis est, quia nullibi apparet quòd Ecclesia assignaverit hunc sexagesimum annum aut alium pro termino finiendæ hujus obligationis, sicut constat ex consuetudine et communi sensu doctorum, ut jam sæpè dixi, determinâsse vigesimum primum annum ad inchoandam hanc obligationem. Altera disparitas aut potiùs ratio hujus diversæ dispositionis Ecclesiæ est, quia status augmenti et roboris communiter et ut in pluribus habetur certâ ætate, non autem senectus ; alii enim senescunt anno quadragesimo, alii quinquagesimo, alii sexagesimo, alii septuagesimo tantùm et ultra, ita ut quandoque videantur septuagenarii aut sexagenarii vegetiores quàm quinquagenarii aut quadragenarii : et ideò non potuit assignari certa ætas ad finiendam obligationem jejunii sicut ad inchoandam. Quapropter obligationis finiendæ aut continuandæ regula repeti debet ex debilitate seu infirmitate senio causatâ. Non diffiteor tamen quin circa sexagesimum annum satis frequenter talis sit infirmitas, quæ excuset, si non à toto, saltem à parte jejunii.

Dices : Hieronymus Liamas, 3 p. Methodi, cap. 5, § 20, asserit Pium V anno 1570 declarâsse vivæ vocis oraculo, sexagenarios non ampliùs adstringi jejuniis ecclesiasticis, seque hujus declarationis fuisse testem oculatum. Ita referunt Loth, Sporer et alii. Ergo. Huic argumento respondet Franciscus Henno, q. 7, de Jejunio in fine, his verbis : « Miror quosdam auctores etiam modernos huic privilegio adhærere, cùm summa vivæ vocis oracula fuerint per Gregorium XV et Urbanum VIII expressissimè revocata. Verùm fortassè vicissim mirabuntur isti auctores moderni, hunc lapsum ab erudito theologo esse admissum, reponentque ipsi Gregorium XV et Urbanum VIII ea duntaxat revocâsse vivæ vocis oracula quæ concessa sunt collegiis, capitulis, ordinibus religiosis aut eorum prælatis, non verò quæ concessa sunt generaliter omnibus fidelibus (quale est id de quo agitur), ut patet ex ipsis terminis revocationis utriusque pontificis apud Lesanam, tom. 3, v. *Oracula vivæ vocis*.

Quantùm ad me attinet, magis mirarer Liamas se dicere *testem oculatum* oraculi vivæ vocis ; *auricularem* potiùs dixisset, non enim dicimur videre vocem, sed audire : oraculum autem vivæ vocis, est concessio à summo pontifice ore tenùs facta sine scripturâ; Lesana ibidem. Quòd si fortè ab aliquo hoc vivæ vocis oraculum exaratum viderit Liamas, et ideò se dicat testem *oculatum*, pari jure me etiam hujus testem oculatum pronuntiabo. Cæterùm si de isto vivæ vocis oraculo certò constaret, absque scrupulo aut cujusvis admirationis metu illi adhærerem ; sed quia non constat, conclusioni standum esse existimo.

Petes 1° utrùm religiosi professi qui nondùm vigesimum primum annum complevêre, teneantur ad jejunia ecclesiastica. — R. non teneri vi legis ecclesiasticæ, quia nullibi habetur Ecclesiam priùs suâ lege religiosos quàm seculares velle astringere. Tenentur autem vi et pro modo suæ regulæ, sicut ad ipsa jejunia regularia, scilicet, vel sub culpâ mortali aut veniali, si regula sic ad hæc obliget ; vel sub pœnâ tantùm, si regula nonnisi sub pœnâ obliget, ut in nostro prædicatorum ordine. Ratio est, quia adolescentes absolutè loquendo, jejunii capaces, possunt renuntiare indulgentiæ et privilegio Ecclesiæ, sicut renuntiarent, si se voto privato ad jejunandum obligarent, aut jubilæum lucrari vellent.

Petes 2° utrùm religiosi exempti teneantur ad jejunia mandato episcopi indicata. — R. non teneri vi legis episcopi, quia ejus jurisdictioni non subduntur, posse tamen teneri vi consuetudinis, si ita vigeat in provinciâ, aut ratione scandali.

Si dicas religiosos exemptos teneri obedire episcopo ferenti censuras vel interdictum, aut instituenti dies festos, ergo et indicenti jejunia. — R. nego consequentiam. Quòd enim teneantur observare interdicta aut dies festos ex mandato episcopi, hoc est specialis dispositio Ecclesiæ facta in concil. Trid., sess. 25 de Regular., cap. 12. Nullibi autem habetur similis dispositio pro aliis legibus episcopalibus. Ita Pontas, v. *Rogations*, cas 2, post Sylvium et plures alios.

Petes 3° utrùm peregrini teneantur jejunio sui territorii vel loci in quo sunt. — R. teneri jejunio loci in quo sunt. Ita communiùs.

Patet 1° ex vulgato responso S. Ambrosii ad S. Augustinum interrogantem pro matre suâ Monicâ : *Cùm Romam venio, sabbato jejuno ; cùm Mediolani sum, non jejuno : sic et tu ad quamcumque fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi.* Habetur Epist. 118, et refertur cap. *Illa*, dist. 12 ; unde commune proverbium

Si fueris Romæ, romano vivito more;
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

2° Quia id exigit uniformitas in regimine et exactâ legis observantiâ; nihil enim frequentius est quàm ut.

occasione alicujus hospitis à jejunio liberi, alii jejunium frangant. 3° Quia sic obtinuit consuetudo : unde graviter offenderentur fideles si viderent aliquem advenam vescentem carnibus die jejunii. Ex quibus rationibus jure præsumitur hanc esse legislatorum mentem, ut sicut à legibus sui territorii eximuntur absentes, sic teneantur legibus loci in quo reperiuntur. De quo fusiùs dùm de legibus.

Hinc inferes 1° eum qui discedit à loco ubi non est jejunium, posse refectionem manè sumere; et si ad locum ubi jejunium adveniat circa meridiem, posse iterùm cum aliis prandere et serò collationem sumere. Quòd si serò tantùm adveniat, videtur quòd non possit nisi collationem ut alii sumere. E contra, si discedat à loco ubi est jejunium, non potest manè sumere jentaculam, nisi aliunde excusetur; sed ubi advenerit in locum ubi non est jejunium, se gerat ut alii non jejunantes; quia, ut dictum est, potest et tenetur obsequi moribus loci in quo est.

Inferes 2° ex eàdem ratione, quòd qui in unâ diœcesi jejunavit vigiliâ festi, incidente, v. g., in feriam quartam, si sabbato sequenti sit in diœcesi alterâ, in quâ hoc jejunium transfertur in sabbatum, teneatur iteratò jejunare. Idem censeo de eo qui hìc jejunâsset totâ quadragesimâ, si adveniret in Angliam ubi adhuc duraret quadragesima propter observantiam veteris calendarii.

Neque obstat nos non teneri bis jejunare pro eodem festo, neque duplicem in anno quadragesimam agere. Id quidem verum est per se, per accidens autem contrarium contingit. Sic, v. g., per se teneris jejunare semel pro S. Laurentio, et per unam quadragesimam in anno : per accidens tamen potest contingere quòd non tenearis, si nempè successivè reperiaris in locis in quibus tempus obligationis elapsum est aut nondùm advenit, v. g., in diœcesi Rhemensi feriâ quartâ, et in diœcesi Leodiensi sabbato sequenti; aut si discedas ex Angliâ nondùm absolutâ quadragesimâ, et advenias in Galliam quando est absoluta, utrinque à jejunio eximeris. Qui autem sentit commodum, debet sentire et incommodum, ut fert regula juris.

Inferes 3° ex eodem semper principio, eum qui invitatur ab amico ad prandium, ubi non est jejunium, posse illic comedere carnes quas domi suæ comedere non potuisset propter jejunium, nisi fortè illùc iret in fraudem jejunii, hoc est, præcisè ut manducet carnes, aliàs non iturus : quia, juxta axioma juris, *fraus et dolus nemini patrocinantur*. Neque dicas eum uti jure suo; nemo enim habet jus agendi in fraudem legis.

Articulus IX.

De causis excusantibus à jejunio.

Causa excusans à jejunio, generaliter loquendo, una est, nempe impotentia moralis, quâ quis non potest sine gravi suo vel alterius incommodo jejunare. Ad hanc revocantur omnes aliæ causæ assignari solitæ, ut infirmitas, labor, peregrinatio, paupertas, pietas, etc. Unde :

Dico 1° : Infirmitas præsens vel imminens in tantùm excusat à jejunio, in quantum est aut saltem creditur juxta experti et timorati medici, aut eo deficiente alterius viri prudentis et probi judicium, vel incurrenda, vel aggravanda, vel non sananda si servetur jejunium. Est communis et certa; quia jejunium est ab Ecclesiâ institutum ad mortificationem quidem naturæ, non verò ad ejus destructionem.

Audis me, ubi necessitas non est evidens, requirere judicium medici aut viri prudentis; quia infirmi solent esse in hâc materiâ plus æquo vel indulgentes, vel scrupulosi : item me requirere judicium medici experti et timorati; quia frequentes sunt medici solo titulo tales et ita ad urbanitatem informati ut omnibus promiscuè exemptionem à jejunio petentibus nonnisi annuere noverint : quorum sanè judicium tutò non sequuntur infirmi.

Ex hâc conclusione inferes 1° non omnes infirmos eximi à toto jejunio, sed quosdam à toto, quosdam à parte, prout scilicet exigit ratio infirmitatis : et ideò quosdam posse manducare carnes, non tamen plures refectiones sumere; vel è contra plures refectiones sumere, sed non carnes; quosdam posse jentaculum sumere, alios pinguiorem collationem; quibusdam sufficere invertere ordinem refectionum, collationem meridie, cœnam vesperi sumendo. Unde meritò ad instantiam episcopi Grandensis damnata est ab academiâ Lovaniensi, anno 1657, hæc propositio : *Qui dormire nequit, nisi vesperi sumptâ cœnâ, non tenetur jejunare, imò neque in prandio collationem sumere quamvis hoc modo isti incommodo obviare posset : quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.* — Inferes 2° mulieres prægnantes aut lactantes, quæ infirmis annumerari possunt, eximi, à toto jejunio quoad abstinentiam à pluribus refectionibus. Ita communiter contra paucos. Quia abundantiorem et frequentiorem cibum exigit fœtus quem gestant aut lactant : imò peccarent si jejunium saltem in rigore observare vellent, ob nocumentum inde fœtui aut proli imminens. Non tamen eximuntur ab abstinentiâ à carnibus, quia alii cibi sufficiunt; excipe casum quo mulier prægnans immoderatâ passione ferretur in carnes, cui ne fœtus ex denegatione patiatur detrimentum recusari non debent.

Inferes 3° cum qui nunc est sanus, sed cui ex certis aut verè probabilibus indiciis imminet morbus, eximi à jejunio pro quanto necesse est ad avertendum morbum; similiter qui ex infirmitate convalescit, pro quanto necesse est ad reparandas vires.

Inferes 4° neque impotentiam reddendi debitum inter conjuges, neque maciem aut pallorem quo vel uxor viro, vel puella proco se minùs gratam ad tempus exhibet, per se loquendo, esse infirmitates seu causas sufficientes eximendi ipsas à jejunio.

Quantùm ad primum, scilicet redditionem debiti : 1° quia ad id conjuges non se obligârunt in omni eventu, sed salvis mandatis Dei et Ecclesiæ; 2° quia tempus jejunandi est tempus longè fieri ab amplexibus, ut religiosè observat hìc Sylvius. Imò non desunt theologi et canonistæ qui contendunt conjugem petentem

debitum tempore jejunii peccare : pro quo citant Patres et canones ; sed advertit Navar. in Manu. c. 22, n. 71, Patres et canones esse intelligendos de primâ consummatione matrimonii, quam reponunt inter solemnitates quæ prohibentur tempore quadragesimæ. Insuper idem Navar. ibidem existimat hos canones esse antiquatos.

Quantùm ad secundum, quia futiles sunt prorsùs hæ rationes, nec ullam per se inducunt impotentiam aut difficultatem jejunandi. Ecquod enim grande malum si ad tempus uxor minùs arrideat viro, puella proco?

Dixi, *per se loquendo ;* quia per accidens, puta, si ex impotentiâ aut deformitate unius partis jure timeantur in alterâ incontinentia, graves iræ, odia, blasphemiæ, aut grave detrimentum, posset compars, suadente lege charitatis, cui cedunt leges humanæ, temperare jejunium quantùm necesse est ad illa mala avertenda. Similiter, quamvis uxor marito violationem jejunii jubenti secundùm se obedire non debeat, quia præstat obedire Deo quàm hominibus, potest tamen per accidens, si nempe ex recusatione, præfata aut similia immineant.

Dico : Secundùm jus antiquum, labor non necessarius, etiamsi gravis, non eximit à jejunio ; quia dimittendum est id quod non est necessitatis, ut servetur id quod est necessitatis. Labor autem gravis necessarius ad bonum sive proprium sive alienum, eximit à jejunio, quia non videtur fuisse intentionem Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas. Ita, inquam, secundùm jus antiquum, S. Thomas et cum eo omnes ferè antiqui et multi moderni. Verùm, inquit Sylvester, v. *Jejunium*, n. 24 : *Eugenius IV, anno 1440, circa hoc fecit magnam modificationem, indulgens quòd artifices laboriosa opera exercentes, et rustici ; sive sint divites sive pauperes, non teneantur ad jejunium sub præcepto, ut refert Rosella, et aliàs à viris doctis audivi.* Hucusque laudatus Sylvester. Eamdem Eugenii IV declarationem refert Basseus, v. *Jejunium* 2, n. 7, his verbis : *Opifices suas artes exercentes, aut coloni colendis serendisque agris aut aliis ejus modi rebus operam dantes, sive sint divites, sive pauperes, ad jejunia sub peccato mortali non tenentur et à confessariis absolvi possunt consulendo illis ut in eleemosynis aliisque piis operibus occupentur.* Idem referunt ex laudatis operibus Loth, Henno et alii : divitibus autem non est necessarius labor. Quapropter,

Dico 5° : Secundùm jus novum, in hâc Eugenii IV declaratione fundatum, omnis labor honestus cum jejunio incompossibilis, etsi non necessarius, modò non sit in fraudem jejunii susceptus, eximit à jejunio.

Hanc sanè summi pontificis declarationem, à tot viris fide dignis relatam, eò faciliùs arbitror esse veram, quòd videam esse in praxi etiam apud timoratos ; neque enim pœnitentes neque confessarii discutere solent an labor qui affertur ut causa excusans à jejunio fuerit necessarius necne, sed an fuerit gravis et jejunio incompatibilis.

Ex his conclusionibus inferes 1° agricolas, fabros, sive ferrarios, sive lignarios, sive stannearios et similes, item fossores, cæmentarios, pistores, fullones coriarios, typographos prælo insudantes (non tamen componentes), cursores longum aut molestum iter pedibus agentes, et alios artes valdè laboriosas exercentes, eximi à jejunio propter gravem defatigationem et debilitatem cum jejunio moraliter incompossibilem.

Inferes 2° è contra, propter oppositam rationem, pictores, sartores, barbitonsores, acu pingentes, cantores, musicos, mercatores, medicos, chirurgos, pharmacopolas, ancillas, famulos communia et levia ministeria familiæ obeuntes, notarios, scribas, magistratus et alios officiales, quorum labor absque gravi difficultate potest cum jejunio compati, ab ejus lege non eximi. Unde Alexander VII damnavit hanc propositionem : *Omnes officiales qui in republicâ corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio.* Sed quid de sutoribus, textoribus, aurificibus et sculptoribus? Quidam eos excusant à jejunio, quòd putent gravem eorum laborem ; alii non excusant, quòd putent levem. Nos cum Sylvio existimamus hos et similes quorum dubius est labor, prudentiæ confessarii esse remittendos, ut, attento labore et personarum complexione, eos à jejunio liberos vel ad id obligatos pronuntiet. Idem censeo de judicibus, consiliariis, advocatis, lectoribus, scriptoribus scholasticis, confessariis et prædicatoribus. Qui enim ex illis mediocriter, ut fieri solet, studio incumbunt, nullatenùs eximuntur à jejunio ; qui acriùs, plus vel minùs, secundùm quantitatem studii et personæ conditionem, eximuntur ; ita ut quandoque sumere possint pinguiorem collationem, quandoque cœnam, quandoque jentaculum, quandoque totaliter eximantur, quantùm scilicet ad unitatem refectionis : sic, v. g., qui à manè ad vesperam confessiones exciperet, qui totâ quadragesimâ quotidiè aut ferè concionem haberet cum magno studio et labore, puta, quia est ingratæ memoriæ, aut conciones recenter cusas pro primâ vice recitat ; qui diù noctùque ad componendum aut docendum libros evolvit, totaliter à jejunio exemptum quoad abstinentiam à pluribus refectionibus, non secùs ac cæmentarium, arbitror. Sicut enim labore corporali spiritus vitales exhauriuntur, ita labore spirituali spiritus animales, qui non sunt minùs ad vitam necessarii.

Inferes 3° præsertim ex tertiâ conclusione, eos qui non ex necessitate aut officio, quales sunt plerùmque ii de quibus hucusque sermonem habuimus, sed honestæ recrationis aut exercitationis causâ aliove fine honesto iter aut laborem suscipiunt, v. g., venantur, piscantur, invisunt amicos aut urbes, iter agunt pedibus cùm possint rhedâ aut navi, et similes, etiam eximi à jejunio ubi defatigatio est gravis ; à fortiori si peregrinentur ex devotione, ut dicam iterùm modò in quintâ conclusione (1).

(1) Fatendum quidem legem ecclesiasticam sic usu fuisse temperatam, ut nunc à jejunio excuset labor cum jejunio incompossibilis, licèt non absolutè ne-

Dixi 1° in conclusione, *labor honestus;* quia sola defatigatio ex labore inhonesto et illicito, non eximit à jejunio, cùm præsumi non possit Ecclesiam relaxare legem suam in favorem peccantium; secùs tamen si ex labore illicito sequeretur aut immineret infirmitas, tunc enim currit lex naturalis conservandi vitam. Distinguendum est itaque hìc inter infirmitatem et solam defatigationem quæ non est infirmitas, sed solùm majorem difficultatem pari jejunandi, quam sanè tenetur ferre et suæ iniquitati imputare debet peccator.

Dixi 2° : *Modò labor non sit in fraudem legis susceptus;* quia, ut communiter dicitur et fert regula juris, *fraus et dolus nemini patrocinantur,* nec, ut ante jam dixi, præsumi debet Ecclesiam velle suam legem relaxare in gratiam eorum qui quærunt illam fraudare, et ventri indulgere. Hinc qui suscipit iter aut laborem præcisè ut eximatur à jejunio, aliàs non suscepturus; qui itineratur pedibus, aliàs ascensurus equum, aut currum, aut navim; qui venatur aliàs non venaturus, etc., verè non eximitur: nisi, ut modò dixi, ex nimiâ defatigatione sequatur aut immineat morbus.

Petes 1° quoad iter, quantum et quale requiratur et sufficiat ad eximendum à jejunio. — R. Quidam requirunt quatuor leucas, quidam quinque, quidam sex, alii plus, alii minùs. Item quidam eximunt solos itinerantes pedibus, alii etiam itinerantes equo aut curru. Sed hæc si generaliter statuantur arbitraria sunt: quamvis enim satis communiter loquendo, quatuor aut quinque leucæ videantur requiri et sufficere in hâc saltem patriâ montibus frequenti, petest tamen con

cessarius, modò tamen ea occurrat utilitatis ratio quæ juxta hodiernam disciplinam æquiparatur naturali necessitati, adeò ut nimis restricta censeretur libertas, si hæc interdicerentur; sed quòd illud temperamentum extendi etiam debeat ad laborem solâ recreationis causâ susceptum nequaquàm admittimus, nec admittendum putabat B. Liguori lib. 3, n. 1046 : *His,* inquit, *non universim acquiesco, præsertim, si solâ delectationis causâ, iter sive alius labor suscipiatur.* Ne verè quidem illud concludi nequit ex textu allato declarationis Eugenii IV, in quâ solummodò agitur de *artibus laboriosis;* interest reipublicæ, ne causâ jejunii operarii intermittant exercere artes quibus ex suo officio incumbunt; eadem cessatio esset illis onerosa : quapropter S. Pontifex censuit aliquid remittendum de antiquo rigore, sed illæ rationes utilitatis non militant in favorem cujusvis laboris honesti, ut satis patet; igitur nec ex textu allato, nec ex motivis quibus prudenter præsumitur fuisse inductum papam ad illud moderamen, deduci potest consectarium D. Billuart. Illud non magis deduceretur ex praxi constanti : cùm inter theologos qui in variis Ecclesiæ provinciis scripserunt, pauci admodùm sint qui hoc licitum reputaverint, cæteri autem vel omninò sileant hanc causam exemptionis à lege generali, vel illam respuant ut planè insufficientem, quis supponet eam esse praxim constantem, etiam apud timoratos, ut se liberos existiment ab abstinentiâ et jejunio ob laborem solius exercitationis vel recreationis causâ susceptum? Igitur necesse est ut interveniat alius finis honestus, seu defectu necessitatis vera et solida utilitas, quâ homines non possent privari quin aliquod sibi suæve familiæ nocumentum afferretur, aut nimis coarctaretur humanum commercium; hoc autem usu consueto et judicio prudentum, maximè pastorum Ecclesiæ pensandum est. (Edit.)

tingere quòd, attentâ itinerantis complexione, aeris intemperie, majori viarum asperitate, itineris diuturnitate, plus defatigent duæ aut tres leucæ quàm quatuor, quinque, sex aut septem. Similiter, quamvis incedentes equo aut curru regulariter non multùm defatigentur, nec ideò communiter eximantur à jejunio, potest tamen contrarium contingere : sic si diù incedas equo molesto, cursu præcipiti, flante vento valido, aut totâ die curru non pensili super pavimento aspero et in locis præruptis, plus sanè defatigaberis quàm si pedester quinque aut sex leucas conficeres. Non potest ergo certa regula statui generaliter pro omnibus ex longitudine viæ, neque ex modo itinerandi, pedibus scilicet vel equo aut curru; sed hæc repeti debet ex ipsâ lassitudine et debilitate naturæ restaurationem postulantis, causatâ per itinerationem, qualiscumque sit.

Sed quæ et quanta lassitudo requiratur, non magis facilè dixerim. Marchantius apud Sporer ponit hanc regulam : *Quandocumque iter ita hominem alterat, ut absque aliquo detrimento suo, vel negotii notabilis pro quo vadit, jejunium non possit commodè servare, excusat à jejunio.* Verùm, cùm τὸ *aliquo detrimento* et τὸ *commodè* valdè latè pateant, vix itinerantem reperies qui juxta hanc regulam adstringatur jejunio. Leve enim detrimentum, est *aliquod detrimentum,* et qualiscumque difficultas non est *commoditas.* Nullus est autem itinerans qui jejunet absque aliquâ difficultate aut aliquo levi detrimento. Relictâ igitur hâc regulâ, utpote nostro judicio laxiori, Franciscus Henno, alter Minorita, hanc assignat : *Quandocumque iter ita alterat hominem, ut ea in quibus ordinariè occupatur non possit nisi cum magnâ difficultate exsequi, solvit itinerantem à lege jejunii.* Hanc regulam in pluribus valere non diffiteor, at valere generaliter pro omnibus non arbitror. Opera enim quibus occupantur homines, alia sunt facillima, alia difficillima : facillima quis posset absque magnâ difficultate exsequi, etiamsi graviter lassus ex itinere; difficillima non posset, etiamsi leviter lassus. V. g., malleator in ustrinam (*un forgeron*), non admodùm lassus ex itinere, non posset absque magnâ difficultate exsequi opus suum, cui homo quietus et integer vix sufficit. E contra, puella graviter defatigata ex itinere posset adhuc absque magnâ difficultate nere aut suere.

Hâc ergo regulâ admissâ, ut in pluribus utili, generalem absolutè statui posse non credo; sed unusquisque suarum virium et debilitatis conscius, memor insuper Ecclesiam urgere observantiam legum suarum cum aliquâ difficultate, non tamen cum summâ aut gravi, sit coram Deo sincerus arbiter suî. Quòd si non possit, credat viro prudenti et probo, maximè confessario, si copia adsit. Hinc jure meritò damnata est ab Alexandro VII hæc propositio : *Excusantur absolutè à jejunio omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.*

Petes 2° utrùm agricolæ, fabriferrarii et similes

qui laboriosa opera exercent, propter quæ eximuntur à jejunio, tenentur jejunare eo die quo hæc opera intermittunt, puta, die festo incidente in quadragesimâ? — R. per se loquendo non videri exemptos, quia eo die non laborant, et, si præcedenti die laboraverint, aut sequenti sint laboraturi, ita et plenè corpus refecerunt aut reficient. Plerùmque tamen contingit eos excusari : 1° si ex præcedenti labore sint multùm attenuati, et per jejunium impares forent labori sequentis diei; 2° quia hujus conditionis homines plerùmque parcè vivunt, et vita eorum potest censeri quasi continuum jejunium, ita ut independenter ab opere laborioso, vix tenerentur lege jejunii. Adde quòd, cùm non sint jejunio assuefacti, longè majorem quàm alii jejunandi difficultatem patiantur : unde prudentiæ confessarii remittendum est ut, attentis omnibus, judicet num excusentur vel non. Ita fermè clar. Pontas, v. *Jeûne*, cas 9.

Petes 3° quid agendum cum illis pœnitentibus qui neque infirmi, neque laborantes, confessario urgenti obligationem jejunandi, simpliciter respondent : Non possum jejunare, et nihil aliud. Casum hunc nullibi legi, sed sæpè audivi in tribunali. — R. talibus non esse facilè fidem adhibendam; sæpè enim fingunt se non posse quod nolunt, solà communi jejunandi difficultate quam refugiunt deterriti, nec fortè unquàm experti quid reverà possint. Quòd si reipsà tamen singularem et majorem quàm alii difficultatem patiantur, vel illa provenit ex eorum culpâ, puta, ex non usu, quòd nunquàm voluerint ex intemperantiâ subjici legi jejunii, et tunc imputent suæ iniquitati, nisi sit periculum morbi, ut dixi supra de fatigatis ex labore illicito : vel provenit sine eorum culpâ, puta, ex naturali voracitate, vel ex eo quòd jejunio non sint assuefacti ex causâ legitimâ, ut contingit in iis qui continuo labore antehàc fuerunt occupati, et in mulieribus quæ nuptæ ante vigesimum primum annum, semper fuerunt aut prægnantes aut lactantes; hi secundùm prudentiam confessarii paulatim assuescant, et ideò ex parte saltem jejunent.

Dico 4° : Paupertas non semper excusat à jejunio, quia non semper affert impotentiam moralem jejunandi. Tunc autem excusat quando pauperes simul habere non possunt tantùm horâ comestionis quod ad victum totius diei sufficiat, sicut frequenter egenis contingit, qui frustatim eleemosynas quærunt, vel etiam quando ex præcedenti inediâ tantùm debilitati sunt quòd jejunium ferre non possunt.

Petes utrùm, quando ostiatim mendicantes aut alii habent sufficienter panem ad refectionem et nihil aliud, teneantur jejunare. — R. cum Pontas, v. *Jeûne*, cas 5, non teneri, quia solus panis semel sumptus, non sufficit ad plenam refectionem qualis requiritur ad onus jejunii sustentandum, seu, ut dicit S. Thomas, *ad victum totius diei*. Unde P. Henno malè profert hìc S. Th. quasi huic responsioni contrarium. Insuper non ignorabat S. doctor ostiatim mendicantes posse sæpè habere panem sufficienter ad refectionem, et tamen resolutivè dicit hìc, ad 4 : *A jejunus excusari videntur illi qui frustatim eleemosynas mendicant, quia non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.*

Dico 5° : Pietas in tantum excusat à jejunio, in quantum importat laborem incompatibilem cum jejunio.

Patet quia pietas ex se non debilitat corpus, sed labor concomitans. Sic excusantur peregrinantes ad loca pia, inservientes diù noctùque ægrotis, confessarii, concionatores, ut supra dixi pro quantitate laboris.

Multi hìc instituunt quæstionem utrùm peregrinatio ex solà devotione excuset à jejunio; item utrùm vacantes charitatis operibus, ut inservientes ægrotis, concionantes, non ex officio, nec jussi, sed sponte, aut etiam intuitu mercedis, excusentur. Quidam tenent quòd non, quia, ut dictum est supra, dimittendum est id quod non est necessitatis, ut servetur id quod est necessitatis. Alii docent quòd sic, quia juxta S. Thomam, non est intentio instituentis jejunium impedire per hoc causas pias : et quod est institutum ut promotivum boni, non debet esse illius impeditivum. Verùm, suppositâ veritate tertiæ conclusionis, in quâ diximus quemcumque laborem honestum gravem, etsi non necessarium, eximere à jejunio, evanescit difficultas, fluitque responsio affirmativa. Et sanè si Ecclesia ore pontificis indulget ut divites, quibus non est necessarius labor, operantes laboriosè, eximantur à jejunio, à fortiori vacantes religionis aut charitatis officiis.

Et ad rationem pro parte negativâ distinguo. Dimittendum est id quod non est necessitatis, si ita sit mens instituentis legem, C.; secùs, N. (1).

(1) Inter causas à jejunio eximentes, plurimi reponunt ætatem senilem, et tenent eos omnes qui attigerunt annum sexagenarium excusari à lege, etiamsi in casu particulari aliquis robustus inveniatur. Ratio est, ait B. Liguori, *tum quia sic fert universalis consuetudo, ut testantur communiùs doctores, tum quia aliàs esset res multis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit velne sufficienter robustus ad jejunium sustinendum... tum quia ob virium imbecillitatem egent cibo frequentiori*, lib. 3, n. 1036. Hanc decisionem nonnulli extendunt ad annum quinquagenarium pro mulieribus, ut ibidem refertur n. 1037.

Non dubium est quin illa sententia possit tutò ad praxim adduci in locis ubi reverà firmatur usu seu consuetudine constanti; nam consuetudo valet leges immutare, modificare, etc.; sed nihil probat eam esse ubique consuetudinem vigentem, nec desunt provinciæ, v. g., in Ecclesiis Galliarum et alibi, in quibus senes lege jejunii adstringuntur non secùs ac cæteri, nisi eâ infirmitate laborent vel in debilitatem inciderint, quæ legitimam det rationem dubitandi quòd ferre valeant jejunium absque notabili nocumento. In his provinciis nulla est proinde lex positiva senes eximens à præcepto generali; quoad alias rationes assignatas, non multùm probare videntur : nam difficultas examinandi an talis senex sit in statu infirmitatis qui non possit sustinere privationem alimentorum, illa, inquam, difficultas non major est quàm respectu plurium, qui licet non ad senectutem pervenerint, infirmæ tamen sunt valetudinis, et regulis prudentiæ communibus resolvitur, magis inclinando versùs benignitatem quàm ad severitatem in casu dubii, quia mens Ecclesiæ non est ut nos exponamus periculo probabili in morbum gravem incidendi, ut strictius

SPECIALITER NOTANDA

Circa præcedentes causas excusantes à jejunio.

Nota 1° causas assignatas excusare à jejunio ex rationabili epiikiâ et benignâ interpretatione mentis Ecclesiæ, quæ in his circumstantiis fideles suos obligare non intendit, adeò ut si causa excusans sit evidens, nullâ sit opus dispensatione; si dubia, recurrendum est ad prælatum, qui nomine Ecclesiæ dispenset, et suâ auctoritate suppleat quod deest sufficientiæ causæ. Non enim prælatus solùm declarat sufficientiam causæ, sicut facit medicus aut doctor, sed verè dispensat et suâ dispensatione causam sufficientem reddit. Porrò prælatus pollens auctoritate dispensandi in jejuniis Ecclesiæ jure ordinario, est summus pontifex in totâ Ecclesiâ; jure delegato ex usu, episcopus in suâ diœcesi, parochus in suâ parochiâ, saltem ubi non est episcopus, et etiam in multis locis ex usu ubi est episcopus superior regularis, provincialis in suâ provinciâ, localis in suo conventu. Nota 2°, quod alibi jam dixi: Cùm quis non jejunat aut quantitatem excedit in collatione, putans bonâ fide se habere justam et sufficientem causam, quæ tamen reipsà non est sufficiens, non peccat, saltem mortaliter, quia præcepta moralia, inquit Cajetanus, moraliter sunt interpretanda in executione; et iste non agit formaliter contra præceptum, nisi fortè agat ex ignorantiâ ita crassâ, ut dolo æquiparetur. Adde quòd Ecclesia non intendat injicere laqueum animabus. Ita Cajetanus, in Sum. v. *Jejunium*, cap. 3, n. 6, 7 et 8; Navar. in Man., cap. 21, n. 20, ex S. Antonino, 2 p., tit. 6, c. 2, § *Ante;* et Palud., in 4, dist. 15, q. 4., a. 1. Item Tolet., lib. 6, c. 4, n. 9; Layman, c. 3, n. 6; Sylvius hìc a. 4, et alii.

DIGRESSIO HISTORICA.

A QUO INSTITUTA SINT JEJUNIA ECCLESIASTICA.

§ 1. *A quo institutum sit jejunium antepaschale quod quadragesimale dicimus, et quot dierum.*

Dico 1° : Jejunium antepaschale non fuit institutum à Christo, sed probabiliùs ab Apostolis.

Probatur prima pars. 1° Nullum in Evangelio hujus institutionis vestigium habemus, nisi exemplum Christi : atqui quòd Christus jejunii quadraginta dierum dederit exemplum, non ideò præcepit : ergo.

Confirmatur. Magna est inter nostrum et Christi jejunium disparitas : ipse per quadraginta dies ab omnibus cibis et omni refectione abstinuit, non excepto die Dominico; nos autem quibusdam tantùm cibis abstinemus, unam refectionem singulis diebus sumimus, diebus Dominicis non jejunamus. Ergo.

Probatur 2° : À nascente Ecclesiâ usque nunc, variæ mutationes intervenerunt in jejunio quadragesimæ, sive ex summorum pontificum dispensatione, sive ex consuetudine : atqui tales mutationes non inveniuntur fieri in præceptis divinis Christi Salvatoris : ergo.

Probatur secunda pars, 1° ex regulâ S. Aug., lib 4 contra Donatist., cap. 24 : *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolicâ auctoritate traditum rectissimè creditur*; atqui jejunium antepaschale in nullo concilio invenitur institutum et semper fuit ab universâ Ecclesiâ observatum : quod patet ex primo concilio generali, scilicet Nicæno, ubi patres, can. 5, meminerunt quadragesimæ tanquàm rei et notissimæ et antiquissimæ; similiter in Laodiceno, can. 50, et in aliis deinceps. Id adhuc magis patebit ex sequenti probatione. Unde :

Probatur 2° eadem secunda pars conclusionis ex SS. Patribus. 1° S. Hieron., Epist. 54 ad Marcellam, dicit : *Nos unam quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus.* 2° S. Leo, serm. 6 de Quadrag. : *Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur.* Et serm. 9 etiam de Quadrag. : *In quibus diebus meritò à SS. Apostolis per doctrinam Spiritûs sancti majora sunt ordinata jejunia.* Ergo.

Dico 2° : Probabile est jejunium antepaschale semper fuisse quadragesimale, hoc est, quadraginta circiter dierum.

Probatur. Jejunium antepaschale fuissse quadraginta dierum circiter, testantur quarti et quinti seculi Patres, nec illum dierum numerum primo suâ ætate jejunio fuisse consecratum indicant, sed retroactis seculis institutum et observatum supponunt : ergo probabile est jejunium antepaschale, etc.

Probatur ant. 1° ex conciliis Nicæno et Laodiceno cit. supra. 2° S. Cyrillus Jerosolymitanus, Catechesi primâ, habitâ tempore quadrag. ait : *Tot annorum circulos transegisti, mundo frustra operam dans, et quadraginta diebus non vacabis pro animâ tuâ!* 3° S. Epiphanius, in Expositione fidei catholicæ : *Cæterùm ante septem paschatis dies, quadragesimam observare, atque in jejuniis perseverare eadem consuevit Ecclesia : dominicis verò nullis omninò, adeòque nec ipsius quidem quadragesimæ jejunare solet; propterea sex illos paschatis dies xerophagiis, hoc est, arido victu omnis populus consuevit.* 4° S. Aug., Epist. 119, cap. 15 : *Ut quadraginta illi dies ante pascha observentur, Ecclesiæ consuetudo roboravit.* S. Leo ferè ubique serm. 3 de Quadrag. : *Doctrina Spiritûs sancti hâc conditione imbuit populum christianum, ut ad paschale festum quadraginta dierum se continentiâ præparet.* Serm. 4 : *Provisum est... ut quadraginta dierum nobis exercitatio moderetur.* Serm. 5 : *Saluberrimè nos quadraginta dierum jejunio præparemus.* Similiter Serm. 6, 8, 10, 12. 5° S. Petrus Chrysologus, serm. 66, contra relaxationem jejunii quadragesimalis ait : *Si ergo quadraginta dierum simplex, purum, æquale, tantis testimoniis sub tanti numero sacramenti traditum nobis à Domino jejunium perdocetur, unde novitas ista? unde ista varietas?* etc.; *jejunium sit æquale, et ut est nobis traditum servetur, ad corporis et animæ disciplinam.* Item S. Basil., hom. 2 de Jejunio; S. Greg. Nazianz., orat. 40; S. Joan.

servetur lex positiva, unde occurrente hujusmodi dubio vel per epiikiam interpretamur legem, vel si facilis sit recursus ad superiorem, ad parochum, ab eo dispensationem expostulamus. (EDIT.)

Chrysost., hom. 16, ad Antioch., S. Ambros., lib. de Noe, cap. 13. 6° Cassianus, Collat. 21, cap. 24, inducit Germanum abbatem interrogantem Theonam cur jejunium quadragesimæ compleatur triginta sex diebus : nam qui jejunium ducunt per septem hebdomadas non jejunant sabbato, nec dominicâ; qui sex tantùm hebdomadas decurrunt, jejunant sabbato; et in utriusque triginta sex dies jejunii tantùm reperiuntur. — Respondet Theonas quadragesimam jejunari ut dierum totius anni decimæ Deo per jejunium offerantur. Triginta enim sex dies sunt totius anni decima pars.

Ergo antepaschale jejunium fuisse quadraginta circiter dierum, Patres quarti ac quinti seculi testantur, nec suâ ætate sic institutum sed à prioribus seculis ad se derivatum supponunt.

Solvuntur objectiones contra primam conclusionem. -Obj. 1° contra primam partem primæ conclusionis. S. Ambros. serm. 25 dicit : *Non leve peccatum est, indictam fidelibus à Domino quadragesimam non jejunare.* Et S. Leo, serm. 12 de Quadrag. : *Multùm utilitatis afferunt divinitus instituta jejunia*, Ergo. — R. SS. Patres sic loqui, vel quia Christus jejunii exemplum dedit et suo exemplo monstravit illud sibi placere; vel quia per Spiritum sanctum inspiravit Apostolis ut illud instituerent, sicut ipse S. Leo dicit serm. 9 cit. supra.

Inst. S. Aug. in Psal. 100, dicit jejunium nobis præcipi ex lege et Prophetis et ex Evangelio. Et Epist. 119, cap. 15, dicit quadragesimam jejuniorum habere auctoritatem, et in veteribus libris ex jejunio Moysis et Eliæ, et in Evangelio ex jejunio Christi. Ergo. — Respondeo ad primum, S. Aug. loqui de jejunio *ab illecebris mundi*. Ad secundum, sensus est quod jejunium quadragesimale habeat auctoritatem à prælatis tanquàm ab exemplaribus, non tanquàm ab institutoribus; nisi fortè velis Moysen et Eliam etiam instituisse nostrum jejunium.

Obj. 2° contra secundam partem primæ conclusionis. S. Chrysost. Hom. in eos qui paschâ jejunant, ait : *Multi quondam temerè ac sine judicio, præcipuè verò hoc tempore quo Christus ea tradidit, ad sacra mysteria accedebant : cùm intelligerent Patres quantùm ex temerario accessu detrimenti caperetur, convenientes, quadraginta dies jejunii, precum, auditionis verbi Dei et conventuum designârunt.* — R. vel S. Chrysost. ibi non loqui de primâ quadragesimæ institutione, sed de illius designatione ad omnia illa pietatis christianæ officia quæ ibi recenset, vel nomine Patrum intelligere Apostolos, quo sensu ipsemet Paulus dixit : *Nam etsi habeatis multa millia pædagogorum in Christo, sed non multos patres ; in Christo enim Jesu per Evangelium genui vos.* Et certè in quo Patrum seu episcoporum conventu ante sanctum Chrysostomum instituta fuisset quadragesima in universâ Ecclesiâ ? Non in aliquâ synodo provinciali, hanc enim auctoritatem non habet pro totâ Ecclesiâ; non in generali, nam Nicæna supponit jam institutam, ut videmus; Constantinopolitana nihil de quadragesimâ decernit : nulla tamen alia synodus œcumenica præter has duas ante S. Chrysost. habita fuit. Dicendum ergo S. Chrysost. intelligere quadragesimam institutam ab Apostolis quos hic nomine Patrum appellat, idque elucescit ex serie homiliæ.

Obj. 3° : Victor Antiochenus quinto seculo, in cap. 2. Marci, docet neque à Deo neque ab ejus Spiritu ullam legem jejunii esse latam, et postea concludit : *Quòd si verò quadragesimale, vel aliud quodcumque jejunium definitum habemus, propter ignavos et negligentes, quo nimirùm quoque ii officium faciant, præfinitium habemus ; studiosi namque pietatique dediti, certo animi consilio propensâque voluntate jejunium illud persolvunt, magis quàm ullâ omninò legis aut præcepti vi compulsi.* Ergo. — R. Victorem Antiochenum solùm ibi asserere Apostolos non fuisse obligatos jejuniis legis mosaicæ et Pharisæorum aut discipulorum Joannis, ut patet ex contextu; Christianosque modò pietati deditos servare jejunia ecclesiastica, non sicut Judæi, lege cogente, per temporalium pœnarum inflictionem, sed liberâ electione et virtutis amore.

Obj. 4° : S. Aug. Epist. 86 ad Casulanum, dicit : *Ego in Evangelicis et apostolicis litteris, totoque instrumento quod appellatur Testamentum novum, animo revolvens, video præceptum esse jejunium : quibus autem diebus non oporteat jejunare et quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Ergo. — R. 4° S. Aug. in hâc Epistolâ nullatenùs agere de jejunio quadragesimæ, sed de jejunio sabbati, contra quemdam Urbicum, qui contendebat more Romanorum omni sabbato esse jejunandum. Unde sensus S. Augustini est, non esse determinatum à Christo vel Apostolis quâ feriâ per anni circulum extra quadragesimam sit jejunandum, sed hoc cuique liberum juxta morem suæ Ecclesiæ. 2° S. Aug. ibi loquitur de præcepto quod sit scriptis exaratum in sacris Litteris, ut patet ex contextu, non de præcepto quod sit ore traditum, quale dicimus esse præceptum quadragesimæ.

Inst. S. Aug. Epist. 119 ad Januarium, cap. 17, quadragesimam tribuit soli Ecclesiæ consuetudini, sicut neophytorum octo dies post pacha, et eos ejusdem facit originis cum quadragesimâ : *Ut quadraginta illi dies, inquit, ante pascha observentur, Ecclesiæ consuetudo roboravit, sic etiam ut octo dies neophytorum distinguantur à cæteris, id est, ut octavus primo concinat.* Ergo. — R. Dist. ant. Quadragesimam tribuit consuetudini Ecclesiæ roboranti, C. ; instituenti, N. Et hoc sensu comparat quadragesimæ octo dies neophytorum, quòd scilicet Ecclesiæ consuetudo utrosque roboraverit, et quòd eos pariter observet Ecclesia, quamvis utramque illam observantiam pariter non instituerit, sed primam acceperit ab Apostolis : quanquàm nihil obest quin utrumque illud institutum Apostolis acceptum referatur, licèt abrogatum sit alterum cùm solemnis adultorum baptismus desiit, alterum etiamnum vigeat, quia ejus rationes permanent.

Obj. 5° : Socrates, lib. 5 Hist. cap 32, scribit Apostolos jejunium quadragesimale « arbitrio cujusque ac « voluntati permisisse. » Idem Nicephorus ex ipso. Ergo. — R. Socrati, Novatiano homini, et Novatianam circa festorum celebrationem ac jejuniorum observantiam, indifferentiam propugnanti, fidem non esse adhibendam, sed magis credendum SS. Hieron. et Leoni.

Obj. 6° : Cassianus, collat. 21, cap. 30, tradit quadragesimale jejunium post apostolica tempora ab episcopis institutum fuisse, eò quòd remitteretur priscorum Christianorum fervor, qui initio totum anni spatium æquali jejunio concludebant. Ergo. — R. hanc esse privatam Cassiani opinionem et infirmo fundamento nixam; non enim certum est nec verisimile Christianos apostolicis temporibus arctissimum toto anno jejunium observâsse : unde, eo relicto, SS. Hieron. et Leoni adhæremus.

Obj. 7° : Berno, Augiensis abbas, circa annum 1014, lib. de Rebus ad Missam pertinentibus, c. 2 et 7, reponit quadragesimam inter ecclesiasticas consuetudines à Patribus et non ab Apostolis institutas. Ergo. — R. hunc abbatem à temporibus Apostolorum remotissimum, majorem non mereri fidem quàm SS. Hieron. et Leo.

Obj. 8° : Chronicon Eusebii, ad annum 136; Rabbanus Maurus, lib. 2 de Instit. cleric., cap. 34; Rupertus, Tuitiensis abbas, lib. 4 de Divin. Offic. cap 9, referunt institutionem quadragesimæ Thelesphoro, pontifici romano. Ergo. — R. ad Eusebium, ipsum referre quid aliqui sentiant, non tamen approbare. En ejus verba : *Quadragesimale jejunium à Thelesphoro per hoc tempus institutum ac præceptum quidam scribunt.* Insuper Chronicon Eusebii esse in hoc interpolatum, nec ista verba reperiri in mss. codicibus notat Natalis Alexander ex Scaligero et Arnaldo Pontaco, in notis ad Eusebium. — Ad Rabbanum et Rupertum, dico ipsos deceptos fuisse, vel jam interpolato Eusebii Chronico, vel testimonio Libri pontifi-

ficalis, Damaso adscripti, et recentiores esse quàm ut eis præ SS. Hieronym. et Leone fidem adhibeamus.

Obj. ultimò: Eusebius, lib. 5 Hist. cap. 18, Apollonium, scriptorem ecclesiasticum, introducit de Montano sic loquentem: *Hic est qui docuit nuptias solvi, et qui jejuniorum leges primus imposuit.* Ergo. — R. 1° quòd, licèt τὸ *primus* habeatur in versione Eusebii per Rufinum, non legitur tamen in aliis emendationibus, sed sic: *Iste est qui nuptiarum divortia perdocet, qui novas ejunii leges sancit.*

2° Dato quòd debeat legi *primus*, sensus est quòd jejuniorum insolitorum præter ecclesiastica primus leges imposuerit. Ex ipso ènim Tertulliano Montanistâ constat catholicos observàsse quædam jejunia ante ipsum Montanum. Vide locum citatum art. 3 præced. dissert., obj. 2.

Solvuntur objectiones contra secundam conclusionem.— Ante solutiones argumentôrum, notandum 1° non eodem semper ritu ab omnibus fuisse observatam quadragesimam. Alii eam inchoabant à feriâ secundâ post dominicam quæ dicitur quinquagesimæ, ita ut essent septem septimanæ jejunii; sed ex his aliqui, ut Græci, excipiebant à jejunio dominicam et sabbatum, ut dicit S. Basil. Hom. 2, de Jejunio. Quidam, solùm dominicam excipientes, ultimam hebdomadam non computabant intra dies quadragesimales, quia xerophagiis, id est, arido strictiorique victu transigebatur, ut dicit S. Epiphanius, citatus in probationibus conclusionis: utrobique tamen, ut patet, numerabantur triginta sex dies quadragesimalis jejunii. Alii inchoabant jejunium à feriâ secundâ post dominicam quæ dicitur prima quadragesimæ, jejunantes omnibus diebus usque ad pascha, exceptâ die Dominicâ: et sic erant etiam triginta sex dies jejunii: quibus ut esset perfectè completus numerus quadragenarius ad majorem conformitatem cum jejunio Christi, additi sunt quatuor dies præcedentis hebdomadæ.

Quando autem hæc additio facta sit, incertum est: quidam eam tribuunt Thelesphoro papæ circa medium secundi seculi, idque eruunt ex ejusdem pontificis Epistolâ decretali, et ex cap. *Quadragesima*, dist. 4, quod caput desumptum est ex quodam sermone S. Ambrosio adscripto; sed et ista Epistola et iste sermo sunt apocrypha. Id videtur certum, hanc additionem esse perantiquam et ante tempora S. Gregorii factam, siquidem ipse in Sacramentario quod ex codice Gelasii papæ collegit, feriam quartam ante quadragesimam ponat caput jejunii; similiter in Antiphonario. Nec obstat quòd, Hom. 16 in Evang. tribuat jejunio quadragesimæ triginta sex dies tantùm: quia hoc triginta sex dies solùm computat à dominicâ primâ quadragesimæ, in quâ homiliam hanc habuit; item et quia ipsa quadragesima quantùm ad officium et modum solvendi jejunium post vesperas, incipit tantùm à dominicâ.

Nota 2° varietatem etiam incurrisse in formâ jejunii, dùm aliqui quotidiè ad vesperum reficerentur, alii biduum, alii triduum, alii quatriduum, alii integram septimanam absque omni cibo transigerent, ut referunt S. Irenæus, in epistolâ ad Victorem papam apud Eusebium, lib. 5 Hist., cap. 24, secundùm accuratiorem translationem; S. Hieron. Epist. 15, et S. Aug., lib. de Moribus Ecclesiæ, cap. 33.

Obj. 1°: S. Irenæus apud Ecclesiam, lib. 3 Hist., cap. 24, dicit, loquens de jejunio quadragesimæ: *Quidam unum diem se jejunare oportere existimant, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta.* Ergo.— R. 1° verba græca S. Irenæi, ut modò dicebam, non accuratè reddi latinè in hâc versione Eusebii per Christophorsonum, neque etiam in eâ quæ est Rufini; sed simpliciter latine reddita sic sonant: *Neque enim solùm de die* (Paschæ) *èst dubitatio, sed etiam de specie ipsius jejunii: quidam enim existimant unam diem oportunè se jejunare, quidam duas, quidam etiam plures. Quidam quadraginta horis diurnis et nocturnis metiuntur suum diem.* Id probat Bellarm., lib. 2 de bonis Operib., cap. 14. Unde Natalis Alexander, sec. 2, dissert. 4, a. 3, ex emendatiori versione sic refert: *Neque enim de die solùm controversia est, sed etiam de formâ ipsâ jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum alii duobus, alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis, diem suum metiuntur.* Non fuit ergo diversitas secundùm S. Irenæum circa ipsam quadragesimam, an eo tempore per quadraginta dies esset jejunandum, sed circa ipsum modum et formam jejunii illius, quatenùs quidam quotidiè reficiebantur, quidam totâ die omnem cibum sibi subtrahebant, alii post biduum tantùm cibum sumebant, alii post triduum, alii post quadraginta horas. Et hunc esse sensum S. Irenæi, patet 1° quia in nullâ versione dicitur quòd esset controversia aut dubitatio de jejunio quadragesimæ, sed in versione Christophorsoni, de jejunii ratione et modo; in versione Rufini, de ipsâ specie jejuniorum. 2° Quia juxta S. Irenæum erat controversia de jejunio quadragesimæ, sicut de paschatis celebratione. Sic enim scribit juxta ipsam versionem Christophorsoni: *Non enim de die paschatis solùm, sed etiam de jejunii ratione et modo est ista constituta controversia;* atqui non erat controversia an festum paschæ foret celebrandum, sed quâ die, an Dominicâ, an quâcumque die hebdomadæ: ergo similiter, juxta eumdem, non erat controversia de ipso jejunio quadragesimæ, an servandum esset, sed quâ formâ et quo modo. Adde non esse verisimile talem unquàm fuisse varietatem jejunii paschalis, ut aliqui putarent illud unico die concludi; cùm è contra certum sit ex SS. Epiphan., Hieron. et Aug. citatis fuisse apud veteres varietatem in formâ et modo jejunandi. — R. 2° Dato, juxta S. Irenæum, diversitatem illam fuisse in numero dierum, nihil ideò obtinent heterodoxi; siquidem S. Irenæus asserit diversitatem illam ortam ex imperitiâ, ac irrepsisse in quasdam Ecclesias ex pastorum negligentiâ contra id quod primitùs traditum erat; sic enim prosequitur Irenæus in versione Rufini: *Cæpit hæc diversitas ab illis, ut opinor, qui, non simpliciter quod ab initio traditum est tenentes, in alium morem, vel per negligentiam vel per imperitiam, post modum decidêre.* Aliter quidem habet versio Christophorsoni, sed ipsi præferendus est Rufinus antiquior et doctior, eò magis quòd juxta Bellarm. loco citato, textus græcus Irenæi de verbo ad verbum latinè redditus, hunc sensum importat. Unde Natalis Alexander loco citato, ex accuratiori translatione sic refert: *Atque hæc in observando jejunio varietas non nostrâ primùm ætate nata est, sed longè apud majores nostros cœpit, qui negligentiùs, ut verisimile est, præsidentes, ex simplicitate et imperitiâ ortam consuetudinem posteris tradiderunt.*

Obj. 2°: Socrates, lib. 5 Hist., dicit eos qui Romæ sunt, tres septimanas ante Pascha, sabbato et dominico exceptis, jejunare; qui autem in Illyriâ, Græciâ et Alexandriâ, ante sex septimanas Pascha præcedentes jejunium quod quadragesimale vocant inchoare, alios ante septem. Ergo. Idem testantur ex ipso Sozomenus, lib. 7, c. 19; Cassiodorus, homo romanus, in Historiâ tripartitâ; et Nicephorus., lib. 12, c. 34. — R. Socratem hâc in re fidem non mereri, 1° quia partibus, si non erroribus, Novatianorum addictus erat. Quamvis enim hæresis Novatianorum nihil cum hâc quæstione de jejunio quadragesimæ commune haberet, hanc tamen varietatem Ecclesiæ romanæ imposuit, ut illi faveret, quia scilicet Novatiani sentiebant esse liberum et indifferens quo quis vellet die pascha celebrare, et ideò *Adiaphori* vocari amabant: unde, ut Novatianam illam indifferentiam in disciplinæ moribus exemplo Catholicorum romanorum probatam faceret, exhibet varietatem in moribus Ecclesiæ romanæ et ejus quoad jejunium dissidentiam ab aliis Ecclesiis.

2° Quia secum pugnat Socrates in hoc ipso capite; scribit enim Romanos tres continuas hebdomadas ante pascha, *exceptis sabbato et dominicâ die jejunare:* et infra in eodem capite scribit : *Romæ singulis sabbatis jejunant.* Quis verò sibi persuadet Romanos, qui reliquo anni tempore tam religiosè sabbati jejunium observabant, ut etiam constat ex SS. Hieron., Aug. et Leone, quadragesimæ sabbata à jejunio absolvisse?

3° Quia hâc in re fuisse hallucinatum Socratem, constat ex priùs laudatis SS. Leone, Petro Chrysologo et Cassiano, ejusdem ætatis scriptoribus, qui jejunium quadragesimale quadraginta diebus, Romæ publicâ lege sancitum esse et observatum testantur. Porrò non est mirum si græcus homo, tanto locorum intervallo ab urbe romanâ distans, romanæ Ecclesiæ ignarus fuerit. Fortè huic errori occasionem dedit plurium Christianorum Ravennæ aut etiam Romæ relaxatio, contra quam invehit S. Petrus Chrysol. supra.

Si dicas cum Dallæo, non esse verisimile Socratem mentitum fuisse in re cujus prompta et expedita probatio in omnium oculis versabatur. — R. : Non assero mentitum, sed fortè deceptum. Sed, esto fuerit mentitus, id nulli incredibile esse debet, qui conspexerit Dallæum ipsum in referendâ romanæ et gallicanæ Ecclesiæ disciplinâ de jejunio impudenter fuisse mentitum : scribit enim lib. 1 de Jejunio et Quadragesimâ, c. 2, pastores romanæ Ecclesiæ docere *reprehendi non posse, adeòque ecclesiasticè verè jejunare, qui horâ sextâ prandent et vesperè cœnant...Neque aliud inter dies jejuniis sacros et eos qui sunt à jejunio liberi discrimen apud eos quidem appareat, nisi quòd carne illis abstinent, his vescuntur : certè Ecclesiæ romanæ pastores nihil aliud vel imperant vel exigunt, nisi ut jejunia eâ lege colantur.* Et lib. 4, cap. 6, dicit jejunium Adventûs sub pœnâ æternæ mortis ab omnibus observari. Numquid hæc sunt aperta et putidissima mendacia? hæc tamen potuit Calvinista gallus circa mores præsentes suæ ecclesiæ; cur similiter non potuerit errare Socrates extraneus circa mores Ecclesiæ romanæ?

Quantùm ad Sozomenum, Cassiodorum et Nicephorum, dico ipsos sine discussione Socratem ferè de verbo ad verbum secutos fuisse, adeòque non majorem mereri fidem.

Dices : Sed quis credat Cassiodorum maximè, civem romanum disciplinam ecclesiæ suæ ignorâsse et ipsi falsa imposuisse? — R. Cassiodorum, sicut alia Socratis et Sozomeni errata exscripsit, ita et illud potuisse exscribere : nullus namque ignorat tempore Sozomeni pontificem romanum in ecclesiâ populum docuisse, cùm id testentur S. Leonis sermones; scripsit tamen Sozomenus loco mox laudato : *In urbe Româ, nec episcopus, nec alius quisquam in ecclesiâ populum docet;* idque transtulit in suam historiam Cassiodorus sicut et alia. Neque id nemini mirum videri debet, qui advertit consilium Cassiodori in Historiâ illâ tripartitâ aliud non fuisse *quàm de singulis dictatoribus deflorata colligere, et cum auctoris sui nomine in ordinem collocare*, ut ipse monet in ejusdem historiæ præfatione.

Obj. 3° : Tertull., lib. de Jejun., cap. 14, tantùm meminit jejuniorum *Parascevis et sabbati seu Paschatis.* Ergo. — R. 1° Tertulliano Montanistæ, præsertim in hâc materiâ scribenti contra Catholicos, nullam esse fidem adhibendam. 2° Ibi horum jejuniorum tantùm meminit, non quòd his solis diebus jejunarent Catholici, sed quia solemniora erant jejunia et in his conveniebant Catholici cum Montanistis quoad xerophagias. Insuper dici potest Tertullianum nomine paschatis intelligere totum tempus illud antepaschale quod jejuniis consecrant Catholici; sicut lib. de Idololatriâ, c. 14, nomine Pentecostes intelligit totum illud tempus quod decurrit à Paschate ad festum Pentecostes.

Obj. 4° : S. Leo, serm. de Quadrag., disertè testatur tertiam et quintam feriam apud Romanos à jejunio eximi : *Secundâ*, inquit, *et quartâ et sextâ feriâ jejunamus, sabbato autem apud B. Petrum Apostolum vigilias celebramus :* vigiliis autem adjungebantur jejunia. Ergo. — R. hæc verba cum viginti circiter lineis adjunctis, non esse S. Leonis, sed in ejus sermonem irrepsisse atque assuta fuisse. Id constat ex eo quòd non reperiantur in quinque codicibus mss. venerandæ antiquitatis et probatæ fidei, quos, inquit Natalis Alexander, sec. 2, dissert. 4, evolvit Quesnellus. Primus exstat in regis Christianissimi bibliothecâ, n. 341; secundus in bibliot. illustris D. Thuani, n. 49; tertius in eâdem, n. 108; quartus in bibliot. collegii Navarrici; quintus in bibliot. S. Germani à Pratis. Et sane S. Leo ubique quadraginta dies jejunio antepaschali assignat.

Insuper, dato hæc verba esse S. Leonis, intelligenda forent de jejunio quatuor dierum ante primam dominicam quadragesimæ qui, licèt nondùm tunc lege præciperentur, à multis tamen ex devotione jam observabantur, ut testatur Maximus Taurinensis, Hom. habitâ in illud Evangelium quod legitur die Cinerum.

Obj. 5° : S. Aug., Epist. 118 ad Januarium, docet cuique liberum esse pro more patriæ suæ jejunare vel non jejunare quintâ feriâ in quadragesimâ. Et Epist. 86 ad Casulanum, asserit Romæ feriam quintam à jejunio esse immunem. Ergo.—R. ad primum S. Aug. non illîc loqui de quâlibet feriâ quintâ quadragesimæ, sed de feriâ quintâ majoris hebdomadæ, ut patet ex serie totius Epistolæ et ex ipsâ quæstione factâ à Januario : *Quæris enim his verbis*, inquit S. Aug., *quid per quintam feriam ultimæ hebdomadæ quadragesimæ fieri debeat.* Liberum ergo fateor fuisse tempore S. Aug. in Ecclesiâ africanâ jejunare vel non jejunare feriâ quintâ in cœnâ Domini, imò Missam celebrare aut Eucharistiam sumere jejunum vel pransum, ut constat ex can. 29 concilii Carthag. idque ex quodam usu propter singularem commemorationem cœnæ Domini introducto; sed nego id liberum fuisse quâlibet quintâ feriâ quadragesimæ. Ad secundum, dico S. Aug. ibi non loqui de jejunio quadragesimæ, sed de jejuniis quæ per totum annum multi ex piâ consuetudine Romæ observabant, ut constat ex ipso S. Aug. in eâdem Epist., ubi dicit fideles qui pietati studebant, solitos fuisse quartâ et sextâ feriâ, necnon sabbato jejunare per totum annum; feriâ autem quintâ non jejunare nisi paucos clericos et monachos. Insuper dicendum quòd, si alicubi feria quinta in quadragesimâ erat à jejunio immunis, hæc relaxatio compensabatur per majorem hebdomadarum numerum, ut observavimus supra.

Obj. 6° : S. Gregorius Turonensis, lib. 10 Historiarum Francorum, cap. 31, tradit Perpetuum, episcopum Turon. circa annum 460, *instituisse jejunia vigiliasque qualiter per circulum anni observarentur, quod hodiè*, inquit, *apud nos tenetur scriptum.* Ille autem ordo jejuniorum quæ Perpetuus instituit erat diversus à cæterorum more, et feriam quintam et sextam tantùm quadragesimæ jejunio addicebat : *De jejuniis*, inquit, *post quinquagesimam quarta et sexta feria usque Natale S. Joannis.* Ergo. — R. Perpetuum instituisse jejunia et vigilias certis diebus per anni circulum extra quadragesimam; de jejunio verò quadragesimæ quod jam ante institutum erat nihil sanxisse. Nec te moveat quòd feriâ quartâ et sextâ post quinquagesimam esse jejunandum decernat; non enim hîc quinquagesima antepaschalis intelligenda est, sed quinquagesima paschalis, hoc est, quinquaginta dierum intervallum quod à Paschate ad Pentecosten decurrit, quo tempore non jejunabatur, unde dicit *post quinquagesimam* esse jejunandum. Moris enim ecclesiastici tunc erat appellare Pentecosten *quinquagesimæ solemnitatem*, quia est dies quinquagesimus à Resurrectione Domini. Ita in concil. Aurelian. 1, can. 25; in concil. Turon. 2, can. 17; apud Cassianum, collat. 21, cap. 11, et alibi.

Obj. 7° : Cassianus, Collat. 21, c. 27, scribit quosdam jejunare sex hebdomadas, alios septem. Basilius, serm. 2 de Jejunio, non pluribus quàm quinque die-

bus monet esse jejunandum. Ergo. — R. hæc conciliari ex prænotaminibus ad solutionem objectionum. Qui enim quinque tantùm diebus jejunio consecrabant, et qui sex diebus in hebdomadâ jejunio consecrabant, et qui sex diebus in hebdomadâ jejunabant, sex hebdomadibus jejunium concludebant, ita ut utrobique forent triginta sex dies jejunii; computatis scilicet utrobique sex diebus ultimæ hebdomadæ.

Obj. 8°: S. Ambros., serm. 24, dicit aliquos sui temporis jejunare quinquagesimam pro quadragesimâ. Ergo. — R. S. Ambrosium id referre quidem, sed non probare tanquàm majorum auctoritate institutum, quin potiùs improbare tanquàm ex particulari quorumdam præsumptione institutum. Cæterùm S. Ambrosium pro indubitato habere per quadraginta dies esse jejunandum, ex ejus sermonibus de quadragesimâ patet.

§ 2. *A quo instituta sint jejunia quatuor temporum.*

Dico: Probabile est jejunia quatuor temporum instituta esse ab Apostolis, licèt aliqua diversitas supervenerit circa tempus.

Quidam probant primam partem ex illo Luc. Act. 27: *Cùm jam non esset tuta navigatio, eò quòd et jejunium jam præteriisset.* Sed alii volunt id intelligi de jejunio Judæorum. Unde efficaciùs

Probatur ex Leone. Is sermone primo de Jejunio Pentecostes, sic ait: *Hodiernam, dilectissimi, festivitatem descensione Spiritùs sancti consecratam sequitur, ut nôstis, solemne jejunium.... Repletis namque Apostolis virtute præmissâ.... Non ambigimus inter cætera cœlestis sacramenta doctrinæ, hanc spiritualis continentiæ disciplinam de Paracleti magisterio primitùs fuisse conceptam.... Hi itaque doctores qui exemplis et traditionibus suis omnes Ecclesiæ filios imbuerunt, tirocinium militiæ christianæ sanctis jejuniis inchoârunt.... Quartâ igitur et sextâ feriâ jejunamus, sabbato apud B. Petrum Apostolorum vigilias celebramus.* Vigiliis autem annexum erat jejunium. Ex quibus evidenter liquet, juxta S. Leonem, Apostolos et hoc jejunium observâsse, et posteris observandum indixisse. Et serm. 2, de eodem jejunio dicit: *Hoc jejunium quod ex apostolicâ traditione subsequitur, sanctâ observantiâ celebremus.... Quartâ igitur et sextâ feriâ*, etc., ut supra.

Idem, sermone 7 de Jejunio septimi mensis, id est, septembris, dicit: *Apostolica institutio, dilectissimi... ita veteris Testamenti decreta distinxit, ut.... quæ dudùm fuerant consuetudinis judaicæ, fierent observantiæ christianæ.* Et in fine: *Quartâ et sextâ feriâ jejunamus*, etc., ut ante. Et sermone 8 de eodem Jejunio: *Cui medicinæ* (scilicet jejunio) *cùm tempus non sit congruum, hoc tamen habemus aptissimum, quod apostolicis et legalibus institutis videmus electum, ut sicut aliis anni temporibus, ita in mense septimo spiritualibus nos purificationibus emendemus.* Idem, serm. 1 de Jejunio decimi mensis, hoc est decembris, sic ait: *Tria verò sunt quæ maximè ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, jejunium et eleemosyna: quibus exercendis omne quidem tempus acceptum, sed illud est studiosiùs observandum quod apostolicis accepimus traditionibus consecratum: sicut etiam decimus hic mensis morem refert veteris instituti, ut tria illa de quibus locutus sum diligentiùs exsequamur.... Quartâ igitur et sextâ feriâ*, etc., ut ante.

Restat solùm jejunium vernum; sed cùm serm. 8 priùs laudato jejunio septimi mensis, dicat apostolicis institutis jejunium esse electum in hoc mense *sicut aliis anni temporibus;* et serm. 8 de Jejunio decimi mensis, annumeret jejunium vernum aliis jejuniis quatuor temporum, his nempe verbis: *Jejunium vernum in quadragesimâ, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hyemale autem in hoc qui decimus est, celebramus*, apertè colligitur SS. Pontificem censuisse singula quatuor anni temporum jejunia esse traditionis apostolicæ.

His victus argumentis Dallæus Calvin., l. 4 de Jejun., c. 8, respondet, Ecclesiam romanam tempore S. Leonis equidem jejunia servâsse quatuor anni temporibus, sed negat hunc fuisse universalis Ecclesiæ morem.

Contra S. Leo, serm. 7 de Jejunio decimi mensis, cap. 2 dicit: *His autem conversionibus per providentiam gratiæ Dei addita sunt sancta jejunia, quæ in quibusdam diebus ab universâ Ecclesiâ devotionem observantiæ generalis exigerent.* Et serm. 4 de Jejunio septimi mensis, cap. 2: *Quamvis autem unicuique nostrùm liberum sit voluntariis castigationibus proprium corpus afficere.. quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet celebrari generale jejunium; et tunc efficacior est sacratiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Ecclesiæ unus animus et unus est sensus.* Intelligere autem *per totam et universam Ecclesiam*, urbis Romæ Ecclesiam; per *omnes*, solos romanos cives; et per *generale jejunium*, quod solis Romanis est proprium, ut facit Dallæus, non solùm est ludere et cavillari, sed apertè abuti terminis.

Reponit hæreticus, S. Leonem non reponere sicuti nos jejunium æstivum post Pentecosten, sed in Pentecoste. Verùm jejunium in Pentecoste et post Pentecosten idem est S. Leoni, qui etiam illud post Pentecosten disertè collocat, sermone 1 de Jejunio Pentecostes priùs laudato.

Probatur secunda pars conclusionis 1° ex concilio Moguntino anno 813, sub Leone III et Carolo Magno, can. 34, ubi dicitur: *Constituimus ut quatuor anni tempora ab omnibus cum jejunio observentur, id est, mense martio, hebdomadâ primâ... similiter mense junio, hebdomadâ secundâ... similiter mense septembri, hebdomadâ tertiâ, et in mense decembri, hebdomadâ quæ fuerit plena ante vigiliam Natalis Domini.* Refertur dist. 76, cap. *Constituimus.* 2° Ex concilio Salegunstadiensi, in eâdem diœcesi Moguntinâ celebrato anno 1022, ubi vocatur *incertum jejunium quatuor temporum*, et paulò aliter quàm in Moguntinâ synodo assignantur tempora jejunii. Refertur ibidem, cap. de Jejunio. 3° Ex epistolâ Goffridi abbatis circa annum 1129, in quâ quærit ab Hildeberto, episcopo Cenomanensi, in quâ hebdomadâ junii jejunia essent celebranda. Ergo.

Dices 1° contra primam partem conclusionis: In quibusdam breviariis romanis legitur decimâ quartâ octobris sanctum Calixtum papam instituisse quatuor anni tempora quibus jejunaretur. Ipse Calixtus, in epistolâ ad Benedictum episcopum, quæ citatur à Gratiano, dist. 76, c. *Jejunium*, scribit quòd jejunium quod ter in anno celebrabatur, quater sit celebrandum; unde eruitur saltem unum ex jejuniis quatuor temporum ab ipso fuisse institutum; et pontificale Damasi quatuor illa jejunia ab ipso Calixto tradit instituta. Ergo.

Quidam respondent in correctione breviarii, loco priorum verborum, hæc esse substituta: *Constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex apostolicâ traditione acceptum, ab omnibus servaretur:* ex quo colligitur hæc jejunia fuisse quidem ab Apostolis instituta, sed cùm varietas accidisset circa tempora quibus observarentur, Calixtus ea designavit. Ad ejus epistolam, respondent sensum esse quòd restituerit consuetudinem quater jejunandi, quæ apud aliquos ex parte collapsa erat, ita ut nonnisi ter jejunarent. Ad pontificale Damasi, dicunt eo significari Calixtum fuisse primum, non qui hæc jejunia instituerit, sed qui scripto mandaverit id quod piâ traditione priùs servabatur. Sed resp. breviùs, et epistolam Calixti et pontificale Damaso adscriptum, ex quibus in quibusdam breviariis irrepserant quæ objiciuntur, nunc ab eruditis explodi ut apocrypha et supposititia, proindeque nullius aut levissimæ auctoritatis esse.

Dices 2°: Tertullianus, lib. de Jejunio, cap. 2, scribit Christianos docere nullum ab Apostolis impositum jejunium præter quadragesimale. Ergo. — R. nullam fidem esse adhibendam Tertulliano scribenti contra Catholicos, ex quo ab ipsis in Montani hæresim defecit: docebant quidem Christiani nullam aliam quadragesimam esse sibi impositam præter quadragesimam antepaschalem (cùm ipse Tertullianus cum suo Montano plures astrueret), sed non ullum aliud jejunium.

INDEX RERUM.

SUMMA MORALIS Doctrinæ Thomisticæ circa Decalogum. 9-10

Prælоquium de Religione, maximèque de oratione. 11-12

Articulus primus. De oratione in genere consideratâ. 13

§ 1. De naturâ et necessitate orationis. *Ibid.*

§ 2 De objecto orationis. 19

Quæres 1° utrùm in oratione debeamus aliquid determinatè à Deo petere. *Ibid.*

Quæres 2° quænam determinatè et absolutè peti debent. 24

§ 3. De efficaciâ orationis. 26

Utrùm oratio habeat infallibilem effectum. *Ibid.*

Quæres 1° : Quot requiruntur, ut oratio piè fiat. 27

Quæres 2° : Qualis debeat esse orantis fiducia ad infallibiliter impetrandum. 30

Quæres 3° : Utrùm ad infallibiliter impetrandum necesse sit ut quis pro se ipso petat. 32

Quæres 4° : Utrùm oratio sine perseverantiâ semper sit inefficax. 33

Quæres 5° : Quare Deus differt peccantium vota, adeò ut soli perseverantes infallibiliter impetrent. 34

Quæres 6° : Quamdiù perseverare debet oratio, ut infallibiliter impetret. 35

Art. II. De oratione publicâ. 36

Quæres 1° : Quinam teneatur ad recitandas horas canonicas singulis diebus. *Ibid.*

Quæres 2° : An sit peccatum mortale omittere aliquam partem officii, aut non distinctè illud recitare, aut horas debito ordine non persolvere. 41

Quæres 3° : Quo tempore et ordine divinum officium sit recitandum. 43

Quæres 4° : Qualiter et sub quâ formâ officium sit recitandum; an uniformiter ab omnibus idem sit persolvendum. 45

Quæres 5° : In quo loco non liceat officium privatim aut publicè recitare. 46

Quæres 6° : Utrùm canonici aliique beneficiarii etiam absentes possint justè quotidianas distributiones recipere. 47

Quæres 7° : An oratio debeat necessariò esse attenta. 48

EXPOSITIO PRIMI PRÆCEPTI DECALOGI. 51-52

Quæstio unica. Quid isto primo mandato præcipiatur, et quid prohibeatur. 52

Articulus primus. De adoratione et cultu latriæ soli Deo debito ac proprio. *Ibid.*

Art. II. Quid sit superstitio, et quænam illius species. 57

§ 1. De superstitione indebiti cultûs veri Dei. 58

§ 2. De superstitione cultûs divini creaturæ exhibiti, seu de idololatriâ. 63

§ 3. De superstitione divinativâ in communi. 67

§ 4. De speciebus divinationis superstitiosæ. 71

§ 5. Utrùm divinatio quæ fit per astra, sit licita. 74

§ 6. Utrùm divinatio quæ fit per somnia, per auguria, omina, et alias hujusmodi observationes exteriorum rerum, sit illicita. 79

§ 7. Utrùm divinatio quæ fit per sortes sit licita. 83

§ 8. De superstitionibus vanarum observantiarum. 86

§ 9. De magiâ, et maleficio. 96

§ 10. De superstitionibus in adjuratione contigentibus. 104

APPENDIX. De possibilitate et existentia magiæ. 108

Art. III. De peccato irreligiositatis quod reperitur in tentatione Dei. 112

Art. IV. De sacrilegio. 117

EXPOSITIO SECUNDI PRÆCEPTI DECALOGI. 123-124

Quæstio prima. De juramento. 127

Articulus primus. Quid et quotuplex sit juramentum. 128

Art. II. An et quando juramentum sit licitum. 151

Art. III. Utrùm juramentum habeat vim obligandi. 139

Art. IV. De irritatione, et dispensatione juramenti. 150

Art. V. De personis quibus non competit jurare, et de aliis rebus ad completam juramenti notitiam spectantibus. 153

APPENDIX. De promissione. 157

Quæstio II. De voto. 160

Articulus primus. De essentiâ et divisione voti. 161

§ 1. De materiâ voti. 164

§ 2. De libertate sive deliberatione ad vovendum requisitâ. 170

§ 3. De conditione appositâ voto. 174

§ 4. De voto solemni et simplici. 176

§ 5. De voto personali et reali, an possit impleri per alium. 183

Art. II. Utrùm omne votum obliget ad suî observationem. 185

§ 1. De tempore quo vovens tenetur ad impletionem voti. 189

§ 2. Ad quid teneatur vovens, quando ex ejus culpâ materia voti effecta est impossibilis. 191

§ 3. De obligatione voventis aliquid indeterminatè, aut quando de ejus intentione non constat. 194

§ 4. In quo plures casus particulares circa voti obligationem occurrentes, resolvuntur per breves quæstiones. 197

Art. III. De votis emissis à personis quæ alterius potestati subduntur, ac de eorumdem irritatione. 202

§ 1. De votis puerorum. 204

§ 2. De votis conjugatorum. 208

§ 3. De votis religiosorum. 213

§ 4. De votis servorum. 217

Art. IV. De dispensatione, et commutatione votorum. 219

§ 1. Utrùm summus Pontifex ex legitimâ causâ possit in omnibus votis etiam solemnibus religionis dispensare. 223

§ 2. Utrùm episcopi valeant dispensare in votis. 228

§ 3. De commutatione votorum; quomodò sit facienda. 232

Quæstio III. De blasphemia. 236

Articulus primus. Quid et quotuplex sit blasphemia. 237

Art. II. Utrùm blasphemia semper sit peccatum mortale. 242

Art. III. Utrùm peccatum blasphemiæ sit maximum. 245

EXPOSITIO TERTII PRÆCEPTI DECALOGI. 267-268

Quæstio unica. De operibus quæ isto mandato præcipiuntur et prohibentur. 268

Articulus primus. Quibus operibus vacare teneantur fideles in diebus dominicis et festivis. 273

Art. II. An et quænam opera animæ sint prohibita in die festo. 281

Art. III. An omnia opera corporalia sint prohibita in die festo. 286

Art. IV. In quibus casibus opera servilia in die festo exerceri possint absque peccato. 288

Art. V. In quo cætera dubia occurrentia circa hujusmodi opera breviter explicantur. 293

Art. VI. De præcepto ecclesiastico audiendi Missam in die festo. 299

§ 1. De requisitis ad ritè implendum præceptum audiendi Missam in diebus Dominicis, et festivis. 305
§ 2. Quænam sint causæ ab hoc præcepto excusantes. 308
Brevis dissertatio de profanatione rei sacræ per simoniæ peccatum. 312
Articulus primus. De materiâ circa quam simonia committitur, seu de rebus spiritualibus, et illis annexis. 317
§ 1. Utrùm semper sit illicitum pro sacramentis pecuniam dare. 319
§ 2. Utrùm sacramentalia et actus ac functiones spirituales vendi possint absque simoniâ. 325
§ 3. Utrùm sit simoniacum aliquid exigere ab iis qui recipiuntur vel profitentur in religione. 329
§ 4. Utrùm sit licitum pecuniam accipere pro his quæ sunt spiritualibus annexa. 333
§ 5. Utrùm vendere aut emere beneficia ecclesiastica sit simonia de jure divino. 335
§ 6. Utrùm commendæ, præstimonia et pensiones absque simoniâ vendi, aut redimi possint. 338
Art. II. De rebus temporalibus quæ sunt pretium rerum spiritualium, et concurrunt ad simoniam. 340
§ 1. In quo explicantur hæc tria munera in particulari. *Ibid.*
§ 2. An, si temporale sit principale motivum dandi spirituale, non verò pretium, committatur simonia. 344
Art. III. De pactis, aut conventionibus quæ possunt constituere simoniam. 346
§ 1. Utrùm committatur simonia, antidoralem obligationem in pactum deducendo. 347
§ 2. Utrùm redemptio vexationis circa res spirituales, et maximè beneficia, sit simoniaca. 349
§ 3. Utrùm in permutationibus et transactionibus beneficiorum reperiatur simonia. 350
§ 4. An in renuntiatione beneficii factâ in favorem alterius, aut in confidentiam, simonia committatur. 353
Art. IV. De pœnis contra simoniacos in jure latis. 355
§ 1. De censuris latis contra simoniam committentes in ordinibus, in ingressu, vel professione religionis, et beneficiis. 357
§ 2. De secundâ pœnâ simoniaci, nempe quòd teneatur rem spiritualem, v. g., beneficium dimittere. 359
§ 3. De tertiâ pœnâ, nempe restitutione pretii simoniacè accepti. 364
EXPOSITIO QUARTI PRÆCEPTI DECALOGI. 373-374
Quæstio prima. Quænam pietatis officia hoc præcepto filii adstringantur exhibere parentibus suis. 378
Articulus primus. De observantiâ filiorum erga parentes debitâ. *Ibid.*
Art. II. De obedientiâ quam filii parentibus suis reddere tenentur. 384
Art. III. De amore quo filii parentes prosequi tenentur. 391
Art. IV. De subsidio quod filii parentibus in necessitate tam spirituali quàm corporali existentibus præstare tenentur. 394
Quæstio II. Quænam officia parentes filiis præstare teneantur, et vir ac uxor ad invicem. 399
Articulus primus. De obligatione parentum sustentandi filios eisque providendi de necessariis ad vitam. *Ibid.*
Art. II. An parentes teneantur esse solliciti de institutione, eruditione et informatione filiorum et filiarum circa bonos mores. 403
Art. III. Utrùm parentes quandoque teneantur verbis addere verbera, et malos protervosque filios severiori disciplinâ corripere. 409
Art. IV. Quòd puerilis ætas aptissima eruditioni et morum informationi rectè censeatur, et sit. 413
Art. V. De pædagogo filiis præficiendo. 418
Art. VI. De officio mariti erga uxorem, et uxoris erga maritum. 422
Art. VII. De peccatis viri et uxoris. 425
Quæstio III. De officiis superiorum et inferiorum ad invicem. 429
Articulus primus. De officiis dominorum et famulorum ad invicem. *Ibid.*
Art. II. De officio parochorum, et ovium, ad invicem. 435
Præloquium de justitia et injustitia. 437-438
§ 1. De divisione justitiæ perfectæ in suas partes subjectivas. 442
§ 2. De injustitiæ naturâ et divisione. 446
EXPOSITIO QUINTI PRÆCEPTI DECALOGI. 447-448
Quæstio prima. De homicidio. 450
Articulus primus. Utrùm sit licitum occidere peccatores auctoritate publicâ. 451
Art. II. Utrùm privatæ personæ sit licitum occidere malefactores. 454
Art. III. Utrùm occidere malefactores liceat clericis auctoritate publicâ fungentibus. 456
Art. IV. Utrùm licitum sit alicui occidere seipsum. 458
§ 1. Utrùm in aliquo casu liceat seipsum indirectè occidere. 461
§ 2. Proponuntur quidam casus particulares, de quibus est controversia. 466
§ 3. An et quando liceat seipsum mutilare. 469
Art. V. Utrùm liceat in aliquo casu interficere innocentem. 473
§ unicus. In quo resolvuntur aliqui casus controversi et difficiles circa indirectam innocentum occisionem. 476
Art. VI. Utrùm liceat occidere aliquem se defendendo. 485
§ 1. Utrùm defendendo propriam vitam, liceat injustum aggressorem in ipso conflictu occidere, servatis conditionibus allegatis. 491
§ 2. Utrùm liceat futurum aggressorem prævenire. 494
§ 3. Utrùm liceat propria bona temporalia defendendo, eorum raptorem interficere. 497
§ 4. Utrùm pro defensione honoris et famæ licitum sit calumniatorem occidere. 501
§ 5. An ad salvandum honorem puellæ gravidæ liceat abortum procurare; et an licitum sit feminæ suam pudicitiam defendere etiam cum occisione aggressoris. 504
§ 6. Utrùm ad proximi vitam, aut pudicitiam aut bona defendendum, licitum sit occidere injustum invasorem. 506
§ 7. De monomachiâ et duellistarum cædibus. 509
§ 8. De bello et militum occisionibus. 511
Corollarium. 514
§ 9. De homicidio casuali. *Ibid.*
Quæstio II. De affectibus et vitiis, quæ ad homicidium quodammodò reduci possunt. 519
Articulus primus. An aliquis, ob bonum proprium temporale ulterius mortem vel grave malum optare possit absque peccato. *Ibid.*
Art. II. De iracundiâ et odio proximi ac inimici. 523
Art. III. De rixâ, discordiâ, contentione, litigio, seditione, crudelitate aliisque similibus vitiis. 528
EXPOSITIO SEXTI ET NONI PRÆCEPTI DECALOGI. 531-532
Quæstio prima. De luxuriæ speciebus. 534
Articulus primus. De fornicatione simplici. 535
Art. II. De stupro. 539
Art. III. De raptu. 544
Art. IV. De adulterio. 547
§ 1. Utrùm adulter et adultera teneantur ad aliquam restitutionem faciendam. 551
§ 2. An et quando usus conjugii matrimonialis vitiari possit. 555
§ 3. In quo explicatur primum caput, nempe finis generandæ proles. 557

§ 4. In quo explicatur secundum caput, nempe finis reddendi debiti. 563
Art. V. Utrùm incestus sit determinata species luxuriæ. 570
§ 1. De incestu propter affinitatem contracto. 575
§ 2. De cognatione legali quæ fit per adoptionem. 577
§ 3. De cognatione spirituali. 580
Art. VI. De sacrilegio, utrùm possit esse species luxuriæ. 585
Art. VII. Utrùm vitium contra naturam sit species luxuriæ. 591
Quæstio II. De mollitie aliisque impudicitiis. 596
Articulus primus. Utrùm mollities deliberatè et voluntariè procurata sit semper et in omni prorsùs casu de se intrinsecè mala et illicita. *Ibid.*
§ 1. Quandonam pollutio censetur voluntaria et peccaminosa in suâ causâ. 603
§ 2. De pollutione nocturnâ, an et quando sit peccatum. 607
§ 3. De aliis ad mollitiem pertinentibus. 610
Art. II. De amplexibus, tactibus et osculis libidinosis. 614
Art. III. In quo per breves quæstiones resolvuntur casus particulares circa tactus, amplexus et oscula occurrentes. 619
Art. IV. De aspectu libidinoso. 624
Art. V. De turpiloquiis et lectione turpium librorum. 629
Art. VI. De comœdiis et choreis. 633
Quæstio III. De motibus sensualitatis, de cogitationibus morosis et delectationibus venereis. 639
Articulus primus. An motus sensualitatis sint peccata. *Ibid.*
Art. II. De cogitatione et delectatione morosâ in genere. 641
Art. III. De delectatione et cogitatione morosâ in specie luxuriæ. 646
Art. IV. In quo resolvuntur casus particulares in hâc materiâ occurrentes. 649

EXPOSITIO SEPTIMI PRÆCEPTI DECALOGI. 653-654

Prologus de rerum dominio. *Ibid.*
§ 1. De subjecto dominii, seu quinam sint dominii capaces. 657
§ 2. Utrùm beneficiarii retineant dominium redituum et bonorum ecclesiasticorum, et ad restitutionem teneantur, si hoc expendant. 658
§ 3. De objecto dominii. 666
§ 4. De acquisitione et translatione dominiorum. 668
Quæstio prima. De furto et rapinâ. 673
Articulus primus. De naturâ furti et rapinæ. *Ibid.*
§ 1. De quantitate necessariâ ad constituendum furtum morale. 677
§ 2. Utrùm propter necessitatem propriam vel alienam sublevandam liceat alicui rem alienam accipere. 681
§ 3. An qui rem suam ab alio detentam occultè accipit, aliter eam recuperare non valens, furtum committat. 685
Art. II. De furtis filiorum, uxorum, famulorum et religiosorum. 687
Art. III. Utrùm fraudantes gabellas committant furtum et restituere teneantur. 693
Art. IV. De furtis bella gerentium. 695
Art. V. Quandonam venatione, aucupio et piscatione furtum committitur. 699
Art. VI. De furtis eorum qui ligna cædunt aut herbas decerpunt in sylvis aliorum. 702
Art. VII. De furtis rerum inventarum, et de thesaurorum inventione. 704
Art. VIII. De furtis bonorum ecclesiasticorum. 709
Art. IX. De furtis falsorum. 711
Quæstio II. De restitutione in communi. 713
Articulus primus. De radicibus et causis undè oriatur restitutionis obligatio. 716
Art. II. De possessore bonæ fidei. 718
Art. III. De possessore dubiæ fidei. 725
Art. IV. De possessore malæ fidei. 724
Art. V. Ex quâ culpâ aliquis teneatur ad restituendum alienum ratione acceptionis justæ, si perire contingat. 726
Art. VI. An et quænam culpa requiratur ad obligationem restituendi ratione iniquæ acceptionis et damni illati. 729
Art. VII. Quænam personæ censeantur cooperari ad damnum ab alio illatum, et unà cum ipso ad restituendum teneri. 731
§ 1. De jubente seu mandante. 733
§ 2. De consulente. *Ibid.*
§ 3. De consentiente. 735
§ 4. De adulatore et receptante. 736
§ 5. De muto, non obstante, et non manifestante. 738
§ 6. Quo modo et quo ordine novem isti cooperatores unà cum executore damni, teneantur ad illud restituendum. 740
Quæstio III. De personis quibus restitutio facienda est; et quo ordine. 742
Articulus primus. An quando res creditur nociva domino vel alteri, sit ipsi reddenda, si tunc illam exigat. 743
Art. II. Cui facienda est restitutio, quando rei alienatio aut acceptio est illicita de se, aut prohibita. 746
Art. III. Cui facienda sit restitutio rei, quando ejus dominus non comparet, puta quia aut est mortuus, aut ignotus, aut absens. 752
§ 1. Cui restituenda sit res quando ejus dominus est ignotus. 753
§ 2. Cui facienda sit restitutio rei, quando ejus dominus est quidem certus, sed obiit, aut longè dístat. 756
Art. IV. Quinam ordo sit servandus inter personas quibus facienda est restitutio. 758
Quæstio IV. Quomodò et quando restitutio sit facienda et quibus de causis differri possit. 761
Articulus primus. De modo restitutionis faciendæ. 762
Art. II. An sub peccato restitutio statim sit facienda dùm adest opportunitas. 764
Art. III. De causis excusantibus à restitutione statim faciendâ. 767
§ 1. An per assumptionem et professionem statûs religiosi debitor ab obligatione restituendi liberetur. 769
§ 2. An et quomodò omnimoda impotentia seu necessitas extrema debitoris, eum à restitutione liberet. 770
§ 3. Utrùm ob valdè gravem necessitatem liceat restitutionem differre. 772
Quæstio V. De restitutione in particulari ortâ ex delicto. 774
Articulus primus. De restitutione faciendâ propter læsionem in bonis corporis. *Ibid.*
Art. II. De restitutione faciendâ ob læsionem famæ. 778
Art. III. An et quomodò honor ablatus sit restituendus. 782
Quæstio VI. De restitutione ortâ ex commutationibus voluntariis nempe ex contractibus. 785
Articulus primus. De mutuo et usurâ. 787
Art. II. Utrùm usura sit de se intrinsecè mala, et omni jure prohibita. 790
Art. III. Utrùm liceat pro pecuniâ mutuatâ aliquam commoditatem expetere, et quibus titulis. 798
§ 1. Examinatur primum punctum sequentibus quæstionibus. *Ibid.*
§ 2. Examinantur tituli quibus licet aliquid exigere ex mutuo. 802
Art. IV. Utrùm usurarius teneatur restituere quidquid de pecuniâ usurariâ lucratus est, quomodò, et quibus. 812
Art. V. De usurâ mentali. 813
Art. VI. An et quomodò liceat mutuum petere sub usuris. 815

Art. VII De contractu emptionis et venditionis. 816
Art. VIII. Utrùm licitè aliquis possit vendere rem plus, aut minùs emere quàm valeat. 818
Art. IX. An et quomodò venditio reddatur illicita propter defectum rei venditæ, et an venditor ejus vitium dicere teneatur. 823
Art. X. Utrùm liceat negotiando chariùs aliquid vendere quàm emere. 827
Art. XI. De cæteris contractibus. 830
§ 1. De constitutione censuum vel redituum annuorum. *Ibid.*
§ 2. De contractu locationis et conductionis. 835
§ 3. De contractu societatis. 839
EXPOSITIO OCTAVI PRÆCEPTI DECALOGI. 843-844
Præloquium primum. An omne mendacium sit peccatum. *Ibid.*
Præloquium secundum. De usu æquivocationum et restrictionum mentalium. 849
Præloquium tertium. De judicio temerario, suspicione et dubio. 866
§ 1. An suspicio sit peccatum mortale. 869
§ 2. Utrùm dubia sint in meliorem partem interpretanda. 872
Quæstio prima. De injuriis verborum extra judicium. 873
Articulus primus. Quid sint detractio et contumelia, ac quot modis fieri soleant. *Ibid.*
§ 1. Utrùm crimen occultum proximi revelare uni soli viro prudenti qui secretum apud se retinebit, sit detractio gravis. 877
§ 2. Utrùm quando crimen alicujus est publicum narrari possit absque peccato detractionis. 883
§ 3. An et quando audiens et tolerans detractionem, peccet mortaliter. 887
Art. II. De susurratione, irrisione et maledictione. 889
Quæstio II. De injuriis verborum in judicio. 894
Articulus primus. De injustitiâ judicis in judicando. *Ibid.*
§ 1. An et quæ potestas requiratur ad judicandum. *Ibid.*
§ 2. De formâ finis quam judex servare debet judicando. 897
§ 3. Utrùm judex pœnam à lege taxatam remittere, et à cliente aliquid titulo stipendii recipere possit. 903
Art. II. De pertinentibus ad injustam accusationem. 905
Art. III. De vitiis contra justitiam ex parte rei seu accusati. 909
§ 1. Utrùm accusatus possit absquè peccato mortali veritatem negare per quam condemnaretur, et se calumniosè defendere. *Ibid.*
§ 2. Utrùm reus possit infamare accusatorem aut testes, aut seipsum absque peccato. 915
§ 3. Utrùm liceat reo judicium per appellationem declinare. 916
§ 4. Utrùm liceat condemnato ad mortem se defendere, si possit. 918
Art. IV. De injustitiâ testium. 921
§ 1. De numero testium ad probationem necessario, et quales debent esse ad faciendam fidem. 924
§ 2. An alicujus testimonium sit absque illius culpâ repellendum. 925
§ 3. Utrùm falsum testimonium semper sit peccatum mortale. 926
Art. V. De injustitiâ advocatorum in patrocinando, item tabellionum, procuratorum, et aliorum. 927
EXPOSITIO NONI ET DECIMI PRÆCEPTI DECALOGI. 933-934
Quæstio unica. De concupiscentiâ. *Ibid.*
Articulus primus. Utrùm lex mosaica cohibeat non solùm manum, sed etiam animum. *Ibid.*
Art. II. Utrùm duo ista præcepta sint inter se distincta. 937
Art. III. De concupiscentiâ vetitâ boni delectabilis carnalis. 940
Art. IV. De concupiscentiâ vetitâ boni utilis injustè rapiendi vel detinendi. 943
APPENDIX PRIMA. De Cultu sanctorum et de Veneratione sacrarum reliquiarum. (Nat. Alex.) 945-946
§ 1. Cultus sanctorum primo Decalogi præcepto non repugnat. *Ibid.*
§ 2. Sacrarum reliquiarum honor primo Decalogi præcepto non repugnat. 949
§ 3. Sanctorum invocatio primo Decalogi præcepto non prohibetur. 950
§ 4. De cultu SS. imaginum. 955
§ 5. Regulæ proximè spectantes circa sanctorum invocationem, sacrarum reliquiarum honorem, et imaginum veneralionem. 958
Regula I. *Ibid.*
Regula II. 960
Regula III. *Ibid.*
Regula IV. 962
Regula V. 963
Regula VI. 964
Regula VII. *Ibid.*
APPENDIX SECUNDA. De Sanctificatione diei Dominicæ et festorum. 965-966
Utrùm præter cessationem ab operibus vetitis et auditionem Missæ, aliquid insuper requiratur ad satisfaciendum legi. *Ibid.*
§ 1. Sententia affirmans requiri alia pietatis exercitia præter Missæ auditionem ad satisfaciendum præcepto de festorum sanctificatione (Auctore Pattuzzi). 967
§ 2. Sententia negans fideles ad aliud teneri diebus Dominicis ultra cessationem ab opere servili et auditionem Missæ (Auctore P. Billuart). 973
APPENDIX TERTIA. De Revelatione secreti. 981-982
§ 1. Notiones præviæ de secreto. *Ibid.*
§ 2. De obligatione servandi secretum. *Ibid.*
Regula I. De secreto à naturâ rei. *Ibid.*
Regula II. De secreto commisso. 983
Regula III. De secreto promisso. 984
Regula IV. De conflictu legis secreti, cum necessitate vitandi grave damnum vel removendi damnum nobis extremum, aut præcepto superioris. 985
§ 3. Consectaria doctrinæ præcedentis. 987
APPENDIX QUARTA. De Abstinentiâ et Jejunio. 989-990
Articulus primus. De jejunio, utrùm et quo jure sit præceptum. *Ibid.*
Art. II. Utrùm convenienter determinata sint tempora jejunii ecclesiastici. 994
Art. III. De unâ vel multiplici refectione in die jejunii. 998
§ 1. Utrùm requiratur ad jejunium quòd homo tantùm semel comedat. 999
§ 2. Utrùm quis toties peccat contra legem jejunii, quoties comedit ultra unam refectionem, an solùm secundà refectione. *Ibid.*
§ 3. Utrùm liceat dividere refectionem in die jejunii. 1004
§ 4. De cœnulâ seu collatione. 1005
§ 5. Utrùm juxta S. Thomam potus solvat jejunium. 1008
Art. IV. De horâ solvendi jejunii. 1017
Art. V. De abstinentiâ à carnibus, ovis et lacticiniis. 1019
Art. VI. Variæ difficultates circa præcedentem materiam breviter resolvuntur. 1028
Art. VII. Utrùm violaturis jejunium ministrare cibos prohibitos aut cœnam liceat. 1031
Art. VIII. Utrùm omnes ad jejunia ecclesiastica teneantur. 1034
Index rerum. 1037-1058

FINIS TOMI DECIMI-QUARTI THEOLOGIÆ.

230.8
M588

1840

Migne, J.P. (Editor)
AUTHOR

Theologiae Cursus Completus
TITLE
Vol. XIV

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

1840